JC.SUP21.Pl.3.

43
7 E
19

71:60

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS DE ANTIQUA ECCLESIÆ DISCIPLINA

IN DIVINIS CELEBRANDIS OFFICIIS,

Varios diverſarum Eccleſiarum ritus & uſus exhibens, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ & maximè Galliæ,

Collectos ex variis inſigniorum Eccleſiarum libris Pontificalibus, Sacramentariis, Miſſalibus, Breviariis, Ritualibus, Ordinariis ſeu Conſuetudinariis cùm manuſcriptis tùm editis; ex diverſis Conciliorum decretis, Epiſcoporum ſtatutis, Sanctorum Patrum dictis, aliiſque probatis auctoribus permultis.

Studio & opera Domni Edmundi Martene presbyteri & monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri.



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSON & JOANNIS POSUEL.

M. D. CCVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

A·P. C190
1727

Digitized by Google

PRÆFATIO.

UT de antiquâ Eccleſiæ diſciplinâ in divinis celebrandis officiis tractatum ederem, jam dudum mihi auctores fuerunt amici mei, atque ut illum quantociùs publici juris facerem repetitis precibus non ſemel inſtiterunt: rati hujuſmodi opus alicujus futurum utilitatis clericis viriſque religioſis, ea plerumque ignorantibus, quibus per magnam diei partem, immò per totam & integram ferè vitam occupantur. Etſi enim & ex antiquis & ex recentioribus ſcriptoribus de divinis officiis diſſeruerint non pauci, vix tamen quidquam apud eos, quod hujus ſæculi moribus congrueret, perfectum reperiebant. Enim verò præterquam quod paucas dumtaxat divinorum curſuum partes plerique attigerunt, ad morales & myſticas ſacrorum rituum expoſitiones antiqui omnes, & ex recentioribus permulti animum adjecerunt. Solus ex recentioribus aliam iniit viam vir claræ ac piæ memoriæ Cardinalis Bona in ſingulari ac verè aureo Tractatu *de Divina Pſalmodia*. Verùm generales tantum divinorum officiorum partes, quibus multa poſſunt addi, nonnulla corrigi, ille proſecutus, ad ſingulares ritus minimè deſcendit. Nihil enim de ſacris curſibus per anni circulum peragendis, nihil de inſtitutis Sanctorum feſtivitatibus, nihil de celebrandis in iis ſolemnibus cærimoniis apud eum aliquando leges. Itaque ſingularem aliquem deſiderabant Tractatum, qui hæc complecteretur omnia: hoc eſt qui præter generalem Eccleſiæ diſciplinam in divinis perſolvendis officiis, etiam ſingulares per annum ritus percurreret, feſtorum originem & inſtitutionem aperiret, aliaque hujuſmodi hiſtorico more edoceret, quibus hodie delectari ſolent ii, qui juniorum clericorum mores ad ſolidam pietatem efformare laborant.

Quamvis autem ad proſequendum eâ quâ par eſt dignitate

ã ij

tam grave argumentum, quàm exiguæ ſint ingenii mei vires, quàm tenuis eruditio ultrò agnoſcam, divino nihilominus confiſus auxilio, æquis piorum virorum deſideriis mihi cedendum exiſtimavi: atque ut eorum votis pro modulo facerem ſatis omnem adhibui curam. Et primò auctores qui de Divinis officiis lucubrationes aliquas ediderunt, omnes conſului; Iſidorum præſertim Hiſpalenſem, Amalarium Trevirenſem, Rabanum Moguntinum præſules, Rupertum Tuitienſem abbatem & alios quos unum in corpus collectos typis mandavit Melchior Hittorpius. Deinde ex aſſidua Conciliorum, Sanctorum Patrum, ſcriptorumque eccleſiaſticorum lectione, ea quæ ad propoſitum mihi ſcopum facere poterant colligere curavi, ut ea quæ hoc in opere dicenda ſuſciperem, eorum maximè auctoritate ſtabilirentur. Poſtremò varios diverſarum eccleſiarum Italiæ præſertim, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ, ſed maximè Galliæ Sacramentorum libros, Miſſales, Pontificales, Rituales, aliofque eccleſiaſticos codices antiquiſſimos manu exaratos adii, quos partim ex monaſteriis, partim ex Cathedralibus, aliiſque eccleſiis beneficio amicorum noſtrorum mihi percurrere licuit: ſed quorum partem longè majorem ſuppeditavit Regis Chriſtianiſſimi bibliotheca, uti & Colbertina: qua in re Cl. viri Stephani Baluſii illius tunc præfecti humanitatem non ſemel expertus ſum. Hinc facile colliges nihil à me hoc in Tractatu dictum iri, quod firmiſſimis non ſit fundamentis innixum, cùm nihil hîc ſcribere præſumſerim quod probatiſſimorum auctorum aſſertionibus, uſu & praxi non ſit undique firmatum. Ne quis autem aliorum dicta in proprium aut alienum ſenſum à me detorqueri forſan cauſaretur, ipſiſſima auctorum verba anſulis incluſa ſemper referre ſtudui, ut nulla cuiquam aſſertorum meorum dubitatio remaneret. An verò eruditorum virorum expreſſioni omni ex parte ſatisfecerim non auſim aſſerere; unum tamen incunctanter aſſerere queo, diligentiam hoc in Tractatu meam ab æquis judicibus deſiderari non poſſe: id certè patebit ex ſequenti indice citationum & ex ſyllabo librorum manuſcriptorum quibus in eo ſcribendo ſum uſus.

Digitized by Google

SYLLABUS

LIBRORUM SACRAMENTORUM, MISSALIUM, Pontificalium, Ritualium, Ordinariorum tàm manuſcriptorum, quàm editorum, quibus hoc in Tractatu uſus ſum.

ALBIENSIS eccleſiæ miſſale ante annos 300. ms. ex bibliotheca Colbertina n. 1799.* *Albi*

AMBROSIANÆ ſeu MEDIOLANENSIS eccleſiæ miſſale duplex: unum anno 1560. alterum anno 1669. editum. *Milan*

Breviarium duplex: unum anno 1487. regnante Joanne Galeazio Maria Vicecomite duce editum, alterum anno 1588. juſſu S. Caroli Borromæi.

Proceſſionale Ambroſianum.

Rituale Ambroſianum anno 1645. juſſu Cæſaris Montii archiepiſcopi Mediolanenſis editum.

ANDEGAVENSIS S. Albini monaſterii codex ms. ad uſum Fulconis qui anno 1324. epiſcopus Andegavenſis creatus eſt. *Angers*

ANGLICANUM Pontificale duplex ab annis circiter 900. manu exaratum, quorum unum in eccleſia Rotomagenſi, alterum in Gemmeticenſi monaſterio conſervatur. *d'Angleterre*

Miſſale Anglicanum vetus circa annum 1000. ſcriptum, & anno 1032. ex Anglia allatum, & monaſterio Gemmeticenſi dono datum liberalitate Roberti ex abbate Gemmeticenſi epiſcopi Londinenſis ac poſtea archiepiſcopi Cantuarienſis.

APAMIENSIS eccleſiæ in Syria Pontificale optimæ notæ anno 1114. ſcriptum, cum Latini eccleſiam illam occuparent, ſuoſque uſus ac ritus in eam invexiſſent, cujus apographum olim mecum communicavit Cl. V. Joannes *Deſlions* decanus eccleſiæ Silvanectenſis. *Apamée en Syrie*

AQUENSIS eccleſiæ pontificale, ſeu Romanum ad uſum eccleſiæ Aquenſis accommodatum, ante annos 400. ms. ex bibliotheca regia n. 3873. *Aix en Provence*

ARELATENSIS eccleſiæ pontificale ante annos 400. manu exaratum. Ex bibliotheca Colbertina n. 1587. *Arles*

Miſſale ms. annorum circiter 400. ex eadem bibliotheca n. 1583.

Miſſale aliud ms. ante annos 300. ex eadem bibliotheca n. 1810.

Miſſale aliud ab annis circiter 200. editum. Ex eadem bibliotheca.

Straſbourg ARGENTORATENSIS eccleſiæ Ordinarium ex veteri codice anno 1364. manu exaratum à noſtro Euſtachio *Dacheri* deſcriptum.

Arras ATREBATENSIS eccleſiæ ordinarium vetuſtiſſimum, cujus fragmentum ad calcem codicis canonum eccleſiæ Romanæ editum eſt.

Autun AUGUSTODUNENSIS eccleſiæ miſſale anno 1556. editum. Ex bibliotheca Colbertina.

Orleans AURELIANENSIS eccleſiæ breviarium recens editum.

Auxerre AUTISSIODORENSIS eccleſiæ Pontificale ms. cujus caracter accedit ad annos 400. Ex bibliotheca monaſterii S. Joannis Laudunenſis.

Miſſale vetus annorum circiter 500. Ex bibliotheca Colbertina n. 422.

Miſſale aliud auctoritate Franciſci de Dintervilla Pariſiis editum. Ex eadem bibliotheca.

Bayeux BAJOCENSIS eccleſiæ ordinarium ante annos 400. quantum conjicere licet exaratum, cujus excerpta olim mecum communicavit Cl. V. Dominus *Du Tronchet*.

Beauvais BELLOVACENSIS eccleſiæ libri pontificales, quos olim ad proprium commodum deſcripſerat V. Cl. Godefridus Herman ejuſdem eccleſiæ canonicus.

Bellovacenſis monaſterii S. Luciani pontificale vetus ab annis circiter 700. ſcriptum. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Beſançon BISUNTINÆ eccleſiæ pontificale vetus optimæ notæ ab annis circiter 600. exaratum. Ex bibliotheca eccleſiæ Turonenſis.

Bourges BITURICENSIS eccleſiæ miſſale triplex, unum anno 1493. editum, alterum anno 1512. tertium anno 1526.

Bobio BOBIENSIS monaſterii pervetuſtus Sacramentorum liber annorum circiter mille, editus à Mabillonio in Muſei Italici tomo 1.

Châlon ſur ſaone CABILONENSIS eccleſiæ vetus ordinarium. Ex ms. Cl. V. Domini *Vitte* ejuſdem eccleſiæ præcentoris.

Chelles CALENSIS monaſterii ſanctimonialium in diœceſi Pariſienſi codex evangeliorum in miſſa per anni circulum legendorum, optimæ notæ ante annos 800. ſcriptus.

Cambray CAMERACENSIS & ATTREBATENSIS eccleſiæ ordinarium vetuſtiſſimum, cujus fragmentum ad calcem codicis canonum eccleſiæ Romanæ editum fuit.

Rituale ejuſdem eccleſiæ annorum circiter 300. Ex ms. monaſterii S. Nicolai in Silva Vedogii in diœceſi Laudunenſi.

Champagne CAMPANIENSIS monaſterii ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Cenomanenſi Lectionarium annorum circiter 500. Ex ms. ejuſdem monaſterii.

Chartres CARNOTENSIS monaſterii S. Petri Sacramentorum liber ante annos 600. ſcriptus. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Carnotenſis S. Joannis monaſterii canonicorum regularium ordinarium ante annos 500. exaratum. Ex bibliotheca Colbertina. n. 2756.

Digitized by Google

CARTHUSIENSIUM monachorum breviarium juſſu Franciſci à Puteo majoris Carthuſiæ prioris editum. *des Chartreux*

CASSANENSIS monaſterii canonicorum regularium conſuetudines anno 1387. renovatæ. *Caſſane*

CATALAUNENSIS eccleſiæ Breviarium vetus ab annis 400. circiter manu exaratum. *Châlon en Champagne*

Miſſale anno 1543. impreſſum.

Pontificale ms. quod uſui fuit Joanni *Sairebruche* epiſcopo Catalaunenſi.

CENOMANENSIS eccleſiæ vetus ordinarium. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ. *Le Mans*

Rituale anno 1499. typis mandatum.

COLBERTINÆ bibliothecæ Sacramentorum codices plures, ſed præſertim unus n. 1348. ante annos 900. manu exaratus, alter n. 1364. annorum circiter 800. alii tres n. 1388. 3789. 6198. quorum caracter annos 400. refert.

CONCHENSIS eccleſiæ in Hiſpania pontificale vetus ante annos 500. ſcriptum, quod uſui fuit etiam eccleſiæ Xantonenſi. Ex bibliotheca majoris monaſterii. *Cuenca en Eſpagne ſous la Metropole de Tolede.*

CONSTANTINOPOLITANÆ eccleſiæ pontificale vetus ad ritus latinos accommodatum, cujus caracter ad annos 500. accedit, ſcriptum proinde eo tempore, quo urbe à Gallis occupata latinis ritibus ſerviebat. Ex bibliotheca RR. PP. Prædicatorum majoris conventus Pariſienſis. *Conſtantinople.*

CORBEIENSIS monaſterii in diœceſi Ambianenſi liber Sacramentorum ſcriptus juſſu Ratoldi abbatis, qui anno 986. vivere deſiit. *Corbie*

CUSENTINÆ eccleſiæ in Italia ordinarium à Luca Cuſentino archiepiſcopo digeſtum ab annis circiter 500. Ex bibliotheca Romana conventus S. Iſidori n. 110. *Coſence*

DIONYSIANI monaſterii prope Pariſios Sacramentorum liber circa tempora Caroli-magni manu exaratus, & in inclito ejuſdem monaſterii theſauro aſſervatus. *S. Denis en France*

EBORACENSIS eccleſiæ, ſeu Egberti Eboracenſis archiepiſcopi pontificale litteris Saxonicis ab annis circiter 950 eleganter ſcriptum. Ex bibliotheca eccleſiæ Ebroïcenſis. *Yorck*

EBREDUNENSIS eccleſiæ miſſale vetus, cujus caracter accedit ad annos 300. Ex bibliotheca regia n. 3878. *Embrun*

EBROICENSIS eccleſiæ ritus in Cœna Domini ab annis circiter 800. ad calcem pontificalis Egberti. *Evreux*

Ejuſdem eccleſiæ vetus ordinarium annorum circiter 400. Ex bibliotheca ejuſdem eccleſiæ.

Miſſale duplex, unum annorum circiter 500. ex bibliotheca monaſterii S. Audoeni Rotomagenſis, alterum annorum 300. ex bibliotheca Gemmeticenſi.

FISCANNENSIS monaſterii miſſale duplex unum ab annis circiter *Fecam*

400. alterum ante annos 300. ſcriptum. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

S. Benoiſt ſur Loire FLORIACENSIS monaſterii ordinis S. Benedicti in diœceſi Aurelianenſi Sacramentorum liber ab annis circiter 900. ſcriptus. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Fulde FULDENSIS monaſterii miſſale perveruſtum ante annos 700. ſcriptum. Ex bibliotheca S. Benigni Divionenſis.

GALLICANA Liturgia ab erudito viro Joſepho Thomaſio Romanis typis mandata, & demum à noſtro Mabillonio Pariſiis recuſa.

Gaſtine GASTINENSIS monaſterii canonicorum regularium in diœceſi Turonenſi Ordinarium ante 400. annos ſcriptum. Ex bibliotheca S. Genovefæ Pariſienſis.

GELASII Papæ I. antiquus Sacramentorum liber editus à Thomaſio.

Gellone ou S. Guilhem és deſerts. GELLONENSIS monaſterii ordinis S. Benedicti in diœceſi Lodevenſi vetuſtiſſimus Sacramentorum liber ante annos 900. exaratus. Ex bibliotheca S. Germani à Pratis.

Jumieges GEMMETICENSIS monaſterii ordinis S. Benedicti in diœceſi Rotomagenſi Ordinarium vetus. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Glandeves GLANDATENSIS eccleſiæ miſſale vetus, juſſu Joannis Bonifacii epiſcopi circa annum 1420. ſcriptum. Ex bibliotheca regia n. 3878.

GRÆCORUM Euchologium cum notis Jacobi Goartii.

S. GREGORII Sacramentorum liber editus & notis illuſtratus à noſtro Menardo.

Idem à Pamelio editus.

Idem ex variis mſſ. ante annos 800. exaratis quorum plurimi extant in bibliotheca Colbertina.

Salzbourg JUVAVENSIS ſeu SALISBURGENSIS eccleſiæ pontificale ante annos 600. ſcriptum. Ex duobus mſſ. optimæ notæ, uno ex bibliotheca regia n. 3866. altero ex bibliotheca Vindocinenſis monaſterii.

Laon LAUDUNENSIS eccleſiæ vetus ordinarium optimæ notæ, ante annos 400. ſcriptum. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Limoges LEMOVICENSIS eccleſiæ vetus ordinarium. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ miſſale anno 1500. editum.

LEMOVICENSIS eccleſiæ S. Martialis antiquum ordinarium. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Langres LINGONENSIS eccleſiæ ordinarium. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ miſſale anno 1517. editum. Ex bibliotheca Colbertina.

Lyon LUGDUNENSIS eccleſiæ vetus Ordinarium ante annos 500. manu exaratum. Ex bibliotheca regia n. 4457.

Ejuſdem eccleſiæ miſſale anno 1524. typis mandatum.

LUGDUNENSIS monaſterii S. Martini Athanacenſis miſſale anno 1531. impreſſum. Ex bibliotheca Colbertina.

Luxeuil LUXOVIENSIS monaſterii lectionarium vetus ante annos mille

ſcriptum

ſcriptum, quod notis illuſtratum publici juris fecit noſter Mabillonius.

LYRENSIS monaſterii ordinis S. Benedicti in diœceſi Ebroïcenſi pontificale ms. annorum 600. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii. *Lyre*

MAJORIS-MONASTERII Turonenſis lectionarium antiquum annorum circiter 700. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii. *Marmoutier*

MELDENSIS eccleſiæ ordinarium. *Meaux*

MELODUNENSIS eccleſiæ miſſale vetus annorum circiter 400. Ex bibliotheca Colbertina n. 347. *Melun*

MIMATENSIS eccleſiæ pontificale ms. à Guillelmo Durando epiſcopo digeſtum: quod uſui fuit Joanni *Sairebruche* Catalaunenſi antiſtiti. Ex libris illuſtriſſimi epiſcopi Catalaunenſis. *Mande*

MOGUNTINÆ eccleſiæ pontificale vetus annorum circiter 400. quod uſui fuiſſe videtur eccleſiæ Spirenſi. Ex bibliotheca regia n. 3870. *Mayance*

MOÏSACENSIS monaſterii ordinis S. Benedicti antiquus Sacramentorum liber annorum circiter 800. codex optimæ notæ. Ex bibliotheca Colbertina n. 428. *Moyſac*

MOZARABUM miſſale vetus & Breviarium juſſu Franciſci Ximenes archiepiſcopi Toletani typis mandatum & in eccleſia Toletana reſtauratum. Ex bibliotheca Colbertina. *Mozarabes, ou de Tolede*

NANNETENSIS eccleſiæ antiquum ordinarium anno Domini 1263. ab Elia cantore concinnatum. Ex bibliotheca Pariſienſi S. Genofevæ. *Nantes*

NARBONENSIS eccleſiæ Rituale ſeu Pontificale vetus ſæculo 12. ſcriptum. *Narbonne*

Ejuſdem eccleſiæ vetus ordinarium ante annos 300. exaratum. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ miſſale anno 1528. typis mandatum.

NOVIOMENSIS eccleſiæ vetuſtiſſimus Sacramentorum liber ante annos 900. ſcriptus. Ex bibliotheca ejuſdem eccleſiæ. *Noyon*

Ejuſdem eccleſiæ duo pervetuſtiſſimi Sacramentorum codices ex bibliotheca S. Theoderici prope Remos.

Miſſale vetus annorum circiter 800. Ex bibliotheca ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ ordinarium annorum circiter 300. Ex libris ejuſdem eccleſiæ.

PARISIENSIS eccleſiæ miſſalia quatuor antiqua. Ex bibliotheca regia & Sorbonica. *Paris*

Ejuſdem eccleſiæ breviarium annorum circiter 400. Ex bibliotheca regia n. 4445.

PARISIENSIS eccleſiæ S. Crucis vulgò dictæ *de la Bretonnerie* canonicorum regularium vetus ordinarium annorum circiter 400.

PICTAVIENSIS eccleſiæ Pontificale vetuſtiſſimum annorum circiter 800. quod extat in Pariſienſi bibliotheca conventus RR. PP. Minimorum. *Poitiers*

Ejuſdem eccleſiæ miſſale annorum circiter 300. Ex bibliotheca Colbertina n. 385.

Digitized by Google

Des Jacobins de S. Quentin RR. PP. PRÆDICATORUM vetus miſſale ante annos 400. ſcriptum. Ex libris inſignis eccleſiæ S. Quintini apud Auguſtam Veromanduorum.

Premonſtré PRÆMONSTRATENSIUM vetus ordinarium. Ex bibliotheca Præmonſtratenſi.

REGIÆ bibliothecæ antiquus Sacramentorum liber annorum 900. n. 3865.

Rennes REDONENSE miſſale mſ. monaſterii S. Melanii ante annos 600. ſcriptum. Ex bibliotheca eccleſiæ Turonenſis.

Reims REMENSIS eccleſiæ Pontificale annorum 500. Ex bibliotheca S. Remigii Remenſis.

Ejuſdem eccleſiæ vetus ordinarium ab annis circiter 400. ſcriptum. Ex bibliotheca S. Remigii.

Rituale vetus ad uſum provinciæ Remenſis anno 1585. editum.

REMENSIS archimonaſterii S. Remigii antiquum pontificale ante annos 900. litteris Longobardicis exaratum, Tirpini archiepiſcopi Remenſis nomine vulgo appellatum.

Ejuſdem monaſterii antiquiſſimus Sacramentorum liber anno Carolimagni imperatoris 31. ac proinde ante annos 900. ſcriptus.

Ejuſdem monaſterii Rituale vetus ante annos 400. manu exaratum. Ex bibliotheca ejuſdem monaſterii.

Rome ROMANI Ordines varii editi à Mabillonio in Muſei Italici tomo 2.

Ordo Romanus Bibliothecæ Vallicellenſis & S. Galli.

Romanum antiphonarium ab erudito viro Joſepho Thomaſio vulgatum.

Pontificale Romanum ab Auguſtino Patricio tempore Innocentii adornatum.

ROMANI monaſterii S. Pauli conſuetudines tempore S. Odilonis abbatis Cluniacenſis ſcriptæ.

Remiremont ROMARICENSIS monaſterii miſſale vetus ante annos 600. ſcriptum. Ex bibliotheca S. Victoris.

Roüen ROTOMAGENSIS eccleſiæ ordinarium annorum circiter 300. Ex mſ. ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ Miſſale ejuſdem ætatis. Ex bibliotheca ejuſdem eccleſiæ.

Rotomagenſis monaſterii S. Laudi canonicorum regularium vetus Ordinarium.

Antiquæ conſuetudines canonicorum S. Ruffi. Ex mſ. bibliothecæ Colbertinæ.

S. Florent de Saumur SALMURIENSIS monaſterii S. Florentii ordinis S. Benedicti in diœceſi Andegavenſi conſuetudines antiquæ. Ex mſ. ejuſdem monaſterii.

Sarisbery SARISBERIENSIS eccleſiæ vetus miſſale.

Sens SENONENSIS eccleſiæ Pontificale vetus ante annos 500. ſcriptum. Ex bibliotheca regia n. 4219.

Rituale Senonenſe juſſu cardinalis Borbonii editum.

Senlis SILVANECTENSIS eccleſiæ vetus ordinarium annorum circiter 400. Ex mſ ejuſdem eccleſiæ.

Digitized by Google

Pontificale Petri de Triniaco epiſcopi Silvanectenſis. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

SUESSIONENSIS eccleſiæ Rituale vetus tempore Nivelonis II. epiſcopi ſcriptum, *mandatum* vulgò appellatum. Ex libris ejuſdem eccleſiæ. *Soiſſons*

SUESSIONENSIS monaſterii S. Medardi codex continens ſeriem evangeliorum per anni circulum legendorum, ad calcem libri evangeliorum aureis uncialibus litteris ſcripti, quem olim eidem monaſterio dono dedit Ludovicus pius imperator.

THOLONIENSIS eccleſiæ miſſale annorum circiter 300. jubente Raynaldo Freſqueti canonico Tholonienſi ſcriptum. Ex bibliotheca regia n. 3877. *Toulon*

TOLOSANÆ eccleſiæ miſſale vetus. *Toulouſe*

Ejuſdem eccleſiæ breviarium antiquum.

TRECENSIS eccleſiæ vetus Pontificale quod dono datum fuit Arremarenſi monaſterio à Prudentio Trecenſi epiſcopo, qui ante annos 840. eccleſiam Trecenſem regebat. *Troye*

Ejuſdem eccleſiæ vetus ordinarium.

TURONENSIS eccleſiæ antiqui Sacramentorum codices plures ante annos 800. & 600. ſcripti. Ex bibliotheca ejuſdem eccleſiæ. *Tours*

Ejuſdem eccleſiæ ordinarium. Ex libris ejuſdem eccleſiæ.

TURONENSIS S. Martini eccleſiæ Rituale vetus ante annos 400. ſcriptum. Ex ms. ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ Ordinarium anno 1450. conſcriptum. Ex libris ejuſdem eccleſiæ.

Ejuſdem eccleſiæ antiphonarium vetus ms. Ex libris ejuſdem eccleſiæ.

VENETENSIS eccleſiæ in Armorica vetus miſſale annorum circiter 300. Ex bibliotheca Rotomagenſis monaſterii S. Audoeni. *Vennes*

VICTORINÆ bibliothecæ Rituale ms. antiquum ante annos 500. ſcriptum. *S. Victor de Paris*

VIENNENSIS eccleſiæ in Gallia ordinarium vetus cujus excerpta olim accepi à Cl. V. Domino *Du Tronchet* regiæ capellæ Pariſienſis canonico, & à Domino *Gentil-homme* eccleſiæ Lingonenſis canonico. *Vienne en Dauphiné*

UTICENSIS ſive Ucetienſis eccleſiæ vetus ordinarium annorum ad minimum 300. quod typographus, neſcio quo ductus errore, Vertenſe ſolet appellare. Ex bibliotheca Colbertina n. 4053. *Uzez*

INDEX

Conciliorum quæ in hoc Tractatu citantur.

ABRINCENSE anno 1172.
Agathenſe anno 506.
Aguiſgranenſe anno 816.
Aquiſgranenſe anno 836.
Antiochenum
Aurelianenſe apud Gratianum.
Aurelianenſe I. anno 511.
Aurelianenſe IV. anno 541.
Autiſſiodorenſe anno 578.
Barcinonenſe anno 540.
Baſileenſe anno 1431.
Beneventanum anno 1091.
Bracarenſe II. anno 563.
Bracarenſe III. anno 610.
Cabilonenſe anno 813.
Carthaginenſe II. anno 390.
Cathaginenſe III. anno 397.
Carthaginenſe IV. anno 399.
Celichitenſe anno 794.
Chalcedonenſe anno 451.
Claromontanum anno 1095.
Cloveshovienſe II. anno 747.
Colonienſe anno 1260.
Conſtantienſe anno 1094.
Copriniacenſe anno 1260.
Emeritenſe anno 666.
Epaonenſe anno 517.
Gerundenſe anno 517.
Ingelenheimenſe anno 949.
Laodicenum anno 319.
Lateranenſe ſub Gregorio VII.
Lemovicenſe anno 1031.
Londinenſe anno 1328.
Lugdunenſe apud Gratianum
Lugdunenſe II. anno 567.
Lugdunenſe ſub Innocentio IV.
Matiſconenſe II. anno 585.
Mediolanenſe I. ſub S. Carolo
Mediolanenſe III.
Mediolanenſe XI.
Meldenſe anno 845.
Moguntinum anno 813.
Nannetenſe
Narbonenſe anno 589.
Narbonenſe anno 1227.
Nicenum I. anno 325.
Nicænum II. anno 787.
Patiſienſe anno 1503.
S. Patricii
Ravennenſe anno 1286.
Remenſe II. anno 813.
Romanum ſub Zacharia anno 745.
Rotomagenſe anno 1072.
Rotomagenſe anno 1236.
Salingeſtadienſe anno 1022.
Toletanum I. anno 400.
Toletanum IV. anno 633.
Toletanum V. anno 636.
Toletanum X. anno 656.
Toletanum XI. anno 675.
Toletanum XIII. anno 683.
Toletanum XVI. anno 693.
Toletanum XVII. anno 694.
Concilium in Trullo anno 692.
Turonenſe II. anno 567.
Turonenſe III. anno 813.
Vaſenſe anno 529.
Veneticum anno 465.
Venetum anno 1177.
VVormatienſe anno 888.

Digitized by Google

INDEX

Auctorum qui hoc in Tractatu citantur.

ACTA S. Alexandri Papæ & martyris apud Surium 3. Maii.
Acta S. Euthychii P. C. apud Surium.
Acta S. Philippi Heracleæ epiſcopi apud Ruinartium.
Acta S. Pontii martyris in Miſcellaneis Baluzii
Acta S. Simeonis cognomento Salus apud Surium 1. Julii.
Acta Urbani Papæ V. apud Boſquetum.
Adonis martyrologium.
Adrianus Papa I. in reſponſione mſ. ad Corbeienſes monachos.
Æneas Pariſienſis epiſcopus libro adverſus Græcos Spicilegii tom. 7.
Æneas Silvius libro de Europa.
Agobardus Lugdunenſis epiſcopus Tractatu de Divina Pſalmodia.
Idem de correctione Antiphonarii.
Ahito Baſileenſis epiſcopus in capitulari Spicilegii tom. 8.
Albertus Cranzius in Dania.
Alcuinus vulgatus de divinis officiis.
Alexander Papa II. in Decretali.
Alexander Papa III. in epiſtola ad epiſcopum Carnotenſem.
Idem in epiſtola ad Ludovicum VII. Francorum regem.
Allatius de eccleſia orientalis & occidentalis perpetua conſenſione.
Amalarius de Divinis officiis.
Idem de ordine antiphonarii.
Idem ſupplemento libri 4. de divinis officiis Analectorum Mabillonii tom. 2.
S. Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis epiſtola 20. ad Marcellinam ſororem.
Idem epiſtola 23. ad epiſcopos Æmiliæ.
Idem epiſtola 40. ad Theodoſium imperatorem.
Idem de Virginibus.
Idem in Hexameron.
Idem de Elia & jejunio.
Idem in pſalmum 1.
Idem de his qui initiantur.
Idem ſeu quivis alius ſub ejus nomine de Sacramentis.
Idem ſeu quivis alius ſermone 23. novæ editionis.
Ammianus Marcellinus.
Anaſtaſius in vita Benedicti Papæ III.
Idem in vita Leonis Papæ III.
Anaſtaſius Synaïta Tractatu de tribus quadrageſimis.
Annales Bertiniani
Antonini martyris itinerarium.

Digitized by Google

INDEX

Antonius Caracciolus Synopſi veterum religioſorum rituum.
Aſterius Amaſeæ epiſcopus oratione 12.
S. Athanaſius de virginitate
Attonis prioris monaſterii S. Petri de Regula ms. ſtatutum anno 1154. *editum.*
S. Auguſtinus epiſtola 17. 29. 54. 55. 64.
Idem de Civitate Dei
Idem de Trinitate
Idem in Joannem
Idem in pſalmos
Idem in variis ſermonibus
Epiſtola ad Bibianum ſub ejus nomine edita à Mabillonio ad calcem liturgiæ Gallicanæ.
Avitus Viennenſis in homiliis.
Aurelianus Arelatenſis epiſcopus in Regula.
Balduini notæ in Optatum Milevitanum.
Baluzii miſcellanea
Ejuſdem notæ ad capitularia regum Francorum.
Baronii notæ in Martyrolorium Romanum.
S. Baſilius libro de Spiritu Sancto.
Idem in epiſtola ad Neoceſarienſes clericos.
Idem de inſtitutis monachorum.
Ejuſdem Regulæ fuſiores.
Beatus abbas libro adverſus Elipandum.
Beda de ratione temporum.
Idem in cantica canticorum.
Idem in Hiſtoria gentis Anglorum.
Ejuſdem martyrologium.
S. Benedicti Regula.
S. Bernardus abbas Clarevallenſis epiſtola 174. *ad canonicos Lugdunenſes. Et epiſtola* 312.
Berno abbas Augienſis de ritibus miſſæ.
Ejuſdem epiſtola ms.
Bertoldus in Chronico
Bona Cardinalis Rerum Liturgicarum
Idem Tractatu de divina Pſalmodia.
S. Bonaventura in lib. Sententiarum.
S. Bonifacius Moguntinus archiepiſcopus epiſtola ad Zachariam Papam.
Ejuſdem Statuta Spicilegii tomo 9.
Burchardus in Decreto
Caleſtini Papæ I. epiſtola ad epiſcopos Galliæ
Calendarium Carthaginenſe editum in Analectorum Mabillonii tomo 3.
Calendarium vetus Corbeienſe
Camuſatius in Promtuario
Capitularia regum Francorum editionis Baluzianæ
Carthuſienſium Satuta

Digitized by Google

AUCTORUM.

Caſſianus de inſtitutis cœnobiorum
Ejuſdem Collationes.
Caſſiodorus in pſalmos.
Cathvvphi epiſtola ad Carolum magnum.
Cedrenus
Ceſarii Arelatenſis epiſcopi Regula in codice Regularum.
Ejuſdem Regula apud Bollandum 12. Januarii.
Ejuſdem ſermones in Appendice tomi 5. novæ editionis S. Auguſtini.
Ceſarius monachus Ordinis Ciſtercienſis lib. Dialogorum.
Chapeavilla de epiſcopis Leodienſibus
Chrodegangus Metenſis epiſcopus in Regula Canonicorum Spicilegii tomo 1.
Chronicon Alexandrinum
Chronicon Rotomagenſe apud L'abbeum bibliotheca nova tom. 1.
Chronicon Rotomagenſe ms.
Chronicon Senonienſe Spicilegii tom. 5.
Chronicon S. Trudonis auctore Rodulfo Spicilegii tom. 7.
Chryſoſtomus homilia 30. in Geneſim.
Idem in pſalmum 118.
Idem in 1. ad Timotheum.
Ejuſdem Homilia ad populum Antiochenum
Ejuſdem Homilia de baptiſmo Chriſti.
Ciaconius de vitis Romanorum Pontificum.
Clemens Alexandrinus in Pedagogo.
S. Joannes Climacus gradu 14.
Codinus de officiis eccleſiæ & curia Conſtantinopolitana
Collatio epiſcoporum coram Gundebaldo rege Burgundiæ Spicilegii tom. 5.
Cornelius Scultingus.
Conſtitutiones apoſtolicæ.
Cypriani Carthaginenſis epiſcopi epiſtolæ variæ.
Idem de oratione.
Cyprianus Tolonienſis epiſcopus de vita S. Ceſarii Arelatenſis epiſcopi.
Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſes.
Cumeneus albus de vita S. Columbæ abbatis Hienſis
Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium
Dionyſius Areopagita de eccleſiaſtica Hierarchia.
Egberti Eboracenſis epiſcopi Pœnitentiale.
Ejuſdem excerpta.
Eginardus de Vita Caroli-magni.
Ekkehardus junior de caſibus S. Galli.
Eldephonſi epiſcopi Libellus editus à Mabillonio in Tractatu de azymo & fermentato.
Eligii Noviomenſis epiſcopi Homiliæ.
Emmanuëlis Comneni conſtitutio de feſtis celebrandis relata à Theodoro Balzamone.
Ennodius in vita S. Epiphanii Ticinenſis epiſcopi.

Digitized by Google

S. Ephrem Pareneſis.
S. Epiphanius de hereſibus.
Ervigius rex in legibus VViſigothorum.
Eugenius III. epiſtola 74. ad Alphonſum Hiſpaniarum regem.
Euſebii Caſarea epiſcopi Hiſtoria eccleſiaſtica.
Fauſtinus ſeu Fauſtus Regienſis epiſcopus ſermone ante quadrageſimam.
S. Ferreoli regula.
Fortunatus in vita S. Germani epiſcopi Pariſienſis.
Idem in vita S. Medardi epiſcopi Noviomenſis.
Idem lib. 2. Carmine 10.
Franciſci Maria Florentini Martyrologium.
S. Fructuoſi regula.
Fulberti Carnotenſis epiſcopi epiſtola.
Fuldenſium monachorum libellus ſupplex.
Gaufridus in vita Bernardi abbatis Tyronienſis.
Gazai commentarius in Caſſianum.
Gelaſii Papa I. epiſtola.
Genebrardi chronicon.
Gennadius de ſcriptoribus eccleſiaſticis.
Georgius in vita S. Theodori Siceota apud Bollandum 23. Aprilis.
Georgii Nicomedienſis ſermo apud Baronium in notis ad Martyrologium.
Gerardus in vita S. Udalrici epiſcopi Auguſtani apud Mabillonium Sac. V. Benedictino.
Geſta epiſcoporum Cenomanenſium tom. 3. Analectorum.
Glaber Rodulfus in hiſtoria.
Gloſſa in cap. 1. de celebratione miſſarum.
Goartii nota in Gracorum Euchologium.
Ejuſdem obſervationes ad Codinum.
Gratiani Decretum.
S. Gregorii Papa Regiſtrum.
Ejuſdem Homilia in evangelia
Gregorius Papa VII. lib. 1. epiſtola 54.
S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Gregorii Taumaturgi.
Idem in vita S. Macrina.
Idem oratione in Chriſti baptiſmum.
Idem oratione de S. Stephano.
S. Gregorius Turonenſis epiſcopus Hiſtor. Francorum.
Idem de Gloria Martyrum.
Idem de Gloria Confeſſorum.
Idem de miraculis S. Martini.
Idem de vitis Sanctorum Patrum.
Grimoldus abbas in prafatione in librum Sacramentorum S. Gregorii Papa à Pamelio editum.
Guibertus abbas libro de vita ſua.
Guigonis Statuta.

Digitized by Google

Guillelmus Durandus rationali divinorum officiorum.
Hariulphus in chronico Centulenſi Spicilegii tomo 4.
Helgaldus monachus Floriacenſis in vita Roberti regis.
Herardi Turonenſis archiepiſcopi capitulare.
Hericus in libro miraculorum S. Germani.
S. Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis.
Ejuſdem bibliotheca divina.
Ejuſdem epiſtola ad Euſtochium, ad Latam, ad Demedriadem, ad Ruſticum.
Ejuſdem vita S. Paulæ.
Ejuſdem Commentarius in Matthæum.
Ejuſdem liber Comitis.
Hieronymus Enſer in vita S. Bennonis.
Hildemarus in Regulam S. Benedicti.
Hincmari capitula ad presbyteros.
Hiſtoria Andegavenſis Spicilegii tom. 10.
Hiſtoria epiſcoporũ Autiſſiodorenſium apud Labbeum bibliotheca novæ tom. 2.
Honorius de gemma animæ.
Hugo Flaviniacenſis in Chronico.
Jacobi de Vitriaco hiſtoria occidentalis.
S. Ignatii epiſcopi Antiocheni & martyris epiſtolæ.
S. Ildephonſi ſermones.
Innocentius Papa I. ad Decentium.
Innocentius Papa III.
Innocentius Papa IV. in Bulla canonizationis S. Petri martyris.
Joannes Abrincenſis.
Joannes Belethus de divinis officiis.
Joannes Bohemus libro de omnium gentium moribus.
Joannes diaconus libro de eccleſia Lateranenſi apud Mabillonium in muſeo Italico.
Joannes Gerſon.
Joannes Heſſelius doctor Lovanienſis in epiſtola ad Antonium Sablonium Athenſium Franciſcanorum Gardianum.
Joannes Launoius Hiſtoria Collegii Navarrenſis.
Joannes monachus in vita S. Odonis.
Joannes Moſchus in Prato ſpirituali.
Joannes Prevotius in notis ad Joannem Abrincenſem.
Joſephi Indi navigatio.
S. Iſidorus de Divinis officiis.
Ejuſdem Regula.
Ivonis Carnotenſis epiſcopi decretum.
Juſtini martyris Apologia II.
Lactantius de Divinis inſtitutionibus.
Landulfus Sagax in vita Juſtiniani.
S. Leonis Papæ epiſtola.
Leonis Papæ IV. de cura paſtorali.

Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi.
Lupus Ferrarienſis epiſt. 20.
Mabillonius de Liturgia Gallicana.
Idem de curſu Gallicano.
Ejuſdem iter Italicum.
Ejuſdem muſeum Italicum.
Ejuſdem obſervationes prævia ad ordinem Romanum.
Marculfi Formulæ.
Martyrologium Floriacenſe, quod fuit olim eccleſiæ Senonenſis.
Martyrologium Hieronymianum æri inciſum, Epternacenſe, & Lucenſe.
Matthæus Paris in Hiſtoria Anglicana.
Idem de Vitis abbatum monaſterii S. Albani.
Martini Bracarenſis epiſcopi capitula.
Maximus Taurinenſis epiſcopus Homilia 5. *Muſei Italici tomo* 1.
Menardi notæ in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ.
Ejuſdem notæ in concordiam regularum S. Benedicti abbatis Anianenſis.
Menologium Græcorum apud Caniſium tom. 2. *antiquarum lectionum.*
Metaphraſtes de vita S. Joannis Chryſoſtomi.
Micrologi obſervationes eccleſiaſticæ.
Liber 2. *miraculorum S. Dionyſii ſæculo* 3. *Benedictino.*
Liber miraculorum S. Stephani.
Monachus Sangallenſis lib. de eccleſiaſtica cura Caroli-magni.
Idem de Rebus Bellicis Caroli-magni.
Monaſticum Anglicanum.
Montanus epiſcopus Toletanus epiſtola ad Fratres territorii Palentini. Et epiſtola ad Theoribium.
Nangii continuator Spicilegii tom. 11.
Ejuſdem continuator Gallicus.
Nicephorus Callixtus in Synaxario.
Ejuſdem Hiſtoria eccleſiaſtica.
Nicetas Pectoratus.
Nicetius de Pſalmodiæ bono Spicilegii tom. 3.
Idem de vigiliis ſervorum Dei. Ibidem.
Nicolai Gelant epiſcopi Andegavenſis Statuta Spicileg. tom. 10.
Nicolaus Heinſius in notis ad Prudentium.
Nicolai monachi S. Albani epiſtola ad Petrum Cellenſem.
Nicolai Papæ I. reſponſa ad Bulgaros.
Ejuſdem epiſtola ad Rodulphum Bituricenſem epiſcopum.
S. Odo abbas Cluniacenſis de vita S. Geraldi.
Odorici Raynaldi Baronii continuatio.
Optatus Milevitanus.
Ordericus Vitalis Hiſt. eccleſiaſt.
S. Pachomii Regula.
Palladius de vita S. Chryſoſtomi.
Panvinius Epitome Romanorum Pontificum.

Digitized by Google

Papias.
Papyrius Maſſon de epiſcopis Urbis.
Paſſio SS. Martyrum Cantianorum.
S. Paulini epiſcopi Nolani epiſtola 31. *ad Severum.*
Ejuſdem carmina.
Paulinus diaconus in vita S. Ambroſii.
Pelagii Papæ I. epiſtola.
Petrus Amelius Muſei Italici tom. 2.
Petrus Bleſenſis ſermone 13.
Petrus Boherius in Regulam S. Benedicti.
Petrus Chryſologus.
Petrus Damiani.
Petrus Danetius Vaurenſis epiſcopus de Ritibus eccleſiæ catholicæ.
Petrus Gaſſendi in notitia eccleſiæ Dinienſis.
Petri Venerabilis Statuta.
Pirminii abbatis libellus Analectorum tom. 4.
Platina de Vitis Romanorum Pontificum.
Plinius lib. 10. *epiſtolarum.*
Polydorus Virgilius de inventione rerum.
Potho Prumienſis presbyter, lib. de Domo Dei.
Proſper Aquitanicus in Chronico.
Prudentii liber Cathemerinon.
Rabanus Maurus de inſtitutione clericorum.
Ejuſdem martyrologium.
Radulfus Tungrenſis de Obſervatione canonum.
Ratherii Veronenſis epiſcopi ſynodica Spicilegii tom. 2.
Ratramnus Corbeienſis monachus contra oppoſita Græcorum. Spicilegii tom. 2.
Regino Prumienſis abbas de eccleſiaſticis diſciplinis.
Regula magiſtri.
Rodericus de rebus Hiſpanicis.
Rupertus de Divinis officiis.
Serapionis, Macharii, Paphnutii & alterius Macharii Regula.
Sergii Papæ I. conſtitutio.
Severus Alexandrinus Tractatu de Ritibus baptiſmi.
Sidonii Apollinaris epiſtolæ.
Sigeberti Chronicon.
Sirmundi notæ in Ennodium.
Sixtus IV. extra Cum præcelſa.
Socratis Hiſtoria eccleſiaſtica.
Sozomeni Hiſtoria eccleſiaſtica.
Statuta eccleſiæ Pariſienſis.
Statuta eccleſiæ Senonenſis anno 1267. *edita.*
Sulpicius Severus de vita S. Martini.
Tangmarus in vita S. *Bernvvardi epiſcopi Hildesheimenſis Sæculo VI. Benedictino.*

Tertullianus de oratione.
Idem de jejunio adverſus Pſychicos.
Idem de carne Chriſti.
Theodemari abbatis Caſinenſis epiſtola ad Carolum-magnum.
Theodoreti Cyri epiſcopi Hiſtoria eccleſiaſtica.
Ejuſdem Hiſtoria religioſa.
Theodoricus monachus de vita S. Margaritæ reginæ Scotiæ apud Bollandum.
Theodori Cantuarienſis archiepiſcopi capitula ſelecta Spicilegii tom. 9.
Theodori lectoris Hiſtoria eccleſiaſtica.
Theodulphi Aurelianenſis epiſcopi capitulare.
Theophanis Hiſtoria.
S. Thomæ Aquinatis ſumma Theologica.
Thomas Cantipratenſis de apibus.
Thomaſſinus Tractatu de jejuniis.
Thomaſius præfatione ad antiphonarium Romanum.
Valeſii notæ in Euſebium & Sozomenum.
Udalricus de Conſuetudinibus Cluniacenſium Spicilegii tom. 4.
Victor Vitenſis de perſecutione Vandalica.
Vincentius Bellovacenſis.
Vita S. Bonaventuræ apud Surium 14. Julii.
Vita S. Claræ apud Surium 12. Auguſti.
Vita S. Dunſtani Sæculo V. Benedictino.
Vita S. Gebehardi ſæculo V. Benedictino.
Vita Gregorii Papæ XI. apud Boſquetum.
Vita S. Henrici imperatoris apud Surium 14. Julii.
Vita Joannis Pechan archiepiſcopi Cantuarienſis.
Vita S. Julianæ virginis apud Bollandum 5. Aprilis.
Vita S. Ludovici auctore coævo.
Vita S. Lupi Senonenſis epiſcopi apud Surium 1. Septembris.
Vita S. Meinvverci apud Surium.
Vita S. Nicetii Lugdunenſis epiſcopi apud Bollandum.
Vita S. Petri martyris apud Bollandum 29. Aprilis.
Vita S. Pauli Virdunenſis epiſcopi Sæculo 2. Benedictino.
Vita Theodoſii Cœnobiarchæ apud Bollandum 11. Januarii.
Vita ms. S. Victurii Cenomanenſis epiſcopi.
Vita Urbani Papæ V. apud Boſquetum.
Uranius de vita S. Paulini Nolani epiſcopi.
Urbanus Papa II. Sermone habito in Concilio Claramontano.
Uſuardi Martyrologium Pariſiis anno 1490. editum.
Uvalfridus Strabo de rebus eccleſiaſticis.
Uvalteris epiſcopi in Anglia capitulare.
Uvandalberti martyrologium.
Uvillelmus Malmeſburienſis hiſt.
Uvillelmus Tyrius.
Zacharias Papa epiſtola ad Bonifacium.

INDEX

Capitum hujus Tractatus.

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum* pag. 1
CAPUT II. *Quibus in locis olim divina celebrarentur officia, quibuſve ſignis ad ea clerus & populus convocaretur.* 9
CAPUT III. *De precibus in divinis officiis olim adhiberi ſolitis & de ritu eas perſolvendi, ac primo de pſalmis & canticis.* 16
CAPUT IV. *De hymnis & antiphonis.* 25
CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.* 29
CAPUT VI. *De collectis & uniformi ratione in divinis officiis ſervata* 37
CAPUT VII. *De nocturnis vigiliis & matutinis laudibus.* 39
CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta, nona, veſperis, & completorio.* 46
CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus & conſuetudinibus diebus Dominicis aut infra hebdomadam olim obſervatis.* 55
CAPUT X. *De adventu Domini.* 65
CAPUT XI. *De vigilia natalis Domini.* 78
CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.* 81
CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.* 96
CAPUT XIV. *De feſto Epiphaniæ.* 107
CAPUT XV. *De feſto Purificationis B. Mariæ.* 115
CAPUT XVI. *De Septuageſima.* 126
CAPUT XVII. *De feria 4. in capite jejunii.* 130
CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſimæ conſuetudines.* 155
CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſimæ ritus inveſtigantur.* 175
CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.* 188
CAPUT XXI *De majoris hebdomadæ ritibus, præſertim feria ſecunda, tertia & quarta.* 218
CAPUT XXII. *De Cœna Domini.* 222
§. I. *De nocturnis vigiliis horiſque diurnis in Cœna Domini.* 223
§. II. *De reconciliatione pœnitentium.* 227
§. III. *De benedictione olei infirmorum, catechumenorum, & ſacri chriſmatis.* 239
§. IV. *De diſtributione chriſmatis.* 266
§. V. *De benedictione ignis novi.* 269
§. VI. *De miſſa ſolemni & veſperis.* 270
§. VII. *De altarium denudatione & lotione.* 275
§. VIII. *De lotione pedum.* 277
CAPUT XXIII. *De feria ſexta Paraſceves.* 352
CABUT XXIV. *De Sabbato Sancto.* 402
CAPUT XXV. *De Paſchatis feſto.* 474
CAPUT XXVI. *De diebus infra octavam Paſchatis, de paſchate annotino, deque tempore Paſchali.* 508

Caput XXVII. *De litania majore in feſto S. Marci, & triduo rogationum ante Aſcenſionem.* 512
Caput XXVIII. *De Aſcenſione Domini & ejus octava, de vigilia, feſto, & octava Pentecoſtes, & de feſto SS. Trinitatis.* 535
Caput XXIX. *De feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti.* 546
Caput XXX. *De feſtivitatibus Sanctorum quæ in adventu celebrari ſolent* 549
Caput XXXI. *De feſtis Januarii, Februarii & Martii.* 556
Caput XXXII. *De feſtis Aprilis, Maii & Junii.* 564
Caput XXXIII. *De feſtis Julii & Auguſti.* 571
Caput XXXIV. *De feſtis Septembris, Octobris, & Novembris.* 579
Ordo romanus *auctore Paride Craſſo ſacrarum ceremoniarum præfecto.* 595
Statuta *eccleſiæ Argentinæ anno* MCCCC. *edita.* 614
Libellus sacrarum precum *ex ms. Floriacenſi annorum circiter 900.* 619

Digitized by Google

APPROBATIO.

LEGI librum cui titulus eſt, *De antiqua Eccleſiæ diſciplinâ in divinis celebrandis officiis*; idque ut Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii mandatis ſatisfacerem. Nihil in eo deprehendi fidei catholicæ, aut bonis moribus contrarium. Imò multa ſcitu digniſſima inveni, quæ clericis præſertim magno uſui eſſe poſſunt. Datum Pariſiis anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quarto die Junii vigeſimâ ſextâ.

PASTEL.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUYS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, à nos Amez & Feaux Conſeillers les gens tenants nos Cours de Parlement Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre hôtel, grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senécheaux, leurs Lieutenants civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra. SALUT, *Jaques Aniſſon*, Libraire à Lyon, Nous ayant fait expoſer que le Pere Dom E. MARTENE Benedictin de la Congregation de S. Maur lui a mis en main un nouvel ouvrage de ſa compoſition, intitulé *Tractatus de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis, varios diverſarum Eccleſiarum ritus & uſus exhibens, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & maximè Galliæ*, dont il deſireroit faire part au public, s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires: Nous avons permis & permettons par ces preſentes audit ANISSON de faire imprimer ledit Livre, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre & faire vendre, & debiter par tout nôtre Royaume pendant le temps de huit années conſecutives à compter du jour de la datte deſdites preſentes; FAISONS DÉFENSES à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles puiſſent être d'en introduire d'Impreſſion étrangere dans aucun lieu de nôtre obéïſſance. Et à tous Imprimeurs, Libraires & autres d'imprimer faire imprimer & contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cent livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à nous, un tiers à l'hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers audit expoſant & de tous dépens domages & interêts, A LA CHARGE que ces preſentes *ſeront enregiſtrees tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris* Et ce *dans trois mois de la datte d'icelles*, que l'Impreſſion dudit Livre ſera faite dans *nôtre Royaume & non ailleurs* Et ce *en bon papier & en beaux caractéres conformément aux Reglemens de la Librairie.* Et qu'avant que de l'expoſer en vente il en ſera mis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque Publique, un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre trés-cher & feal Chevalier Chancelier de France le ſieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain Commandeur de nos ordres, le tout à peine de nullité des preſentes, DU CONTENU deſquelles vous MANDONS & ENJOIGNONS de faire joüir l'Expoſant, ou ſes ayans cauſe pleinement & plaiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. VOULONS que la copie deſdites preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit

Livre ſoit tenuë pour deüement ſignifiée & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires foy ſoit ajoutée comme à l'original; COMMANDONS au premier nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans autre permiſſion, Et nonobſtant clameur de Haro, chartre normande & lettres à ce contraires; Car tel eſt nôtre plaiſir, DONNÉ à Verſailles le vingtneufviéme jour de Juin, l'an de Grace mil ſept cent quatre, Et de nôtre Regne le ſoixante deuxiéme.

PAR LE ROY en ſon Conſeil.

LE COMTE.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conſeil du 13. Aouſt dernier, à Paris ce 16. Juillet 1704.

P. EMERY Syndic.

TRACTATUS

TRACTATUS
DE ANTIQUA
ECCLESIÆ
DISCIPLINA
IN DIVINIS CELEBRANDIS OFFICIIS.

CAPUT PRIMUM.
De inſtitutione horarum canonicarum.

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

I. ANTIQUAM Eccleſiæ diſciplinam in divinis celebrandis Officiis hoc in Tractatu exhibiturus, inveſtigandam mihi ante omnia propono inſtitutionem horarum canonicarum, quas curſus divinos, ſacras Synaxes, opus Dei veteres appellare ſolebant. Eam Apoſtolis ipſis referendam minimè dubitandum videtur: Nam cùm ea chriſtianis omnibus, atque inprimis clericis, Deum precandi incumbat neceſſitas, ut jugis, & non intermiſſa eorum eſſe debeat oratio: atque aliundè inter fluctuantis, ac miſeræ hujus vitæ curas non rarò diſtrahi, atque à Deo, vel invitum animum avelli contingat: ii, ut ſolvendo noſtræ ſervitutis penſo pares eſſe poſſemus, ſalubri omninò inſtitutione procurarunt, ut certis ſaltem ſtatis horis quotidiè debitas cæleſti numini laudes perſolvamus: Quibus ſuo tempore celebratis, Deum ſemper orare, & ab oratione minimè deficere

Horarum canonicarum inſtitutio ab Apoſtolis.

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

cenſeamur. Hinc ſanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus homilia II. [Cui, inquit, dicendum eſt, oportet ſemper orare, & non deficere, niſi ei qui canonicis horis quotidiè juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis, pſalmodiis precibuſque conſuetis Dominum laudare & rogare non deſiſtit.] Nec aliud ſanè volebat pſalmiſta, cùm diceret: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*, cùm tamen alibi non niſi ſepties in die laudem Deo dixiſſe glorietur.

Traditione ad poſteros pervenit.

II. Hanc inſtitutionem ab Apoſtolis acceptam continua ad nos uſque traditione perveniſſe nemo planè ibit inficias qui vel levi oculo ſcripturas perluſtraverit. Nam primò *media nocte Paulus & Silas orantes* Deum laudaſſe memorantur act. 16. Deinde Apoſtolos ipſos *orantes* hora tertia accepiſſe Spiritum ſanctum teſtatur idem actuum liber c. 2. Præterea *aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam diei ſextam*, cùm ad ipſum Cæſarea miſſi à Cornelio centurione Joppe appropinquaverunt, act. 10. Denique etiam Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam act. 3. Neque verò mihi dubium eſſe poteſt Apoſtolos quoque præſcriptum ex lege matutinum veſpertinumque laudum ſacrificium Deo obtuliſſe; & ſic ſex ſaltem numero diſtinctas divinis celebrandis laudibus horas canonicas inſtituiſſe.

Earum numerus in Orientali Eccleſia.

III. Eadem verò orationis tempora in utraque, Orientali & Occidentali, Eccleſia religiosè ſemper obſervata fuiſſe non pauca evincunt veterum teſtimonia. De Orientali luculentum planè exhibent conſtitutiones Apoſtolorum Clementi vulgò adſcriptæ. Nam libro 8. cap. 34. Hæc habent: [Precationes facite manè, tertia hora, & ſexta, & nona, & veſpere, atque ad galli cantum.] Deinde ſubjiciunt rationes cur his potiſſimum horis orationi vacandum ſit: [Manè gratias agentes, quòd illuminaverit nos morte ſublata, & reddito die. Tertia, quòd ea hora Pilatus judicium adverſus Dominum pronunciavit. Sexta, quòd ea hora in crucem actus eſt. Nona, quòd tunc omnia mota & tremefacta ſunt Domino crucifixo: Quia horrerent audaciam impiorum Judæorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent. Veſpere, quòd noctem dederit ad requieſcendum diurnis laboribus. Ad galli cantum, quòd ea hora adnunciat adventum diei ad facienda opera lucis.] His omninò affinia ſunt ea quæ ſcribit ſanctus Athanaſius, ſeu quivis auctor libri de Virginitate antiquus ſanè & pius, virginem Deo ſacram de modo horiſque precationis inſtituens his verbis: [Sol oriens videat librum in manibus. Poſt tertiam Synaxes conficies, quoniam ea hora defixum eſt lignum crucis. Sexta hora abſolves deprecationes cum pſalmis, ploratu, & ſupplicationibus: quoniam hac hora pependit filius Dei in cruce. Nona hora rurſum in hymnis & glorificationibus eris: Quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit Spiritum. Duodecima hora majorem & longiorem facies Synaxim. Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum. Matutino tempore dicito *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, & *Benedicite omnia opera Domini Domino.*] Sanctus Baſilius in ſermone 1. de inſtitu-

tione Monachorum ſimilem horarum Canonicarum proponit numerum : [Is, inquit, maximè horarum modus tenendus eſt, qui à ſanctis viris ad orationem præſcriptus eſt. Etenim eximius ille vir David ait : *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ :* quem ſanè quoque Paulus & Silas ſecuti reperiuntur, qui in carcere poſiti, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem propheta : *Veſpere mane & meridie.* Quin & Spiritus ſanctus circiter horam diei tertiam adfuit, ſicut in actis accipimus... Porrò nona Dominicæ paſſionis memoriam refert.] Eaſdem horas ſtatuit in Regulis fuſiùs diſputatis cap. 37. Baſilio adjungendus eſt ſanctus Ephrem Syrus, qui in ſermone de Beatitudinibus, horæ tertiæ, ſextæ, nonæ, veſpertinæ & matutinæ mentionem facit ; & Paræneſi 19. & 21. morem nocturno tempore ſurgendi ad celebrandas divinas laudes ſemper obtinuiſſe docet. Septimam precandi horam addidiſſe videtur ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Nam in pſalmum 118. explicans illa Prophetæ verba *ſepties in die laudem dixi tibi*, hæc habet : [Optimi quique viri ac pietate præditi quovis die ſtationem ad Deum ſepties faciunt. Primum ſcilicet noctu vigilantes, quod etiam diluculum appellamus. Deinde ad ſolis exortum Deo qui diem invexit gratias agunt. Hora tertia, cùm Spiritus ſanctus ad Apoſtolos acceſſit : Sexta, cùm Chriſtus Deus noſter carne cruci affixus eſt, & chyrographum illud, quod nobis contrarium erat, delevit. Nona, cùm cruorem effudit, ac Spiritum tradidit, noſque à diaboli dominatu liberavit. Ad ſolis occaſum quod etiam lucernarium appellamus, quia tunc ob diei tranſitum Deo gratias agimus. Poſtremò cùm ad ſomnum nos conferimus, quæ quidem omnia in unum collecta ſeptenarium efficiunt.] Verùm in homilia 59. ad populum Antiochenum, & in homilia 14. in primam ad Timotheum, non niſi ſex dumtaxat enumerat horas ; nam poſt nocturnas preces recenſet tantùm matutinas laudes, Tertiam, Sextam, Nonam & Veſpertinam Synaxim. His omnibus accedunt conſtitutiones Arabicæ Concilii Nicæni ex quatuor Regum ad Conſtantinum libris decerptæ quarum caput 18. de ordine & præſtantia orationis hæc habet : [Matutina oratione gratias Deo agimus, qui tenebras expulit & caliginem noctis, & luſtravit diei lumine terras, & quòd aſcendant Angeli noctis, & deſcendant Angeli diei, & quidem quidquid animo certo hoc tempore petimus, conſequemur. Oratio horæ tertiæ eo perſolvitur tempore quo deſcendit Spiritus ſanctus ſuper diſcipulos Domini noſtri JESU-CHRISTI, & quo præparare nos debemus ad Sacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium. Oratio ſextæ horæ perſolvitur, eo tempore quo cruci affixus eſt Dominus & paſſus eſt in ſanctiſſima carne, & eſt tempus quo adimplevit pactum ſuum cum Adamo, & ex ejus progenie fidelibus, & expiavit terram à maledictione, cui obnoxia erat ob Adami peccatum ; & eſt ſanctum illud tempus quo auguſtiſſimum Chriſti edimus corpus, & ejus pretioſum bibimus ſanguinem. Oratio horæ nonæ perſolvitur eo tempore, quo Dominus noſter JESUS-CHRISTUS ex cruce depoſitus fuit, &

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

Digitized by Google

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

de diabolorum triumphavit poteſtatibus, fregitque portas æneas & ferreos vectes, in libertatem vindicatis in inferorum carcere detentis, & ab eorum tormentis laxatis creaturis. Et eſt tempus quo latro qui ad Domini dextram crucifixus erat, dum in cruce pendebat, petiit ut illius memor eſſet in regno ſuo, & meminit illius, & ex ceteris hominibus primum in paradiſum miſit. Quam ob rem orate hac hora, ô Chriſti fideles, fidis animis, & petite quia conſequimini petitiones veſtras. Oratio ad veſperas perſolvitur eo tempore quo deſcendunt Angeli Dei ad cuſtodiendos omnes dormientes, & ſomno ſopitos à tenebris noctis, & ab hoſtibus diaboli, & aſcendunt Angeli diei à terra abeunte die, & nocte ingruente. Hoc tempore aperiuntur januæ Cælorum, quamobrem orate & petite & dabitur vobis. Oratio dormitionis cùm cubitum itur, eſt conſtitutio, & lex Apoſtolorum, Patrum & Prophetarum, & eſt maximè juſtis probis hominibus, & monachis præcipua, & quidem orantis hac hora exaudit preces Deus. Oratio mediæ noctis, eo perſolvitur tempore quo Dei celebrantur laudes ab omnibus cæleſtibus, terrenis, ſpiritu, anima, corde, venis, nervis, fructibus, foliis, arboribus, arbuſtis, fœno, herba, nec non ab omnibus terræ animantibus, iiſque quæ in maribus ſunt & fluminibus. Quamobrem certo animo orate hac hora, omnes Chriſti fideles, & conſequimini poſtulationes veſtras.] Prolixum hunc locum, quia multa ad morum ædificationem, atque ad piorum devotionem fovendam apta continet, integrum proferre libuit: longè plura ſanè veterum teſtimonia his adjicere poſſemus: verùm iſta ſufficere arbitramur.

In occidentali.

IV. Venio ad Patres latinos quorum agmen ducet ſanctus Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus Africanæ Eccleſiæ lumen eximium. Is in libro de Oratione ſub finem precationum tempora in conſtitutionibus Apoſtolorum ſtatuta diſtinguit his verbis: [In orationibus celebrandis invenimus obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores horam tertiam, ſextam & nonam, ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat.... quæ horarum ſpatia jampridem ſpiritualiter determinantes adoratores Dei ſtatutis & legitimis ad precem temporibus ſerviebant: & manifeſta poſt modum res eſt, ſacramentum olim fuiſſe, quod ante ſic juſti precabantur. Nam ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratiam Dominicæ promiſſionis implevit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, ut omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cùm de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ut redimere & vivificare nos poſſet, tunc victoriam ſua paſſione perfecit. Sed nobis præter horas antiquitus obſervatas orandi nunc & ſpatia & ſacramenta creverunt. Nam & manè orandum eſt, ut reſurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus ſanctus deſignabat in Pſalmis dicens: *Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine mane, &c.*

exaudies vocem meam, manè aſſiſtam tibi, & contemplabor te. Recedente item ſole, ac die ceſſante, neceſſariò rurſum orandum eſt. Nam quia Chriſtus ſol eſt verus, & dies verus eſt; ſole ac die ſæculi recedente, quando oramus & petimus, ut ſuper nos lux denuò veniat Chriſti, precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum.] Et poſt pauca de nocturnis precibus: [Quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reſoluta ſuccedit, nullum de nocturnis tenebris eſſe orantibus damnum poteſt, quia filiis lucis & nocte dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui ſol & dies Chriſtus eſt? Qui autem in Chriſto, hoc eſt in lumine ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus.] In prolixo hocce Cypriani teſtimonio habemus non ſolùm ſtatuta illius ævo, hoc eſt ſæculo III. orationum tempora; ſed etiam egregias illorum inſtitutionis rationes myſticas. Qui in ſequenti ſæculo vixit Prudentius Poëta, non nihil aliter horarum canonicarum ſpatia diſſeminaſſe videtur in libro cui titulus *Cathemerinon*, cujus primus hymnus eſt *ad galli cantum*, ſecundus matutinus, tertius *ante cibum*, quartus poſt cibum, quintus *ad incenſum lucernæ*, ſextus *ante ſomnum*. Ubi prætериiſſe videtur horam nonam, cujus loco ſextam ante ſomnium ſubſtituit. Prudentio ſuccinit ſanctus Ambroſius in libro 3. de Virgin. capite 4. [Certè ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ cùm è ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cùm ſumſerimus, & hora incenſi, cùm denique cubitum pergimus, ſed & in ipſo cubili volo pſalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice.] Simili ferè modo ſanctus Hieronymus Epiſtola 8. Demetriadem virginem inſtituebat: [Præter pſalmorum, inquit, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperum, media nocte, & manè ſemper eſt exercendum, ſtatue quot horis ſanctam Scripturam ediſcere debeas.] Et Epiſtola 22. ſcribens ad Euſtochium; [Horam tertiam, ſextam, & nonam, diluculum quoque, & veſperam nemo eſt qui neſciat: Noctibus bis terque ſurgendum.] Concinit in Epiſtola ad Lætam de filiæ inſtitutione: [Aſſueſcat ad orationes & pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie quaſi bellatricem Chriſti, accenſaque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum.] Denique eaſdem precationis horas cernere eſt ex Epitaphio Paulæ: [Manè, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio per ordinem pſalterium cantabant. Nec licebat cuiquam ſororum ignorare pſalterium] Eadem tempora paſſim memorat ſanctus Auguſtinus variis in locis Ea ætate Joannes Caſſianus rerum monaſticarum non indiligens ſcriptor Libro 3. de inſtitutis Cœnobiorum cap. 3. 4. & 5. ſeptem horas canonicas commemorat, ſcilicet nocturnas vigilias, matutinos qui ad auroram dicebantur, Laudeſque, vulgò appellare ſolemus, alios matutinos quos Primæ noſtræ reſpondentes, ſuo tempore inſtitutos in ſuo Maſſilienſi Cænobio tradit, ſextam, nonam, & veſperas. His octavam horam addidit ſanctus Benedictus in Regulæ cap. 16. ubi præter nocturnas vigilias ſeptem diurnas horas conſtituit; ſed

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

Caſſiodorus, qui eadem cum ſancto Benedicto ætate vivebat, ſeptem tantùm commemoravit. Nam exponens illum pſalmi 118. verſiculum, *ſepties in die laudem dixi tibi*, ita infert: [Si ad litteram hunc numerum velimus advertere; ſeptem illas ſignificat vices, quibus ſe monachorum devotio conſolatur, id eſt matutinas, tertiam ſextam, nonam, lucernarium, completorios & nocturnos.] De monachorum hac de re inſtitutis plura hîc ſubjicere poſſemus, niſi jam argumentum iſtud tractaſſemus tum in noſtro ſuper Regulam ſancti Benedicti Commentario, tum in libro 1. de antiquis Monachorum ritibus. Sed & plura poſteriorum ſcriptorum congerere poſſemus, niſi lectorum faſtidio parcendum eſſet: Unum dumtaxat hîc addam ex ſancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi ſermone 140. in Appendice Tomi V. Operum ſancti Auguſtini novæ editionis. [Rogo vos, fratres chariſſimi, ad vigilias matutinas ſurgite, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam ante omnia convenite, nullus ſe à ſancto propoſito ſubtrahat, niſi quem infirmitas aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum.] Præter quatuor haſce horas ad quas plebem omnem invitat Cæſarius, *completo lucernario*, id eſt veſperis, populo benedictionem dediſſe narratur apud Cyprianum in ejus vita lib. 2. num. 12. & in Regula pſalmos ad duodecimam decantandos deſignat, imò & primæ Dominicis diebus ſabbatoque perſolvendæ mentionem facit.

Quibus de cauſis inſtitutæ.

V. Jam verò ſi quis quærat quibus potiſſimum de cauſis adducti fuerint Apoſtoli virique Apoſtolici, ut has ad precandum Deum horas potiuſquàm alias elegerint; reſpondemus myſticis præſertim rationibus motos fuiſſe: ad recolenda nimirum præcipua Dei beneficia iſtis horis hominibus aut jam collata, aut aliquando conferenda, uti videre eſt in variis ſanctorum Patrum teſtimoniis, à nobis jam adductis, Cypriani maximè & Chryſoſtomi, ac conſtitutionibus Arabicis Concilii Nicæni: alias profert Cardinalis Bona in Tractatu de Divina Pſalmodia capite ſecundo, quas fusè, nec minùs pietate quàm eruditione plenas ſuo more proſequitur. Has non ſine fructu conſulent legentque pii lectores, nobis interim eas referre contentis, quas ad conſervandam divinæ redemptionis memoriam Gloſſa in cap. 1. de celebratione Miſſarum his verſiculis comprehendit.

Hæc ſunt ſeptennis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis. Cauſam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit. Tumulo Completa reponit.

Statis temporibus ſunt perſolvendæ.

VI. Cum autem myſterio non vacent ſtatutæ ad pſallendum horæ, non ſine religione à viris piis ac purioris diſciplinæ tenacioribus prætermitti ſeu in aliud transferri tempus debent: maximè cùm eas ſuis legibus obſervandas non ſemel Eccleſia commendaverit. Audi Leonem IV.

Digitized by Google

Summum Pontificem in homilia de cura Paſtorali presbyteros alloquentem. [Omni nocte ad nocturnas horas ſurgite: curſum veſtrum *horis certis* decantate.] Quæ totidem verbis extant in Epiſtola Synodica Ratherii Veronenſis Epiſcopi ad presbyteros Spicilegii Tomo 2. & in antiqua admonitione Synodali, quam Diaconus olim poſt Evangelium Epiſcopo & ceteris in ordine ſedentibus perlegebat. Audiant & Caroli magni capitulare anni 802. art. 8. ſtatuens [ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei ac noctis ſuarum ſonent ſigna Eccleſiarum, & ſacrata Deo celebrent officia.] Hinc & Regino Prumienſis Abbas in lib. 1. de Eccleſiaſticis diſciplinis inter alia quæ ab Epiſcopo parochias viſitante exquirendo indixit num. 27. recenſet: [Si nocturnis horis ad matutinas laudes perſolvendas omni nocte ſurgat] & num. 28. [Si primam, tertiam, ſextam, nonam, certo tempore ſigno Eccleſiæ denuntiet, & curſum debitum cantet.] Hinc meritò Auctor libri de benedictione Dei Bathurico Ratiſponenſi Epiſcopo nuncupati apud Stevartium nonnullos in præfatione ſua Sacerdotes & Epiſcopos carpit, qui ut liberiùs genio indulgeant, priuſquam cubitum eant, [nocturnas vigilias deſidiosè perſolventes, ſtratu mox decubant. Surgentes verò dum ſe veſtibus induunt, divina peragunt officia: Putantes ſibi ſufficere poſſe, ſi ſaltem quoquomodo illa decantent: ignari quia horæ in ſancta Eccleſia ſunt conſtitutæ quibus per diem & noctem divinæ ſervitutis officia perſolvantur.... quas ſi negligimus, ſanctorum Patrum inſtitutis contraimus, quibus contraire periculoſum eſt.] Quàm longè ab illorum Sacerdotum negligentia aberat Gregorius Epiſcopus Turonenſis, qui [circa medium noctis ad curſum reddendum,] ſurgebat, uti ipſe teſtatur in Hiſtoriæ Francorum libro 8. cap. 15. Quàm procul alter Gregorius Lingonicæ civitatis Epiſcopus, de quo idem ſcriptor in libro de Vitis Patrum cap. 7. ſcribit quòd [nocte de ſtratu ſuo nullo ſentiente conſurgens, ad orationem, Deo tantùm teſte, pergebat, oſtio divinitùs reſerato, attentè pſallebat in baptiſterio.] Hoc pſallentium, [tamquam multarum vocum per trium horarum & fere amplius ſpatium audiebatur.] Poſtea [impleto curſu, revertens ad lectulum, ita ſe cautè ad ſtratum deponebat, ut prorsùs nemo ſentiret.] Denique quàm procul Presbyter ille ſolitarius qui, teſtante eodem Gregorio Turonenſi in libro de gloria Confeſſorum, cap. 31. [Iter carpens ad hoſpitiolum cujuſdam pauperis Lemovici manſionem expetiit: qua accepta, *juxta morem ſacerdotum* nocte de ſtratu ſuo conſurgens, orationi adſtitit.]

Caput I. De inſtitutione horarum canonicarum.

Etiam in itinere.

VII. [Quo ex loco colliges non ſolos domi remanentes Clericos ad preces horarias ſtatutis horis recitandas adſtrictos, ſed ipſos etiam peregrè proficiſcentes eidem legi illigatos fuiſſe. Certè B. Benedictus fratres in itinere poſitos præterire non vult horas conſtitutas; ſed neque Chrodegangus canonicos in regula canonicorum: qua in re tanta fuit olim noſtrorum Religio, ut cum precationis tempus adveniſſet, ſtatim equo deſcendebant, horam canonicam incæpturi, de quibus vide, ſi lubet, quæ ſcripſimus in Commentario noſtro ſuper Regulam

CAPUT I. *De inſtitutione horarum canonicarum.*

ſancti Benedicti. Nec minor ſanè fuit pietas ſancti Hugonis ex Carthuſienſi monacho Lincolnienſis Epiſcopi, de quo etiam vitæ ſcriptor apud Surium die 17. Novembris: [Preces canonicas ſtatuto perſolvebat tempore, nec induci poterat, ut aut præveniret illud, aut differret. Itaque in magnis tractatibus, ſicut quidam ad conſultandum, ſive deliberandum egredi ſolent, ſic ipſe immortali Regi debitum laudis oblaturus, ſimulatque veniſſet hora, mox exire ſolebat. Nihil divino officio anteponendum Carthuſiano more vir fidelis didicerat, quod etiam uſque in finem exactè ſervavit.] Quàm malè ceſſerit Severino Colonienſi, regiis negotiis implicato, ſtatutas canonicarum precum horas prævertiſſe, deſcribit Petrus Damiani & ex eo Baronius ad annum 1062. num. 83. adeò ut hujus negligentiæ reatum purgatoriis poſt mortem flammis expiare coactus fuerit, id quod ipſe cuidam clerico ſeſe viſendum objiciens confeſſus eſt his verbis: [Quia dum in aula Regia conſtitutus, imperialibus me conſiliis vehementer applicui, canonicæ Synaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi. Manè quippe omnia coacervans ſimul, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam ardoris hujus fero ſupplicium.]

Sub graviſſimis pœnis omitti nequeunt.

VIII. De obligatione canonicas preces recitandi diſputant inter ſe caſuum conſcientiæ arbitri ac canoniſtæ, venialine an mortali noxæ obnoxios reddat negligentes, quo de re conſuli poterunt qui de ea ſcripſere non parvo numero Doctores. Nobis hic breviter adnotaſſe ſufficiat Eccleſiam ſemper ſub graviſſimis pœnis, quæ cum veniali culpa compati nequeant, hujuſmodi prætermiſſionem prohibuiſſe. Concilium Carthaginenſe IV. Canone 49. [Clericus, inquit, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur.] Synodus ſancti Patricii Can. 7. [Quicumque Clericus uſus negligentiæ cauſa ad collectas manè & veſperè non occurrerit, alienus habeatur, niſi fortè jugo ſervitutis ſit detentus.] Concilium Venoticum anno 465. celebratum Can. 14. [Clericus quem intra muros Civitatis ſuæ manere conſtiterit, & à matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis inventus fuerit defuiſſe; ſeptem diebus à communione habeatur extraneus.] Capitulum 63. Martini Bracarenſis Epiſcopi. [Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi ſacrificium matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non convenit; deponatur à clero; ſi tamen caſtigatus veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.] Ex libro etiam 2. Pœnitentialis Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi cap. 5. [Si quis Clericus aut Monachus corporis ſanitate conſiſtens vigiliis & quotidianis officiis defuerit, perdat communionem.] cap. 6. Si quis Clericus abſque [corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendio privatus excommunicetur.] Et cap. 7. [Si quis Clericus dato ſigno non ſtatim ad Eccleſiam properaverit, correptionibus ſubjacebit.]

CAPUT

CAPUT II.

Quibus in locis olim divina celebrarentur Officia, quibuſve ſignis ad ea clerus & populus convocaretur.

CAPUT II. *Quibus in locis &c.*

I. CUm ergo conſtet ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis Clericos ad canonicas precationum horas perſolvendas ſuis ſtatis temporibus adſtrictos fuiſſe, ante omnia inquirendum mihi incumbit, quibuſnam in locis divinos curſus ſubcurrerent, quibuſve ſignis ad divina celebranda Officia clerus ac populus convocaretur.

Primis Chriſtianis nulla certa orationum loca.

II. Nulla fuiſſe primis Chriſtianis certa orationum loca pro comperto haberi debet. Et ſanè id evincunt Acta ſancti Juſtini Martyris apud Ruinartium, in quibus interrogatus à Præfecto, [quem in locum chriſtiani convenirent, reſpondit Juſtinus, eo utcumquemque convenire quo vellet ac poſſet. An, inquit, exiſtimas omnes nos in eundem locum convenire ſolitos? Minimè res ita ſe habet: Quoniam Chriſtianorum Deus loco non circumſcribitur; ſed, cùm inviſibilis ſit, cœlum & terram implet, atque ubique à fidelibus adoratur, & ejus gloria collaudatur.] Aurea planè verba & tanto martyre digna, quibus conſentiunt ea quæ ſcribit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium libro 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. [Quivis locus, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit.] Vulgò tamen privatis in domibus ad ſacras celebrandas Synaxes congregabantur, ut probant in primis Acta ſancti Pontii martyris tomo 2. Miſcellaneorum Baluzianorum, ubi Chriſtiani *in domo alta* divinas laudes perſolviſſe commemorantur; idque ipſum confirmant conſtitutiones Apoſtolorum libro 8. cap. 34. in quo hæc lego: [Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis, Epiſcope in domo aliqua, ne ingrediatur pius in Eccleſiam impiorum; non enim locus hominem ſanctificat, ſed homo locum... quod ſi neque in Eccleſia, neque in domo congregari poterunt, pſallat ſibi unuſquiſque, canat, oret, ſaltem duo ſimul aut tres.]

Sed in privatis domibus laudes Deo perſolvebant.

Eccleſias quando habere cœperunt.

III. Ex hoc tamen loco colliges non defuiſſe Chriſtianis etiam ſub paganis principibus, fervente perſecutionum æſtu, ſuas Eccleſias: Hujus veritatis teſtem profero Euſebium Pamphili in libro 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 2. ubi agens de his quæ Diocletiani perſecutionem præceſſerunt, iſta habet: [Jam verò quis innumerabilium hominum quotidie ad fidem Chriſti confugientium turbam, quis numerum Eccleſiarum in ſingulis urbibus, quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris cumulatè poſſit deſcribere? Quo factum eſt, ut priſcis ædificiis jam non contenti, in ſingulis urbibus ſpecioſas ab ipſis fundamentis extruerent Eccleſias.] Et ſanè obſervat Henricus Valeſius in notis ad

B

Digitized by Google

CAPUT II. *Quibus in locis, &c.*

Euſebii librum 6. cap. 43. Baſilicas Romæ tempore Diocletiani numero quadraginta ſex extitiſſe. De primis etiam Galliarum fidelibus apud Bituriges circa Decii tempora ad chriſtianam religionem perductis agens Gregorius Turonenſis in libro 1. Hiſtoriæ Francorum cap. 29. ita ſcribit: [Ex his ergo pauci admodum credentes clerici ordinati, ritum pſallendi ſuſcipiunt, & qualiter Eccleſiam conſtruant, vel omnipotenti Deo ſolemnia celebrare debeant, imbuuntur.]

In cæmeteriis conveniebant.

IV. Plerumque tamen in cæmeteriis Martyrum ſacros peregiſſe conventus certiſſimum eſt. [Convenite in cæmeteria, inquiunt conſtitutiones Apoſtolorum lib. 6. cap. 29. Sacros libros in eis legentes, & pſallentes pro eis qui dormierunt martyribus atque omnibus ſanctis, qui à ſæculo defuncti fuerunt, proque fratribus noſtris qui in Domino obierunt.] Hinc & Euſebius libro 9. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 2. excitatam à Maximino in Chriſtianos perſecutionem deſcripturus, [Dumque, ait, ad ſubruendam pacem nihil non molitur, primùm quidem noſtros à conventibus qui in cæmeteriis fieri ſolebant, neſcio quo prætextu arcere aggreſſus eſt.]

V. Poſtquam verò beneficio principum Chriſtianorum ſumma pace frui potuit Eccleſia, ac liberum ſuæ Religionis exercitium obtinere: ingentes ac magnificæ cœperunt conſtrui baſilicæ, teſtante id Euſebio libro 10. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 2. & 4. in quibus ſacri peragebantur conventus ac divini curſus Officii ſolemni pompa celebraretur, qualem deſcribit Socrates libro 4. Hiſtoriæ cap. 18. in Edeſſa civitate, in qua. inquit, [Illuſtris & ſplendida eſt baſilica Thomæ Apoſtoli, in qua propter loci ſanctitatem collectæ ſine intermiſſione celebrabantur.] Id ſanè permaximæ laudi Edeſſenæ verti debet Eccleſiæ, quod in ea publicæ collectæ *ſine intermiſſione* celebrarentur. Nam & ſi ad canonicas horas Deo quotidie recitandas ſemper adſtricti fuerint Clerici, eaſque omnes in Eccleſiis publicè Dominicis feſtiſque diebus perſolviſſe non dubium appareret, huic tamen debito privatis diebus reddendo nulla lege conſtrictos fuiſſe legimus: neque enim poſt redditam Eccleſiæ pacem in Baſilicis etiam Cathedralibus ſtatim invaluit mos omnes Officii divini canonicas horas quotidiè ſolemniter decantandi. Sæculo VI. Injurioſus Turonenſis Epiſcopus, teſte Gregorio lib. 10. Hiſtoriæ Francorum, *inſtituit tertiam & ſextam in Eccleſia dici*, quæ proindè ante Injurioſum *in Eccleſia* non canebantur. Eodem ſæculo ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, ut ſcribit in ejus vita Cyprianus Tolonienſis, [inſtituit, ut quotidiè tertiæ, ſextæque ac nonæ opus in ſancti Stephani baſilica Clerici cum hymnis cantarent: ut ſi quis fortè ſæcularium vel pœnitentium ſanctum opus exſequi ambiret, abſque excuſatione aliqua quotidiano intereſſe poſſet officio.] In pleriſque etiam Cathedralibus Eccleſiis deerant Clericorum collegia, qui perſolvendis divinis Officiis præſto eſſent: Quæ eos non rarò cogebat Epiſcopos ex aliis Eccleſiis ac Monaſteriis convocare clericos, qui in matricibus Eccleſiis rei ſacræ ſtatutis horis operam darent. Is certè fuit

In Eccleſiis Cathedralibus non ſtatim recitatæ horæ canonicæ.

Digitized by Google

ſtatus Eccleſiæ Virdunenſis ad uſque Sæculum VII. quo datus eſt illi Paulus ſanctiſſimus Epiſcopus. Nam ut tradit illius vitæ ſcriptor accuratus; [Erat autem ita temporibus illis ipſa Eccleſia rebus deſtituta, ut nemo Clericorum eſſet, qui aſſiduè, ut ſic præcipit Eccleſiaſticus ordo, Miſſarum ſolemnia, vel conſurſum pſalmorum inibi compleret curſum; ſed præ inopia vix, & cum magno labore per ſingulos dies adveniebat aliquis forenſis presbyter; & citiſſimè ſatiſque indecenter Horarum ſimul & Miſſæ complens officia, mercede accepta, revertebatur ad propria. Similiter ſecundus, & tertius, cæterique, donec idem Ordo confuſus à noviſſimo rediret ad proprium.] Eadem quoque videtur extitiſſe conditio Eccleſiæ Antiſiodorenſis ad uſque Sæculum VIII. quo ſanctus Tetricus [primo anno ordinationis ſuæ habito Concilio conſtituit qualiter Abbates, vel Archipresbiteri in Eccleſia ſancti Stephani divinum perſolverent officium,] uti legimus in hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium. Ejus inſtitutionem ex eadem Hiſtoria integram hic referre ad demonſtrandam temporum illorum diſciplinam, non pigebit. Igitur taliter ordinavit ut deſervirent:

CAPUT II. *Quibus in locis &c.*

Quas in eis perſolvebant clerici & monachi ex aliis Eccleſiis advocati.

Calendis Januarii. I. Hebdomada, Baſilica S. Germani.
II. Hebdomada, Baſilica S. Amatoris.
III. Hebdomada, Baſilica S. Petri.
IV. Hebdomada, Baſilica Monaſterii S. Juliani.
Calendis Februarii. I. Hebdomada, Baſilica S. Mariani.
II. Hebdomada, Baſilica S. Euſebii.
III. Hebdomada, Baſilica S. Martini.
IV. Hebdomada, Baſilica S. Mariæ.
Calendis Martii. I. Hebdomada, Baſilica S. Nazarii.
II. Hebdomada, Monaſterium Longoretenſe.
III. Hebdomada, Monaſterium Seſciacenſe.
IV. Hebdomada, Scolius Vicus.
Calendis Aprilis. I. Hebdomada, Bacernæ Vicus.
II. Hebdomada, Vendoſa & Gaugiacus.
III. Hebdomada, Nanteriacus & Licaiacus.
IV. Hebdomada, Tauriacus.
Calendis Maii. I. Hebdomada, Choræ Vicus.
II. Hebdomada, Corcedomus & Oratorium S. Menmii.
III. Hebdomada, Troja, & Cornacus, & Auciacus.
IV. Hebdomada, Varciacus.
Calendis Junii. I. Hebdomada, Bargiacus & Nantoniacus.
II. Hebdomada, Maſſua.
III. Hebdomada, Condida.
IV. Hebdomada, Dactriacus & Soliacus.
Calendis Julii. I. Hebdomada, Novus-vicus.
II. Hebdomada, Brioderus.
III. Hebdomada, Giernus & Luoderus.

CAPUT II. *Quibus in locis &c.*

IV. Hebdomada, Blanoïlus.
Calendis Auguſti. I. Hebdomada, Clerici Dominici.
II. Hebdomada, Eluciacus.
III. Hebdomada, Baugiacus.
IV. Hebdomada, Tauriacus.
Calendis Septembris. I. Hebdomada, Interannus.
II. Hebdomada, Odone-vicus.
III. Hebdomada, Pulverenus & Tociacus.
IV. Hebdomada, Epponiacus & Carbaugiacus.
Calendis Octobris. I. Hebdomada, Clerici Dominici.
II. Hebdomada, Baſilica S. Germani.
III. Hebdomada, Baſilica S. Amatoris.
IV. Hebdomada, Baſilica S. Petri.
Calendis Novembris. I. Hebdomada, Dominiacus.
II. Hebdomada, Monaſterium S. Juliani.
III. Hebdomada, Baſilica S. Mariani.
IV. Hebdomada, Baſilica S. Euſebii.
Calendis Decembris. I. Hebdomada, Baſilica S. Mariæ.
II. Hebdomada, Baſilica S. Martini.
III. Hebdomada, Baſilica SS. Gervaſii & Protaſii.
IV. Hebdomada, Monaſterium Longoreti & Seſciaci.

[Hac itaque conſtitutione roborata conſtituit, ut Abbates, presbytéri cùm clero ad ſupraſcriptum officium peragendum convenientes, ex dominico Cellario ab œconomo Eccleſiæ ſtipendium ſufficiens accipiant, ſi verò tardi occurrerint, aut negligenter apparuerint, 40. dies à vino abſtineant. Vicedominus autem aut Cellarius, ſi quod jure miniſtrare debent in aliquo ſubſtraxerint, retruſi in monaſterium per annum dimidium pane & aqua contenti debitam pœnitentiam perſolvant.] Num ſimilis uſus in celeberrima Galliarum Eccleſia Viennenſi etiam viguerit? Sanè id perſuadere videtur locus ex Sidonii Apollinaris epiſtola 17. libri 5. [Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi, clericique pſalmicines concelebraverant, quiſque in diverſa ſucceſſimus, præſto ad tertiam profuturi cum ſacerdotibus res divina facienda.] Romæ etiam in Baſilica ſancti Petri, [monachi quatuor monaſteriorum divina officia perſolvebant,.] uti obſervat Mabillonius in Commentario prævio ad antiquos Ordines Romanos pag. 28. [Hæc erant monaſteria ſancti Martini, ac ſancti Stephani minoris à dextro Baſilicæ latere, ſancti Stephani majoris atque SS. Joannis & Pauli à ſiniſtro.] In ceteris etiam patriarchalibus Eccleſiis, divinas laudes noctu & interdiu perſolvebant vicini monachi. Id quod in Eccleſia B. Mariæ Gregorium II. inſtituiſſe tradit liber Pontificalis, Gregorium vero III. in Baſilica ſancti Chryſogoni.

Officium in parochiali-

VI. Neque verò in ſolis Cathedralibus Eccleſiis, ſed in parochalibus etiam aliiſque ruralibus divina ex more celebrata ſunt officia, quantùm

per Eccleſiæ cujuſque facultates id liceret. Hanc eis legem impoſuit Carolus magnus in capitulari anni 802. num. 8. ſtatuens [ut omnes ſacerdotes horis competentibus diei ac noctis ſuarum ſonent ſigna Eccleſiarum, & ſacrata Deo celebrent officia.] Longè ante Carolum Concilium Epaonenſe anno 517. celebratum hunc ediderat Canonem 25. [Sanctorum reliquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſan clericos cujuſcumque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.] Eodem tendit Canon 13. Concilii Cabilonenſis circa medium ſæculum ſeptimum editus : [De oratoriis quæ per villas fiunt, ut ſint in poteſtate Epiſcoporum : qui ex facultatibus ibidem collectis procurent, ut officium divinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari.] Eadem quoque in Hiſpania vigebat diſciplina. Nam Concilium Emeritenſe poſt medium ſæculum ſeptimum Canone 19. Presbyteris parochianis indixit, [ut de Eccleſiæ ſuæ familia clericos ſibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut officium ſanctum dignè peragant, & ad ſervitium ſuum aptos eos habeant.] Idem de Anglicana aſſerendum Eccleſia docet nos Concilii Celichitenſis anni 787 Decretum cap. 7. [ut omnes Eccleſiæ publicæ canonicis horis curſum ſuum cum reverentia habeant.] Unde Eadgarus Rex ſæculo X. cap. 45. conſtituit [ut quis ſtatis temporibus campanas pulſet, & ut omnis tunc ſacerdos cantum ſuum horarium in Eccleſia pſallat.] Sed hæc de locis in quibus divina peragerentur officia prælibaſſe ſufficiat, nunc de ritu & modo chriſtianam plebem ad ea convocandi brevi aliquid ſubjiciendum eſt.

bus Eccleſiis ex more celebratum.

CAPUT II. *Quibus in locis, &c.*

VII Primis Eccleſiæ ſæculis nulla extitiſſe annuntiandæ ſacræ Synaxis ſigna veroſimilius exiſtimamus ; ſed Epiſcopus diaconos per ſingulas chriſtianorum domos dirigebat, qui cunctis ſacrorum conventuum horam verbo ſignificaret. Id ſanè non obſcurè probat quæ ſub nomine Ignatii habetur epiſtola ad Heronem diaconum Eccleſiæ Antiochenorum, auctoris ſaltem antiquiſſimi, ſi non ſit ipſius Ignatii fœtus. In ea ſiquidem ad propoſitum hæc lego : [nihil ſine Epiſcopis operare. Sacerdotes enim ſunt ; tu autem diaconus ſacerdotum. Illi baptizant, ſacrificant, manus imponunt : tu autem ipſis miniſtras, ut Stephanus ſanctus in Hieroſolymis Jacobo & presbyteris. Congregationes non negligas : ex nomine omnes require.] Itaque omnes ex nomine requirens ad congregationes fidelium convocabat diaconus : idquod tamen non ex proprio voluntaris arbitrio præſumebat, ſed Epiſcopi juſſu. Idem munus non rarò in ſemetipſum ſuſcipiebat Epiſcopus ipſe qui nec ſuo illud ordine indignum exiſtimabat. Audi iterum Ignatium in vera & genuina ad Polycarpum Smirnenſis Eccleſiæ Epiſcopum epiſtola : [Quod autem operans ſit bene ſtabile. Sæpè congregationes fiant : *ex nomine omnes quære.* Servos & ancillas ne deſpicias.] Hinc meritò Baronius ad annum 58. n. 103. redarguit Amalarii ſententiam in libro 4. de Divinis officiis cap. 21. exiſtimantis tempore perſecutionis

Sacri olim conventus per diaconos nunciabantur.

Aut per Epiſcopos.

CAPUT II. *Quibus in locis &c.*

Eccleſiæ ſonitu lignorum, ut fit hodiè tribus ultimis diebus majoris hebdomadæ, ad Synaxim vocari ſolitos chriſtianos. cùm hujus ritus nullum prorsùs reperiatur vetus monumentum, nec ratio ipſa patiatur, ut cùm hæc illi Secretius agenda curarent, tanto lignorum ſtrepitu omnium gentilium aures & oculos in ſe converterent. Longè probabilior videtur ſententia Valſridi Strabonis accurati ſcriptoris, quam in libro de rebus Eccleſiaſticis varios convocandi fideles ad divinum opus deſcribens, cap. 5. exprimit his verbis: [Apud alios devotio ſola cogebat ad ſtatutas horas concurrere. Alii prænunciationibus publicis invitabantur, & in una ſolemnitate proximè futuras diſcebant.] Per prænunciationes autem publicas intelligit, haud dubium verbales ſignificationes ab Epiſcopis aut diaconis ipſorum nomine & juſſu factas, aut quod quaſi explicando priora verba ſubdit, [in una ſolemnitate proximè futuras diſcebant.] Addit Vualfridus: [Apud quoſdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur,] reddita nimirum Eccleſiæ pace per principes chriſtianos. [Vaſorum autem de quibus ſermo ortus eſt, (ſcilicet æreorum ſeu campanarum,) uſum primò apud Italos affirmant inventum.] Et poſt pauca: [Quia verò tubas æreas & argenteas in lege habemus, & Propheta quaſi tuba vocem prædicationis exaltare jubet, congruè his vaſis utimur in convocationem fidelium.] Quibus in verbis quadruplicem chriſtianos ad Eccleſiaſticos conventus, poſtquam immanis deferbuit perſecutionum æſtus, convocandi rationem tradit: 1. tabulis. 2. cornibus. 3 tubis. 4. campanis.

Quadruplici ratione ſignificabantur.

Tabulis ligneis.

VIII. Tubulis ligneis uſi ſunt præſertim Græci, ut conſtat ex libello de miraculis martyris Anaſtaſii oblato in Concilio Nicæno II. Actione 4. in quo hæc leguntur: [Cùm ſanctæ civitati reliquiæ ſacræ appropinquaſſent, omnibus res ea fuit declarata & ſignificata. Itaque lætitia magna perfuſi omnes, ſurgentes ſubito, lignaque ſacra pulſantes, invicem obviam facti ſunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, quæ appellatur Nova.] Metaphraſtes quoque in vita ſancti Joannis Chryſoſtomi ſcribit: pulſato ligno vocatos homines ad quamdam congregationem, in vita etiam ſancti Theodoſii Cœnobiarchæ num. 55. apud Surium XI. Januarii monachi quidam ſeveri morbo laborantes, [lignum quod convocat ad Eccleſiam pulſabant ante horam conſuetam, & Synaxim ſignificabant fratribus.] Sed & apud Joannem Moſcum in prato ſpirituali cap. 11. reperio *canonis lignum*, cujus etiam ſit mentio in vita ſancti Nicolai ſtuditæ n. 50. apud Bollandum die 4. Februarii. Auctor eſt quoque Vanſlebius in Gallica hiſtoria Alexandrinæ Eccleſiæ græcos hodie in inſula Chio tabula lignea oblonga uti, quam ædis ſacræ januam presbyter malleo percutit ad convocandam plebem ad opus Dei, ſcribitque hactenus ignotum in tota Ægypto campanarum uſum.

Tuba.

IX. Tuba convocatos fuiſſe ad divina officia peragenda monachos clarum eſt ex regula ſancti Pachomii art. 2. [Quando ad collectam tuba inſonuerit per diem, qui una oratione tardiùs venerit, increpabitur.] Hinc & ſanctus Joannes Climacus gradu 18. [Cùm inſonuerit ſignum

Digitized by Google

ſpiritualis tubæ] &c. Hanc non æream aut argenteam, ſed corneam fuiſſe opinantur quidam ſcriptores, propterea quòd monachi, ſingulari paupertatis voto addicti, omnis eſſent pretioſi metalli expertes.

CAPUT II. *Quibus in locis &c.*

X. Longè frequentior extitit apud latinos campanarum uſus, quem à Sabiniano, qui poſt Gregorium magnum anno 604. Apoſtolicæ Sedis thronum aſcendit, invectum in Eccleſia tradit Polydorus Virgilius in libro 6. de Inventione rerum cap. 12. ubi ſic loquitur: [Quod tintinnabulorum ſono populus invitatur, vocaturque ad ſacra audienda ſtatis dici horis, Sabiniani, qui Gregorio ſucceſſit, hoc decretum eſt.] Idem docet Genebrardus in Chronico ad annum 604. Et Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum agens de Sabiniano, [Hic Papa, inquit, campanarum uſum invenit, juſſitque ut ad horas canonicas & Miſſarum ſacrificia pulſarentur in Eccleſia.] Cujus ſententiam ſecutus eſt Ciaconius tomo 1. de vitis Romanorum Pontificum. His adde Petrum Danetium in lib. 1. de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 22. cujus hæc verba: [Ad horas canonicas Sabinianus Pontifex conſtituit pulſari campanas;] Citatque Martinum Polonum in Sabiniano. Et tamen paulo ante dixerat conſtare [Anaſtaſii Perſæ martyris ſæculo nondum fuiſſe campanarum & nolarum uſum:] Id quod probari poſſe exiſtimat ex libro miraculorum ejuſdem martyris in ſeptima Synodo actione 4. citato, & à nobis ſupra laudato. Anaſtaſius autem juxta Baronium anno 627. martyrio coronatus eſt, cùm jam aliquot ante annis Sabinianus obiiſſet.

Campanis.

XI. Verum & ante Anaſtaſium, & ante Sabinianum campanarum ſonitu convocatos fuiſſe ad divina officia celebranda fideles diſcimus ex Cumineo albo qui Sæculo VI. vitam ſancti Columbæ Abbatis ſcripſit, in cujus cap. 22. hæc habet: [media nocte pulſante campana feſtinus ſurgens ad Eccleſiam pergit.] Et cap. 25. [Quadam die ſanctus Dei miniſtro ſuo campanam ſubito pulſare præcepit, cujus ſonitu fratres incitati, Eccleſiam protinùs ſunt ingreſſi.] Idem demonſtrari poteſt ex variis Gregorii Turonenſis locis. Libro 3. de miraculis ſancti Martini cap. 23. [Interea ſignum movetur horis matutinis, aggregatur & populus, vigiliiſque celebratis, virtus ſancti clarificata perpatuit.] Et antea lib. 2. cap. 33. [Mane autem facto, *ſigno* ad matutinas commoto, reverſi ſumus dormitum.] Nam præterquam quod *ſigni* nomine campanæ nuncupantur apud auctores Eccleſiaſticos, neque ligna, nec tubas commovere dicimus, ſed ligna pulſare, tubas clangere, campanas movere: omnem ambagem tollit locus ex cap. 28. ejuſdem libri ſecundi: [Reverti autem cupiens, nocte ad *funem* illum de quo ſignum commovetur advenit.] Nam neque ligna, neque tubæ *fune* commoventur, bene autem campanæ: de qua proinde intelligendus eſt alter locus ex libro 2. hiſtoriæ Francorum cap. 23. [Signum ad matutinas audiens commotum.] Hinc colliges quam immerito recentiores auctores nonnulli campanarum uſum ante ſæculi ſeptimi finem non admittant, primumque auctorem, qui illarum fecerit mentionem,

Harum uſus quàm antiquus.

Digitized by Google

Bedam prædicent. Certè campanarum meminit auctor vitæ ſancti Lupi Senonenſis Archiepiſcopi qui anno 623. obiiſſe dicitur, cujus opus extat apud Surium 1. die Septembris.

CAPUT III.

De precibus in divinis officiis olim adhiberi ſolitis & de ritu eas perſolvendi, ac primò de pſalmis & canticis.

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis &c.*

Pſalmorum utilitas.

I. INter omnes preces quas in divinis celebrandis officiis adhibere ſolet Eccleſia, principem locum ſibi meritò vindicare debet aureus liber pſalmorum, utpote qui omnes orationum ſpecies, omnes cordis pios affectus in ſe contineat, collata humano generi beneficia cuncta in memoriam revocet, præmia virtuti promiſſa proponat, peccantibus terrorem incutiat, omni ætati, omni conditioni utilis exiſtat, ut non immeritò ſanctus Nicetius Epiſcopus in brevi libello de Pſalmodiæ bono cap. 1. exclamaverit: [Quid in his pſalmis non invenies quod faciat ad utilitatem & ædificationem, ad conſolationem humani generis, conditionis, ſexus, ætatis ? Habet in pſalmis infans quod lactcat, puer quid laudet, adoleſcens quid corrigat viam, juvenis quid ſequatur, ſenior quid precetur. Diſcit femina pudicitiam, pupilli inveniunt patrem, viduæ judicem, pauperes perſpectorem, advenæ cuſtodem. Audiunt reges judiceſque quid timeant: Pſalmus triſtes conſolatur, lætos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, divites ut ſe agnoſcant ammonet, & ne ſuperbiant increpat, omnibus omninò ſuſcipientibus ſe aptam medicinam contribuit pſalmus, nec peccatores deſpicit, ſed remedium eis per pœnitentiam lacrymoſam ſalubriter ingerit. Dominus itaque noſter per David ſervum ſuum confecit potionem, quæ dulcis eſſet guſtu per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per ſuam virtutem. Suaviter enim auditur pſalmus dum canitur, penetrat animum cùm delectat; facilè pſalmi memoria retinentur, ſi frequenter pſallantur, & quod legis auſteritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quidquid Prophetæ, quidquid Evangelia ipſa præcipiunt, in his carminibus ſuavi meditantium, dulcedine continetur. Deus oſtenditur ut timeatur, ſimulacra videntur, juſtitia ingeritur, iniquitas prohibetur, miſericordia laudatur, incredulitas abdicatur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accuſatur, innocentia collaudatur, ſuperbia dejicitur, humilitas ſublimatur, pœnitentia prædicatur, pax ſequenda depromitur. Contra inimicos protectio poſtulatur, vindicta promittitur, ſpes certa nutritur, & quod his eſt excellentius in pſalmis Chriſti ſacramenta cantantur. Nam & generatio ejus exprimitur, & rejectio plebis impiæ & gentium hæreditas nominatur, virtutes Domini cantantur, Paſſio veneranda depingitur, Reſurrectio glorioſa monſtra

monſtratur, ſedes quoque ad dextram mirabiliter depingitur. Deinde igneus Domini manifeſtatur adventus, terribile de vivis & mortuis judicium panditur. Quid plura? Etiam ſpiritus errantis emiſſio & terræ renovatio revelatur, poſt quæ erit in gloria Domini ſempiternum juſtorum regnum, peccatorum perenne ſupplicium.] Cùm ergo pſalmorum liber tot gaudeat prærogativis, tot nobis exhibeat commoda & utilitates haudquaquam ſanè mirum videri debet, ſi Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 14. laudet [pſalmorum cantus multiplices quibus plerique ex fratribus delectantur:] Si Auguſtinus ſermone 33. [cantare & pſallere negotium eſſe ſolere amantium aſſerat:] Si denique ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ad divinas laudes publicè celebrandas à cunctis chriſtianis uſurpatus ſit.

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis, &c.*

II. Sed plerique hæretici, poſthabito verè aureo illo libello, alios proprio ingenio compoſitos pſalmos in publicis conventibus decantandos introducere non veriti ſunt. Id inter alios vitio vertit Paulo Samolateno Concilium Antiochenum apud Euſebium libro 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 30. Hic ſiquidem [pſalmos in honorem Domini noſtri JESU-CHRISTI cani ſolitos, quaſi novellos, & à recentioribus hominibus compoſitos abolevit. Mulieres autem magno Paſchæ die in media Eccleſia pſalmos quoſdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit.] Scribit etiam Sozomenus libro 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 25. Apollinaris ſectatores ritibus uſos fuiſſe ab Eccleſia Catholica alienis, [præter ſacros hymnos qui in Eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris aſtricta pſallentes, quæ ab Appollinare erant excogitata.] Eamdem præſumptionem in Donatiſtis carpit Sanctus Auguſtinus epiſtola 55. novæ editionis n. 34. [De hac re tam utili ad movendum piè animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum, varia conſuetudo eſt, & pleraque in Africa Eccleſiæ membra pigriora ſunt, ita ut Donatiſtæ nos reprehendant, quòd ſobriè pſallimus in Eccleſia divina cantica Prophetarum; cùm ipſi ebrietates ſuas ad canticum pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi ad tubas exhortationis inflamment.] Longè etiam antea Valentinus ſuos compoſuerat pſalmos, *quos* ut ait Tertullianus lib. 4. de carne Chriſti cap. 17. [magna impudentia quaſi idonei alicujus auctoris,] Davidicis interſerebat. Scribit etiam Epiphanius lib. 2. adverſus hæreſes. Hæreſi 67. Hieracum [pſalmos quoſdam novitios] condidiſſe. Non defuere forſan etiam aliquando ex Catholicis qui id tentaverint. At cùm ſolos ut authenticos Eccleſia pſalmos davidicos admiſerit, quoſcumque alios etiam à fidelibus compoſitos à ſacris chriſtianorum conventibus eliminavit: Unde & Martinus Epiſcopus Bracarenſis cap. 67. [Non oportet pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſia dicere.]

Pſalmi ab hæreticis compoſiti.

III. Jam verò cùm plures extiterint pſalterii verſiones antiquæ, optabit forſan aliquis reſcire quænam potiſſimum in divinis officiis olim adhibita ſit. Sanctus Hieronymus in epiſtola 135. ad Sunniam

Quæ pſalterii verſio in cantu Eccleſiaſtico adhibita.

Digitized by Google

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis, &c.*

& Fretellam, ſcribit verſionem ſeptuaginta interpretum, qualis inquit, [habetur in Hexaplis & quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata reſervatur. ... Hieroſolymæ atque in Orientis * Eccleſiis] decantari. Præter hanc verſionem alia extitit ejuſdem Hieronymi judicio minùs caſtigata, quæ dicebatur communis, vulgata, & Luciani editio, qua in divinis celebrandis laudibus utebantur Romani. Acuratam 70. verſionem ejus in latinum ſermonem tranſtuliſſet, vulgata poſthabita, eamdem recepit Eccleſia Gallicana, unde & Gallicani pſalterii nomen illi inditum eſt. Audiendus eſt hac de re Vvalfridus in libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 25. ſub finem: [Pſalmi autem cùm ſecundùm Septuaginta Interpretes Romani adhuc habeant, Galli & Germanorum aliqui ſecundùm emendationem quam Hieronymus Pater de ſeptuaginta editione compoſuit Pſalterium cantant: quam Gregorius Turonenſis Epiſcopus à partibus Romanis mutuatam in Galliarum dicitur Eccleſias tranſtuliſſe.] Eadem eſt Bernonis Abbatis Augienſis ſententia, tametſi de tempore quo hæc verſio à Gallis ſit recepta, à Vvalfrido diſcrepet. Sic enim in ms. ad Meginfridum & Bernonem epiſtola agens de Sancto Hieronymo. [Inter cetera ex emendata ſeptuaginta interpretum tranſlatione Pſalterium ex Græco in latinum vertit, illudque cantandum omnibus Galliæ ac quibuſdam Germaniæ Eccleſiis tradidit. Et ob hoc Gallicanum Pſalterium appellavit, Romanis adhuc ex corrupta vulgata editione Pſalterium canentibus: Ex qua Romani cantum compoſuerunt, nobiſque uſum cantandi contradiderunt. Unde accidit quòd verba, quæ in diurnis vel nocturnis officiis canendi more modulantur, intermiſceantur, & confusè noſtris pſalmis inſerantur. Ut à minùs peritis haud facilè poſſit diſcerni, quid noſtræ vel Romanæ conveniat editioni. Quod pius Pater ac peritus magiſter intuens, tres editiones in uno volumine compoſuit; & Gallicanum pſalterium, quod nos canimus ordinavit in una columna, in altera Romanum, in tertia Hebræum.] Hujuſmodi pſalterium triplex ex ms. Codice Carnutenſi monaſterii Sancti Petri ediderunt fratres noſtri in tomo 1. ſeu Bibliotheca divina Sancti Hieronymi. In hoc ergo diſſentit à Vvalfrido Berno Augienſis, quòd ille à Gregorio Turonenſi, iſte ab ipſo Hieronymo verſionem illam in Galliis invectam fuiſſe ſcribat. Verùm poſt utrumque admiſſam contendit Mabillonius in diſquiſitione de curſu Gallicano n. 22. trahitque ad ſuæ ſententiæ confirmationem argumenta ex ipſo Gregorio, qui cum pluribus in locis maximè lib.5. c.14. & lib.6.cap.5. Pſalmorum verſiculos referat, verſione à Gallicana diverſa utitur. Eadem argumentandi ratione nonnulli olim ſcripſerunt Sanctum Benedictum uſum fuiſſe Pſalterio Gallicano, uti docet Petrus Bohærius in ſecundo ſuper Regulam Sancti Benedicti Commentario, propterea quòd verſiculos pſalmorum adducat in Regula Gallicano pſalterio omninò conformes. Porrò ex ſupracitata Bernonis epiſtola colliges Romanos ejus tempore, hoc eſt medio ſæculo undecimo, ſuæ adhuc verſioni adhæſiſſe. Atqui hoc pſalterium Romanum uſui fuit in Urbis Eccleſiis

ad uſque Pii V. Pontificatum, cujus juſſu vulgata ſeu Gallicana editio ubique recepta eſt, præterquam in una Romæ Vaticana Eccleſia, & extra Urbem in Mediolanenſi, quæ utraque antiquum ſuum pſalterium retinet, uti etiam Eccleſia ſancti Marci apud Venetias.

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis, &c.*

IV. Sed jam nobis inquirendum incumbit, qua ratione, quove ritu pſalmi olim in Eccleſia decantarentur. Quadruplicem pſalmi decantandi modum extitiſſe docet nos eruditus vir Joſephus Thomaſius in Præfatione ad vetus Antiphonarium Romanum, directum, antiphonum, reſponſorium, & tractum. Pſalmos decantandi modus quadruplex.

V. Directus cantus erat, cùm totus communiter chorus, & non alternis canebat, ſed veluti uno ore unoque concentu. Ita Mediolanenſis Eccleſia in matutinis laudibus pſalmum unum poſt capitulum decantat, quem *directum* vocat, qui ut in Breviario Ambroſiano habetur [ab utroque choro ſtante dicitur communiter & non alternatim.] & de hujuſmodi cantu fortè intelligendus eſt Sanctus Benedictus Regulæ capite 12. [In matutinis Dominico die in primis dicatur ſexageſimus ſextus pſalmus ſine antiphona in directum.] Et capite 17. ubi de Completorii pſalmis [Qui pſalmi, inquit, directanei, ſine antiphona dicendi ſunt.] Directus.

VI. Antiphonus cantus is erat, quo alternis choris canebatur, de cujus origine & progreſſu cùm plura dixerimus in libro 1. de antiquis Monachorum ritibus cap. 2. num. 44. & ſequentibus, hîc dicere ſuperſedemus. Antiphonus.

VII. Reſponſorius, cùm cantore ſeu lectore ſingulos ſigillatim pſalmi verſiculos canente, chorus eoſdem verſiculos reſpondebat ſeu repetebat. [Reſponſoria enim, ut ait Sanctus Iſidorus lib. 1. de divinis Officiis cap. 8. vocata ſunt hoc nomine, quod uno cantante, chorus conſonando reſpondet.] Qui ritus ab ipſo Evangelii exordio in Chriſtianis conventibus videtur fuiſſe ſtatim admiſſus, utpote promptus ac facilis, quo poſſet etiam imperita plebs pſalmos concinnere, quos neque memoria, neque ſcripto tenebat. Id ſanè clarum eſt ex Euſebii libro 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 17. interpretante Rufino, ubi referens ea quæ de Eſſenis tradit Philo Judæus, ſic tandem concludit: [Quæ omnia ſupradictus vir eodem ordine, eademque conſequentia, qua apud nos geruntur, expreſſit; & ut unus ex omnibus conſurgens in medio pſalmum honeſtis modulis concinnat, utque præcinenti ei unum verſiculum omnis multitudo reſpondeat.] De hujuſmodi cantu intelligendus eſt Sanctus Ambroſius ad Marcellinam ſororem ſuam ſcribens hoc modo: [Matutinis horis lectum eſt, ut meminiſtis, fratres, quod ſummi animi dolore reſpondimus, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.] Sanctus Auguſtinus in præfatione ad pſalmum 46. Itaque in hoc pſalmo quem cantatum audivimus, cui cantando reſpondimus &c. Et in pſalmum 99. [Brevis eſt pſalmus & valdè utilis, quem modo nobis cantatum audivimus & cantando reſpondimus.] Sanctus Joannes Chryſoſtomus homilia 36. in 1. Cor. ſub finem, [Et is qui pſallit, Reſponſorius.

ſolus pſallit, etiamſi omnes reſpondendo reſonent, tanquam uno ore vox fertur.] Denique Sozomenus lib. 5. hiſtoriæ cap. 19. [Præcinnebant autem ceteris ii qui pſalmos apprimè callebant: multitudo deinde reſpondebat cum concentu.] Hinc frequens apud auctores mentio pſalmi reſponſorii, ut apud Gregorium Turonenſem libro de Vitis Patrum capite octavo. [Quodam manè cùm ſurrexiſſet ad matutinas Sanctus Nicetius, expectatis duabus antiphonis, egreſſus eſt in ſacrarium, ubi dum reſideret, diaconus reſponſorium pſalmum canere cœpit.] Quidam huc trahunt locum iſtum ex Sancti Baſilii epiſtola 63. ad clericos Neocæſarienſes: [Et modo quidem in duos choros diviſi alternatim pſallunt. Deinde verò uni committentes ordiri pſalmum, reliqui ſuccinunt.] Sed commodius videtur intelligendus de cantu antiphono ſeu reciproco, niſi fortè quis illum interpretetur de utroque, ut primum periodi membrum de cantu reciproco capiatur, poſterius de reſponſorio.

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis, &c.*

Præcentor pſalmi reſponſorii quis.

VIII. De præcentore pſalmi reſponſorii audiendus eſt Joſephus Thomaſius in præfatione ad Romanum antiphonarium: [Præcentor pſalmi reſponſorii, inquit, in Eccleſia uſitatiùs ex ordine erat lectorum. Paſſim occurrunt teſtimonia, niſi quis malit lectorem in iis tantummodo appellari, qui ex codice legeret, non qui ex ordine lectorum eſſet. Attamen cùm antiquior diſciplina diligentiùs ſingula ſingulis clericorum ordinibus deſcriberet officia, nominumque item diſcrimina tenaciùs retineret; ſimpliciter accipiendum putaverim pro clerico in gradu lectoratus, quem Patres ſimpliciter nuncupant lectorem. Subibant aliquando & diaconi hoc præcentoris munus..... Sed fortaſſe id agebant diaconi cum alii inferiores aberant clerici. Rectius namque id muneris lectoribus vel cantoribus ſive pſalmiſtis aut ſubdiaconis demandatur, cùm ipſorum ſit officium peculiare in Eccleſia pſallere vel cantare. Conſule Sancti Gregorii magni canonem *in ſancta Romana*. diſt. 92.] Optima ſanè obſervatio. Crediderim tamen cantores à lectoribus fuiſſe diſtinctos, utpote quorum ordo diſtinctus, muniaque diſtincta, per plura ſæcula in Eccleſia extiterint. Nam cantorum ordo diverſus erat ab ordine lectorum, poteratque à ſolo presbytero ex more conferri, cùm ſoli lectores ordinaria, ut loquuntur, poteſtate, ordinarent Epiſcopi, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. Cantoris etiam ſive pſalmiſtæ proprium munus erat pſalmos cantare, lectorum verò alios ſcripturæ ſacræ libros in publicis conventibus legere. Vide quæ diximus de utriſque in lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus c. 8. art. 8. Sed Pſalmiſtas ſeu Cantores lectorum nomine plerumque donari apud auctores non ambigo, propterea quòd cùm cantus melodicus tribus primis Eccleſiæ ſæculis ignotus fuerit, ut tradit Nicephorus lib. 9. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 16. cùm ſuo in divinis officio fungerentur, legentes potius quàm cantantes referret, id quod confirmari poteſt ex Sancto Auguſtino lib. 10. Confeſſionum cap. 33. ubi de Sancto Athanaſio, [Quod de Alexandrino, inquit, Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi

dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet quàm canenti.] Alioquin præſcriptum eſt Concilii Laodiceni Can. 15. [non oportere præter canonicos cantores qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia.] Tametſi lectores defectu cantorum ad illud munus obeundum imò ſuperioris gradus miniſtros adſcitos fuiſſe non negaverim.

IX. Ut ut ſit, cantor ſeu pſalmiſta in medio chori, vel in ambone conſiſtens pſalmum aliquem cantaturus ante omnia ipſius titulum præcinnebat, cujus ſcilicet auctoris eſſet, ad eum ferè modum, quo diaconus evangelium lecturus evangeliſtæ nomen lectioni præmittit. Hujus ritus teſtis eſt Caſſiodorus in capite 2. præfationis in pſalmos. [Uſus, inquit Eccleſiæ catholicæ Spiritus ſancti inſpiratione generaliter & immobiliter tenet, ut quicumque eorum (pſalmorum ſcilicet) cantandus fuerit, qui diverſo nomine prænotantur, lector aliud prædicare non audeat, niſi *pſalmos David.* Quod ſi eſſent proprii, id eſt Idithum, aut filiorum Core, aut Aſaph, aut Moyſi, eorum nomina utique prædicarentur; ſicut in evangeliis fit, quando aut Marci, aut Lucæ, aut Matthæi, aut Joannis vocabulo pronunciantur.] Ad exteriorem cantoris habitum quod ſpectat, habemus Concilii Laodiceni Canonem 23. [Quod non oportet lectores vel cantores ferre orarium, & ſic legere vel canere.] Concilio verò Bracarenſi II. anno 563. celebrato canone II. [Placuit ut Lectores in Eccleſia in habitu ſæculari ornati non pſallant, neque granos gentili ritu demittant.]

X. Cantus quartus Tractus dictus, is erat cùm unus ſolus canebat, nullo ſuccinente vel reſpondente, ſed audientibus omnibus; propriuſque monachorum fuiſſe videtur. Atque de hujuſmodi cantu intelligendus eſt Sanctus Hieronymus epiſtola 4. ad Ruſticum Monachum : [Necdum expleto ſomno, ſurgere compellaris : Dicas pſalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis affectus quæritur.] Et Regula SS. Serapionis Macharii, Paphnutii & alterius Macharii : [Adſtantibus ad orationem, nullus præſumat ſine præcepto qui præeſt Patris, pſalmi laudem emittere.] Hinc & Sanctus Aurelianus in Regula ad monachos conſtituit, [ut in ordine pſallendi vicibus ſibi ſuccedant monachi.] At de hoc cantandi genere nullus Caſſiano dilucidiùs ſcripſit. Is in libro 2. de nocturnis orationibus capite 11. monachorum pſallendi rationem enarrans, [prædictum, inquit, duodenarium numerum ita dividunt ; Si duo fuerint fratres, ſenos pſallant ; ſi tres, quaternos, ſi quatuor, ternos : quo numero nunquam minùs in congregatione decantant : ac proindè quantalibet multitudo convenerit, numquam ampliùs pſallant in Synaxi quàm quatuor fratres.] Et cap. 12. [Hunc ſanè canonicum quem prædiximus duodenarium pſalmorum numerum tali corporis quiete relevant, ut ſuas eaſdem congregationum ſolemnitates ex more celebrantes, abſque eo qui dicturus in medium pſalmos ſurrexerit, cuncti ſedilibus humillimis inſidentes, ad vocem pſallentis omni cordis intentione dependeant.] Et hæc de cantandi modo

Cantus tractus.

BIBLIOTECA ROMANA

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis.*

XI. De cantu verò qui ab antiquis uſurpatus fuerit, ſimplexne ac melodicus, meritò hic diſquirere poſſemus, niſi argumentum iſtud longè accuratiùs pertractaſſet olim claræ memoriæ Cardinalis Bona in tractatu de divina Pſalmodia cap. 17. Utrumque olim uti hodie etiam uſitatum fuiſſe mihi non dubium eſt. Uterque ſuas utilitates habuit habetque etiam nunc. Melodicus excitandis piis affectibus aptior, ſimplex humilitatem magis redolet: unde non poſſum, non laudare iſtud Carthuſianorum decretum antiquorum Statutorum part. 1. cap. 39. [Quia boni monachi officium eſt plangere potius quàm cantare; ſic cantemus voce, ut planctus non cantus delectatio ſit in corde: quod gratia prævenicnte poterit fieri, ſi ea quæ cantando delectationem afferunt amputentur, ut eſt fractio, & inundatio vocis, & geminatio puncti & ſimilia, quæ potiùs ad curioſitatem attinent, quàm ad ſimplicem cantum.] Scribit etiam Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis lib. 2. cap. 97. Ambroſianum cantum in iſta Caſinenſi Eccleſia cantari penitus interdictum fuiſſe. Sed quicumque tandem adhibeatur, optarem ſanè ut ab omnibus ea cantando ſervaretur regula, quam ſequendam proponit S. Nicetius in libro de Pſalmodiæ bono cap. 3. Spicilegii tom. 3. [Sonus etiam vel melodia conſentiens ſanctæ religioni pſallatur, non quæ tragicas difficultates exclamet, ſed quæ in vobis veram chriſtianitatem demonſtret; non quæ aliquid theatrale redoleat, ſed compunctionem peccatorum faciat. Sed & vox omnium veſtrûm non diſſona debet eſſe, ſed conſona. Non unus inſipienter protrahat & alter contrahat; aut unus humiliet, alter vocem extollat; ſed innitatur humiliter unuſquiſque vocem ſuam intra ſonum chori concinnentis includere, non extrinſecus extollentes aut protrahentes quaſi ad ſtultam oſtentationem indecenter efferre, neque hominibus placere velle. Totum enim tanquam in conſpectu Dei, non hominibus placendi ſtudio celebrare debemus.] Deinde poſtquam propoſuit trium puerorum exemplum, qui in fornace ignis *uno ore* Deo benedicebant, addit: [Et nos utique omnes quaſi ex uno ore eumdem pſalmorum ſonum, eamdemque vocis modulationem æqualiter proferamus. Qui autem æquare ſe non poteſt cæteris, meliùs eſt ei tacere, aut lenta voce pſallere, quàm clamoſa voce omnibus perſtrepere. Sic enim & miniſterii implebit officium, & humiliter pſallenti fraternitati non facit offendiculum. Si ergo & noſtra omnium vox fuerit inoffenſa, vel conſona labiorum cymbalis bene ſonantibus, & nos delectabit, & audientes ædificabit, & Deo noſtro ſuavis erit tota laudatio.]

Cantus ſimplex aut melodicus.

In cantu quæ obſervanda.

XII. Qualis autem fuerit pſallentium ſitus corporis exterior paucis perſtringere oportet, quandoquidem nonnulla jam ea de re diximus tum in Commentario noſtro ſuper regulam S. Patris Benedicti cap. 9. tum in lib. 1. de antiquis monachorum ritibus cap. 2. iſtudque argumentum à non paucis ſcriptoribus jam agitatum eſt, quos inter merito conſuli poteſt Antonius Caracciolus in Synopſi veterum religioſorum rituum, ſeu in notis ad conſtitutiones Clericorum regularium ſecundæ

Pſallentium quis corporis ſitus.

Digitized by Google

editionis cap. 1. n. 10. ubi quàm plurimis veterum ſcriptorum teſtimoniis probat Clericos inter pſallendum ſtare debere. Verùm non ſolos olim Clericos, ſed ipſos etiam laïcos in Eccleſia pſalmodiæ tempore ſtetiſſe certiſſimum eſt, neque enim minùs illos tangit illud Chriſti Marci II. *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem.* Et certè ut optimè arguit Tertullianus in libro de oratione cap. 12. [Si quidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu contraque conſpectum ejus quem cùm maximè reverearis ac venereris: quantò magis ſub conſpectu Dei vivi, angelo adhuc orationis adſtante, factum iſtud irreligioſiſſimum eſt? niſi exprobramus Deo quòd nos oratio fatigaverit.] Eadem eſt mens Optati Milevitani libro 4. in quem Balduini notas eruditas non ſine fructu leges. Illius auctoritate perſuaſus clariſſimus vir Henricus Valeſius in notis ad Euſebii librum 10. hiſt. cap. 5. ita infert: [Laïci ſedendi in Eccleſia poteſtatem non habebant, ut docet Optatus libro 4.] &c. Et certè S. Athanaſius ſeu quivis autor antiquus libri de Virginitate ſacras inſtituens puellas, non Clericos, [Media, inquit, nocte ſurgito, & pſalmos dicito, quantum potes *ſtans.*] S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Sermone 42. in appendice Operum S. Auguſtini plebem alloquens: [In Eccleſia *ſtantes* aut orate aut pſallite.] Verùm omnem dubitandi ambagem tollunt ea quæ idem enarrat in ſermone 300. [Ante aliquot dies propter eos qui aut pedes dolent aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate ſollicitus conſilium dedi, & quodammodo ſupplicavi, ut quando aut paſſiones prolixæ, aut certæ aliquæ lectiones longiores leguntur, qui ſtare non poſſunt, humiliter & cum ſilentio ſedentes attentis auribus audiant quæ leguntur. Nunc verò aliquæ de filiabus noſtris putant quòd hoc aut omnes, aut certè plures, quæ ſanæ ſunt corpore frequenter debent facere. Nam ubi verbum Dei cœperit recitari, quaſi in lectulis ſuis ita jacere volunt.] Ex hoc Cæſarii loco tria colligere licet, 1. Ante ejus tempora ipſos etiam laïcos non ſolùm tempore pſalmodiæ, ſed tum maximè cùm lectiones legerentur ſtetiſſe in Eccleſia. 2. Ipſum infirmioribus dumtaxat paterna pietate indulſiſſe cùm prolixiores erant lectiones ut ſederent, id quod pro brevioribus lectionibus conceſſiſſe proindè non putamus. 3. Cæſarium ægrè tuliſſe ſanas corpore hac indulgentia uſas fuiſſe quid igitur ſi pſallendo ſediſſent, dixiſſet? Non igitur mirum ſi S. Auguſtinus ſe ad opus divinum ſtetiſſe perhibeat ſermone 3. in pſalm 36. num. 2. [Certè ne verum eſt quod cantavi? Certè ne verum eſt quod in Eccleſia *ſtans* tam devotè voce perſonui, ***Nunquam vidi juſtum derelictum.***] Non mirùm ſi S. Martinum in Eccleſia. [Nemo umquam ſedere conſpexit,] ut legitur in ejus vitæ libro 2. id quod etiam de S. Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo Ennodius tradit: [Is junctis pedibus uſque ad conſummationem myſtici operis ſtare ſe debere conſtituit: ita ut humore veſtigiorum locum ſuum depingeret, & longè aſpicientibus indicaret.] Non mirùm ſi Petrus Damiani adverſus ſedentes tempore divini officii clericos & laïcos zelum ſimul & ſtilum

CAPUT III. *De precibus in divinis officiis &c.*

tantopere exacuerit, ut integrum in hujuſmodi abuſum ſcripſerit Opuſculum 39. quod V. Biſuntino Archiepiſcopo, cujus in Eccleſia illum deprehenderat, nuncupavit; ubi poſtquam ordinem & diſciplinam ejuſdem Eccleſiæ commendavit, ipſumque adeò Archiepiſcopum quòd vita adhuc ſuperſtite proprium ſibi parari curaſſet ſepulchrum; ſic tandem de præſenti negotio illum alloquitur. [Unum præterea corporis ac deſidiæ ſignum in Eccleſia tua vidi, quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non ſuperfluum duco. Plerique ſiquidem ibi Clericorum reſident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipſa Miſſarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cujus torporis ignaviam per Galliarum partes nonnullis ineſſe etiam monachis deprehendi: quod profectò pravæ conſuetudinis vitium & correctione dignum, & de ſtadio militantis Eccleſiæ in his, qui incolumes ſunt, conſtat penitùs eradendum.] Deindè poſtquam variis ſcripturæ teſtimoniis & nervoſis rationibus comprobavit Clericos divinis laudibus celebrandis occupatos ſtare debere: Sic adverſus laicos ipſos etiam inſurgit: [Nunc autem ſufficit mihi ſanctitati veſtræ ſuggerere, ut hoc ignobilis negligentiæ vitium in ſua priùs Eccleſia corrigat, deindè per ceterarum pſalmites tamquam falcem ſaluti feræ correptionis extendat. Diſtrictè quippè prohibendum eſt, non modo clericis, ſed & laïcis utriuſque ſexus, ut niſi, ſicut mos eſt, inter nocturni lectiones officii, alias dum divinis hymnis inſiſtitur, nemo ſedeat, niſi corporis eum valetudo compellat. Pleroſque nempe vidimus non modo ſacri, ſed & ſæcularis ordinis viros, qui ſic inter quælibet Eccleſiaſticæ Synaxis officia ſtatus ſui viribus ſunt contenti, ut nec podio, nec adjacenti prorſus ulli materiæ dignentur inniti. Qui nimirùm quò laborioſiùs in conſpectu ſupernæ majeſtatis ſe conſpicientis aſſiſtunt, & ſuaviorem dulcedinem intimæ quietis acquirunt; quantòque difficiliùs ſui corporis gravedinem tolerant, tantò copioſius eos ad Deum meritum levat.] Ac tandem poſt multa ſic concludit: [Tu autem, dilectiſſime, qui in occiduis partibus inter ſacerdotes inſignis es, ac celebris famæ, ubique in quantum potes, & hoc ignominioſæ ſeſſionis opprobrium deſtrues & cetera, quæ villicatui ſacerdotalis officii competunt, non ſigniter implere contende.] Ex tota hac prolixa Petri Damiani oratione, ætatis illius diſciplinam de ſitu corporis canentium in Eccleſia colligere licet. Et primò quidem in Italia Clericos omnes & laïcos in divinis officiis ſtetiſſe, alioquin ſedendi conſuetudinem tamquam Gallis propriam non redarguiſſet. Secundò eamdem diſciplinam etiam in Galliarum pleriſque Eccleſiis viguiſſe, alias enim id annotaſſe non prætermiſiſſet piiſſimus Cardinalis. Tertiò nonnullis etiam monachis pravam ſedendi conſuetudinem irrepſiſſe, quam ille in omnibus emendari deſideravit.

XIII. [Non negamus tamen Clericos aliquando formulis accubuiſſe, maximè cùm id conſtet ex Gregorii Turonenſis libro 8. hiſtoriæ Francorum cap. 31. ubi de Prætentato Rotomagenſi Epiſcopo, [Adveniente, inquit,

inquit, Dominica reſurrectionis die, cùm ſacerdos ad implenda Eccleſiaſtica officia ad Eccleſiam maturiùs properaſſet, antiphonas juxta conſuetudinem incipere per ordinem cœpit. Cùmque inter pſallendum formulæ decumberet.] &c. Aliquando cambucis ſeu baculis recurvis innitebantur, ut diſcimus ex ms. vita S. Victurii Cenomanenſis Epiſcopi, cui [S. Martinus dedit baculum ſeu ſuſtentaculum ſuper quod ſolent ſacerdotes fuſis orationibus ſuſtentari.] Sed hujuſmodi baculos canonicis concedere noluit Chrodegangus Mettenſis in regula quam pro ipſis conſcripſit cap. 26. [Nec cum baculis, inquit, aut cambucis, aut fuſtibus in choro, exceptis debilibus, ſed religiosè illis ſtandum & pſallendum eſt.] Sed & monachi Fuldenſes in libello ſupplici ad Carolum magnum de Ratgarii Abbatis duritia conqueruntur, quod infirmis, [nec baculum pro ſuſtentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium quod nos formulam dicimus, morando inhærere.]

XIV. Magnam cum pſalmis affinitatem habent divina cantica ex ſacris ſcripturis deprompta, quibus perindè ac pſalmis ab initio in divinis celebrandis officiis uſa eſt Eccleſia. Et ſanè S. Benedictus in regulæ capite 13. ſingulis diebus ad matutinas laudes unum ex Prophetis canticum pſalli imperavit *ſicut pſallit Eccleſia Romana* ſeptem hactenus cantica ex veteri Teſtamento retinet Eccleſia, tria ex novo; ſcilicet Zachariæ, quod in laudibus; Mariæ, quod in veſperis; & Simeonis, quod in completorio cantat. Sed S. Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus canticum Mariæ decantari in laudibus juſſit in ordine pſalmodiæ, quem ſuæ regulæ ſubjunxit.

CAPUT IV.

De Hymnis & Antiphonis.

I. PSalmis & canticis proximè accenſendi ſunt hymni, de quibus maximè placet Concilii Toletani IV. canon 13. [De hymnis etiam canendis & Salvatoris & Apoſtolorum habemus exemplum: nam & ipſe Dominus hymnum dixiſſe perhibetur, Mattheo Evangeliſta teſtante: *Et hymno dicto exierunt in montem oliveti.* Et Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcripſit, dicens: *Implemini ſpiritu, loquentes vos in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Et quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi quos beatiſſimi Doctores Hilarius atque Ambroſius ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo quòd de ſcripturis Sanctorum canonum vel Apoſtolica traditione non exiſtunt; reſpuant ergo & illum hymnum ab hominibus compoſitum, quem quotidiè publico privatoque officio in fine omnium pſalmorum dicimus: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.* Nam & ille hymnus, quem nato in carne

CAPUT IV. *De hymnis, &c.*

De hymnis Concilii Toletani decretum.

Chriſto angeli cecinerunt : *Gloria in excelſis Deo , & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* ; reliqua quæ ibi ſequuntur , Eccleſiaſtici doctores compoſuerunt. Ergo nec idem in Eccleſiis canendus eſt , quia in ſcripturarum ſanctarum libris non invenitur. Componuntur ergo hymni , ſicut componuntur & miſſæ ſive preces , vel orationes , ſive commendationes , ſeu manus impoſitiones : ex quibus ſi nulla dicantur , in Eccleſia vacant omnia officia Eccleſiaſtica. Admonet hæc fieri , atque hortatur Timotheum Apoſtolus dicens : *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes , poſtulationes , gratiarum actiones , pro omnibus hominibus , pro regibus , & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt.* Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compoſitos , nullus veſtrûm ulterius improbet , ſed pari modo Gallia. Hiſpaniaque celebret : excommunicatione plectendi , qui hymnos rejicere fuerint auſi.] Prolixo hocce canone totaque hac argumentandi ratione Patres Concilii Bracarenſis II. redargui videntur , qui hunc canonem XII. anno 563. ediderunt. [Item placuit , ut extra pſalmos , vel canonicarum ſcripturarum novi & veteris teſtamenti , nihil poëticè compoſitum in Eccleſia pſallatur , ſicut & ſancti præcipiunt canones.] Verùm hunc canonem magnopere laudat Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus in tractatu de divina Pſalmodia : [Sed & reverenda Concilia Patrum , inquit , decernunt nequaquam plebeios pſalmos in Eccleſia decantandos , & nihil poëticè compoſitum in divinis laudibus uſurpandum] Sed & Eccleſia Lugdunenſis nullos hactenus ad opus Dei decantat hymnos , præterquàm ad completorium. Idem uſus viget in Viennenſi , quæ nullos pariter canit hymnos niſi ad completorium , varios pro variis feſtis. In Leodienſi verò S. Martini Eccleſia proprii ſingulis diebus feſtis ad horas canonicas recitantur , præterquam ad nocturnas vigilias in quibus hymnus non dicitur. Ante Concilium Toletanum Turonenſe II. anno 567. hunc canonem XXIII. jam ediderat : [Licet hymnos Ambroſianos habeamus in canone ; tamen quia reliquorum ſunt aliqui qui digni ſunt forma cantari , volumus libenter amplecti eos præterea , quorum auctorum nomina fuerint in limine prænotata : quoniam quæ fide conſtiterint , dicendi ratione non obſtant] Ante utrumque etiam Concilium in Agathenſi ann. 506. canone 30. ſtatutum fuerat , ut [hymni matutini vel veſpertini diebus omnibus decantentur] Tempore S. Ambroſii [primum antiphonæ , hymni ac vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt] teſtante Paulino in ejus vita num. 13. non ſolùm in Mediolanenſi , ſed in cuncta latina Eccleſia , ſi S. Proſpero Aquitanico fides ſit , in cujus Chronico ſub Theodoſio leguntur [hymni Ambroſii compoſiti , qui numquam ante in Eccleſiis latinis modulis canebantur.] Verùm longè ante hæc tempora frequentari cœperunt à chriſtianis hymni in oriente , ut conſtat tum ex Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 5. cap. 28. & lib. 7. cap. 24. tum ex Nicephoro lib. 9. hiſt. c. 16.

CAPUT IV. De hymnis, &c.

Quid ſit antiphona &

II. Præter pſalmos , cantica , atque hymnos inter Eccleſiaſticas preces connumerari meritò debent antiphonæ , quarum uſum in Mediolanenſi

Eccleſia invexiſſe S. Ambroſium mox citatus Paulinus referebat; cùm jam aliquot ante annis in oriente auctores habuiſſent Flavium & Theodorum monachos. Antiphona autem propriè eſt vox reciproca: quo nomine intelligimus breves illas ſententias, quas modulando pſalmis aut canticis præponimus ac ſubjicimus. His olim ſemper adjiciebantur aliqui verſiculi, qui uſus viget etiam num ad Miſſam in antiphonis quæ dicuntur ad introitum, quibus ſemper unum aut alterum verſum ſubjicimus, vixque differebant à reſponſoriis niſi forſan in cantandi ritu, hinc Rabanus in libro 1. de inſtitutione Clericorum cap. 33. [Inter reſponſoria, inquit, & antiphonas hoc differt, quòd in reſponſoriis unus dicit verſum, in antiphonis alternant verſibus chori.] Et eruditus vir Joſephus Thomaſius in præfatione ad Romanum Antiphonarium: [Antiphona itaque eſt verſus aliquis ſive ſententia intercalaris, quæ nunc una cum pſalmi canticive verſibus, ſive aliquot, ſive omninò omnibus decantatur intercalari concentu, eodem prorsùs ordine quo Eccleſiaſtica reſponſoria cantantur. Cùm ea ratione à reſponſorio antiphona differat, quòd in reſponſoriis chorus uni cantori reſpondeat, in antiphonis verò unus chorus alteri choro ſuccinat, & in reſponſorio quidem unus cantor verſus intercinat, intercalante ſemper choro reſponſorium; in antiphonis verò chorus alter concinat verſum, altero choro antiphonam reciprocante.]

Quomodo differat à reſponſorio.

CAPUT IV. De hymnis &c.

III. Circa antiphonarum uſum tria præſertim inter alia obſervat idem Thomaſius 1. olim integras ante pſalmos aut cantica ſemper decantatas fuiſſe. 2. Aliquando bis ante pſalmos aut ſuos verſus repetitas fuiſſe. 3. Nonnunquam ad omnes pſalmorum verſiculos.

IV. Circa primum ita mentem ſuam explicat: [Exploratum ſanè apud omnes eſt antiquitus antiphonas integras fuiſſe decantatas ante pſalmos vel cantica, tum feſtis diebus vel quotidianis, & in officiis majoribus vigiliarum, matutini & veſperæ, & in minoribus horæ primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ & completorii: in quibus tamen horis minoribus ſoli tantùm monachi olim admittebant antiphonas. Id aſtruere videtur Amalarius libro 4. cap. 7. inquiens: Antiphona dicitur vox reciproca. Antiphona inchoatur ab uno unius chori; & ad ejus ſymphoniam pſalmus cantatur per duos choros. Ipſa enim, id eſt antiphona conjunguntur ſimul duo chori. Quibus in verbis ſatis indicatur integram concinendam eſt antiphonam ante pſalmum. Symphonia enim eſt plurium concentus] &c.

Antiphonæ olim integræ ante pſalmos recitabantur.

V. De ſecundo ita proſequitur vir eruditus: [Porrò antiphonam ad initium pſalmi vel cantici, ſive ante ſuos verſus. ſi cum pſalmo vel cantico dicebatur, non ſemel tantùm, verùm & bis olim conſueviſſe cantari mihi planè perſuadeo: aut certè in ea decantanda ante pſalmum vel verſus ab uno choro priorem mediam antiphonæ partem cani poſtremamque ejuſdem antiphonæ partem ab altero choro perfici conſueviſſe arbitror omninò.] Id quod probat non multis auctoritatibus quibus antiphonæ reſponderi jubentur. Nam [reſponderi antiphonam

Etiam bis.

eſt illam partim ab aliquibus cani, partimque ab aliis.]

CAPUT IV. *De hymnis &c.* Ad ſingulos pſalmorum verſiculos.

VI. Denique de tertio [cæterùm, inquit, cùm olim antiphona cum pſalmo dicebatur vel cantico, ad ſingulos verſiculos eamdem fuiſſe repetitam nullus planè negabit, Amalario clariſſimis id verbis atteſtante: libro de ordine Antiphonarii cap. 3. ubi loquitur de nocturnis feriarum: Ex ſenis antiphonis quas viciſſim chori per ſingulos verſus repetunt.] &c. Hujus rei praxis vigebat apud Turonenſes S. Martini canonicos, qui teſte Joanne monacho in vita S. Odonis lib. 1. n. 10. in feſtivitate ipſius S. Martini nocturnum [volentes officium ad lucem uſque protendere, unamquamque antiphonam per ſingulos pſalmorum verſus repetendo canebant.] Aliud ejuſdem conſuetudinis exemplum ſuppeditat nobis Theodoretus libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 10. ubi memorantur chriſtiani in Juliani impietatis deteſtationem [Davidicos hymnos canentes, & ſingulis verſibus hanc clauſulam addentes: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia.*] An verò huc referri poſſit quòd Guillelmus Epiſcopus in hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodonenſium cap. 59. ad pſalmos antiphonas addidiſſe dicitur? Reſtat etiam nunc antiqui moris aliquod veſtigium in nocturnis vigiliis, in quibus pſalmus nonageſimus quartus, *venite exultemus Domino*, cum antiphona ex toto aut ex parte ad ſingulos verſiculos repetenda canitur. Qui antiquos noſtros ritus monaſticos percurrerit, is facile deprehendet non rarò in præcipuarum feſtivitatum matutinis laudibus & veſperis antiphonas ter repetitas fuiſſe, in fine cantici *Benedictus*, in laudibus, & cantici *Magnificat* in veſperis; ſemel ante *gloria Patri*, ſecundò ante *ſicut erat*, tertio integro verſiculo abſoluto. Qui ritus in Turonenſi olim Eccleſia ex vulgari uſu obtinuit: Idque vocabant antiphonas *triumphare* id eſt ter fari. Obſervat præfatus Thomaſius in ms. Antiphonario Miſſæ ad uſum cantorum Sæculo XI. miſſo ſervatoque in Bibliotheca angelica apud S. Auguſtinum in Urbe Sabbato Sancto ad ſingulos verſus cantici *Magnificat* ſingulas interſeri antiphonas hoc modo:

Antiphona.	Veſpere autem Sabbati &c.	*Pſal.* Magnificat &c.
Antiphona.	Et ecce terræ motus &c.	*Pſal.* Et exultavit Spiritus &c.
Antiphona.	Angelus autem Dñi &c.	℣. Quia reſpexit humilitatē &c.
Antiphona.	Erat enim aſpectus ejus &c.	℣. Quia fecit mihi magna &c.
Antiphona.	Præ timore autem &c.	℣. Et miſericordia ejus &c.
Antiphona.	Reſpondens autem Angelus &c.	℣. Fecit potentiam &c.
Antiphona.	Venite & videte &c.	℣. Depoſuit potentes &c.
Antiphona.	Cito euntes &c.	℣. Eſurientes implevit &c.
Antiphona.	In Galilæa &c.	℣. Suſcepit Iſraël &c.
Antiphona.	Nolite expaveſcere &c.	℣. Sicut locutus eſt &c.
Antiphona.	Et valdè mane &c.	℣. Gloria Patri. &c.
Antiphona.	Et dicebant &c.	℣. Sicut erat &c.

VII. Aliquando etiam plures uno tenore dicebantur antiphonæ priuſquam pſalmi inciperentur, ut conſtat ex Caſſiani lib. 3. cap. 8. [Cùm ſtantes antiphonas tres concinuerunt, inſidentes tres pſalmos uno modulante reſpondent.] Aliquando etiam plures decantatis pſalmis ſubjiciebantur, ita S. Aurelianus in ordine Pſalmodiæ [Perdictis pſalmis, Kyrie eleiſon, & antiphonas ſex, lectiones tres] &c. Antiphonæ plures pſalmis præmiſſæ & ſubjectæ.

VIII. De inceptione antiphonarum audiendus eſt iterum Thomaſius: [Itaque advertimus antiphonarum inchoationem, ſive ut antiqui loquebantur impoſitionem ad Clericos cantores ſemper pertinere, illos ſcilicet qui majores ſunt in ſchola cantorum, qui ſeptem olim erant in Eccleſia Romana non presbyteri, non diaconi; ſed tantùm ſubdiaconi, qui juſtum puerorum paraphoniſtarum numerum ſibi ad cantus adjumentum adſciſcebant. Ii cantores ordine ſuo inchoabant antiphonam, ut primam primicerius, ſecundam ſecundicerius, & ſic reliqui reliquas imponerent, ad nutum tamen archidiaconi, exceptis aliquibus antiphonis ad Evangelium in paſchate, quarum impoſitio diaconis tribuebatur. Ceterùm nuſquam invenitur in antiquioribus ritibus, ut Pontifex vel presbyter in divinis officiis antiphonam incipiat: Id enim vel maximè ſolemnioribus diebus præſtitiſſent, cùm iiſdem tamen diebus in priſcis codicibus id conſtanter occurrat, ut cantor vel primicerius antiphonam incipiat: generatim namque Eccleſiaſticæ officium cantilenæ ad ſubdiaconos inferiorumque graduum Clericos olim pertinebat, ut S. Gregorius decrevit, referturque capite in ſancta Romana diſt. 92. Loquimur de Eccleſia Romana, quid apud alias in uſu fuerit non magnoperè ſolliciti.] Antiphonarum impoſitio.

IX. Cæterum hodiè, exceptis iis quæ ad Miſſarum introitum dicuntur, omnes antiphonæ, ſine ſubjectis verſiculis decantantur. Vidi tamen in Turonenſi S Martini Baſilica ad commemorationes quaſdam antiphonas cum verſu *gloria Patri* &c. concini, id quod alias frequenter occurrebat.

CAPUT V.

De lectionibus & reſponſoriis.

I. AD levandum tædium & laborem qui ex pſalmorum decantatione procreari poſſet, non ſine ſalubri inſtitutione proviſum eſt, ut in divinis perſolvendis laudibus ex Prophetis & Apoſtolorum epiſtolis recitarentur, quas ab ipſo Chriſtianæ religionis ortu in publicis conventibus Eccleſia legi voluit, ut conſtat tum ex fine epiſtolæ Pauli ad Coloſſenſes, tum ex Juſtini martyris Apologia 2. pro chriſtianis; unde mirari ſubit quod ſcribit Theodemarus Abbas Caſinenſis in epiſtola ad Carolum magnum, quia [necdum eo tempore (S. Benedicti) in Romana Eccleſia, ſicut nunc leguntur, ſacras ſcripturas legi mos

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.* Lectiones ex ſcripturis.

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

fuerit : Sed poſt aliquot tempora hoc inſtitutum , ſive à B. papa Gregorio , ſive , ut ab aliis affirmatur ab Honorio.] Maximè cùm in Concilio Laodicenſi jamdiu ſtatutum fuiſſet can. LIX. in Eccleſiis non legi [libros niſi canonicos , ſed ſolos canonicos veteris ac novi Teſtamenti.] Huic decreto quod renovavit Martinus Bracarenſis Epiſcopus cap. 67. in primis paruerunt Ægyptii monachi , qui teſte Caſſiano in lib. 2. c. 4. [tam in veſpertinis quàm in nocturnis ſolemnitatibus] lectiones duas ex veteri ac novo Teſtamento duodecim pſalmis ſubjiciebant. His etiam maximè inhærendum eſſe docuiſſe videtur S. Auguſtinus epiſtola 64. novæ editionis n. 3. ſcribens in hunc modum : [Vos ipſi priùs nolite in ſcandalum mittere Eccleſiam legendo in populis ſcripturas quas canon Eccleſiaſticus non recipit. His enim hæretici & maximè Manichæi ſolent imperitas mentes evertere.] Et Concilium Cloveshovienſe II. can. XV. [Nihil , inquit , quod communis uſus non admittit præſumant cantare aut legere ; ſed tantùm quod ex ſacrarum Scripturarum autoritate deſcendit , & quod Romanæ Eccleſiæ uſus permiſit , cantent aut legant.]

Et ex probatis ſcriptoribus.

II. Hic canon Concilii Cloveshovienſis oſtendit , etſi præcipuè ex divinis ſcripturis deſumi debeant lectiones in Eccleſia dicendæ , ex aliis tamen libris quos *Eccleſiæ Romanæ uſus* permittit poſſe depromi , quales ſunt ii , quos Gelaſius Papa I. in decreto de libris publicè legendis recenſuit. Et ſanè S Benedictus in regulæ capite 9. præter veteris ac novi Teſtamenti ſcripturas , expoſitiones earum quæ *ab orthodoxis & nominatiſſimis doctoribus* editæ fuerunt legi præſcribit : & ut antiquiora etiam proferamus , auctor eſt S. Hieronymus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis S. Polycarpi epiſtolam in Eccleſiaſticis Aſiæ conventibus lectam eſſe. Epiſtolam quoque Severi Epiſcopi poſt canonicas lectiones recitatam fuiſſe diſcimus ex libro 2. de Miraculis S. Stephani cap. 2. lectos inſuper fuiſſe SS. Patrum tractatus conſtat ex S. Gregorii Papæ Epiſtola 22. libri 10. ad Joannem ſubdiaconum , in qua non probat quod Marinianus Ravennatis urbis antiſtites. [Commenta Beati Job publicè ad vigilias legi præcepiſſet : Sed dic ei , inquit , ut commenta pſalmorum legi ad vigilias faciat , quæ mentes ſæcularium ad bonos mores præcipuè informant. Neque enim volo dum in hac carne ſum , ſi qua me dixiſſe contigit , ea facilè hominibus innoteſcere.] Ubi obſerva S. Gregorii opera , ipſo adhuc vivente , in publicis officiis perlecta fuiſſe. Singulare prorsùs videtur id quod de S. Stephano juniore legimus in ejus vita , qui adhuc puer nocturnis vigiliis exiſtens [tempore lectionis , quo ſedere mos eſt , ipſe ſtans ante ſacros cancellos lectoremque attendens , ex ſola auditione quod legebatur diſcebat , ac in ore verſabatur , ſive martyrium , ſive vitam , ſive alicujus pii Patris ſermonem , præſertim melliflui Patris Chryſoſtomi.]

Ex paſſionibus martyrum & vitis confeſſorum.

III. Ex hoc loco diſcimus præter canonicas ſcripturas veteris ac novi Teſtamenti , præter expoſitiones earum quæ à nominatiſſimis & orthodoxis Doctoribus ſcriptæ fuerant , præter epiſtolas & tractatus SS. Pa-

Digitized by Google

rum, lectas inſuper fuiſſe SS. Martyrum paſſiones imò & Confeſſorum vitas. Extat ea de re canon XLVII. Concilii IV. Carthaginenſis, quo permittuntur [Legi paſſiones martyrum cum anniverſarii dies eorum leguntur.] Cujus canonis praxim videre eſt apud S. Auguſtinum ſermone 315. qui eſt de S. Stephano, ubi hæc habet: [Cùm aliorum martyrum vix geſta inveniamus, quæ in ſolemnitatibus eorum recitare poſſimus, hujus paſſio in canonico libro eſt.] Et. ſermone 273. [Audiſtis perſequentium interrogationes, audiſtis confitentium reſponſiones cùm ſanctorum paſſio legeretur.] Neque verò hic mos peculiaris extitit Africanæ Eccleſiæ, nam & in Gallicana pervulgaris omninò fuit. Probant id ſanè antiquæ regulæ monaſticæ, S. Cæſarii ad virgines cap. 12. S. Aureliani in ordine pſallendi, & S. Ferreoli cap. 18. Vetus lectionarium Luxorienſe ante annos mille calamo exaratum, in quo lectiones ex actis SS. Martyrum Julianæ & Baſilicæ continentur. Sed ut Avitus Viennenſis Epiſcopus in quodam homiliæ fragmento teſtatur paſſionem SS. Agaunenſium martyrum *ex conſuetudinis debito* lectam fuiſſe: Et S. Cæſarius in ſermone 300. appendicis Auguſtianæ cauſatur de quibuſdam quæ in Eccleſia etiam corpore ſano & vegeto ſederent cùm *paſſiones prolixa* legerentur. Quibus adde Gregorium Turonenſem lib. 1. de gloria martyrum cap. 86. ubi paſſionem S. Policarpi lectam fuiſſe aſſerit.

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

IV. Paulò ſe difficiliorem in legendis ſanctorum, etiam martyrum, actis præbuit Eccleſia Romana, prohibente præſertim Gelaſii papæ I. decreto, in quo prohibitionis cauſa his verbis declaratur: [Sed ideò ſecundùm antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana Eccleſia non leguntur; quia & eorum qui conſcripſere, nomina penitùs ignorantur, & ab infidelibus ſeu idiotis ſuperflua, aut minùs apta, quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur.] Ex hoc loco colliges ante Gelaſii ætatem necdum lecta fuiſſe publicè in Eccleſia Romana ſanctorum Acta, ſiquidem ejus decretum ſecundùm antiquam conſuetudinem conditum eſt: Sed neque diu poſteà: unde & Hadrianus Papa I. reſpondens ad objecta à Gallis adverſus ſeptimam Synodum in Epiſtola ad Carolum magnum, hæc ſcribit: [Vitæ enim Patrum ſine probabilibus auctoribus minimè in Eccleſia leguntur. Nam ab orthodoxis titulatæ & ſuſcipiuntur, & leguntur. Magis enim paſſionem Sanctorum Martyrum ſacri canones cenſuerunt, ut liceat eas etiam in Eccleſia legi cùm anniverſarii dies eorum celebrantur.] Hic obſervare juvat verba Ordinis Romani bibliothecæ Vallicellanæ & S. Gallenſis? [Paſſiones ſanctorum vel geſta ipſorum uſque ad Adriani tempora tantummodò ibi legebantur, ubi Eccleſia ipſius ſancti vel titulus erat. Ipſe verò à tempore ſuo renuere, (id eſt mutare) juſſit, & in Eccleſia S. Petri legendas eſſe conſtituit.] Gelaſii decreto paruiſſe videntur monachi Ciſtercienſes Campanienſis monaſterii in diœceſi Cenomanenſi, in quorum permultis lectionariis ab annis circiter 500. manu exaratis præter ſcripturæ ſacræ libros aut ſanctorum Patrum homilias, nullæ aliæ extant lectiones.

Quas tamen tardiùs recepit Eccleſia Romana.

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

ex ſanctorum actis aut paſſionibus martyrum. Sed neque in Breviario Carthuſianorum juſſu Franciſci Puteani majoris Carthuſiæ Prioris edito, in quo nequidem S. Brunonis acta leguntur. Ab eorum prorsùs mente longè aberat auctor Paſſionis SS. Martyrum Cantianorum, cujus hic verba referre haudquaquam erit forſitan abs re. [Oſtenditis vos eſſe catholicos, qui victorias Chriſti libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos qui iſta inter apocriphas litteras exvolvenda cenſetis; per quos conſtat canon ſcripturarum omnium divinarum? Numquid per eos qui pro ipſo canone occidi magis optaverunt quàm vinci? Quid ergo tenuerunt martyres? Fidem rectam, quæ ſacris voluminibus certo librorum numero continetur. Agunt illis gratias apices ſacratiſſimi qui per eorum perſeverantiam perſeverant. Et ideò volunt eorum geſta conſcribi, ut in conſpectu Dei & hominum ſemper laudentur ſancti, qui in conſpectu incredulorum pro eorum defenſione tormenta inania pertulerunt. Nihil præter ſcripturas canonicas recipientes, iſta ſtudiosè conſcripſimus, oſtendentes dogma catholicum per catholicos martyres cuſtoditum. Exemplum poſteris damus, edificationem credentibus tradimus; artem belli Chriſti militibus demonſtramus. Conſtat eos nolle pugnare, ſi neceſſe ſit, qui nolunt legere pugnatores. Imperent ſilentium infidelibus, ſpectent pugiles diabolicos, qui Athletas Domini ſpectare contemnunt. Nos divinas virtutes loquimur, ſcribimus, prædicamus. Prohibeant æmuli, imperent ſilentium timidi, verberent contemnentes; legentes increpent, libenter hæc audientes: Glorioſos facient milites vulnera pro imperatoris laude ſuſcepta, pro cujus amore etiam animas ponere libenter optamus.] &c. Verum non poſſumus, non laudare. Hac in re Eccleſiæ Romanæ prudentiam quæ non ſine cauſa præcavit ne Acta ſanctorum ab ignotis auctoribus ſcripta publicè legerentur; cui concinit Concilium in Trullo edito hoc canone LXIII. [Quæ à veritatis hoſtibus falsò confictæ ſunt martyrum hiſtoriæ, ut Dei martyres ignominia afficerent; & qui eas audituri eſſent ad infidelitatem deducerent; in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tamquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.] Sed undecumque tandem ſumantur lectiones in Eccleſiaſticis conventibus recitandæ; illud ante omnia velim obſervari quod ſcribit S. Bernardus epiſtola 312. ad monachos Arremarenſes in hæc verba: [Non novella audiri decet aut levia, ſed certè authentica & antiqua, quæ & Eccleſiam ædificent, & Eccleſiaſticam, redoleant gravitatem. Quod ſi nova audire libet, & cauſa requirit; ea ut dixi recipienda cenſuerim, quæ cordibus audientium quò gratiora, eò utiliora reddat & eloquii dignitas, & auctoris. Porrò ſenſa indubitata reſplendeant veritate, ſonent juſtitiam, humilitatem ſuadeant, doceant æquitatem: quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, ſenſibus diſciplinam.]

Lectionarii quam antiqui.

V. Porrò circa lectiones aliqua hic nobis veniunt adnotanda. Et primò

primò quidem non à recentibus ſolùm lectiones ſuas ſingulis diebus propriaſ fuiſſe deſignatas, ſed etiam ab antiquioribus. Laudat ea de re Claudianum Mamerti Viennenſis Epiſcopi fratrem Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſtola 11. ubi ſic canit :

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

Pſalmorum hic modulator & Phonaſcus
Ante altaria, fratre gratulante,
Inſtructas docuit ſonare claſſes.
Hic ſolemnibus annuis paravit
Quæ quo tempore lecta convenirent.

Eamdem gloriam muſeo tribuit Gennadius cap. 79. [Muſeus, inquit, hortatu S. Venerii Epiſcopi (Maſſilienſis) excerpſit ex ſanctis ſcripturis lectiones totius anni feſtivis aptas diebus, reſponſoria etiam & pſalmorum capitula temporibus & lectionibus congruentia: quod opus tam neceſſarium in Eccleſia comprobatur ut expeditum, & ſollicitudinem tollat & moram, plebique ingerat ſcientiam & celebritati decorem.] In Africa etiam certis diebus certæ dicebantur lectiones, [quæ ita erant annuæ ut aliæ eſſe non poſſent,] ut docet S. Auguſtinus initio expoſitionis in primam Joannis. Hine fortè capiendum eſt id quod de Zacharia Summo Pontifice ſcribit liber Pontificalis: [Hic in Eccleſia prædicti Principis Apoſtolorum omnes codices domus ſuæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinum, in armarii opere ordinavit.] Et canon II. Concilii II. Bracarenſis [Placuit ut per dierum ſolemnium vigilias vel miſſas omnes eaſdem, & non diverſas lectiones in Eccleſia legant.

VI. Secundo tametſi ſuæ ſingulis diebus aſſignatæ eſſent lectiones, non eo erant tamen modo diſtinctæ, qui hodiè in breviariis noſtris eſt digeſtus. Sed aſſignatum ſcripturæ librum, aut SS. Patrum tractatum, ſermonem, ſive homiliam, aut alicujus Sancti paſſionem lector percurrebat, quoadusque faciendi finem chori præſes ſignificaſſet. Lectiones autem terminandi varius fuit modus: aliquando enim præſes manus plauſu, lectioni finem imperabat, qui ritus, teſte Caſſiano lib. 2. cap. 11. præſertim viguit apud monachos. Aliquando Carolus Imperator finem lectionis ſono gutturis deſignavit, uti legimus in libro de Eccleſiaſtica cura Caroli Magni cap. 7. in Turonenſi S. Martini Baſilica qui choro præerat alta voce clamabat *fac finem*, ſtatimque lector parebat. Vidi in majori monaſterio vetus lectionarium in cujus lectionum fine legitur *fac finem*. In Romana Eccleſia cùm lectiones ſingulæ finiendæ eſſent, diaconi præcinebant *Tu autem Domine*, uti Benedictus S. Petri canonicus & cencius præſcribunt in ſuis Romanis ordinibus. pag. 123. & 174. Quem verſiculum lector proſequebatur. Sed Carthuſienſes monachi lectiones ex Prophetis hoc verſiculo terminabant: *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me, & ſalvi eritis*, ex antiquis ſtatutis parte 1. cap. 35. in quibuſdam locis lector pridie lectiones terminabat, lectionis finem aut cera appoſita deſignans, aut ungue ſignum imprimens.

Quo ritu lectionibus finis imponeretur.

Digitized by Google

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

Hinc præfatus liber de Eccleſiaſtica cura Caroli magni : [Nullus ad terminum (lectionum) vel ceram appoſuit , vel ſaltem unguibus quantulumcumque ſignum impreſſit ; ſed cuncti omnia quæ legenda erant , ita ſibi nota facere curaverunt , ut quando inopinato legere juberentur , irreprehenſibiles apud eum invenirentur.] Vidi aliquando in nonnullis antiquis lectionariis hujuſmodi ceram pro fine lectionis appoſitam , quam nec temporum vetuſtas adhuc deleverat.

Lectiones à quibus pronunciari debebant.

VII. Tertiò lectores non ex ſuperioribus ordinibus , ſed ex ſubdiaconis aliiſque inferioribus miniſtris aſſumebantur. Habemus ea de re S. Gregorii magni decretum libro 4. epiſt. 44. in hæc verba : [Pſalmos verò ac reliquas lectiones cenſeo per ſubdiaconos , vel , ſi neceſſitas exigit , per minores ordines exhiberi.] Hoc decreto à lectionibus in Eccleſia pronunciandis excluduntur,non modo diaconi aùt ipſis ſuperiores miniſtri , ſed ipſi etiam laïci , qui in minoribus ſaltem ordinibus non ſunt conſtituti. Concinit Martinus Bracarenſis Epiſcopus can. XLV. [Non liceat in pulpito pſallere aut legere , niſi qui ab Epiſcopo lector eſt ordinatus.] Confirmatque hanc conſtitutionem ſeptima Synodus Nicææ anno 787. clebrata , edito hoc canone XIV. [Quoniam videmus ſine manus impoſitione à parvula ætate tonſuram cleri quoſdam accipientes , nondum ab Epiſcopo manus impoſitione accepta , ſuper ambonem in collecta legentes , præcipimus àmodo id minimè fieri. Idipſum quoque conſervandum eſt inter monachos.] Hodiè in inſigni Eccleſia Pariſienſi 1. nocturni lectiones cantant pueri , ſecundi ſubdiaconi, tertii presbyteri.

In quo habitu.

VIII. Quartò ex capitulo 12. Martini Bracarenſis Epiſcopi [lectores in Eccleſia in ſæculari habitu ornati] nec pſallere , nec legere debent.

IX. Quintò antequam lectiones inciperet , ſilentium in plebe imperabat. Saltem cum fuiſſe uſum Eccleſiæ Mediolanenſis colligere licet ex S. Ambroſii expoſitione in Pſalmum 1. [Mulieres Apoſtolus in Eccleſia tacere jubet : pſalmum etiam benè clamant. Quantum laboratur in Eccleſia , ut fiat ſilentium cùm lectiones leguntur !]

X. Sextò lectiones haudquaquam incipiebat , niſi Epiſcopus ipſe vel chori præſes data benedictione annuiſſet , ut veniens lector cum libro , inquit , Gregorius Turonenſis lib. 1. de Miraculis S. Martini. c. 5. non antea legere præſumeret, quam Sanctus (ſcilicet Ambroſius) nutu juſſiſſet.

Lectiones in ambone.

XI. Septimò ex Concilio Laodiceno, ex Martini Bracarenſis capitulis, & ex ſeptima Synodo à nobis modo citatis conſtat lectiones olim in ambone fuiſſe decantatas , uti etiam num in inſignioribus Eccleſiis , præcipuis ſaltem feſtis decantantur. Vidi in Bercenſis monaſterii Baſilica ſuper gradus ambonis pulpitum verſus altare conſtitutum , unde lectiones haud dubium olim in nocturnis vigiliis recitabantur.

A ſedentibus audiebantur.

XII. Octavò inter lectiones & pſalmos hoc erat diſcriminis , quòd pſalmi ſtando decantarentur , lectiones ſedendo audirentur. Alium tamen uſum viguiſſe in Arelatenſi Eccleſia colligimus ex S. Cæſarii ſer-

Digitized by Google

mone 300. in appendice ſermonum S. Auguſtini, ubi hæc habet: [Quando aut paſſiones prolixæ, aut certè aliquæ lectiones longiores leguntur, qui ſtare non poſſunt, humiliter & cum ſilentio ſedentes attentis auribus audiant quæ leguntur.] Sed hac indulgentia ſanos corpore uti ægrè tulit Beatus Pontifex.

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſorii.*

XIII. Denique nec prætermitti debent hæc S. Nicetii Epiſcopi ex libro de Bono pſalmodiæ verba: [Si quis autem ſupervenerit cùm lectio celebratur, adoret tantum Deum, & præſignata fronte, aurem legi Dei ſollicitè commodet.]

Reſponſoria.

XIV. Lectionibus ſubjungimus reſponſoria, de quibus Papias [Reſponſorios, inquit, Itali tradiderunt antequam Græci antiphonas: inde dicti, quòd alio canere deſinente, alter reſpondeat, & hoc differunt ab antiphonis quòd in reſponſoriis unus verſum dicit; in illis autem antiphonarum verſibus chori alternant.] Papiæ concinit S. Iſidorus lib. 1. de divinis officiis cap. 8. [Reſponſoria ab Italis longo ante tempore ſunt reperta, & vocata hoc nomine, quòd uno canente, chorus conſonando reſpondeat.] Addit tamen S. Iſidorus [Ante autem id ſolus quiſque agebat, nunc unus interdum, interdum duo vel tres communiter cantant, choro in plurimis reſpondente.] Verùm Romæ reſponſoria ab unico cantore decantata fuiſſe manifeſtè oſtendit Amalarius in libro de ordine antiphonarii cap. 18. ubi & docet quo ordine reſponſoria decantari debeant his verbis: [Non enim ſancta Romana, & noſtra regio uno ordine canunt reſponſoria & verſus. Apud eam præcentor in primo ordine finit reſponſorium: Succentores verò eodem modo reſpondent. Deindè præcentor canit verſum: Finito verſu ſuccentores ſecundò incipiunt reſponſorium à capite, & uſque ad finem perducunt. Deindè præcentor canit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Quo finito, ſuccentores circa mediam partem intrant in reſponſorium, & perducunt uſque in finem. Poſtremò præcentor incipit reſponſorium à capite, & perducit illud ad finem. Quo finito, ſuccentores tertiò repetunt reſponſorium à capite, & perducunt illud uſque ad finem.] Qua ratione reſponſoria in regione ſua, hoc eſt in Gallia cantarentur, hic non aperit Amalarius, verum id jam edixerat in prologo ejuſdem libri, ubi hæc habet: [Notandum eſt, neceſſarium nobis eſſe, ut alteros verſus habeat noſter antiphonarius quàm Romanus: quoniam altero ordine cantamus reſponſorios noſtros quàm Romani. Illi à capite incipiunt reſponſorium finito verſu: nos verſum finitum informamus in reſponſorium per latera ejus, ac ſic facimus de duobus unum corpus. Ideò neceſſe eſt ut hos verſus quæramus quorum ſenſus cum mediis reſponſoriorum conveniat, ut fiat unus ſenſus ex verbis reſponſorii & verbis verſus.]

Quo ritu cantata.

A quibus.

XV. Præcentores reſponſoriorum in Romana Eccleſia ex cantorum ſchola aſſumebantur, quæ tota conſtabat ex ſubdiaconis & aliis inferioribus miniſtris juxta Gregorii magni decretum à nobis jam citatum. Cùm autem plura in uno aliquo officio reſponſoria, erant decantanda, ut in nocturnis vigiliis, is ordo ſervabatur, ut ab antiquioribus ducto

Digitized by Google

CAPUT V. *De lectionibus & reſponſoriis.*

exordio, ad juniores decendendo veniretur: ita ut priora prioribus; poſteriora poſterioribus præcinenda injungerentur; quem quidem ordinem didiciſſe ſe aſſerit Joſephus Thomaſius ex ms. antiphonario Vaticanæ Bibliothecæ. [Fuit autem conſuetudo ut magiſter ſcholæ deſignaret pridie ſingulis quod reſponſorium cantare deberent in nocte, uti legimus in libro de Eccleſiaſtica cura Caroli Magni cap. 5.

Quo in loco.

XVI. Aſſignatum quiſque reſponſorium aut proprio in loco, aut in medio chori præcinebat, non in ambone, ut nunc inſigniorum quarumdam Eccleſiarum uſus obtinuit, ſaltem in præcipuis feſtis: ad cujus rei fidem ſat erit evocaſſe Agobardum, qui in libro de correctione antiphonarii Amalarium reprehendens, ita ſcribit: [Conſiderentur etiam verba alterius reſponſorii, quod quaſi de myſterio nativitatis Chriſti compoſitum *contra morem nocturni officii* ab eminentiori loco pompaticè concrepabat.]

Quo vocis tono.

XVII. Reſponſorium incipientes non alta perſonabant voce, neſcii quomodo finiretur verſus celſiore forſitan nota cantandus. Verſu è contra cantato; & nota illius jam plenè perſpecta, excelſiori voce tunc fidenter repetebant reſponſorium. Hæc obſervare licet apud Amalarium lib. 3. de Eccleſiaſticis officiis capite 11. ubi cantorum munia deſcribit: [Verſus timore, inquit, non eſt auſus altè levare reſponſorium: neſcit quomodo finiat verſum,] quæ poſtquam ad morales explicationes traxit, addit: [In repetitione reſponſorii exaltat vocem fiducialiter, jam non timens verſum.]

Non ex libro, ſed memoriter.

XVIII. In conſtitutionibus Arabicis Concilii Nicæni cap. 5. decernitur, ut cantores [verſiculos & reſponſoria benè memoriæ mandent, & claudant laudatione, id eſt alleluia.] Hinc colliges reſponſoria non ex libro, ſed memoriter eſſe decantanda: qui uſus etiam nunc viget in Lugdunenſi Eccleſia, uti & in Rotomagenſi, in quibus præter lectiones omnia memoriter decantantur, vigebatque olim in quibuſdam ordinis noſtri monaſteriis, ut in Rotomagenſi S. Audoeni ante annos quadraginta.

XIX. In fine reſponſorii ultimi cujuſque nocturni *Gloria Patri* decantari inſtituit S. Benedictus in Regula ſua, ob honorem ſanctæ Trinitatis. Quippè ut ait Amalarius lib. de ordine antiphonarii cap. 1. [priſcis temporibus non cantabatur gloria poſt verſum, ſed repetebatur poſt verſum.] Addit Amalarius [à modernis Apoſtolicis additum fuiſſe hymnum, Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, poſt verſum,] id quod ex Regula Benedictina mutuatum exiſtimat Thomaſius. De hoc hymno, ſeu verſiculo habemus Concilii IV. Toletani canonem 16. [Sunt quidam qui in fine reſponſoriorum Gloria non dicunt, propter quod interdum inconvenienter conſonat. Sed hæc eſt diſcretio, ut in lætis ſequatur Gloria, in triſtioribus repetatur principium.] Integer autem canebatur hic verſiculus, hoc eſt cum ſua concluſione *Sicut erat in principio*, quam brevitatis cauſa à recentioribus ſublatam à reſponſoriis cauſatur Radulfus Tungrenſis in libro de Obſervantia Canonum

propoſitione 12. Sed de reſponſoriis plura videſis apud eruditum Thomaſium, à quo plurimum nos profeciſſe ultrò confitemur.

CAPUT VI.

De collectis & uniformi ratione in divinis officiis ſervata.

I. Denique non infimum tenere debent locum collectæ, ſeu breves orationes, quæ in fine divinorum officiorum dici ſolent, de quibus extat Concilii Barcinonenſis canon V. [Ut Epiſcopo præſente orationes presbyteri non colligant:] Quippè ut ait Valfridus in libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. [Solebant non ſolùm inter officia Miſſæ, verùm etiam in aliis orationibus, conventibus, & collocutionibus, qui cæteris aderant eminentiores brevi oratione opus concludere, quod & in Sanctorum exemplis agnoſcimus, dum alii alios honorificentiæ cauſa orationes colligere poſtulabant.] Verùm hodiè non qui cæteris eminentior adeſt, exceptis ſolemnitatibus præcipuis, ſed qui hebdomadarii munere fungitur, orationes colligit. Quod autem ait Vvalfridus moris fuiſſe ***brevi oratione*** opus divinum concludere, oſtendit unicam olim ad ſingulas horas collectam recitatam fuiſſe. Atque hinc fortè anſam arripuit Agreſtius Columbanum Abbatem ſanctiſſimum in Concilio Matiſconenſi accuſandi, quòd plures collectas in divinis officiis multiplicari juberet. In Eccleſia olim Lateranenſi præter orationem Dominicam nulla dicebatur collecta, cujus ritus teſtem habemus Joannem diaconum in libro de Eccleſia Lateranenſi cap. 7. ubi hæc habet: [Hæc reſervans Apoſtolicam inſtitutionem non niſi Dominica in officiis utitur oratione: Quoniam aliæ orationes poſtea ſunt ſuperadditæ; & congruum eſt atque conveniens, ut prima & ſumma omnium aliarum Eccleſiarum, primam & ſummam omnium aliarum orationem frequentet; & quæ Salvatoris vocabulo conſecrata eſt, Salvatoris orationem, quam diſcipulos ſuos orare docuit, præ cæteris præcipuam ſemper habeat. Hujus ritus meminit Guillelmus Durandus libro 4. rationalis cap. 14. Addit tamen Joannes: ſunt prætereà aliæ quædam collectæ ad matutinas & veſperas intitulatæ quæ ab Apoſtolico, vel ab ejus ſeptem collateralibus Epiſcopis tantùm, & non ab aliis penitùs in ipſa Eccleſia poſſunt dici.]

Caput VI. De collectis, &c.

Collecta olim unica ad ſingulas horas.

Eccleſia Lateranenſis ſola Dominica oratione utebatur.

II. Eumdem ritum in Eccleſia Pictavienſi viguiſſe olim exiſtimant nonnulli, verùm huic eorum opinioni refragatur vetus Pontificale ms. ejuſdem Eccleſiæ ab annis circiter 800. exaratum, in quo extant orationes & collectæ ad ſingulas horas dicendæ. Sed neque locus ex epiſtola 79. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, quem ad ſuam ſtabiliendam ſententiam proferunt id probat; quin imò contrarium inde facili negotio erui poteſt: [Finitis capitulis poſt orationem Dominicam, ubi dicitur, Domine exaudi orationem meam, ſtatim eſſet ſubdenda oratio, quæ

Pictavienſis Eccleſia an habuerit collectas.

CAPUT VI. *De collectis &c.*

ex libro Sacramentorum recitatur. Patere tamen Eccleſiam retinere ſuum uſum ad præſens.] Cujus loci ſenſus pendet ex præcedentibus: [De vario numero pſalmorum, inquit, qui adjiciuntur à quibuſdam in tempore jejunii per ſingulas horas canonicas in fine poſt orationem Dominicam & capitula quæ ſequuntur, regulam non invenio. Pſalmi quidem meo arbitratu ſuperflui eſſent, niſi eos tutaret pſalmiſtarum devotio. Finitis autem capitulis poſt orationem Dominicam, ubi dicitur Domine exaudi orationem meam ſtatim eſſet ſubdenda oratio, quæ ex libro Sacramentorum recitatur] &c. Nam ex eo quòd ait *ſtatim eſſet ſubdenda oratio*, minimè inferri poteſt collectam haudquaquam fuiſſe dictam, cùm ſtatim ſubjungat eam ex libro Sacramentorum recitari: Sed quòd propter ſuperadditos tempore jejunii pſalmos, collecta quæ poſt orationem Dominicam & ſubſequentia capitula dici debuiſſet, ſuo non proferretur loco, ſed tantùm poſt pſalmos ſuperadditos, qui præfatis capitulis ſubjiciebantur.

III. Porrò ad ſingulas horas canonicas orationes varias & ab invicem diverſas olim decantatas fuiſſe probant antiqui Sacramentorum libri & collectanei mſſ. non pauci, uti & antiqua Carthuſianorum ſtatura. Qui verò eas colligere debebat, nòn in propria ſede, ſed ad altare accedens eam ex libro recitabat, qui ritus viget nunc in percelebri S. Martini Turonenſi Eccleſia. Carthuſienſes monachi collectas ad pulpitum pronunciant. In fine autem clerus & populus reſpondebat *amen*. Qua de voce Henricus Valeſius in notis ad Euſebii librum 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 15. [Sanè, inquit, hanc olim conſuetudinem fuiſſe chriſtianorum, ut in fine orationis *amen* clara voce reſonarent, docet ritus qui etiam num ſervatur in Eccleſia, ut ſcilicet poſt ſingulas orationes à ſacerdote pronunciatas, populus univerſus acclamet *amen*, de quo more Athanaſius in Apologia ad Imperatorem Conſtantinum pag. 683. & Palladius in vita S. Joannis Chryſoſtomi]

Modus uniformis in divinis officiis obſervatus.

IV. Cæterùm in perſolvendis divinis officiis, quantùm per varios nationum ac populorum mores fas erat, modus ubique obſervabatur uniformis ita ut inferiores Eccleſiæ matricis ſeu Metropolitanæ ritibus uterentur. Saltem hanc præ cæteris uniformitatem commendant varia quæ adhuc ſuperſunt Concilia. Concilium Veneticum anno 465. celebratum can. XV. [Rectum quoque duximus, ut vel intra provinciam noſtram ſacrorum ordo & pſallendi una ſit conſuetudo, & ſicut unam enm Trinitatis confeſſione fidem tenemus, unam & efficiorum regulam teneamus, ne variata obſervatione in aliqno devotio noſtra diſcrepare credatur] Concilium Gebundenſe can. I. [De inſtitutione Miſſarum; ut quomodo in Metropolitana Eccleſia fuerit, ita Dei nomine in omni Tarraconenſi provincia, tam ipſius Miſſæ ordo, quam pſallendi, vel miniſtrandi conſuetudo ſervetur.] Concilium Epaonenſe can. 27. [Ad celebranda divina officia ordinem quem Metropolitani tenent, provinciales eorum obſervare debebunt.] Concilium Bracarenſe II. can. I. [Placuit omnibus communi conſenſu, ut unus atque idem pſallendi

ordo in matutinis & veſpertinis officiis teneatur,& non diverſæ ac privatæ, neque monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ.] Et can. II. [Item placuit , ut per ſolemnium dierum vigilias vel miſſas omnes eaſdem & non diverſas lectiones in Eccleſia legant.] Et canone 4. [Item placuit , ut eodem ordine miſſæ celebrentur, quem profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.] Concilium Toletanum IV. can. II. [Unus igitur ordo orandi atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam & Galliam conſervetur , unus modus in miſſarum ſolemnitatibus , unus in matutinis veſpertiniſque officiis , nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo , qui una fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui canones decreverunt , ut unaquaque provincia & pſallendi, & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat.] Denique Concilium Toletanum XI. can. III. [Placuit huic S. Concilio, ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti uniuſcujuſque provinciæ Pontifices rectoreſque Eccleſiarum unum eundemque in pſallendo teneant modum , quem in Metropolitana ſede cognoverint inſtitutum ; nec aliqua diverſitate cujuſque ordinis vel officii à Metropolitana ſe patiantur disjungi.] &c.

CAPUT VII.

De nocturnis vigiliis & matutinis laudibus.

I. QUanta ſit nocturnarum vigiliarum utilitas fuſius hic exponere non eſt animus ; cùm teſte Nicetio Epiſcopo tractatu de vigiliis ſervorum Dei cap. 4. ipſa ſentiri magis poſſit per exercitium , quàm loquentis ſermone narrari. Quis enim explicare valeat ut ait idem auctor quantus vigilando mentis ſtupor excutitur , quanta lux animam vigilantis illuſtrat , quæ gratia , quæ ſancta Viſitatio membra univerſa vigilantis lætificeat ? [Vigilando , inquit , timor omnis excluditur , fiducia naſcitur , caro maceratur , vitia tabeſcunt , caſtitas roboratur , cedit ſtultitia , accedit prudentia , mens acuitur , error obtunditur, criminum caput diabolus gladio ſpiritus vulneratur :] &c. [Cùm ergo tanta ſit nocturnarum vigiliarum utilitas , haudquaquam mirùm videri debet, ſi tam in veteri quàm in novo Teſtamento veris Dei cultoribus tanto fuerint in pretio. David media nocte ſurgebat ad confitendum Deo ſuper judicia juſtitiæ ſuæ. *De nocte vigilat ſpiritus meus ad te Deus* , inquit Iſaias. Ipſe Dominus JESUS pernoctabat in oratione. Paulus & Silas media nocte ſurgebant ut divinis laudibus operam darent. Horum exemplo primi chriſtiani ſacris ſe vigiliis toti dediderunt , teſtimonium piæ hujus obſervationis perhibentibus ipſis etiam Ethnicis : Nam Plinius junior lib. 10. epiſt. 97. ſcribens de chriſtianis ad Trajanum , [affirmabant , ait , hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ , vel erroris , quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire , carnemque

CAPUT VII. *De nocturnis vigiliis &c.* Vigiliarum utilitas.

Apud chriſtianos quanto in pretio.

Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.] Clarius Lucianus in Philopat. Chriſtianos loquentes inducens : [Ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes talia ſomniamus.] Et Ammianus Marcellinus lib. 28. [In ſtatione primis tenebris obſervata cuſtodum abſentia, qui die feſto chriſtiani ritus in Eccleſia pernoctabant.] Hæc cùm ita perſpicua ſe habeant, quid juvat plura veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia hic congerere ad probandas ſolemnes primorum chriſtianorum vigilias ? Quid Lactantium commemorem qui in libro 7. de divinis inſtitutionibus cap. 19. [Nocte, inquit, vigilias celebramus propter adventum Regis ac Dei noſtri, cujus noctis duplex eſt ratio, quod in ea & vitam tunc recepit, cùm paſſus eſt, & poſteà orbis terræ regnum recepturus eſt. Quid Cyrillum Hieroſolymitanum in cujus Catecheſi 9. hæc lego: [Quid nocte ad ſapientiam ? Nam in ea ſæpè de Deo cogitamus, in ea divinorum oraculorum lectionem & contemplationem meditamur. Quandonam majori mens noſtra contentione pſalmos canit & preces fundit ? Nonne noctu ?] Quid Socratem ſcholaſticum libro 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11. de populo Alexandrino loquentem in hæc verba : [Jam dies vergebat in veſperam, & populus in Eccleſia pernoctabat, eo quòd collecta expectaretur.] Et libro 6. cap. 7. loquens de S. Joanne Chryſoſtomo ; [Primus, inquit, precationes quæ in nocturnis hymnis fieri ſolent amplificavit.] Idem Chryſoſtomus, teſtante Palladio in ejus vita, [hortabatur populos, ut in nocturnis precibus aſſidui eſſent, horum autem uxores domi remanerent, eas interdiu orare exhortans, quod viri interdiu non vacarent.] Ejus exhortationem inanem ſanè aut vacuam haudquaquam fuiſſe diſcimus ex Sozomeno : nam ut ipſe ſcribit lib. 8. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 7. [Exinde populus Conſtantinopolitanus matutinis & nocturnis hymnis promptiùs uti cæpit.] Quæ verba uti & ea quæ ex Socrate retulimus oſtendunt vigilias non minùs laïcorum quàm clericorum exercitium fuiſſe. Paulò ante Chryſoſtomum ſub Ambroſio antiſtite [primum antiphonæ hymni & vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt,] uti ſcribit Paulinus in ejus vita. Quantus fuerit Zenonis Majumenſis Eccleſiæ præſulis zelus in explendo hoc ſervituris penſo tradit Sozomenus libro 7. cap. 28. his verbis : [Aiunt certè, imò nos quoque ipſi vidimus eum cùm Majumæ Eccleſiam gubernaret jam ſenem ac centum annos circiter natum numquam à matutinis aut veſpertinis hymnis, aut à reliquo divino officio abfuiſſe niſi morbus detineret.] Ex epiſtola quoque Pelagii Papæ ad Joannem defenſorem vigilias in Eccleſia quotidiè celebratas feciſſe diſcimus. Pluribus id Gregorii Turonenſis teſtimoniis idem comprobare poſſemus: Puta ex libro 2. hiſtoriæ Francorum cap. 23. ex lib. 9. cap. 6. ex lib. 10. c. 31. ubi Vigilias à S. Perpetuo inſtitutas commemorat, ex libro 8. de vitis Patrum cap. 8. atque ex Fortunato lib. 2. carm. 10. S. Cæſarius quoque Arelatenſis Epiſcopus ſermone 140. appendicis S. Auguſtini plebem ſuam alloquens, [rogo vos, ait, fratres cariſſimi, ad vigilias matutinas ſurgite. . . nullus ſe à Sancto propoſito ſubtrahat, niſi quem infirmitas

Caput VII. De nocturnis vigiliis, &c.

Etiam laïcos.

infirmitas aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum.]

Caput VII. De collectis &c.

III. Neque verò exiſtimandum eſt hæc fuiſſe primorum dumtaxat chriſtianorum exercitia, cum calens adhuc ſervatoris noſtri ſanguis ipſos ad omnia pietatis opera excitaret. Idem ſubſecutis ſæculis fervor extitit, eadem diſciplina, in Cathedralibus præſertim Eccleſiis, imò & in Parochialibus. Certè inter Capitula quæ ineunte ſæculo IX. Ahito Baſilienſis Epiſcopus ſuæ diœceſis presbyteris dedit, c 24. ſtatuit ut [horas canonicas tam nocturnas quam diurnas nullatenus prætermittant.] Vvala qui circa annum 877. Antiſiodorenſem rexit Eccleſiam [nocturno non modo ipſe minimè deerat officio, ſed & abſentes nominatim requirebat, fratres, pueroſque,] uti legimus in hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium cap. 39. Sæculo X. Ratherius Veronenſis Eccleſiæ præſul in Synodiea ad presbyteros epiſtola ſcribebat: [Omni nocte ad nocturnos ſurgite] Sæculo XII. Guibertus Abbas in libro de vita ſua loquens de matre ſua [nocturnis, inquit, officiis vix aut numquam deerat.] In ſequenti Sæculo XIII. Jacobus à Vitriaco in hiſtoria occidentali capite 34. parochum ita alloquebatur: [Procuret in quantum commiſſi ſibi gregis permittit frequens miniſterium, ut nocturnum officium nocte peragatur.] In Synodo Rothomagenſi anni 1236. hæc etiam legimus: [Præcipimus quòd quilibet ſacerdos in parochia ſua, ſeu capellanus in capella ſua dicat matutinas de nocte.] Et in Concilio Ravennenſe anni 1286. cap. 5. [Campanæ horarum in nocte & die tantùm pulſentur quòd omnes confratres ſe poſſint parare ad intrandam Eccleſiam,] Denique in Florentina Eccleſia eadem vigebat diſciplina Sæculo XV. quoad annum 1459. apud Raynaldum S. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus. [Surgebat noctu ſemper adeòque ſollicitè, ut ſignum matutini officii cathedralis Eccleſiæ præveniret.]

Quandiù viguerint.

Ab ipſis etiam principibus frequentatæ.

IV. Quid quod nec ipſi Imperatores, Reges aut Principes nocturnis vigiliis deeſſe voluerunt: Carolus Magnus, teſte Eginardo, [Eccleſia n mane & veſpere item nocturnis horis & ſacrificii tempore quoad eum valetudo permiſerat impigrè frequentabat.] Geraldus Comes Auriliacenſis, ut ſcribit S. Odo in ejus vita lib. 2. c. 16. [Nocturno tempore cunctos in oratorio diutiùs prævenire ſolebat: quo expleto, ſolus remanere ſolitus erat.] Alfredus Rex Anglorum, teſtante Vvillelmo Malmeſburienſi, [inter bella & præſentis vitæ frequentia impedimenta, necnon paganorum infeſtationes & quotidianas corporis infirmitates, inter regni gubernacula, nihilominus miſſam quotidiè audire, pſalmos quoſdam & orationes & horas diurnas & nocturnas celebrare, & Eccleſiam nocturno tempore orationis cauſa clam à ſuis adire ſolebat.] Sanctus quoque Ludovicus ut diſcimus ex auctore coævo [omnes horas canonicas, & de glorioſa Virgine, ſemper cum nota audiebat: ſubmiſsè tamen eaſdem inter ſe & capellanum ſuum, & pro defunctis novem lectiones quotidiè dicebat. Media nocte ſurgebat ad confitendum Domino, & Regina bonæ memoriæ aliquando eum propter frigus de veſtimento aliquo operiebat.]

CAPUT VII. *De collectis, &c.*

Denique ut prætereamus S. Heduvigim Poloniæ duciſſam, & S. Elizabeth Hungarorum Regis filiam, Ferdinandus cognomento Magnus Legionis & Caſtellæ Rex [Eccleſiam veſpere, & mane, nocturniſque horis, & ſacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices cantoris explebat,] ut ſcribit Rodericus de rebus Hiſpanicis lib. 6. cap. 13. His adjicio exemplum Godefridi Bullonii, de quo Vvillelmus Tyrius lib. 9. cap. 9. [Adduxerat peregrinationem ingreſſurus de clauſtris bene diſciplinatis monachos viros religioſos, & ſancta converſatione inſignes, qui toto itinere horis diurnis & nocturnis Eccleſiaſtico more divina illis miniſtrabant officia.]

Qua noctis hora celebratæ.

V. Jam verò ſi quis reſcire deſiderat quænam potiſſimum noctis hora ad perſolvendas Domino laudes delecta ab antiquis fuerit: Reſpondemus eam in Eccleſia per plurima ſæcula præſertim obſervatam fuiſſe, quam in veteri Teſtamento David, in novo Paulus ſuo exemplo præmonſtrarunt, hoc eſt duodecimam, uterque enim media nocte ad confitendum nomini Domini ſurrexiſſe memoratur. Hinc S. Joannes Chryſoſtomus homiliâ 26. in acta [Non ideò, inquit, facta eſt nox, ut per totam dormiamus, & otioſi ſimus. Teſtantur hoc opifices & nautæ negotiatores. Eccleſia Dei mediis ſurgit noctibus.] &c. Et S. Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis cap. 37. [De tempore autem dimidiæ noctis, quod id ad orationem neceſſarium ſit, traditum nobis eſt à Paulo & Sila in actis. Scriptum eſt enim ſic: Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum. Atque hæc quidem etiam auctor pſalmorum confirmat, ſic dicens: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.*] Eamdem regulam Demedriadi virgini ſervandam propoſuit S. Hieronymus ad ipſam ſcribens in hæc verba: [Nunc tantùm ad virginem loquar, id eſt, non ea, quæ extra te, ſed in te ſunt, tantùm conſiderans. Præter pſalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperum, noctis medio, & mane ſemper eſt exercendum, ſtatue quot horis ſanctam ſcripturam ediſcere debeas.] Et inſtitutæ in Paulæ monaſterio diſciplinæ rationem referens in ipſius vita, [mane, inquit, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, *noctis medio* per ordinem pſalterium canebant.] His adjunge Gregorii Turonenſis teſtimonium & exemplum, qui in libro 9. hiſtoriæ Francorum cap. 6. de ſeipſo ita habet: [Nos verò ignari facti, *media nocte* ſurgentes ad reddendas Domino gratias.] &c. Hæc ille Pariſiis exiſtens; unde colliges non clericos ſolùm propriis reſidentes in Eccleſiis, ſed peregrè etiam profectos media olim nocte ſurrexiſſe.

VI. Sæculo VIII. ab hac inſtitutione paululum deflexit Grodogangus Metenſis Epiſcopus in canonicorum regula cap. 15. cujus hæc verba: [Hiemis temporibus, id eſt, à Calendis Novembris uſque ad Paſcha, juxta conſiderationem rationis, octava hora noctis ſurgendum eſt, ut modicè ampliùs de media nocte pauſentur, & jam digeſti ad vigilias ſurgant.] Quo fortè reſpexit Amalarius in lib. 4. de Eccleſiaſticis officiis

cap. 9. ubi agens de verſibus nocturnarum vigiliarum lectionibus præmittendis, ſic loquitur: [Primus verſus dicit, *memor fui nocte nominis tui &c.* Ipſa verba oſtendunt cur ſurrexerimus de ſtratu noſtro. Secundus verſus *media nocte ſurgebam.* Iſte oſtendit qua hora noctis oporteat ſurgere, ſed quoniam negligenter ſumus de tempore quo ſoliti erant ſurgere Patres noſtri, non audemus mentiri, mutamus verſum iſtum, & dicimus alterum, *quoniam tu illuminas lucernam meam.*] Neque tamen omnes Eccleſiæ ab antiqua ſurgendi hora receſſerunt, nam Antiſiodorenſis nocturnas media nocte vigilias multò poſt Amalarium tempore celebravit, uti diſcimus ex hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium cap. 57. Sæculo XIII. Eadem hora in parochialibus urbis Pariſienſis Eccleſiis obſervabatur, cujus rei teſtis eſt Vincentius Bellovacenſis, de S. Edmundo loquens in hunc modum: [Et qui priùs dum artibus regeret, in mane miſſas audire conſueverat, nunc ad religionis augmentum *media nocte* matutinas in Eccleſia S. Mederici Pariſius audiebat: & ſicut orandi gratia Eccleſiam adiit *media nocte*, ſic ipſam adire ob cauſam conſimilem hora ſtuduit veſpertina.] Poſt medium Sæculum XIV. eadem diſciplina vigebat in Eccleſia Trecenſi, cujus capituli decretum anno 1364. editum refert Camuzatius in Promptuario his verbis: [Ordinatum eſt quòd de cætero matutinæ, prout hactenus fuit conſuetum, media in nocte cantabuntur.] Quod quidem ſtatutum ea potiſſimum ratione videtur editum fuiſſe, ut adverſus gliſcentem quarumdam Eccleſiarum conſuetudinem ſeſe opponerent, quæ jam media nocte ſurgere deſierant; nam de Rhotomagenſi ita lego in ms. Chronico Rotomagenſi Bigotianæ bibliothecæ anno 1324. [Matutinæ, quæ in Eccleſia Rotomagenſi dicebantur hora mediæ noctis XII. occaſione cujuſdam capellani accedentis ad matutinas graviter vulnerati, incipiuntur dici hora quinta, & ſexta per ferias.] Paulò poſt, hoc eſt anno 1358. Lutetiæ Pariſiorum collegia canonicorum à veteri regula deflexiſſe teſtatur Nangii continuator, quibus Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis in Synodo anni 1503. præfixit, ut [loco mediæ noctis manè circa quartam vel quintam nocturnum celebrarent officium. Verùm cathedralis Eccleſiæ canonici antiquum hactenus morem retinuerunt.

CAPUT VII. *De collectis, &c.*

Nocturni olim an ſeparati.

VII. Sunt qui exiſtimant primis Eccleſiæ ſæculis chriſtianos tribus noctis vigiliis tres nocturnos, quarta verò vigilia laudes recitaſſe, utpote quos Dominus omni hora vigilare admonuit, neſcientes qua potiſſimum hora juſtus judex venturus ſit, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane. Huic opinioni favere poteſt id quod ſcribit Clemens Alexandrinus in Pædagogo capite 9. [Quo circa ſæpè etiam noctu de lecto ſurgendum eſt, Deuſque eſt laudandus,] & illud Hieronymi ad Euſtochium: [Noctibus bis terque ſurgendum, & revolvenda quæ de ſcripturis memoriter retinemus.] S. Baſilius quoque in regulis fuſiùs diſputatis c. 37. Tria ſingulis noctibus aſſignat ad Deum laudandum tempora, noctis initium, mediam noctem, & ante diluculum.]

CAPUT VII. *De collectis, &c.*

Epiſcopus Clericos ad vigilias excitabat.

VIII. Ut autem ſomnolentis omnis tolleretur excuſationis occaſio, Epiſcopus ipſe Clericos ad nocturnas vigilias excitare ſolebat. Id ſanè clarum eſt ex Gregorii Turonenſis libro 1. de gloria martyrum cap. 87. ubi narrat qua ratione ad vigilias natalis Domini celebrandas divinitus expergefactus fuerit, excitatore his eum verbis increpante. [En tu reliquos ad vigilias admonere debes, & adhuc ſopore opprimeris ?] Hinc & S. Germanum Pariſiorum Epiſcopum laudat Fortunatus in ejus vita quòd [quinquaginta pſalmos & ampliùs in templo ſui pretoris Domino decantaret, antequam reliquos de ſopore commoneret aſſurgere.] Aliquando tamen vices ſuas alicui committebat. Ita S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus hanc excitandi curam Stephano diacono injunxerat ex ejus vitæ libro 2. num. 4. Non ſolùm Epiſcopus clericos ad vigilias excitabat; ſed ſignum ad eas ipſemet dabat. Saltem de Lupo Senonenſi Epiſcopo litteris id mandavit vitæ illius ſcriptor, ipſum [ea hora qua clero incumbebat matutina peragere ſolemnia ſuis manibus pulſaſſe.] Adde & officium incœpiſſe, id quod de Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo legimus in ejus vita antiquiori n. 3. apud Bollandum 2. Aprilis: [Sic etiam indubitanter atque ambienter conſurgere jugiter ad matutinos ſtuduit, ut exordia ipſius officii ſemper ipſe cœpiſſet.]

Ordo in vigiliis obſervatus.

IX. De ordine in nocturnis precibus plura dicere ſuperſedeo, quandoquidem argumentum iſtud longè felicius ante nos proſecutus eſt Cardinalis Bona in libro de divina Pſalmodia cap. 18. unum dumtaxat hic referam locum ex collatione Epiſcoporum anno undequingenteſimo habita coram Gundobaldo Burgundiæ rege adverſus Arianos in die feſto S. Juſti, in cujus vigilia cùm Epiſcopi ad ejus ſepulcrum pernoctare decreviſſent, [evenit ut ea nocte cùm lector ſecundùm morem inciperet lectionem à Moyſe, incidit in illa verba Domini: *Sed ego indurabo cor ejus &c.* Deinde cum poſt pſalmos decantatos recitaret ex Prophetis occurrerunt verba Domini ad Iſaiam dicentis: *Vade & dices populo huic: audite audientes &c.* Cùmque adhuc fuiſſent pſalmi decantati, & legeret ex Evangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem: *Va tibi Corozaim &c.* Denique cum lectio fieret ex Apoſtolo pronuntiata ſunt verba illa: *An divitias bonitatis ejus &c.* Quod cum ab omnibus Epiſcopis obſervatum fuiſſet, cognoverunt lectiones illas ſic occurriſſe, volente Domino, ut ſcirent induratum eſſe cor regis.] Quo ex inſigni loco inferes 1. ad vitandum vigiliarum prolixarum tædium pſalmorum decantationi lectiones interpoſitas fuiſſe, id quod ampliùs conſtat ex S. Nicetii Epiſcopi libro de Pſalmodiæ bono cap. 3. ubi appoſitè ad propoſitum noſtrum hæc habet: [Quid hac utilitate commodiùs? Quid hac delectatione jucundiùs, quia & pſalmis delectamur, & orationibus irrigamur, & interpoſitis lectionibus paſcimur.] 2. In vigiliis nocturnis quatuor lectionum genera adhibita fuiſſe, ſcilicet ex Heptateucho, ex Prophetis, ex Evangelio, & ex Apoſtolo.

De pſalmorum numero nihil ex hoc loco erui poteſt, ſed aliundè habemus Concilii Turonenſis II. decretum can. 18. ubi *iſte pſallendi ordo*

Digitized by Google

ſtatuitur, [ut in diebus feſtis ad matutinum, ſex antiphonæ binis pſalmis explicentur: toto Auguſto manicationes fiant, quia feſtivitates ſunt & miſſæ Sanctorum: Septembri ſeptem antiphonæ explicentur binis pſalmis: Octobri octo ternis pſalmis, Novembri novem ternis pſalmis: Decembri decem ternis pſalmis: Januario & Februario itidem uſque ad Paſcha.] Atque ita cum breviores erant noctes duodecim pſalmi cum longiores triginta decantabantur. Addit idem Concilium: [Quicumque minùs quàm duodecim pſalmos ad matutinum dixerit, jejunet uſque ad veſperam, panem cum aqua manducet, & non illi ſit altera in illa die ulla refectio. Et qui hoc facere contempſerit, una hebdomada panem cum aqua manducet, & jejunet omni die uſque ad veſperam.] In Eccleſia Pariſienſi tanta erat olim pſalmorum lectionumve prolixitas, ut nocturnæ vigiliæ quæ media incipiebant nocte ad auroram uſque producerentur, cujus rei teſtis eſt Fortunatus lib. 2. carmine 10 ita canens:

Caput VII. De collectis &c.

Pervigiles noctes ad prima crepuſcula jungens.
Conſtruit angelicos turba verenda choros.

Plebs cum clero cantabat.

X. Plebis tædium per tantum temporis ſpatium ſublevabat libertas una cum clericis pſalmos decantandi unde idem Fortunatus loco citato paulò poſt ſubdit:

Pontificis meritis clerus, plebs pſallit, & infans.

Et Nicetius Epiſcopus in libro de Pſalmodiæ bono cap. 3. [Quando inquit, pſallitur, pſallatur ab omnibus; cùm oratur, oretur ab omnibus: cùm lectio legitur, facto ſilentio audiatur ab omnibus.] Notanda ſunt ea quæ de Cæſario Arelatenſi Epiſcopo narrat Cyprianus in ejus vita cap. 11. [Adjecit etiam atque compulit, ut laïcorum popularitas pſalmos & hymnos pararet, altaque ac modulata voce inſtar clericorum, alii græcè, alii latinè, proſas antiphonaſque cantarent, ut non haberent ſpatium in Eccleſia fabulis vacandi.] Eadem diſciplina vigebat etiam in Eccleſia Mediolanenſi, ut colligitur ex his S. Ambroſii verbis in pſalmum 1. [Mulieres Apoſtolus in Eccleſia tacere jubet: pſalmum etiam benè clamant. Quantum laboratur in Eccleſia ut fiat ſilentium cùm lectiones leguntur? Si unus loquitur, obſtrepunt univerſi, cùm pſalmus canitur; ipſe ſibi effector eſt ſilentii, omnes loquuntur, & nullus obſtrepit] Et lib. 3. in Hexameron c. 5. Pſalmorum cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum conſonus undarum fragor reſultat.]

XI. Nocturnis vigiliis adjungendæ ſunt laudes ſolemnes, quas matutinorum nomine S. Benedictus aliique antiquiores ſcriptores donant, à voce matuta, id eſt, aurora, eò quòd ad auroram, ſeu luce incipiente, canerentur: unde etiam ſi tardiùs ad vigilias aliquando excitari ac ſurgere contingeret; luce apparente, nocturnum ſtatim dimittebatur

De laudibus.

officium, ut matutini inciperentur: id quod de Romana præſertim Eccleſia commemorat Amalarius in libro de ordine Antiphonarii cap. 4. [Ipſa enim quantocumque ordine & numero lectionum viderit matutam præcedere, ut audivi nocturnum dimittit officium, & incipit matutinale. Periculoſum eſt enim tranſgredi terminos Patrum.] Huc referri poteſt quod in antiquo ordine Eccleſiæ Cameracenſis legitur de nocturnis vigiliis: [Cùm omni verò honeſtate tractim lectiones legantur, & reſponſoria decantentur. Nona autem lectio ſit evangelica ex homiliis Patrum. Homilia ipſius evangelii à Diacono, vel presbytero, aut Epiſcopo tota legatur, niſi fortè aurora interveniens hoc diſtulerit.] Eo etiam caſu S. Benedictus in regula pſalmos & lectiones breviari jubet. Porrò de matutinis laudibus egregium nobis locum ſuppeditat Gregorius Turonenſis in libro de vitis Patrum cap. 6. ubi de Gallo Arvernenſi Epiſcopo hæc habet: [Albeſcente jam aurora, interrogavit, quid in Eccleſia pſalleretur. Dixerunt benedictionem ſeſe pſallere: at ille pſalmo quinquageſimo & benedictione cantata & alleluiatico cum capitello expleto, conſummavit officium totum temporis matutini.]

CAPUT VIII.

De prima, tertia, ſexta, nona, veſperis & completorio.

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta &c.*

De primæ officio.

I. PRimæ officium in Eccleſia prorsùs inauditum fuit ante Caſſiani ætatem, qui ſuo tempore in Bethleemitico monaſterio inſtitutum aſſerit, atque inde tandem ad occidentales plagas propagatum. Sæculo tamen ſexto necdum in Arelatenſi Eccleſia receptum fuiſſe videtur, tametſi à Maſſilienſi Caſſiani cœnobio haud procul diſtet. Nam Cæſarius illius Eccleſiæ Pontifex in ſermone 140. Appendicis Auguſtinianæ cunctos fideles exhortans, ut ad vigilias matutinas ſurgant, ad tertiam, ſextam nonamque conveniant nullam primæ exprimit mentionem, nullam in utraque ad monachos & ad Virgines regula. Ex ea tamen quam edidit Bollandus *dicenda eſt prima cum pſalmis ſex*, hymno, lectionibus binis, una ex veteri, altera ex novo Teſtamento, & capitello. Sed hoc modo non cunctis diebus, ſed tantùm *Dominica vel Sabbato & majoribus feſtivitatibus fieri debet*, inquit, ſub Aureliano tamen antiſtite, qui poſt Auxarrium, Cæſario ſucceſſit in Sede Arelatenſi, primæ officium quotidiè celebrabatur, & quidem cum duodecim pſalmis, hymno, duabus lectionibus, una ex veteri, altera ex novo Teſtamento, & capitello, uti legimus in ordine pſallendi ab eo conſcripto: in regula tamen ejuſdem ad virgines ſex dumtaxat pſalmi adſignantur, at ex Caſſiani libro 3. de diurnis orationibus cap. 4. in prima ſui inſtitutione trinis dumtaxat pſalmis totidemque orationibus abſolvebatur. Hodiè præmiſſo pſalmo *Deus in nomine tuo ſalvum me fac* cum quatuor octonariis pſalmi 118. ſub duplici gloria dicendis primæ decurritur officium. Item

Symbolum S. Athanaſii.

Digitized by Google

ab annis circiter 800. additum eſt Symbolum S. Athanaſii vulgariter dictum *quicumque vult ſalvus eſſe*, quod tempore Theodulphi Aurelianenſis jam *quotidie* à monachis cantabatur ad primam, uti diſcimus ex catalogo Abbatum Floriacenſis monaſterii tomo 1. Miſcellaneorum Baluzianorum. In percelebri S. Martini Turonenſis Eccleſia ex communi totius capituli canonicorum conſenſu anno 922.ſtatutum fuit, ut [cantarent fratres generaliter ad horam primam tam feſtis diebus quàm & quotidianis catholicam fidem, quam S. Athanaſius, Spiritu ſancto dictante, compoſuit, id eſt, *quicumque vult ſalvus eſſe.*] Cujus inſtitutionis decretum extat in pervetuſto ejuſdem Eccleſiæ Chartario. Auctor eſt tamen Udalricus in lib. 1. conſuetudinum Cluniacenſium nonnullas Eccleſias Dominicis duntaxat diebus præfatum ſymbolum decantaſſe. Ita ſanè ſtatuit Ahito Baſileenſis Epiſcopus in Capitulari art. 4. Spicilegii tom 6. [*Vt fides S. Athanaſii à ſacerdotibus dicatur, & ex corde die Dominico ad horam primam recitetur.*] Ipſi nihilominùs tam Cluniacenſes ex eodem Udalrico quàm Carthuſienſes ex antiquis eorum ſtatutis quotidiè ſymbolum illud perſolvebant, perſolvuntque hactenus Carthuſienſes. CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta, &c.*

II. Primæ completo officio, inquit Grodogangus metenſis Epiſcopus in regula canonicorum cap. 18. hoc eſt, decantatis ejuſdem horæ pſalmis, [ante pſalmum quinquageſimum, donent confeſſiones ſuas viciſſim, dicentes: Confiteor Domino, & tibi frater, quod peccavi in cogitatione & locutione & opere; propterea precor te ora pro me. *Et ille reſpondeat*: Miſereatur tui omnipotens Deus, & indulgeat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam. *Et ille dicit* amen. Supplici corde certatim pro ſe orantes hoc ſibi faciunt.] Confeſſio ad primam.

III. Hanc confeſſionem comitari ſolebant preces prolixæ, ſeu capitula nonnulla, quæ hic repræſentare non pigebit prout extant in ordinario antiquo inſignis Eccleſiæ Laudunenſis, ubi præſcribitur, ut poſt ſymbolum *quicumque vult ſalvus eſſe*, cantata antiphona, clericulus dicat: Exurge Chriſte adjuva nos, deinde hebdomadarius dicat: Kyrie eleyſon, Pater noſter, tum preces ſequentes ſubjungat: Preces ad primam.

℣. Vivet anima Deus & laudabit te.

℟. Et judicia tua adjuvabunt me.

℣. Erravi ſicut ovis quæ periit.

℟. Quære ſervum tuum quia mandata tua non ſum oblitus.

Credo in Deum. Carnis reſurrectionem.

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.

Quoniam ad te orabo. Domine mane exaudies vocem meam.

Mane aſtabo tibi & videbo. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Vias tuas Domine demonſtra mihi. Et ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua & doce me. Quia tu es Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die.

Digitized by Google

Caput VIII. *De prima, tertia, ſexta, &c.*

Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine. Et miſerationum tuarum quæ à ſæculo ſunt.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Spiritus tuus bonus deducet in terram. Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam. Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam. Quoniam ego ſervus tuus ſum.

Judica, Domine, nocentes me. Expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum. Et exurge in adjutorium mihi.

Effunde frameam & conclude adverſus eos qui perſequantur me. Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum.

Repleatur os meum laude ut cantem gloriam tuam. Tota die magnitudinem tuam.

Averte faciem tuam à peccatis meis. Et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus. Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua. Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Et ſpiritu principali confirma me.

Eripe me, Domine, ab homine malo. A viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Et ab inſurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem. Et de viris ſanguinum ſalva me.

Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi. Ut reddam vota mea de die in diem.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter. Spes omnium finium terræ & in mari longè.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis. Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Benedic anima mea Domino. Et omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.

Benedic anima mea Domino. Et noli oblviſci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum. Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Dignare, Domine, die iſto. Sine peccato nos cuſtodire.

Confiteor

Confiteor omnibus ſanctis.

Vitam æternam annunciavi tibi. Poſuiſti lacrymas in conſpectu tuo. Delictum meum cognitum tibi feci. Et injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta. &c.*

Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu. Propter bonitatem tuam, Domine.

Et non intres in judicium cum ſervis tuis, Domine. Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Quemadmodum ſperavimus in te.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio. OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, qui ad principium hujus diei &c.

Similes preces nonnullis tantùm verſiculis immutatis videre eſt in antiquis ordinariis Turonenſi S. Gatiani & S. Martini, Cabilonenſi, Sylvanectenſi, & aliis.]

Officium capituli.

I V. Poſt primam in inſignioribus canonicorum collegiis celebrabatur officium capituli, quod ita deſcribit Joannes Epiſcopus Abrincenſis: [Prima finita, in capitulum conveniant fratres; Martyrologii lectio legatur; ne aliqua Sancti feſtivitas in craſtino celebranda negligenter omittatur. Verſu *Pretioſa in conſpectu Domini* dicto, B. Mariæ Sanctorumque interceſſione poſtulata, tumque Deo in eorum auxilio invocato, oratione Dominica completa cum ſacerdotis oratione, ibi finiatur. Inde recitetur lectio regulæ canonicalis, ſeu paſtoralis, vel alicujus regularis libri. Deinde culpæ examinentur.] Similia longè antea inſtituerat in regula canonicorum cap. 18. Crodegangus Metenſis Epiſcopus, cum hoc tantum diſcrimine, quòd capituli officium à lectione regulæ incipiat, cujus loco Dominicis, quartis, ſextiſque feriis ac ſanctorum ſolemnitatibus tractatus, aut homelias, aut certè aliquid quod ædificet audientes ante martyrologii lectionem pronuntiari voluit. Ejuſdem officii meminit Tangmarus in vita Sancti Bernvvardi Epiſcopi Hildesheimenſis n.7. Sæculo VI.Benedictino part.1. His concinunt ea quæ præſcribit ordinarium B. Mariæ Laudunenſis ante annos 400. manu exaratum his verbis: [Finita prima B. Mariæ, omnes canonici qui ibi interſunt, ad capitulum eunt proceſſionaliter, nec aliquis canonicorum proceſſioni debet obviare. Clericulus alba indutus, lunam pronunciat, ſanctorum ſolemnitates demonſtrat. Sacerdos: *Iſti & omnes ſancti intercedant pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, ut partem habere mereamur cum eis qui in cælis ſunt per te Chriſte Salvator mundi, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas. Reſpice in ſervos tuos & in opera tua, & dirige filios eorum, & ſit ſplendor Domini*

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta. &c.*

Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. Oremus. Dirigere & ſanctificare, cuſtodire & regere digneris, Domine Deus, omnipotens Rex, creator cæli & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, actus & ſermones noſtros in lege tua, & in via tua ſancta, & in omnibus operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum per te & in te, Domine, ſemper ſalvi, ſani, & liberi, & ſecuri eſſe mereamur ſalvator mundi, Rex gloriæ, ſalva nos, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas Dominus per omnia ſæcula ſæculorum. .... Si anniverſarium alicujus evenerit, clericulus pronunciat: chorus: *Requiem æternam dona eis Domine & lux perpetua luceat eis.* Sequitur lectio regulæ.] Hactenus vetus Eccleſiæ Laudunenſis ordinarium. In antiquis quoque ſtatutis Eccleſiæ Pariſienſis ſic lego: [Inde in capitulum progrediuntur, ubi geſtis Sanctorum & Diptychis defunctorum perlectis, fiant preces pro eorum requie. Poſteà ter petito Dei adjutorio, ſubjungitur verſus cum collecta, & lector data benedictione legit canonem ſeu caput regulæ, quod omnes cum ſumma reverentia auſcultant ſedentes; iterumque data ab hebdomadario benedictione ſecedunt.] Et ms. ordinarium Eccleſiæ Rotomagenſis: [Dehinc in capitulo, & ibi audiatur lectio de Martyrologio. ℣. *Pretioſa &c.* Dehinc legatur obitus, ſi fuerit .... Sequatur lectio de ſermonibus vitæ clericorum.] Denique antiquum Rituale S. Martini Turonenſis ante annos 400. ſcriptum cap. 16. Poſt primam [dicatur de B. Maria: hoc facto, vadunt omnes in capitulum in ordine, & dictis capitulis & oratione, lectionem legit clericulus ſuper pulpitum de Martyrologio & aliam de canonibus in quadrageſima, exceptis feſtis IX. lectionum & ſabbatis: & lectione lecta inclinat, & tunc dicit hebdomarius: *Ipſi & omnes ſancti.* Poſt vadit clericulus ante decanum vel Epiſcopum, ſi præſens fuerit, & genuflexo, legit obitum ſuper genu decani vel Epiſcopi: & ſi abſentes fuerint, legit ad pulpitum. Hoc facto, dicuntur pſalmi *voce mea II.* & *De profundis*; & *Pater noſter*, cum capitulis & & orationibus.] In Concilio etiam Colonienſi anno 1260. celebrato cap. 7. hæc lego: [Et poſt hujuſmodi decantationem officii, decanus & fratres ingredientur domum capituli: ante omnem tractatum, vel etiam præbendæ aut cujuſcumque alterius negotii, tabulæ capitularis lecturam (habentis diſtinctè in ſpecie quid unicuique ſit cantandum, vel legendum in choro,) audiant diligenter, ac inſuper lunationes, necnon aliqua lectio de regula vel vita clericorum legatur. Et tunc immediatè de diſciplina fiat quod fuerit faciendum, ac talia conſequenter poſt ipſam diſciplinam tractentur negotia, quæ ad utilitatem ſeu neceſſitatem fuerint ſpectantia publicam ſeu privatam.]

Lectio Martyrologii in choro.

V. Eadem etiam facienda præſcribit ordinarium Silvanectenſe ab annis circiter 400. ſcriptum, ſed in choro, non in capitulo. Sic enim deſcripto primæ officio proſequitur: [Poſt dictam orationem legitur calenda à quodam puero, & finiatur ſic: *Et aliorum plurimorum SS. Martyrum & Confeſſorum atque Virginum.* ... Deinde pronunciatur anniverſarium quod in Martyrologio continetur... Poſteà legitur lectio de

Paſtorali, quæ finitur per *tu autem.*] Hæc omnia fuſius referre oportuit, ne pretioſa hæc antiquæ diſciplinæ monumenta perire ſineremus, quæ tandem aliqua ex parte reſtaurata videmus in novo Breviario Eccleſiæ Aurelianenſis, in quo pro lectione brevi ad primam quotidiè aſſignatur aliquis canon ex Conciliis aut ex ſcriptis Patrum ad clericorum rectam morum inſtitutionem concinnatus. Porrò regula illa, cujus lectionem commendant Joannes Abrincenſis, ordinarium Laudunenſe, & ſtatuta Eccleſiæ Pariſienſis, alia nobis non videtur fuiſſe, quàm ea quæ pro canonicis ex ſacris canonibus & dictis SS. Patrum in Concilio Aquiſgranenſi anno 816. conſcripta fuit, quæ quòd unà cum Martyrologio in uno eodemque volumine eſſet compacta, martyrologio ipſi regulæ nomen indidit. Hinc capiendum reor quod in ordinario Cabilonenſi poſt officium primæ reperitur: [Hic legitur in regula *pretioſa in conſpectu Domini*,] ſcilicet in choro, id quod hodiè communi uſu ubique retinetur. [Deinde, inquit, ordinarium Eccleſiæ Turonenſis, lectio de martyrologio in choro ſatis alta voce, & deſcendunt omnes inferius. Puer autem dicit: *Jube domne benedicere.* Sacerdos data benedictione, & lectione lecta dicat *pretioſa in conſpectu &c.* Poſt hæc pronunciet puer anniverſarium quod debet celebrari die ſequenti.] Non debeo hîc prætérire ritum legendi martyrologii ex ordinario S. Martini Turonenſis anno 1450. compacto, cùm jam à priſca diſciplina deflexiſſent canonici: [Hoc peracto, ſcilicet primæ officio, ſacerdos vadit ad pulpitum chori, & dicit hæc quæ ſequuntur cum puero pſallente ſubmiſſa voce, ℣. *Pretioſa in conſpectu Domini.* Reſpondet puer, *mors ſanctorum ejus. Oremus. Sancta Maria & omnes Sancti &c.... Gaudium cum pace, & emendationem vitæ tribuat nobis Rex æternæ gloriæ. Amen.* Deinde puer petit benedictionem dicens: *Jube domne benedicere.* Hebdomadarius dicat: *Benedictio Domini veniat ſuper nos.* Tunc puer legat lectionem martyrum: qua finita, dicat hebdomadarius. *Iſti & omnes.* Deinde puer legat anniverſarium hujus diei. Hebdomadarius dicat: *Pro cunctis defunctis requiem æternam.* ℟. *Et lux perpetua.* Pſal. *voce mea* & *De profundis.* Orationes *Inclina. Deus indulgentiarum*, & *Fidelium.*] Sed de his ſatis.

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta, &c.*

De tertia, ſexta, & nona.

VI. Tertiæ, ſextæ, nonæque officium eodem penè ritu & ordine ab antiquis celebratum fuit. De his horis audiendus in primis Caſſianus in libro 3. de diurnis orationibus cap. 2. [Itaque in Paleſtinæ vel Meſopotamiæ monaſteriis ac totius orientis ſupradictarum horarum tertiæ, ſextæ, nonæ ſolemnitates trinis pſalmis quotidiè finiuntur.] Eamdem ſibi regulam obſervandam propoſuerunt S. Benedictus, S. Columbanus, S. Iſidorus, S. Fructuoſus, aliique nonnulli vitæ monaſticæ magiſtri, qui diurnas horas tribus dumtaxat pſalmis cum certis precibus ac lectionibus celebrari inſtituerunt. Scribit tamen Caſſianus in lib. 2. cap. 2. aliis provinciis [in ipſis quoque diurnis orationum officiis, id eſt, tertia, ſexta, nonaque id viſum, ut ſecundùm horarum modum, in quibus hæc Domino redduntur obſequia, pſalmorum etiam & orationum putarent numerum coæquandum.] Hoc eſt, ut explicat Gazæus

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta, &c.*

in commentario ad hunc locum, ut hora tertia tres pſalmos, ſexta ſex; nonaque novem perſolverent: quod propriè eſt horarum & pſalmorum numerum exæquare. Addit nihilominus Caſſianus placuiſſe nonnullis [Senarium numerum ſingulis diei conventibus deputari.] Atque hic poſtremus ordo in Gallicanis præſertim Eccleſiis viguiſſe colligimus tum ex regula S. Cæſarii ad Virgines, tum ex ordine pſallendi ab Aureliano Arelatenſi Epiſcopo inſtituto, quibus favet Concilium Turonenſe II. Nam Cæſarius in præfata regula qualis eſt apud Bollandum ad Januarii diem XII. præſcribit, [ut quotidianis diebus ad tertiam, ſextam, nonam, ſeni pſalmi cum antiphonis, hymnis, lectionibus, vel capitellis ſuis dicantur.] Aurelianus verò [Quotidianis, inquit, diebus ad tertiam ſex pſalmos dicite, antiphonam, hymnum *jam ſurgit hora tertia*, lectionem, & capitellum *fiat Domine*. Ad ſextam ipſe numerus pſalmorum tenendus: Antiphona dicenda, hymnus *jam ſexta ſenſim ſolvitur*, lectio & capitellum. Ad nonam iſte ordo ſervandus, hymnus verò *ter hora trina volvitur.*] In regula tamen ad monachos pſalmos duplicat duodecim ad ſingulas horas decantandos inſtituens. Denique Concilium Turonenſe II. can. 18. docet [Patrum inſtituta (præcepiſſe) ut ad ſextam ſex dicantur pſalmi cum alleluia.]

De veſperis. VII. Celeberrima inter omnes canonicas horas veſpertina Synaxis, ab antiquis etiam duodecima dicta, eo quòd circa duodecimam diei horam celebrari ſoleret. Hujus meminit S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Macrinæ cap. 17. & S. Auguſtinus in Epiſtola 29. ad Alypium, quæ nova acceſſit in ultima editione, ubi inter alia hæc habet: [Acta ſunt veſpertina quæ quotidiè ſolent: nobiſque cum Epiſcopo recedentibus; fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriuſque ad obſcuratum diem manente atque pſallente.] Quibus ex verbis duo colliges: unum in Africa veſpertinum officium quotidiè in Eccleſia; alterum die ad occaſum vertente decantatum fuiſſe: unde & lucernarium ſeu lucernaria à lucernis illa hora accendendis ab antiquis appellatum, ad quem ritum reſpexit S. Hieronymus ad Lætam his verbis ſcribens de filiæ inſtitutione: [Aſſueſcat lucerna accenſa reddere ſacrificium veſpertinum.] Et Socrates in libro 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. [In Achaia, & Theſſalia, itemque Jeroſolymis, cùm accenduntur lucernæ, orationes faciunt eodem prorſus modo quo Novatiani qui Conſtantinopolim incolunt. Apud Cæſaream Cappadociæ, & in Cypro inſula, die Sabbati & Dominico ad veſperam poſtquam accenſæ ſunt lucernæ, ſemper Epiſcopi ac presbyteri ſcripturas interpretantur.] Hinc etiam capiendum eſt quod ſcribit Uranius in vita S. Paulini Nolani Epiſcopi cap. 3. [Adveniente luce, conſuetudinem ſuam vir ſanctus agnovit: itaque, ut ſolebat, excitatis omnibus clericis, matutinum ex more & ordine celebravit. . . . Tranſactis autem his, tacitus uſque ad veſperam perduravit. Deinde quaſi ſomno excitatus lucernariæ devotionis tempus agnoſcens, extenſis manibus, lenta licet voce; paravi lucernam Chriſto meo decantavit.] Et in Concilio Emeritenſi can. 2. [Oportet igitur

ut ſicut in aliis Eccleſiis veſpertino tempore poſt lumen oblatum priùs dicatur veſpertinum quàm ſonum in diebus feſtis : ita & à nobis cuſtodiatur in noſtris Eccleſiis.] Quem locum mirè explicat Breviarium Mozarabum ubi lucernarii ſeu lucernæ accendendæ ritus deſcribitur hoc modo : [Dies ſive ſit feſtivalis , ſive privata , ſemper horæ incipiunt à veſpertinis ante diem : & principium ſit per invocationem Jesu-Christi , oratione Dominica præcedente , ſubmiſſa voce dicendo *Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon. Pater noſter* ; Et alta voce , *In nomine Domini Jeſu-Chriſti lumen cum pace* , hoc eſt lumen oblatum. Reſpondetur à circumſtantibus : *Deo gratias.* Et presbyter dicit : *Dominus ſit ſemper vobiſcum.* Reſpondetur. *Et cum ſpiritu tuo.* Et ordo veſperarum , ſive ſit feſtum , ſive non , ſequitur per hunc modum. Primò dicitur pſalmus quod eſt veſpertinum : quo finito , presbyter dicet : *Dominus vobiſcum.* Reſpondetur : *Et cum ſpiritu tuo.* Statim dicitur ſonus , ſi ſit feſtum; eo quòd dies ferialis careat ſono , niſi tempore reſurrectionis propter ſolemnitatem dicitur. Hæc regula. Sonus eſt : *Venite exultemus Domino &c.*] Hujus ritus meminit Beatus Abbas in libro 1 , adverſus Elipandum : [Si in veſpertinis lucernarium ante altare obtulerit , non poteſt aliter offerri , niſi dixerit : *In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti lumen cum pace.*]

Caput VIII. De prima , tertia , ſexta. &c.

Lucernarium.

VIII. Lucernarium cum veſpera confundunt nonnulli , alii diſtinguunt utrumque, & lucernarium de precibus ad accendendas lucernas recitandis interpretantur. Utriuſque officii diſcrimen & preces ita deſcribit S. Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus. [Ad lucernarium omni tempore , & feſtis & quotidianis diebus , in primis directaneus , poſtea antiphonæ duæ , tertia ſemper cum alleluia dicatur , hymnus una die : *Deus qui certis legibus* ; alia die : *Deus creator omnium* & capitellum. Ad duodecimam pſalmos decem & octo, antiphonam, & hymnum, lectionem & capitellum.] Ex canone 18. Concilii II. Turonenſis diſcimus duodecim dumtaxat ad veſperas pſalmos decantatos fuiſſe , [quia , inquit , Patrum ſtatuta præceperunt , ut ad ſextam ſex pſalmi dicantur cum alleluia ; & ad duodecimam duodecim pſalmi item cum alleluia.] Ubi alludere videtur ad ea quæ ſcribit Caſſianus libro 2. de nocturnis orationibus. cap. 4. [Per univerſam Ægyptum & Thebaïdem duodenarius pſalmorum numerus tam in veſpertinis quàm in nocturnis ſolemnitatibus cuſtoditur.] His duas addebant lectiones unam ex veteri , alteram è novo Teſtamento ; die tamen Sabbati & Dominico utramque de novo Teſtamento. Prætereà Concilio Gerundenſi canone X. [placuit obſervari , ut omnibus diebus poſt matutinas & veſperas oratio Dominica à ſacerdote proferatur.] Agathenſe verò can. 30. ſtatuit , [ut plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur.] Cujus rei praxim videre eſt in vita S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi lib. 2. cap. 12. [Factum eſt ut quodam tempore quatuor ei Epiſcopi ad occurſum venirent : cum quibus ad lucernarium ad Baſilicam S. Stephani deſcendit. Cùmque expleto lucernario , benedictionem populo dediſſet]

CAPUT VIII. *De prima, tertia, ſexta. &c.*

&c. Qualis autem eſſet populi dimittendi ritus, maximè in Hiſpania, utcumque diſcimus ex Beati Abbatis libro 1. adverſus Elipandum, ubi hæc habet: [Si etiam completo officio non poteſt egredi ſine hac ſolutione, niſi priùs dixerit: *In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti eamus cum pace.* Sic in veſpertinis, ſic in matutinis, ſic omnibus horis, quibus neceſſaria officia vel canonica in Eccleſia peraguntur.]

Lectio ante completorium.

IX. Tandem ſub finem diei completorium decantamus, quod à lectione brevi incipimus, cujus loco S. Benedictus in regula cap. 42. prolixam trium quatuorve foliorum præſcribit. Hujus inſtitutionem etiam ſuſcepiſſe videntur cathedrales canonicorum Eccleſiæ, in quibus lectiones ante completorium ex homiliis & ſermonibus SS. Patrum, omnibus in unum congregatis, publicè legebantur. Hæc lectio quæ à ſubdiaconis facienda paſſim præſcribitur in ordinario inſignis Eccleſiæ Laudunenſis, tempore quadrageſimæ erat ex dialogorum S. Gregorii libris uti poſteà dicemus.

Confeſſio.

X. Poſt lectionem confeſſionem generalem facimus, cujus uſus ex antiqua prorsùs conſuetudine procedit, mentionemque illius facit antiquus autor in vita S. Dunſtani ſæculo V. Benedictino pag. 657. in percelebri S. Martini Turonenſis Eccleſia ad hanc confeſſionem faciendam omnes canonici de ſubſelliis deſcendentes in ipſam chori planitiem, ad celebrantem glomeràtim accedunt, qui ritus an uſpiam alibi vigeat planè ignoro.

Salutatio angelica.

XI. Poſt completorium in honorem Beatæ Mariæ ſalutationem angelicam ad campanæ pulſum recitare ſolemus, cujus conſuetudinis inſtitutio ad S. Bonaventuram referenda videtur. Nam de eo ita legimus in ejus vita apud Surium 14. Julii: [Idem & piiſſimus cultor glorioſæ Virginis matris JESU inſtituit, ut fratres populum hortarentur ad ſalutandam eamdem, ſigno campanæ audito, quod poſt completorium datur, quod creditum ſit eamdem ea hora ab angelo ſalutatam.] Alium fratrum prædicatorum ritum in honorem B. Mariæ refert Thomas Cantipratenſis libro 2. de apibus cap. 10. num. 21. His verbis: [Verè ergo dignè, & juſtè à fratribus prædicatoribus Pariſiis eſt ſancitum, ut poſt completorium omni die cum proceſſione & ſolemnitate cereorum *Salve Regina miſericordiæ* fuſis initio genibus in gloriam & laudem glorioſiſſimæ Virginis decantetur.] Similis hactenus fit proceſſio in percelebri Cluniacenſi cænobio.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De quibuſdam ritibus & conſuetudinibus diebus Dominicis aut infrà hebdomadam olim obſervatis.

I. QUæ præmiſſa ſunt hactenus, ea generales quaſdam conſuetudines continent, ex communi uſu ab omnibus ſingulis diebus obſervari ſolitas: quæ verò deinceps à nobis tractabuntur, ſingularia & certis quibuſdam diebus tantùm propria cenſenda ſunt. Sed antequam ſingulos per anni curriculum dies percurramus, operæ pretium eſt, nonnullos per hebdomadam, die præſertim Dominica, occurrentes ritus brevi oratione referre. CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus &c.*

II. Igitur ad Dominicam diem præcipuè ſpectant hebdomadariorum inſtitutio, divini officii ſolemnitas, aquæ luſtralis publica benedictio, ac proceſſio, panis item benedicti diſtributio, & prædicatio.

III. Hebdomadariorum inſtitutio ad cantorem maximè pertinebat, cujus erat omnia chori exercitia moderari,& quid quiſque per hebdomadam præſtare deberet in tabella publico in loco exponenda,aut in capitulo à clericulo legenda adnotare. Id vel præcedenti ſabbato vel Dominica poſt primam peragebatur. Tunc enim ſcilicet Dominica poſt primam ut ait ordinarium antiquum inſignis Eccleſiæ Laudunenſis, poſt pronuntiatam martyrologii lectionem & preces ſubſequutas, [Sacerdos, diaconus & ſubdiaconus qui fuerunt hebdomadarii, reddunt hebdomadas ſuas in capitulo ſtantes, & dicentes *Benedictus es Domine Deus qui adjuviſti me & conſolatus es me.* Deinde Subregnarius denuntiat in tabella hebdomadarios canonicos, videlicet hebdomarium Miſſæ, Evangelii, epiſtolæ, & chori, unumquemque in ordine ſuo. Poſteà ſacerdos diaconus & ſubdiaconus hebdomadarii ſurgunt ſtantes in capitulo dicunt bis: *Deus in adjutorium meum intende*] *&c.* Quæ quidem inſtitutio deſumpta videtur ex regula S. Benedicti, ubi ſimilia ab hebdomadariis coquinæ peragenda decernuntur. Addit Laudunenſe ordinarium: [Sciendum eſt quòd canonici hebdomadarii, qui recipiunt hebdomadas ſuas in capitulo, debent eas recipere barbis & tonſuris raſis.] Hebdomadariorum inſtitutio.

IV. Hebdomadarius Miſſæ ita inſtitutus majorem quotidiè miſſam decantabat, omnes divini officii canonicas horas incipiebat, benedictiones ad lectiones dabat, collectas ſeu orationes in fine cujuſque horæ pronunciabat, neque de clauſtro per totam hebdomadam egrediebatur, cujus rei veſtigium aliquod ſupereſſe in Auguſtodunenſi Eccleſia audivi: unde & cum Epiſcopo refectionem accipiebat, uti colligimus ex hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium cap. 97. apud Labbæum bibliothecæ novæ tom. 1. pag. 524. & 525. Sabbato verò poſt inceptas veſperas ad majus altare accedebat, & proſtratus coram omnibus, veniam de admiſſis per hebdomadæ curriculum in choro culpis ſupplex deprecaba- Eorum munia.

Digitized by Google

tur, donec primus veſperarum pſalmus abſolutus eſſet : qui ritus hactenus viget in Eccleſia Rotomagenſi.

CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus. &c.*

V. Circa ſolemnitatem divini curſus diebus Dominicis perſolvendi plurimum expatiari non vacat : unum omnium inſtar ſufficiat proferre antiquum ordinem Cameracenſis & Attebatenſis Eccleſiæ ex Petri Pithæi relictis ſcriniis non multis ab hinc annis vulgatum in appendice ad codicem canonum Eccleſiæ Romanæ : [Dominica ſacræ reſurrectionis nocte vigilias cuſtodire oportet, & ante mediam noctem ad nocturnale officium ſurgendum eſt, & omnia ſigna pulſanda ſunt, ſive in brevioribus, vel in longioribus noctibus. Eccleſia autem cum omni decore illuſtretur lumine tam cum cereis quàm etiam cum lampadibus. Cum omni verò honeſtate lectiones tractim legantur, & reſponſoria decantentur. Nona autem lectio ſit Evangelica, ex homiliis Patrum. Homilia ipſius Evangelii à diacono vel à presbytero, aut Epiſcopo tota legatur, niſi forte aurora interveniens hoc diſtulerit. Populus verò ſtans vel ſedens audiat divinum. Strenue agat ſilentium, ne fortè ſibi vel legentibus fiat impedimento, quia populus in Eccleſia vaniloqui non debet. Scriptum eſt enim : *In conſpectu angelorum pſallam tibi : adorabo ad templum Sanctum tuum.* Et in Evangelio : *Domus mea domus orationis eſt.* Et hoc parvipendere magnum delictum eſt. In ipſis tribus nocturnis tribus vicibus duo thuribula deportanda ſunt cum incenſo & thimiamate, id eſt, in initio primi pſalmi, & in ſecundo nocturno primi pſalmi; & in nocturno ſimiliter primi. Primitus enim ad altaria deportanda ſunt; deinde in choro, poſtmodum ad populum : & ita parati ſint ſemper, ut prunæ cum cineribus in loco opportuno inveniantur.

Dici Dominicæ officia quo ritu celebranda.

Matutinale verò officium tractim decantandum eſt, altius tamen ipſi pſalmi quàm nocturnales. Sic enim fit in Romana Eccleſia. Poſt peractum officium omnes exeant ab Eccleſia, ut ſe præparent ſtatim, niſi cuſtodes deputati ibi remaneant. . . .

Mox ut prima completa fuerit, procedat omnis clerus ab Eccleſia cum ſilentio, & accipiant veſtes de ſacrario, & in choro ſtantes vel ſedentes, cum ſilentio expectent adventum Epiſcopi. Cubicularii verò Epiſcopi & ſubdiaconi parati ſint ad inducendum Epiſcopum; quia ubicumque ille fuerit, uſque dum paratus ſit, præſto illi debent adeſſe. In illa hora poſtquam veſtes à ſacrario receperint, & aqua benedicta aſperſa fuerit, iterum pulſatis ſignis, decantetur tertia. Hoc enim modo fiat in feſtivitatibus SS. Apoſtolorum, & martyrum. Et ideò volumus ut mane agatur Miſſa in Dominicis diebus : quia Dominus valdè manè ſurrexit : & ita uſus eſt in ſancta Sede Romanæ Eccleſiæ. In titulis verò qui in civitate, vel extra ſunt, non ante cantetur Miſſa, quàm in ipſa publica Eccleſia in civitate, neque illorum ſigna pulſentur, ut omnis populus ad publicam procedat Eccleſiam, niſi fortè cauſa infirmorum, aut pro iter agentibus, in monaſteriis verò quæ ſunt juxta civitatem non anteà miſſarum ſolemnia agantur, quàm in publica Eccleſia civitatis inchoata

inchoata fuerint miſſarum ſolemnia, niſi fortè, ut diximus, pro iter-agentibus aut infirmorum cauſa.]

CAPUT IX.

De quibuſdam ritibus. &c.

VI. In prolixo hoc textu plurima licet obſervare. 1. Nocturnas vigilias diebus Dominicis longè prolixiores extitiſſe, ad quas etiam ante mediam noctem ſurgendum erat. S. Benedictus etiam his diebus temporius ad vigilias diſcipulos ſuos ſurgere voluit, & maximam noctis partem in divinis laudibus ab ipſis impendi. Veteres quoque monachi, teſte Caſſiano lib. 3. c. 8 totam ferè & integram noctem ſabbati & Dominicæ Deo conſecrabant duabus duntaxat horis ſomno deputatis. Monachorum hac in re fervorem æmulabantur ipſi etiam clerici, imò & laici, de quibus præclare S. Nicetius in libello de vigiliis ſervorum Dei cap. 2. [Nec ſanè onerosum vel difficile videri debet etiam delicatis vel infirmis corporibus in ſeptimana, duarum noctium, id eſt ſabbati atque Dominicæ, portionem aliquam Dei miniſterio deputare: iſta enim quaſi purificatio eſt dierum quinque vel noctium, quibus ſtupore carnali ingraveſcimus, aut mundanis actibus obſeſſi lætamur.]

Vigiliæ majoriùs celebratæ.

VII. 2. Notanda eſt conſuetudo incenſi ad ſingulos nocturnos offerendi ad altaria: quæ conſuetudo olim in præcipuis feſtis vigebat apud monachos, vigetque etiam nunc in inſignioribus Eccleſiis. Hoc munus ad presbyteros præſertim pertinebat. At ſingulare imperatorum extitit privilegium, ut incenſum ad altare poſſent offerre, id quod diſcimus Franciſci Combeficii notis ad vitam S. Bacchi junioris.

Incenſum oblatum ad ſingulos nocturnos.

VIII. 3. Nonam lectionem à diacono ſive à presbytero aut ab Epiſcopo decantatam fuiſſe, qui ritus ex regula S. Benedicti, quæ ultimam nocturnorum lectionem ab Abbate decantari jubet, deſumptus videtur. A quibus aliæ lectiones pronunciari debeant hic non declaratur, ſed ex antiquo ordinario inſignis Eccleſiæ Laudunenſis, [duo clericuli legunt primam & quartam lectionem, tres canonici ſubdiaconi legunt ſecundam tertiam & quintam, duo canonici diaconi legunt ſextam & ſeptimam lectionem, duo canonici ſacerdotes legunt octavam & nonam lectionem. Et debent eſſe ejuſdem ordinis qui cantant reſponſoria, cujus ſunt qui legunt lectiones.] Antiphonas autem in primo nocturno imponere debent ſacerdotes, in ſecundo diaconi, in tertio ſubdiaconi, omnes canonici.

Lectiones à quibus cantatæ.

IX. 4. Matutinas laudes ſolemniori ritu decantandas, & quidem *tractim & altius* quàm nocturnales: idque ob honorem Dominicæ reſurrectionis, quæ illa hora contigit, & cujus cauſa iſtud officium inſtitutum eſt. Ordinem autem in eo ſervandum ita deſcribit antiquum Beatæ Mariæ Laudunenſis ordinarium: [In laudibus duo canonici ſacerdotes primam & ſecundam antiphonam incipiunt, incipiendo ab ea parte in qua eſt chorus: duo canonici diaconi tertiam & quartam incipiant, incipiendo ab ea parte in qua eſt chorus: Quintam antiphonam incipit canonicus ſubdiaconus ab ea parte, in qua eſt chorus... Dum cantatur pſalmus *Laudate Dominum de cœlis* canoniculus qui matutinas cantat, vadit ad ſacratium & indutus cappa ſerica redit in chorum ad

Laudes ritu ſolemniori decantatæ.

Digitized by Google

Caput IX. *De quibuſdam ritibus, &c.*

locum in quo ſedet vel ſedere debet major archidiaconus, & ibi dicit capitulum. Dictoque capitulo, erit chorus, & ſtat ibi donec incipiatur pſal. *Benedictus.* Unus canonicus ſacerdos incipit antiphonam ad *Benedictus* ab ea parte in qua eſt chorus, & finitur dicta antiphona; inceptoque pſalmo prædicto, accedit canonicus qui matutinas cantat indutus cappa ſerica, ut prædictum eſt, ad majus altare incenſandum, præcedentibus duobus clericulis tenentibus cereos, alio thuribulum & alio crucem. Et incenſato majore altari, vadit ad incenſandum alia loca conſueta intra chorum. Clericulus qui deſervit miniſterio paratus eſſe debet ut deferat collectaneum ad orationem dicendam.]

Primæ officium.

X. 5. De primæ officio in ordine Cameracenſi & Atrebatenſi nihil dicitur, at in ordinario Laudunenſi ita deſcribitur, ut præmiſſo hymno, incepta antiphona, hi decantentur pſalmi *Deus Deus meus reſpice in me. Dominus regit me* ſub una gloria *judica me* & *Deus in nomine* ſub unica *gloria. Confitemini* cum quatuor primis octonariis pſalmi 118. Symbolum S. Athanaſii vulgò appellatum cum prolixis quas ſupra retulimus precibus. Simile officium reperitur in antiquis ordinariis Eccleſiæ Turonenſis S. Gatiani & S. Martini, Cabilonenſis, Sylvanectenſis & aliis; ſed in Cabilonenſi tertio loco adſignantur pſalmi *Domini eſt terra* & *Ad te Domine levavi* ſub una *gloria*, omiſſo pſalmo *Confitemini.* In ordinario Argentinenſi tertio loco ponuntur pſalmi *Domini eſt terra* & *ad te levavi* cum aliis in ordinario Laudunenſi aſſignatis, ſed à ſeptuageſima uſque ad Paſcha pro pſalmo *Confitemini* ponitur *Dominus regnavit decorem.* Qui etiam pſalmi in Sylvanectenſi ſecundo loco ponuntur, addito etiam pſalmo *confitemini* ante *Beati immaculati.*

XI. 6. Maximè notandum eſt quod præſcribitur de miſſa ſolemni temporius dicenda, antequam in aliis urbis titulis aut monaſteriis quidquam pulſetur, ut omnes ad publicam miſſam poſſent occurrere qua de re alias dictum eſt à nobis in libro 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 3. art. 10.

Aquæ benedictio.

XII. De ſolemni ſalis & aquæ benedictione ſingulis diebus Dominicis facienda, non memini me legiſſe aliquid ante ſæculum IX. quo Leo Papa IV. in homilia de cura Paſtorali pauca hæc habet. [Omni die Dominico ante Miſſam aquam benedicite, unde populus aſpergatur, & ad hoc proprium vas habete.] Quò etiam Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, editis ad presbyteros parochiæ ſuæ capitulis nonnullis quinto loco ſtatuit, [ut omni die Dominico quiſque presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur, & qui voluerint in vaſculis ſuis nitidis ex illa accipiant, & per manſiones & agros, & vineas, ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula quoque eorum, necnon & ſuper cibos & potum ſuum conſpergant.] Hanc benedictionem *in omni Dominica juxta canones* celebrari ſcribit Micrologus libro de obſervationibus Eccleſiaſticis cap. 46. Quinam ſint illi canones needum nobis reperire licuit, nam Alexandri Papæ I. de-

cretum quod ille citat & refertur à Gratiano de conſecratione diſt. 2. cap. *aquam.* Eſt ſuppoſititium, deſumtum ex adulterina ejuſdem epiſtola prima, quam explodunt eruditi omnes. Sed neque die Dominica, ſed ſimpliciter aquam benedici præcipit. Non inficiamus tamen aquæ benedictæ uſum in Eccleſia eſſe antiquiſſimum, nam præter benedictionem aquæ ad baptiſmum & Eccleſiarum dedicationem adhibendæ, quam à primis chriſtianæ Religionis ſæculis obtinuiſſe non dubitamus: alia nobis ſuperſunt de illius uſu atque virtute argumenta apud Epiphanium hæreſi 30. Caſſianum collat. 15. cap. 14. Theodoretum lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 21. & hiſtoriæ religioſæ cap. 8. & alios auctores plurimos.

CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus. &c.*

XIII. Hæc aquæ benedictio ex Hincmaro diebus Dominicis fieri debet ante Miſſam, in Eccleſia Turonenſi ſabbato ante veſperas peragitur, ex præfato ordine Cameracenſis & Atrebatenſis Eccleſiæ manè ante primam privatim in ſacrario fiebat; ex mſ. Miſſali inſignis Eccleſiæ Albienſis *ante tertiam in Sacriſtia*; ex antiquo Proceſſionali ſeu Rituali mſ. Sueſſionenſi hora tertia *ad aſcenſum prasbyterii ſuper gradum altiorem*; ex ordinario Laudunenſi & Silvanectenſi ante tertiam in choro. Hodiè quoque in choro ad aquilam benedicitur in Eccleſia Rothomagenſi, ſacerdote ad aquilonem converſo exorciſmos pronuntiante. In inſigni Eccleſia Viennenſi in Gallia ſolemniter in navi celebratur aquæ benedictæ ritus hoc modo: Die Dominica convocatis ad campanæ ſignum per horæ quadrantem canonicis, Sacerdos indutus amictu, alba, ſtola, & cappa, comitante ſubdiacono alba & manipulo ornato ac librum miſſalem deferente, cum duobus acolytis alba pariter indutis, uno cereum accenſum & ſal, altero vas aqua plenum deportante, accedit ad ſuperiorem navis partem verſus evangelium, ibique toto circumſtanti clero, ſalem & aquam exorciſmis & precibus annotatis expiat.

Qua hora.

Et quo ritu peracta.

XIV. Peracta benedictione, chorum clerus ingreditur, atque in inferioribus ſubſelliis canonici, cantores verò medio in choro recta in linea ſeſe collocant. Interim impoſita à cantoris vicario hebdomadario antiphona *Aſperges me*, ſacerdos ab eo loco, ubi aquam benedixit, altare ſanctæ crucis, in quo & ſanctiſſimum ſolet aſſervari ſacramentum, aſpergit. Deinde chorum ingreſſus idem præſtat ad majus altare, ad altare S. Jacobi, S. Clari, aliaque altaria à latere evangelii conſtita, choro interim pſalmum *Miſerere mei Deus* decantante. Sub finem pſalmi diaconus indutus alba, ſtola & manipulo; præcedentibus duobus ceroferariis cum cereis accenſis, ad gradus chori verſus altare procedit; ſacerdos verò per inferiorem ejuſdem chori portam ingreſſus, antiphona repetita, cantat orationem *exaudi nos:* qua finita, cantoris vicarius imponit antiphonam *Salve Regina*, celebrans clerum è choro in navim procedentem aſpergit, dumque cantatur antiphona, altare S. Claudii ac vetus cimiterium ſimiliter aſpergit privatim recitans duos primos pœnitentiæ pſalmos, ſubdiacono comite tenente vaſculum aquæ benedictæ, & ad ſingulos verſus reſpondente. Sub finem antiphonæ rever-

Aſperſio.

Digitized by Google

titur in navim Eccleſiæ, ubi medius in clero conſtitutus, cantat orationem *famulorum* & *inclina*, quæ dicta, procedit in aliud cimiterium ad aquilonem ſitum, benedictam ſparſurus aquam, privatim recitans tertium pœnitentiæ pſalmum, ſubſequente clero, & in clauſtro cimiterio contiguo ſubſiſtente dum cantatur antiphona *deprecemur* aut tempore paſcali *Chriſtus*. Qua percantata, celebrans orationem *parce Domine* & *Deus cujus* recitat. His ita peractis, majus B. Mariæ clauſtrum circuit proceſſio, ſacerdote clerum univerſum proſequente, altaria tumuloſque occurrentes aqua expiata luſtrante, pſalmumque *Domine ne in furore* recitante; finitaque antiphona *Oremus dilectiſſimi*, collectas ſubjungit. Deinde primus ingreſſus Eccleſiam, omnes in navi conſtitutas aras & tumulos aſpergit, univerſo clero ℟. *Glorioſiſſimam* perſonante atque in chorum ſeſe recipiente.

Proceſſio.

XV. Ex hocce Viennenſis Eccleſiæ ritu, atque ex variis inſigniorum Eccleſiarum ritualibus libris apparet ſolemnem proceſſionem cum benedictione aquæ luſtralis fuiſſe conjunctam. Ea potiſſimum ad hoc erat inſtituta, ut ſacerdos hebdomadarius omnes canonicorum ædes & officinas adiret, eaſque expiata aqua conſperſas certis precibus benediceret. Cujus ritus meminit ordo Cameracenſis & Atrebatenſis Eccleſiæ, in quo ſic lego: [De ſchola autem aliqui eligantur, qui cum uno presbytero & cruce una aquam benedictam, per omnia officina aſpergant, tam domum Epiſcopi, quàm & in clauſtra fratrum, omniaque circumeuntes benedicant.] Hic ritus diu viguit in monachorum cœnobiis, vigetque etiam nunc ſaltem aliqua ex parte ut audivi, in Eccleſia Lugdunenſi. Interim chorus aliquod reſponſorium concinens clauſtrum circuibat, ad januam Eccleſiæ ſubſiſtens atque expectans donec ſacerdos ab officinarum perluſtratione rediret, orationem decantaturus: atque inde origo ſtationum quæ ſive in clauſtro, ſive in navi Eccleſiæ fieri ſolent, proceſſiſſe videtur: duas aſſignat ordinarium Cabilonenſe. Nunc verò cùm à vita in communi ducenda ceſſaverint canonici ferè omnes, pro officinis ſacerdos tumulos Eccleſiæ & clauſtri aſpergit, ſed annotatas ad hunc uſum in antiquioribus libris collectas ſeu benedictiones non recitat, niſi fortè apud monachos qui eas hactenus retinuerunt.

Eulogiarum ſive panis benedicti uſus.

XVI. Proceſſionem ſequitur miſſa ſolemnis, in qua omnes olim offerebant & communicabant, uti alias demonſtravimus; ſed refrigeſcente in dies chriſtianorum caritate, communioni ſuffecta eſt eulogiarum ſeu panis benedicti diſtributio, de qua Hincmarus Remorum Archiepiſcopus in capitulis ad presbyteros ſuæ diœceſis anno 852. datis articulo 7. ſtatuit, [ut de oblatis quæ offeruntur à populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis presbyter convenienter, partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt miſſarum ſolemnia qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis exinde accipiant. Et illa unde eulogias presbyter daturus eſt, ante in hæc verba benedicat; & ſic accepturis diſtribuat, & micas ne incautè defluant cuſtodiat.

CAPUT IX. De quibuſdam ritibus. &c.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpiritali benedictione, ut ſit omnibus cum fide, & reverentia, ac gratiarum actione ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas cunctorum inimicorum inſidias tutamentum. Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM, *Filium tuum, panem vitæ, qui de cælo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*]

XVII. Illud capitulum deſumpſiſſe videtur Hincmarus ex Concilio Namnetenſi, cui tribuitur. Sed quandonam celebratum fuerit illud Concilium non ſatis conſtat. Idem decretum Pio I. ſummo Pontifici attribuunt Burchardus lib. 5. cap. 27. & Ivo Carnotenſis part. 2. cap. 5. ſed perperam: nam epiſtola illa unde excerptum fuit ſuppoſititia eſt & adulterina. De hoc ritu pauca hæc habet Leo Papa IV. in homilia de cura Paſtorali: [Eulogias poſt miſſas in diebus feſtis plebi diſtribuite.] Quæ verba etiam extant in Ratherii Veronenſis epiſtola Synodica.

XVIII. Olim monachis qui ad miſſam minimè communicaverant, non ſolùm Dominicis, ſed aliis etiam diebus diſtribuebantur in refectorio à ſacerdotibus eulogiæ, quas illi ante omnem cibum comedebant: qua de re videſis ea quæ diximus in libro 1. de antiquis monachorum ritibus cap. 9. Hodiè etiam Græci ſacerdotes panem unde ſacram, quam conſecrarunt hoſtiam, abſciderunt, poſt miſſam in partes dividunt, diſtribuuntque fidelibus tanquam precibus & oblatione ſanctificatum. [Illi verò, ut docet Cabaſilas, cum devotione accedentes ad ſacerdotem, panem ſuſcipiunt, & deoſculantur dextram quæ recenter ſanctiſſimum Corpus Chriſti contrectavit, & ſanctitatem inde ſuſcepit, & ut eam tangentibus impartiatur continere creditur.]

XIX. Porrò ſcite obſervavit Cardinalis Bona lib. 2. Rerum Liturgicarum cap. 19. iis dumtaxat qui jus habebant ad communionem eulogias fuiſſe porrectas, ceteris verò, quibus nondum patebat aditus ad Euchariſtiam, quales erant catechumeni, pœnitentes, & à communione abſtenti denegatas.

Prædicatio.

XX. Venio ad prædicationem de qua in excerptis Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi hunc canonem lego: [Ut omnibus feſtis & diebus Dominicis unuſquiſque ſacerdos Evangelium Chriſti prædicet populo,] & in Concilio Trullano can. 19. [Oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia, ex divina ſcriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis, & non tranſgredientes jam poſitos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & ſi ad ſcripturam pertinens controverſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt] &c. In Concilio Aurelianenſi apud Ivonem decreti parte 2. c. 120. decernitur [Ut in diebus Dominicis vel feſtis poſt ſermonem intra miſſarum ſolemnia habitum, plebem ſacerdos commoneat,

CAPUT IX.

De quibuſdam ritibus, &c.

ut juxta apoſtolicam inſtitutionem omnes in commune pro diverſis neceſſitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege, & Epiſcopis, & rectoribus Eccleſiarum, pro pace, pro peſte, pro infirmis qui in ipſa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus ſingulatim precibus plebs orationem Dominicam ſub ſilentio dicat ſacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per ſingulas admonitiones ſolemniter expleat, poſt hæc ſacra celebretur oblatio.] [Hanc functionem, uti obſervat Cardinalis Bona, Galli *Pronum* ſive præconium vocant, cujus quatuor ſunt munia. Nam primò verſi ad populum ſacerdotes animarum curæ præpoſiti indicunt preces, ſecundò docent ipſum populum rudimenta fidei, Deique præcepta & Eccleſiæ, ſicut conſtituit catechiſmus Romanus: Tertiò admonent quæ feſta, quæ vigiliæ, quæ proceſſiones ea hebdomada occurrant. Quartò promulgant edicta, excommunicationes, futura matrimonia, & quidquid demùm ad populi notitiam pervenire oportet.]

XXI. Hujuſmodi denunciationes cum prædicatione fieri ſolent poſt evangelium, cùm tamen olim ante communionem peragerentur, tametſi predicatio ipſa ſemper evangelium ſubſequeretur. Non dubitamus tamen etiam aliis temporibus Epiſcopos ad populum verba feciſſe. Et certè S. Cæſarius, teſte Cypriano in ejus vitæ libro 1. cap. 29. [inſiſtebat prædicationibus inceſſanter omni Dominica, omnibuſque diebus feſtis, frequenter etiam matutinis & ad lucernarium.] Cùm verò propter adverſam valetudinem hoc munus obire non poſſet, vices ſuas presbyteris & diaconis committebat, à quibus ſermones aut à ſe aut ab aliis patribus compoſitos recitari jubebat. Et ne ſacerdotes alii à prædicandi munere ſe fortè excuſarent, [longè poſitis in Francia, in Gallia, atque in Italia, in Hiſpania diverſiſque provinciis conſtitutis tranſmiſit per ſacerdotes quod in Eccleſiis ſuis prædicari facerent.] Hoc eſt dictatas à ſe homilias ſive conciones. Hinc colliges communi apud antiquos uſu fuiſſe receptum, ut qui adeò tardioris eſſent ingenii aut linguæ, ut publicè ad populum verba facere minimè poſſent; ſaltem ſcriptos ab aliis, ſanctis præſertim Patribus, ſermones palam pronunciarent. Id quod ampliùs patet ex Concilio Turonenſi III. canone XVII. quo decernitur, [ut quilibet Epiſcopus habeat homilias continentes neceſſarias admonitiones, quibus ſubjecti erudiantur, id eſt de fide catholica, prout capere poſſint, de perpetua retributione bonorum, & æterna damnatione malorum: de reſurrectione quoque futura, & ultimo judicio, & quibus operibus poſſit promereri beata vita, quibuſve excludi. Et ut eaſdem homilias quiſque apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam, quò faciliùs cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.] Simili prorsùs modo Concilium Remenſe II. canone XV. ſtatuit, [ut Epiſcopi ſermones & homilias Sanctorum Patrum, prout omnes intelligere poſſint, ſecundùm proprietatem linguæ prædicare ſtudeant.]

De privatis diebus.

XXII. De privatis cujuſque hebdomadæ diebus ſufficiat hîc referri

quod legitur in antiquo ordine Cameracenſis & Atrebatenſis Eccleſiæ : [Hebdomadarum verò diebus non eo modo agendum eſt, niſi quod vigiliæ in nocte viciſſim agendæ ſunt à fratribus, & ante galli cantum pulſentur ſigna in longioribus noctibus ; in brevioribus verò media nocte. Completo verò matutinali vel nocturnali officio ſchola ad loca ſibi deputata cum magiſtris procedant, ſeu ad legendum, ſeu ad cantandum, ſeu ad ſcribendum : & mox ut ſol ortus fuerit, ſignum pulſetur ad primam, ubi omnis clerus conveniat. Deinde exeant ab Eccleſia cum ſilentio, & reſideant in capitulo, ubi ſacra legatur lectio ab hebdomadario qui prima feria hebdomadam ad legendum ſuſceperat. De ipſa verò lectione & de converſatione clericorum à prælatis ibi tractandum eſt, & quidquid fratres illa die agere debent, & quam obedientiam unuſquiſque facere debeat, ibi injungere oportet. Poſtquam verò inde exierint, cuſtos Eccleſiæ procedat ad ſacrarium, & præparet ſacra vaſa ad agenda miſſarum ſolemnia. Ibi presbyteri tam hebdomadarius quàm ceteri conveniant, & ſacra vaſa de ſacrario ſumant, & ad altaria procedant, & miſſas ſibi injunctas celebrent, ut hora tertia omnia completa habeant. Hoc ii modo in diebus jejuniorum hora octava agant. Hora tertia à Sancto die Paſchæ publica cantetur miſſa uſque ad XVIII. calendas Octobris, niſi fortè in diebus jejuniorum & feria ſexta, quia omni feria ſexta jejunandum eſt, & hora octava publica miſſa cantanda, niſi fortè fuerit æſtus, ut hora quinta reficiatur. Poſtquam verò de refectorio exierint, infrà clauſtra remaneant, ibique cum ſilentio aut legant, aut in dormitorio quieſcant uſque octava. Pulſato verò ſigno mediante hora octava, omnes intrent Eccleſiam. Cantato verò officio horæ nonæ, ſinguli ad deputata exeant officia, quidam ad legendum, quidam ad cantandum, ſeu ad ſcribendum, quidam verò ad opera manuum exercenda, reliqui verò in Eccleſia infirmi & ſenes remaneant, & pſalmos decantent & orationes faciant, ut nemo otioſus exiſtat, quia otioſitas inimica eſt animæ.] Quibus in verbis cùm multa notatu digna occurrant, obiter hîc pertranſire non licet id quod de jejunio feriæ VI. ad nonam uſque ſervando præſcribitur. Ad quod referri poteſt id quod ſcribit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi : [Tunc, (ſcilicet annô 1033. per Aquitaniam, Arelatenſem & Lugdunenſem provincias & per univerſam Burgundiam plurima Concilia ſunt inſtituta, & pax firmata. Statutum eſt etiam ſexta feria à vino, & ſeptima à carnibus abſtinere, niſi gravis infirmitas intercederet, & tunc tres pauperes reficerentur.] Idem anno 1000. à variis Conciliis anteà decretum fuiſſe ſcribit quoque Glaber Rodulfus lib. 4. c. 5. Ubi ſanè obſervatu dignum videtur ante Sæculum XI. quo congregata ſunt illa in Galliis Concilia, morem adhuc obtinuiſſe carnes comedendi diebus ſabbati, quarum abſtinentiam poſtea confirmavit Gregorius Papa VII. in Concilio Lateranenſi edito hoc canone VII. [Quia dies ſabbati apud ſanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris fuit, nos eorumdem Patrum auctoritatem ſequentes, ab eſu carnium, niſi majoris interveniente feſtivitate vel

CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus, &c.*

Jejunium feriæ VI.

CAPUT IX. *De quibuſdam ritibus &c.*

infirmitate impediente, ſalubriter ammonemus abſtinere omnem qui chriſtianæ religionis particeps eſſe deſiderat.] Solemnes hac die Romæ proceſſiones faciendas olim inſtituerat Hononorius Papa, de quo Pontificalis liber. [Hic fecit conſtitutum in Eccleſia, & decrevit ut per omnem hebdomadam ſabbato die exeat litania ad B. Apollinarem, & ad Beatum Petrum Apoſtolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat.] Græci omnibus totius anni ſabbatis, niſi aliud impedimento ſit, ſolemnes & publicas preces agunt pro defunctis, ut docet Allatius libro 3. de conſenſu Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis cap. 18. num. 10. Cui ſuffragatur Nicephorus Callixtus in Synaxario: [Sabbato verò ſemper commemorationem agimus defunctorum, quod ſabbatum Hebraïcè requiem notet.]

Jejunium feria v. prohibitum.

XXIII. Jejunium quod feria VI. & ſabbato modo præſcriptum vidimus feria v. obſervari olim prohibuit Eccleſia propter paganorum ſuperſtitiones: quam prohibitionem Melchiadi Papæ adſcribit liber Pontificalis his verbis: [Hic conſtituit ne ulla ratione die Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret; quia eos dies pagani quaſi ſacrum jejunium celebrabant.] Jejunium etiam feria v. prohibet regula magiſtri propter aſcenſionem Domini quæ illa die contigit. Eam tamen publicè coli vetuit Concilium Narbonenſe anno 589. celebratum edito hoc canone XV. [Ad nos pervenit quoſdam de populis catholicæ fidei execrabili ritu quintam feriam quæ & dicitur Jovis multos excolere, & & operationem non facere; quam rem pro Dei timore execrantes & & blaſphemantes, quicumque ab hac die, præter feſtivitates eo die venientes, auſus vel auſa fuerit vacare & operam non facere, ſi ingenuus eſt aut ingenua, de Eccleſia repellendus, & ſub pœnitentia mittendus anno uno, & eleemoſyna & fletu ſatisfaciat, ut ei Dominus ignoſcat: Si ſervus aut ancilla fuerit, flagellis correcti Domino conſignentur, & ultra talia eos obſervare non permittant.] Eodem tendit S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in ſermone 265. Appendicis Auguſtianæ. [Et quia audivimus quod aliquos viros & mulieres ita diabolus circumveniat, ut quinta feria non viri opera faciant, nec mulieres lanificium: coram Deo & Angelis ejus conteſtamur, quia quicumque hoc obſervare voluerint, niſi per prolixam & duram pœnitentiam tale ſacrilegium emendaverint, ubi arſurus eſt diabolus ibi & ipſi damnandi ſunt.] Porrò etſi VI. feriæ jejunium ſumma cum religione ſemper obſervaverit Eccleſia, ab eo tamen abſtinebat cum principuæ in eam feſtivitates incidiſſent. Audi hac de re Nicolaum Papam I. ad Bulgarorum conſulta art. 5. reſpondentem: [Sexta verò feria paſſionem Dominicam, & Apoſtolorum mœſtitiam recolentes, ab omnium carnium epulis & pinguedine guſtus noſter arcendus eſt, præter ſi Nativitas Domini, & Epiphaniorum ejus, aut feſtivitas Beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ, ſeu Apoſtolorum principum Petri & Pauli, atque S. Joannis Baptiſtæ, ſeu B. Joannis Evangeliſtæ, necnon & clavigeri cæli germani, Andreæ ſcilicet Apoſtoli, quin etiam & Beati Stephani

proto

protomartyris ipſo die fortaſſis evenire contigerit.] Abſtinentiam etiam hodiè violant fideles feria VI. cùm natalitius Domini dies in eam evenerit. His de ritibus quotidianis ac per hebdomadam occurrentibus præmiſſis, ad anni circulum jam percurrendum veniamus.

CAPUT X.

De adventu Domini.

I. ADventus nomine omne illud temporis ſpatium intelligimus, quo ad celebrandum, ea qua par eſt reverentia ac devotione, incarnati verbi natalem diem ſeſe præparat Eccleſia, quod quidem à Dominica quarta ante Chriſti Domini nativitatem incipere ſolemus; idque, ſi Amalario lib. 3. de Eccleſiaſticis officiis c. 40. & Bernoni Augienſi Abbati in libello de ritibus Miſſæ cap. 4. fides ſit, eſt S. Gregorii Papæ inſtituto. Quibus ſuffragatur ejuſdem Sancti Pontificis ſacramentorum liber à Pamelio editus, cum mſſ. codicibus bene multis, in quibus quatuor tantùm deſignatæ leguntur Dominicæ ad præveniendam Domini nativitatem. Sed in libro Comitis qui S. Hieronymo tribuitur, ubi Evangelia per totum anni circulum legenda deſcribuntur, in Gelagii ſacramentario, immò in Gregoriano ipſo quem Menardus edidit, in codicibus Vaticanis, in Remenſi ab annis circiter 900. ſcripto, in Gellonenſi & Colbertino n. 1348. ejuſdem ætatis & in Colbertino alio n. 1364. cujus caracter annos 800. repræſentat in Pontificali Egberti, Eboracenſis Epiſcopi & quibuſdam aliis quinque leguntur Dominicæ *ante Domini natale*: quin & Guillelmus Durandus auctor non ita antiquus fatetur Dominicam quintam ante nativitatem Domini ad adventum aliquo modo pertinere. Nam in lib. 6. rationarii cap. 2. ita habet: [In quinta igitur hebdomada ante nativitatem Domini inchoatur præparatio adventus quoad quædam. . . . nam ab illa Dominica uſque ad nativitatem Domini ſunt quinque officia Dominicalia, quinque epiſtolæ, & quinque evangelia.] quæ Chriſti adventum apertè prædicant.

CAPUT X. De adventu Domini. Adventus Domini quando inciperet.

II. Sed major extitit Eccleſiæ Mediolanenſis hac in parte religio, utpote quæ ſex in adventu Domini Dominicas numerat, uti videre eſt in breviario anno 1588. à S. Carolo edito, cui concinit illud quod anno 1487. regnante Joanne Galeazeo Maria Vicecomite Duce prælo commiſſum eſt, in quo [adventus incipit à feſto S. Martini, ſi in ſabbato acciderit; aut ſi alia die, ſabbato feſtum S. Martini ſequente.] Eadem extitit Eccleſiæ Toletanæ conſuetudo ac proindè veteris Hiſpaniæ; id quod probat miſſale Mozarabum, nec dubium quin viguerit etiam in Gallicana, à qua ſuos ritus illa deſumpſiſſe videtur, antequam juſſu Pippini Regis Romanum miſſale reciperet idque non obſcurè innuit auctor epiſtolæ ad Bibianum ſub nomine S. Auguſtini, quem Gallum fuiſſe ſuſpicamur, tametſi ipſe [ordinem adventus Dominici ab octavo

I

calendas Octobris (velit incipi ,) pro eo quod eadem die Joannes præcurſor Domini à majoribus noſtris , inquit, traditur & angelo nunciante conceptus , & Herodis funeſti gladio trucidatus.] Nam quod IV. cal. Septembris Eccleſia celebrat feſtum S. Joannis inventionem capitis illius reſpicere exiſtimat auctor ille. Sed & in Calendario quod præfigitur ſacramentario Ratoldi Abbatis Corbeienſis XVIII. Calendas Novembris notatur quadrageſima ante natale Domini.

CAPUT X. *De adventu Domini.*

Jejunium in adventu in Gallia.

III. Ex hocce Calendario apparet qualis fuerit majorum noſtrorum religio , apud quos adventus Domini quadrageſimæ rationem obtinebat tam in jejuniis quàm in ſacrificiis , id quod ampliùs conſtat ex Concilio Matiſconenſi I. anno 582. celebrato, cujus canon 9. præſcribit [ut à feria S. Martini uſque ad natalem Domini ſecunda quarta & ſexta ſabbati jejunetur , & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari.] Ante iſtud Concilium S. Perpetuus Turonenſis Epiſcopus jam inſtituerat ut [à depoſitione domni Martini uſque ad natale Domini terna in ſeptimana jejunia] fierent , teſte Gregorio Turonenſi item Epiſcopo in hiſt. lib. 10. c. 31. Concilium Turonenſe II. anno 570. addit [ut in Decembri uſque ad natale Domini jejunent] monachi quotidiè. Verùm non modo monachi , ſed ipſis etiam clericis , immò & laicis quotidianum haud multò poſt indictum eſt jejunium , nec ſolùm in Decembri , ſed etiam ab ipſo S. Martini feſto, uti videre eſt in præcitata ad Bibianum ſub nomine S. Auguſtini epiſtola , ubi poſtquam auctor ſtatuit apud nonnullos adventum Domini à feſto S. Martini incipere , addit [apud nos itaque ex ejus ſolemnitate abſtinentia à carnibus vel conjugali copula filiis Eccleſiæ indicitur , ut ad natalem Domini ſecurius communicent.] Hinc & Grodegangus Metenſis Epiſcopus in regula canonicorum cap. 35 decernit [ut ab ipſo tranſitu S Martini uſque ad natalem Domini à carne omnes abſtineant ,.& uſque ad nonam jejunent] Et capitula Regum Francorum lib. 6. cap. 187. [Admoneant ſacerdotes , ut jejunia tria legitima in anno agantur , id eſt quadraginta dies ante nativitatem Domini , & quadraginta ante Paſcha , ubi decimas anni ſolvimus , & poſt Pentecoſten quadraginta dies.] Similia videre eſt apud Rabanum lib. 2. de inſtitutione cleric. cap. 22. Urgebatque adhuc Sæculo XII. laudabilis iſta conſuetudo, quo Ordericus Vitalis in hiſtoriæ lib. 12. ad annum 1118. conqueritur violatum fuiſſe à militibus adventus Dominici jejunium, cùm è contrario VVillelmus Antiſiodorenſis Epiſcopus etiam infirmus [tota quadrageſima à feſto videlicet Beati Martini ad nativitatem Domini quotidiè jejunans nullum omninò cibum ſumpſerit niſi quadrageſimalem ,] uti legere eſt in hiſt. Epiſcoporum Antiſiodorenſium c.57.Quibus adde quod Theodinus & Albertus Cardinalis in Synodo Abrincenſi anni 1172. [In adventu Domini omnibus qui poterunt , maximè autem clericis ,& militibus jejunium & abſtinentiam] indixerunt. Denique Joannes Belethus rationem reddens cur in vigilia S. Thomæ jejunium non ſit indictum ; [quia , inquit , feſtum ejus eſt in adventu , in quo quaſi continuum jejunium de-

bemus obſervare.] Ita ille in libro de divinis officiis capite 11.

CAPUT X. *De adventu Domini.*

In Anglia.

IV. Hæc quæ de jejunio adventus diximus Eccleſiam potiſſimum Gallicanam reſpiciunt verùm haudquaquam mihi dubium eſt, quin apud alias nationes ſimilis obſervantia fuerit in uſu. De Anglia eximia habemus duo teſtimonia Bedæ presbyteri, unum in hiſtoriæ gentis Anglorum lib. 3. c. 27. ubi de Egberto presbytero ita habet: [Addidit autem votis quæ diximus, ut in quadrageſima ſemper non plus ſemel in die reficeret, non aliud quàm panem & lac tenuiſſimum, & hoc cum menſura guſtaret.... cujus modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante nativitatem Domini, totidemque poſt peracta ſolemnia Pentecoſtes, hoc eſt quinquageſimæ ſemper obſervare curabat.] Alter locus eſt in lib. 4. c. 30. ubi S. Guthbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus in remoto loco [quadraginta ante Dominici natalis dies in magna continentia] tranſegiſſe memoratur.

In Italia.

V. Idem etiam in Italia obtinuiſſe non minus conſtat. Nam Aiſtulfus Rex Longobardorum in diplomate monachis Nonantulenſibus ann. 753. conceſſo ab eis exigit quadraginta lucios *in quadrageſima S. Martini* ſibi reddendos. Et Nicolaus Papa I. ad Bulgaros ſcribens, [hæc jejunia, inquit, Sancta Romana Eccleſia ſuſcepit antiquitus & tenet; quadrageſimali videlicet tempore, quod eſt ante Paſcha, poſt Pentecoſten, ante aſſumptionem S. Mariæ Dei genitricis, necnon ante natalis Domini feſtivitatem.] Et Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Synodica ad presbyteros: [In adventu Domini niſi feſtivitas intercedat quatuor hebdomadibus à carne noveritis abſtinendum ac coïtu.]

In Germania.

VI. Paulò remiſſiores fuiſſe videntur Germani, qùibus in Concilio Salingeſtadienſi anno 1022. quatuordecim dumtaxat diebus ante nativitatem Domini abſtinentia à carne & ſanguine indicitur, uti videre eſt in vita S. Meinverci cap. 76. apud Surium. In Hiſpania verò ineunte Sæculo XIII. magnam jam pia hæc chriſtianorum conſuetudo jacturam paſſa erat, quo Bracarenſis Epiſcopus Innocentium III. conſuluit, [utrum jejunandum ſit in adventu cùm inde ſentiant diverſi diverſa; quibuſdam dicentibus, ſed paucioribus, jejunandum eſſe, pluribus verò ſe ad hoc aſſerentibus non teneri.] Reſpondit Innocentius: [jejunium etiam apud nos in adventu Domini tenetur.] Illibatum ergo perſeverabat adhuc in Eccleſia Romana Dominici adventus jejunium, illibatum ſanè ut in Gallia, etiam multis poſt Innocentium annis, uti diſcimus Ex Chronici Senonienſis libro 5. cap. 2. ubi agitur de quodam perverſo presbytero, qui neque in adventu, neque in quadrageſima, neque in aliis jejuniis volebat jejunare; id quod refert ad annum 1258. & ex Durandi rationario in cujus lib. 6. cap. 2. ita legere licet: [In adventu eſt jejunium, nec tunc nuptiæ celebrantur;] & cap. 7. [De Beato quoque Thoma non eſt jejunium ſtatutum, quia ejus feſtum eſt in adventu Domini ubi continuum eſt jejunium.] Verùm non multò poſt omninò antiquatum fuit, quod aliqua ex parte reſuſcitare, conatus Urbanus Papa V. qui ann. 1370. Petri Cathedram aſcendit, ipſe ſiquidem, ut habent

Digitized by Google

CAPUT X. *De adventu Domini.*

ejus acta apud Boſquetum, [volens curiales Eccleſiaſticos ſic honeſtè vivere, quod eſſent cæteris in exemplum ; à principio ſuæ creationis pænaliter ordinavit, quod omnes generaliter & indiſtinctè in adventu Domini. . . ab eſu carnium abſtinerent.] Is ante annos 400. erat uſus regularium S. Laudi Rotomagenſis canonicorum, quorum in ordinario hæc ſcribuntur. [Per totum adventum eſus carnium & ſaginiminis dimittitur, caſeus & ova conceduntur.] Remanſit piæ hujus obſervantiæ veſtigium aliquod in nonnullis Eccleſiis, in quibus toto adventus tempore nona, cum de illo ſit officium, celebratur ante prandium, uti videre eſt in ordinariis Eccleſiæ Turonenſis, Cenomanenſis, Laudunenſis, Silvanectenſis, & quibuſdam aliis. Quibus favet id quod legitur in rituali inſignis Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ante annos 400. ſcripto : [Per totum adventum ſonent horæ ſicut in jejunio, & cantetur nona poſt miſſam exceptis feſtis IX. lectionum & Dominicis, & incenſatur in alba non parata ad veſperas & matutinas, & cantatur in veſtimentis quadrageſimalibus, niſi in feſtis Sanctorum novem lectionum.]

In Oriente.

VII. Neque verò is ſolus fuit Eccleſiæ latinæ uſus. Nam & apud græcos abſtinentia etiam in adventu vigebat, ut patet ex Codini libro de officiis Eccleſiæ & Curiæ Conſtantinopolitanæ capite 7. ubi agens de ritibus in die natalis Domini ad imperatoris menſam obſervari ſolitis ſic loquitur : [abſoluta liturgia, imperatore jam ad menſam præſente ; priuſquam accumbat, venit protopapa, aut alius de ſacerdotum numero, & benedicens imperatoriam menſam eo quòd quadrageſima jam effluxerit, tempuſque carnis edendæ jam advenerit, accepto pane & ferculo diſcedit.] Fatendum tamen græcorum quoſdam hoc in obſervando jejunio paulò fuiſſe remiſſiores, exiſtimantes monachorum illud eſſe inſtitutum non Apoſtolorum : unde nonnulli, ut ſcribit Anaſtaſius Sinaïta apud Cotelerium tom. 3. monumentorum Eccleſiæ græcæ, [diebus dumtaxat octodecim abſtinent carne & caſeo & ovis ; quidam verò carne ſola, qui reliqua comedunt excepto uno die ; alii autem pari modo abſtinent diebus duodecim tantùm. alii ſex, alii quatuor.] Quos ille refutat, quia inquit, [Apoſtoli quadraginta dierum jejunium & preces cunctis fidelibus ſtatuerunt, idque ſervatum fuit à Sanctis Patribus & ſeptem Conciliis generalibus, atque decretum fuit jejunium non quinque, vel octo, vel decem dierum, ſed quadraginta. Vocatur autem natalis Domini jejunium, quia in fine quadraginta dierum occurrit ſalutaris nativitas Domini noſtri Jesu-Christi, duoque bona peraguntur, nam exſequimur traditionem Apoſtolorum, ſimulque præpurgamur in occurſum & adorationem Jesu-Christi Domini noſtri.] Ipſi etiam Indi apud Caranganoram [obſervant quadrageſimam & adventum jejuniis & orationibus perquam diligentiſſimè,] uti teſtatur Joſephi Indi navigatio.

Omnia lætitiæ ſigna in adventu depoſita.

VIII. Verùm non in jejuniis tantùm, ſed etiam in ſacrificiis & officiis divinis adventus Domini quadrageſimæ rationem olim habebat. [Et ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari,] inquit,

Concilium Matiſconenſe II. can. IX. Hinc omnia lætitiæ cantica ſuppreſſa, veſtes ſacræ quæ exultationem & gaudium redolent depoſitæ, color in iis qui luctum & mærorem repræſentet aſſumptus. Hymnus angelicus *Gloria in excelſis Deo* omninò ſubticetur in omnibus Dominicis & feriis, uti teſtatur Amalarius lib. 3. cap. 40. idque *priſco tempore*, cui ſuffragantur Micrologus cap. 30. & Rupertus lib. 3. cap. 2. cum omnibus paſſim ordinariis & miſſalibus tam antiquis quàm recentioribus quæ mihi videre contigerit. In curia tamen Summi Pontificis Sæculo XII. adhuc canebatur, ut diſcimus ex ordine Romano auctore Benedicto canonico Sancti Petri, in quo ad Dominicam primam adventus hæc lego: [manè ſtatio ad Sanctam Mariam majorem, quo Dominus Papa cum omnibus ordinibus venit: ibique honorificè, ſicut mos eſt, cantat miſſam cum *Gloria in excelſis Deo*, ſicut in aliis Dominicis uſque ad natalem Domini, & coronatur.] In feſtis etiam Sanctorum quæ eo tempore contingunt ſolet ubique decantari, ſed in ordinario inſignis Eccleſiæ Cabilonenſis alius uſus præſcribitur: [Non dicitur *Gloria in excelſis*, inquit, per adventum, neque Dominicis, neque aliis feſtis.]

Caput X. De adventu Domini.

IX. Eadem ratione proſæ, ſeu ſequentiæ, quas in ſignum lætitiæ ante Evangelium decantare uſus obtinuit, toto adventus tempore reticentur. In ordinario tamen B. Mariæ Remenſis reperio: [Ad miſſam prima tantummodò Dominica adventus canitur ſequentia *ſalus æterna*.] Verum hac regula non adſtringitur miſſale Eccleſiæ Toloſanæ, in quo pro omnibus adventus Dominicis habetur proſa *miſſus eſt Gabriel fidelis*. Neque Bituricenſe in quo tres proſæ pro tribus primis adventus Dominicis aſſignantur: ſed neque Eccleſia Cenomanenſis in qua proſa [*ſalus æterna* cantatur in choro à quatuor canonicis in cappis nigris omnibus Dominicis in adventu] ex ordinario ms. ejuſdem Eccleſiæ.

Dalmaticæ depoſitio.

X. [Ex tunc, etiam ſcilicet à Dominica 1. adventus, inquit Rupertus lib. 3. c. 2.) ad ſacram Domini natalis noctem, diaconus & ſubdiaconus immuniti procedunt. Nam neque diaconus dalmaticam, neque ſubdiaconus induit tunicam.] Hæc nihilominus conſuetudo haud videtur primum fuiſſe univerſalis, ſaltem id clarè innuit Amalarius lib. 3. c. 40. his verbis: [Vidi priſco tempore *Gloria in excelſis Deo* prætermitti in diebus adventus Domini, & in aliquibus locis dalmaticas.] Et Micrologus cap. 30. [Quidam infrà adventum Domini caſulis pro dalmaticis utuntur: quidam more ſolito veſtiuntur, eo quod miſſam ad tertiam & alleluia, ſicut tota æſtate dicunt.] Ruperto tamen ſuffragatur communis uſus Eccleſiæ univerſalis, quem videre licet in omnibus paſſim cathedralium ordinariis.

XI. Quod autem caſulas pro dalmaticis & tunicis diaconis & ſubdiaconis concedi dicit. Iis ſanè non ſic utuntur, inquit Rupertus [ut in ipſis legant vel miniſtrent, ſed lecturi aut miniſtraturi illas exuunt, manifeſtè profitentes, illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi debitam, ſed propter Dominicæ, vel alicujus feſti reverentiam ſe accipere accommodatam, ut inopem atque indecentem con-

Digitized by Google

ſolentur expoliationem.] Atque is eſt univerſalis uſus Eccleſiæ. Quod autem ait Rupertus caſulas diaconis & ſubdiaconis conceſſas fuiſſe *propter Dominicæ reverentiam*, eo reſpexiſſe videntur Rotomagenſis S. Laudi canonici, in ordinario præſcribentes ut [privatis diebus in albis ſint tempore iſto,] ſcilicet adventus addunt verò : [In quadrageſima autem caſulis utantur,] tametſi utriuſque temporis videatur par eſſe ratio. In miſſis etiam defunctorum in albis dumtaxat miniſtrare debent, ex Bajocenſi & Laudunenſi ordinario niſi fortè præſens ſit corpus aut 9. lectionum celebretur anniverſarium. Porrò ſingularis eſt ritus Eccleſiæ Lemovicenſis, in qua ſubdiaconus non caſulam, ſed *cappam* portat, [quam cappam, inquit ordinarium ejuſdem Eccleſiæ, deponit ut legat epiſtolam, deinde lecta epiſtola reinduit eam.] Diaconus tamen ut alibi caſula utitur, quam ad evangelium deponit, [& plicat eam & cingit ſe eadem ad modum ſtolæ, & ſic manent induti uſque ad finem miſſæ.]

Color niger adhibitus.

XII. Ad majorem etiam triſtitiæ demonſtrationem nonnullæ Eccleſiæ in adventu colorem nigrum in ſacris veſtibus uſurpant, inter quas cenſeri debet Eccleſia Cenomanenſis, quæ hunc ritum deſumpſit ex Metropolitana Turonenſi, qui ritus etiam tempore Coderiſii Abbatis vigebat in monaſterio Caſinenſi.

Imagines velatæ.

XIII. Quidam etiam haud ſecus ac in quadrageſima imagines & capſas velabant, atque is ritus peculiaris fuiſſe videtur canonicorum ut vocant, regularium, reperiturque præſcriptus in antiquis conſuetudinibus S. Ruffi, in Carnotenſi S. Joannis ordinario annorum circiter 500. & in Gaſtinenſi diœceſis Turonenſis annorum minimum 400. his verbis præſcriptus : [Feria ſecunda ante primam cooperiuntur tabulæ & capſæ, & ſic uſque ad nativitatem Domini permaneant.]

Baculus cantoris dimiſſus.

XIV. Singularis etiam fortè videbitur uſus Eccleſiæ Turonenſis, ex cujus ordinarii præſcripto *cantor ad formam ſine baculo* in adventu ſedere jubetur : cùm è contrario apud Martinianos ejuſdem civitatis canonicos *baculum aureum* ad miſſam geſtaret. Denique antiquum Pontificale Eccleſiæ Salisburgenſis vetat ne poſt evangelium offeratur incenſum ſuper altare.

Hymni omiſſi.

XV. Hæc præcipuè reſpiciunt officium miſſæ : Similia ferè videre eſt in ſacris curſibus. Nam in ordine Romano auctore Benedicto S. Petri canonico nullos ad veſperas, nocturnos, aut laudes, hymnos præſcriptos videmus : Et quidem ad veſperas omnes pſalmi ſub unica jubentur antiphona decantari : qua finita dicitur verſus *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*, quem ſequitur antiphona ad *Magnificat*, tum oratio. [Ad matutinum verò invitatorium *Regem venturum* cum ſuo *Venite*. Quo finito, incipit prima antiphona.] Ad laudes tandem [antiphona *In illa die* cum omnibus aliis antiphonis & pſalmis, quibus finitis, dicitur verſus; quo finito, incipit antiphona *ad Benedictus*.] In ordinario etiam argentino hymni ad veſperas & completorium dumtaxat aſſignandum : ad nocturnum officium matutinarum, & laudum

officium , aliaſque diurnas horas canonicas minimè.

CAPUT X.

De adventu Domini.

Canticum *Te Deum laudamus.*

XVI. Eadem ratione ad nocturnos hymnus *Te Deum laudamus* paſſim ubique prætermittitur præterquam à monachis , qui illum hactenus tam in adventu quàm in quadrageſima retinuerunt , qua de re cùm interpellati fuiſſent aliquando Abbates ab Epiſcopis Italiæ & Galliæ in Conciliis congregatis , reſponderunt hærere ſe hac in re regulæ Benedictinæ præſcripto ; cui contraire noluerunt Epiſcopi. Neque tamen id ſolis S. Benedicti monachis ſingulare extitit , cùm talem conſuetudinem *à quibuſdam canonicorum Eccleſiis* obſervatam fuiſſe doceat Amalarius in ſupplemento ad librum 4. de divinis officiis : inter quos connumerare licet Turonenſis S. Martini , qui ut teſtantur eorum antiqui libri rituales & eccleſiaſtici per totum adventum & quadrageſimam uſque ad Dominicam Paſſionis *Te Deum* decantabant , nec niſi ab annis circiter quinquaginta ab hoc uſu deflexerunt. Idem tamen Amalarius in libro de ordine antiphonarii c. 2. ait ſe interrogaſſe Romanæ Eccleſiæ magiſtrum [Si canerent per Dominicas noctes *Te Deum laudamus.*] Reſponſumque ſibi eſſe , [tantùm in natalitiis Pontificum *Te Deum laudamus* canimus.] Verùm alius vigebat uſus Sæculo XII. quo ex ordine Romano Benedicti canonici idem hymnus etiam in adventu præſcriptus legitur , qui poſtmodum prætermiſſus eo tempore fuit ex eodem ordine Romano auctore Cencio cap. 1. addit idem Cencius : [à Dominica de adventu uſque ad nativitatem Domini Dominus Papa non portat aurifrixiatam mitram , excepto in Dominica qua cantatur *Canite tuba* ad Eccleſiam Apoſtolorum pro feſto.] In Eccleſia Toloſana per totum adventum etiam in feſtis SS. Saturnini , Andreæ , Nicolai , Eulaliæ , Luciæ , & Thomæ hymnus *Te Deum* non cantabatur , tametſi *Gloria in excelſis* in miſſa diceretur , uti videre eſt in antiquo ejuſdem Eccleſiæ Breviario , id quod illi ſingulare fuiſſe credimus.

Pſalmi additi.

XVII. In eodem breviario decernitur ut per totum adventum Domini ſabbatis poſt veſperas fiat proceſſio ad altare B. Mariæ , idemque fiat omnibus diebus Dominicis poſt matutinum. In quibuſdam Eccleſiis per totum etiam adventum nonnulli ad ſolitum ſervitutis penſum pſalmi adjiciuntur. Ita ex ordinario Turonenſi poſt laudes pſalmus *Miſerere mei* , poſt primam *Inclina Domine aurem tuam* & *Deus miſereatur.* Poſt tertiam *miſerere* & *Domine quid multiplicati ſunt.* Poſt ſextam *miſerere* , & *miſerere mei Deus miſerere mei quoniam in te confidit.* Poſt nonam *miſerere* & *Lauda anima mea.* Poſt completorium *miſerere.* In antiquo vero rituali inſignis Eccleſiæ Turonenſis S. Martini ita in hanc rem præſcriptum legitur : [Cantantur quotidiè ad primam poſt tertiam & preces & *Confiteor* viginti ſex pſalmi , ſicut ſequuntur ; & debent ſedere clerici uſque *ad te levavi* dicatur : & hoc niſi in feſtis 1x. lectionum. Hi ſunt pſalmi. *Domine quid multiplicati ſunt* , *Cum invocarem* , *Verba mea* , *Domine ne in furore* , primus , *Vſquequo Domine* , *Dominus regit me* , *Ad te levavi* , *Dominus illuminatio mea* , *Exaltabo te* , *Beati quorum* , *Beatus qui intelligit* , *Quemadmodum* , *Deus in nomine tuo* , *Miſerere mei Deus*

Digitized by Google

CAPUT X. *De adventu Domini.*

miſerere mei, Te decet hymnus, Deus miſereatur, Deus in adjutorium, Deus venerunt gentes, Deus quis ſimilis, Inclina, ad Dominum cum tribularer, Levavi oculos meos, Ad te levavi, De profundis, Lauda anima mea, Miſerere.]

Dominicæ 1. adventus ritus ſingulares.

XVIII. Quæ hactenus dicta ſunt, totum reſpiciunt adventum Domini: jam verò aſſignati certis diebus ritus nonnulli attingendi ſunt. Igitur Dominica 1. adventus invitatorium ſingulari prorsùs modo decantari præſcribitur in antiquo ordinario Cabilonenſi, ut ſcilicet tam invitatorium ipſum quàm pſalmus *venite exultemus remiſſa voce* decantetur *a duobus de ſuperſtallis*, uſque dum perveniant ad illum verſum *hodie ſi vocem ejus audieritis*; tunc enim elevata voce ad finem uſque pſalmi *in duplo* illud proſequi jubentur. Similem ritum in Eccleſia Lugdunenſi ad veſperas idque toto adventu obſervari audivi, nam canticum *Magnificat* ſubmiſſa omninò voce decantatur, uſque ad ultimum verſum *ſicut locutus eſt ad Patres noſtros*, quem clara & alta voce modulantur, ut oſtendant adimpleta jam tandem eſſe Prophetarum de Chriſti adventu vaticinia.

XIX. Pſalmi primi nocturni ex eodem ordinario Cabilonenſi duodecim decantari debent ſub triplici tantùm antiphona & triplici gloria, hoc eſt quatuor ſub una gloria & una antiphona. Idem præſcriptum adverti in quibuſdam aliis mſſ. ordinariis.

XX. Lectiones primi nocturni deſumuntur ex Iſaïa, cujus prophetia ad uſque nativitatem Domini legenda ad nocturnas vigilias. Ita præſcribunt ordinarium B. Mariæ Remenſis, rituale S. Martini Turonenſis, Toloſanum breviarium &c. At in veteri ordine celebrandi divini officii, quem digeſſit Lucas Cuſentinus Archiepiſcopus ita lego: [A prima Dominica adventus Domini legimus Iſaïam & duodecim Prophetas uſque ad vigiliam natalis Domini.] Id quod deſumpſiſſe videtur ex breviario Ambroſiano. Integram Iſaïæ prophetiam olim legebant monachi infrà primam adventus hebdomadam. Poſteà lectiones ex SS. Patrum ſermonibus deſumebant, nonnulli verò Leonis Magni elegantem epiſtolam ad Flavianum, quæ magna cum dignitate explicat myſterium Incarnationis contra Eutychetis errorem, pronunciabant, ex qua etiam in tertio nocturno duas lectiones decerpi jubet Benedictus canonicus S. Petri in ſuo ordine Romano.

XXI. Modus autem terminandi lectiones, ſi ex prophetia aliqua decerptæ eſſent, is erat: *Hæc dicit Dominus Deus, convertimini ad me & ſalvi eritis.* Ita communiter in omnibus paſſim Eccleſiis, ſed Toloſana hunc uſurpabat: *Hodie Domine miſerere nobis.*

Sermo ad populum.

XXII. Ex antiquis ſtatutis Eccleſiæ Senonenſis anno 1267. editis Archiepiſcopus [poſt tertiam, facta proceſſione debet facere in pulpito ſermonem ad populum.] Sermonem quoque ad populum indicit ordinarium Turonenſe ante miſſam, Laudunenſe poſt proceſſionem ante tertiam, & quidem ab Epiſcopo faciendum. Nunc verò non Dominica tantùm prima, ſed per totum adventum ſingulis penè diebus publica haberi

Digitized by Google

haberi ſolet in præcipuis Eccleſiis concio,nec ſine fructu,non quidem ab Epiſcopo, ſed ab eo cui ille vices ſuas demandaverit. In antiquo rituali Eccleſiæ Sueſſionenſis pro ſermone ſolemnis ab Epiſcopo benedictio populis impertienda præſcribitur.

CAPUT X. *In adventu Domini.*

XXIII. Ad miſſam ante introïtum dicitur *Gregorius præſul meritis & nomine dignus, unde genus duxit ſummum conſcendit honorem, renovavit monumenta Patrum priorum, tunc compoſuit hunc libellum muſicæ artis ſcholæ cantorum anni circuli, eia dic, Domine eia.* Ita antiquum miſſale Eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter 300. ſcriptum. Hujus conſuetudinis meminit Mabillonius in itinere italico. De ea etiam ad calcem Martyrologii Uſuardi anno 1490. Pariſiis editi hæc leguntur [ad perpetuam rei memoriam prima Dominica adventus ante introïtum miſſæ in pleriſque Eccleſiis, & ſignanter in Eccleſia Bituricenſi, in ipſius gradualis initio inſcribitur tamquam proœmium libri, & cantatur quod *Gregorius præſul &c.*] quod dicit de Eccleſia Bituricenſi conſtat ex antiquis ipſius miſſalibus. Quonam verò ritu hæc perſolverentur ita præſcribit ordinarium Eccleſiæ Trecenſis: [De præcepto ſuccentoris aut illorum qui pro tunc habent regere chorum, duo vicarii aſcendunt pulpitum, alias *Jube*, ut cantent antiphonam *Gregorius præſul*, qua finita, duo chorarii incipiunt introitum miſſæ.] Ordinarium Eccleſiæ Turonenſis: [Accenſis cereis, duo canonici in cappis nigris incipiunt ante altare alta voce antiphonam *Gregorius præſul*, qua finita, ſtatim cantor incipit *ad te levavi.*] Antiquum rituale S. Martini Turonenſis: poſt proceſſionem: [presbyteri qui cantaverunt primum ℟ matutinarum, cantant ad januas ante formam ſubdecani *Gregorius* in cappis ſericis, & oſtendunt graduale vertentes ſe ad præcentorem quando dicunt, *compoſuit hunc libellum.*]

Antiphona *Gregorius præſul* ante miſſam.

XXIV. Circa evangelium hujus diei notanda ſunt ea quæ ſcribit Micrologus in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus cap. 31. [In Dominica prima de adventu Domini quidam legunt evangelium *erunt ſigna*, eo quod Sanctus Gregorius in libro homiliarum illud in primis poſuerit: ſed parum attendunt quia idem apoſtolicus in eodem libro hujuſmodi ordinem non attendit, in quo plura evangelia penitus non tetigit: inſuper & quæ expoſuit, multoties poſteriora prioribus anteponere conſuevit. Alii initium Marci evangeliſtæ legunt; ſed quia inuſitatum eſt, pauci aſſentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione *cum appropinquaret* legimus, non utique Sedi Apoſtolicæ, ſi aliter juſſerit, præjudicantes; ſed interim auctoritatem Sanctorum Patrum ſectantes. Nam & S. Hieronymus in libro Comitis ita ordinavit, cujus libri ordinem S. Gregorius diligentiſſimè obſervavit.] Similia habet Guillelmus Durandus in rationali lib. 6. c. 3.

Varietas in Evangelio miſſæ.

XXV. Ex tribus hiſce evangeliis primum retinet hodiernum miſſale Romanum, antiquum Eccleſiæ Arelatenſis ante annos 400. ſcriptum Narbonenſe, Lingonenſe, & Toloſenſe annorum circiter 300. Secundum quod legitur in antiquo Rotomagenſis Eccleſiæ miſſali approbare

K

CAPUT X. *De adventu Domini.*

videtur Honorius in libro 4. de gemma animæ cap. 99. quamvis aſſerat in quibuſdam Eccleſiis legi tertium ſcilicet *cum appropinquaſſet*. In Pariſienſi S. Germani à Pratis monaſterio, & in Rotomagenſi S. Audoeni ante trecentos annos ad majorem miſſam legebatur initium Marci, ad matutinalem verò *cum appropinquaſſet*. Quod quidem poſtremum evangelium unicum notat Rupertus lib. 3. de divinis officiis c. 2. & cum eo lectionarium antiquum Parthenonis B. Mariæ Calenſis annorum minimum 800. ordinarium Eccleſiæ argentinæ, Turonenſis, Cenomanenſis, Bajocenſis, miſſale Eccleſiæ Pariſienſis, Cataraunenſis &c. cantaturque hodiè communiter in pleriſque cathedralibus Eccleſiis, illius quoque mentionem facit Matthæus Paris ad annum 1216. pag. 261.

Evangelium pro quarta & ſexta feria.

XXVI. Hæc ſunt præcipua quæ circa ritus antiquos Dominicæ I. adventus obſervare habebamus: de ſubſequentibus ſive Dominicis, ſive feriis vix aliquid notatu dignum, aut cui immorandum ſit, occurrit. Non prætermittam tamen id quod legitur in ordinario B. M. Remenſis: [In hac prima hebdomada adventus leguntur tria evangelia, primum die Dominica, ſecundum quarta feria, tertium ſexta feria. Hoc idem fit in ſecunda hebdomada, & hoc intelligendum eſt in miſſa tantum.] Verùm communis uſus plurimarum paſſim Eccleſiarum fuit, non ſolùm hebdomada prima & ſecunda adventus, ſed per totum etiam anni curriculum epiſtolas & evangelia ſingulis feriis quartis & ſextis aſſignare diverſa. Ita videre eſt in antiquis Miſſalibus Eccleſiæ Lugdunenſis, Bituricenſis, Narbonenſis, Pariſienſis, Eduenſis, Catalaunenſis, &c. quibus concinit Rupertus libro 3. de divinis officiis c. 5. & lectionarium antiquum Calenſis monaſterii Immò in Miſſali Toloſano ſingulis per totum adventum diebus ſingula notantur evangelia. In miſſali etiam Ambroſiano anno 1669. impreſſo omnibus adventus Domini Dominicis duæ ad miſſam conſignantur epiſtolæ: una ex Prophetis, altera ex Apoſtolo, quamvis prima deſideretur in miſſali anno 1560. edito.

Dominica II. adventus.

XXVII. Dominica II. adventus, ut obſervat Durandus lib. 6. c. 4. in quibuſdam Eccleſiis alleluia in miſſa dicitur cum duplici verſiculo: atque ita deprehendimus ipſi in miſſali Catalaunenſi anno 1543. juſſu Cardinalis *de Lenoncour* impreſſo. At verò infra hebdomadam cum eadem repetitur miſſa unicus, ſcilicet primus dicendus erat. Duo etiam verſiculi deſignantur in antiquo ordinario Cabilonenſi, infrà hebdomadam alternatim repetendi. In ms. miſſali Rotomagenſi S Audoeni tres annotantur verſiculi, primus ad matutinalem miſſam, ſecundus ad majorem, tertius infra hebdomadam in majori etiam miſſa dicendus. Addit Durandus in quibuſdam Eccleſiis legi evangelium *erunt ſigna in ſole*, in aliis verò *cum audiſſet Joannes in vinculis*.

XXVIII. Dominica III. adventus in Rotomagenſi S. Audoeni miſſali & in Venetenſi poſt miſſæ introitum ponitur hic verſus *& pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras*.

De feriis quatuor tēporum.

XXIX. In feriis quatuor temporum longè plura veniunt obſervanda.

In his ſiquidem ex antiquis conſuetudinibus monaſterii Caſſanenſis canonicorum regularium tres miſſæ dici debebant 1. de jejunio 2. de defunctis. 3. de Beata, & teneri capitulum.

CAPUT X *De adventu Domini.*

XXX. Feria quarta, inquit ordinarium Cabilonenſe, [alta voce incipitur invitatorium, & à ſolo, *in occurſum Salvatoris*. . . Per nocturnum ſonantur quatuor campanæ minutæ, mittitur tredena candelarum, & duo cerei ante altare, ſacerdos indutus veſtimentis ſacerdotalibus venit de veſtiario cum ceroferariis in albis & thuribulo in choro, & ſuper pulpitum amictu capite velato incipit expoſitionem *miſſus eſt Angelus*, adſtantibus coram eo ceroferariis & thuribulo, quouſque lectio finiatur.] Hæc ſolemnitas præſcribitur ad reverentiam Dominicæ incarnationis, cujus myſterium ex evangelio ſecundùm Lucam integrum, non ſola ejus expoſitio legebatur, ut patet ex ordinario Eccleſiæ Bajocenſis, in quo nonnihil etiam ſolemnius obſervare licet: [In matutinis legatur lectio evangelica in majori pulpito ſuper aquilam proceſſionaliter, præcedentibus ad eam miniſtris neceſſariis, cum cruce, candelabris accenſis, thuriferario, cum igne & thure, ſubdiacono ſine tunica, ſine diacono. Legitur à quodam ſacerdote de ſtallo alba caſula, & aliis ſacris veſtibus induto ſicut in miſſa, amictu capite cooperto, ramum palmæ in manu tenente: qua lectione finita, revertitur ſacerdos ad altare, quo incenſato, ſicut in miſſa defertur textus ad deoſculandum per chorum more conſueto, quo peracto, revertitur proceſſio per ſacrarium.] Hujus ritus cujus meminit Durandus in libro 6. rationalis c. 8. meminere etiam varia ordinaria; Eccleſiæ Rotomagenſis, Pariſienſis, Silvanectenſis, Noviomenſis, Meldenſis &c. In Pariſienſi Sancta Capella Palatii, recitato evangelio, quo Dominica incarnatio annunciatur, ſolemniter decantatur antiphona B. Mariæ *Salve Regina*. In Biſuntina verò B. Magdalenæ parochiali Eccleſia dum idem evangelium in miſſa cantatur, puella quædam eleganter compoſita, & priùs diligenter edocta, B. Virginis perſonam gerens, reſpondet diacono legenti, iiſdem verbis, quibus Gabrieli Archangelo redemptionis noſtræ myſterium annuntiauti Beatiſſima Virgo Maria reſpondit; idque ad plebis inſtructionem, qui hujuſmodi exterioribus ritibus ſæpè inſtruitur longè efficaciùs quàm prædicatorum concionibus. Porrò in gratiam hujus ſolemnitatis hac die ceſſabant proſtrationes in choro, ſaltem in pleriſque Eccleſiis, parvumque B. M. officium, quod ferè ubique recitari conſueverat, omittebatur.

Benedictio cinerum.

XXXI. Singularis extitit ante annos ſexcentos ritus Eccleſiæ Lemovicenſis, in qua tam in cathedrali S. Stephani, quàm in Abbatiali S. Martialis Baſilica quotannis quater, in quatuor ſcilicet anni temporibus, benedicebantur cineres & imponebantur eodem ritu & modo, quo in univerſali Eccleſia feria quarta in capite jejunii; qui mos an adhuc vigeat haud ſatis ſcio.

Examen ordinandorum.

XXXII. Hac etiam die, feria ſcilicet quarta, ut ait Durandus lib. 6. c. 8. [examinantur ordinandi, an ſint idonei ad ſuſcipiendos ordines

CAPUT X. *De adventu Domini.*

vel non.] Quanam verò ratione id fieret explicat ordo Romanus auctore Benedicto canonico S. Petri. His verbis: [Feria quarta ſtatio ad S. Mariam majorem. Fit collecta ad S. Petrum in Vincula in Eudoxia. Primicerius cum ſchola & ſubdiaconi regionarii & acholythi cum cruce ſtationali S. Petri, levant inde crucem cum collecta proceſſionali, cantando uſque ad S. Mariam majorem. Ibi Dominus Papa præparatus cantat miſſam more quadrageſimali; & ibi nunciat quem ordinare diſponit hoc modo: auxiliante Domino & Salvatore noſtro JESU-CHRISTO elegimus hunc diaconum in presbyteratum. Si quis habet contra eum, pro Deo, cum fiducia exeat, & dicat. Verumtamen ſit memor conditionis ſuæ.]

XXXIII. In ſequenti verò ſabbato ſacri celebrabantur ordines apud S. Petrum, ubi cùm Pontifex in miſſa trium puerorum hymnum attigiſſet, deſcendebat ab altari ad S. Andream electos conſecraturus & ordinaturus; iiſque ordinatis, ad altare inceptam miſſam celebraturus revertebatur, quippè *ad hoc altare nulla conſecratio debet fieri, niſi de Romano Pontifice*, inquit Benedictus canonicus. Porrò ſolemnis erat Romæ iſthæc ordinatio, ubi ad uſque Simplicium Papam ordinationes factæ non leguntur, niſi in menſe Decembri, quemadmodum obſervaverunt Amalarius l. 2. c. 1. & Micrologus.

De antiphonis O.

XXXIV. Septimo ante vigiliam nativitatis die ſolemnes ad *Magnificat* ſolemus in veſperis cantare antiphonas, quæ omnes à vocali O incipiunt. Octavam *ô virgo virginum* addit ordinarium Cabilonenſe, cujus meminit Amalarius in lib. de ordine antiphonarii c. 13. Durandus lib. 6. c. 11. ſcribit in quibuſdam Eccleſiis novem decantari, additis duabus aliis, ſcilicet una *de Virgine quæ concepit*, altera *pro angelo qui ad Virginem introivit, vel in honorem S. Thomæ cujus feſtum tunc accidit.* Et revera novem deſignat ordinarium Namnetenſe: novem etiam habet antiphonarium S. Martini Turonenſis. [Quædam etiam Eccleſiæ cantant duodecim, quæ exprimunt duodecim Prophetas qui Christi adventum prædixerunt,] inquit iterum Durandus. Et revera duodecim continet antiphonarium S. Gregorii Papæ à Thomaſio ſub nomine Cari editum. Ex ordine Romano auctore Benedicto canonico S. Petri [à feſtivitate S. Nicolai uſque ad feriam ante natalem Domini cantantur hæ antiphonæ ad matutinum *O ſapientia* ad *Benedictus.*] Ubi notandum eſt in Eccleſia Romana antiphonas illas non ad veſperas, ſed ad matutinas laudes decantatas fuiſſe, ſaltem tempore Benedicti canonici, nam Gregorii Magni antiphonarium eas ad veſperas adſignat. In reſponſoriali & antiphonali Eccleſiæ Romanæ à Thomaſio edito ſeptem tantum notantur antiphonæ ad *Benedictus* dicendæ, à feſto quidem S. Nicolai incipiendæ, ſed in feſto S. Luciæ finiendæ.

XXXV. Neque verò vulgari modo, ſed omninò ſolemni decantari conſueverant: Et quidem ex ordinario Turonenſi *triumphabantur*, hoc eſt ter repetebantur. Solebantque à dignioribus in choro imponi: [Nota quod in adventu cantantur ſeptem antiphonæ ſolemniter ad

veſperas, inquit, ordinarium Namnetenſe, quarum prima eſt *O ſapientia*, quam incipit Epiſcopus in die Lazari; ſecunda eſt *O Adonai*, quam incipit Archidiaconus Namnetenſis: Tertia eſt *O radix Jeſſe*, quam incipit Archidiaconus mediæ: Quarta eſt *O clavis David*, quam incipit Cantor: Quinta *O oriens*, quam incipit Theſaurarius; Sexta eſt *O Rex gentium*, quam incipit Scholaſticus: Septima *O Emmanuel*. . . . Sunt etiam aliæ duæ additæ quæ cantantur cum aliis.] Et ordinarium Cabilonenſe: [Primum debet Cantor *O ſapientia*, ſecundum Vicedominus montis *O Adonai*, Tertium Vicedominus gemmularum *O radix Jeſſe*, Quartum Epiſcopus pro theſauraria *O clavis David*, Quintum Vicedominus S. Iſidori *O oriens*, Sextum Archidiaconus *O Rex gentium*, Septimum Decanus pro Cellario, *O Emmanuel*, Octavum Epiſcopus *O virgo virginum*.] Similiter apud Gaſtinenſes canonicos regulares [*O ſapientia* inchoat D. Abbas; ſi verò abſens, prior: ceteris diebus ceteri ſicut præcedunt in ordine hinc & inde.]

CAPUT X. *De adventu Domini.*

XXXVI. [His octo diebus, addit ordinarium Cabilonenſe, dum poſt veſperas. . . . vel defunctorum, quæ dicuntur, venit chorus in refectorio ordine proceſſionali, duobus ceroferariis præcedentibus; & interim ſonatur campana groſſa, & datur ibidem potus de nectare & de vino: & cum dicitur à ſervitoribus alta voce *Benedicite*, ſacerdos dicit benedictionem *potum ſervorum ſuorum*. In reditu ſonatur minuta campana, & cantatur completorium, recepta priùs à matriculario potatione ſua nectaris & vini.] Ex hoc loco conjiciet fortaſſe non nemo Cabilonenſes canonicos, cum ſcriptum fuit ordinarium illud, in communi vixiſſe, utpote qui *in refectorio* excipiebantur: Immò & tunc in adventu jejunaſſe, cum ad ſerotinam refectionem nectar ſolum & vinum adhiberent abſque pane. Hujus conſuetudinis rationem reddit ordinarium Namnetenſe in hæc verba: [Item bibitur cum illo qui incipit antiphonam ad ſignificandum quod ſitis antiquorum refrigerata eſt per adventum Chriſti.]

XXXVII. In Eccleſia Mediolanenſi aliquot ante nativitatem diebus fit officium *de exceptato*, & per tres dies aguntur litaniæ poſt tertiam, quibus prima die præmittitur oratio cum antiphonis decem: eaque finita, ſubjicitur oratio cum antiphonis undecim, & aliquoties *agnus Dei*. Secunda die litaniæ præmittitur oratio cum antiphonis novem, eique ſubjicitur oratio cum antiphonis octo, & aliquoties *agnus Dei*. Tertia tandem die ante litaniam cum oratione dicuntur antiphonæ octo, poſt litaniam verò oratio cum antiphonis quatuordecim, & aliquoties *agnus Dei*. Dominica verò ante natalem Domini diem quæ ſecundùm uſum Ambroſianum eſt Dominica ſexta adventus [*celebrantur in Metropolitana & in Collegiatis duæ miſſæ: una de adventu, altera de incarnatione*.] Prima quidem in Eccleſia hiemmali, ſecunda ad S. Mariam.

Officium de exceptato in Eccleſia Mediolanenſi.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De vigilia natalis Domini.

CAPUT XI. *De vigilia natalis Domini.*

I. EA fuit Eccleſiæ pia conſuetudo, ut præcipuas ſolemnitates ſanctorumq; feſtivitates vigiliis prævenirct, inter quas cùm non infimum locum ſemper obtinuerit Nativitas Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundùm carnem, ſuam etiam ab initio vigiliam habuiſſe minimè ambigimus, quam cum jejunio celebratam fuiſſe diſcimus ex S. Auguſtini epiſtola 65. novæ editionis ad Xantippum. Hujus vigiliæ ritus præcipuos breviter hîc attingemus.

Nocturnum officium.

II. Nocturnum ejus officium olim celebrabat Eccleſia Romana cum invitatorio ſine hymno, tribus antiphonis totidemque pſalmis cum verſu, & quinque lectionibus, quibus ſuum cuique reſponſorium ſubjiciebatur. Tres primæ lectiones uti conjicimus erant ex Prophetis, quartam faciebat ſermo S. Auguſtini *vos, inquam, convenio ô Judæi*, qui haud dubium integer pronunciabatur juxta morem illorum temporum, additis ſibillinis verſibus. Quinta lectio erat ex homilia. Ita antiquus ordo Romanus auctore Benedicto canonico S. Petri.

III. Aliæ verò communiter Eccleſiæ conſuetum ordinem in nocturnis retinebant. In Cabilonenſi invitatorium, quod per totum adventum *remiſſa voce* decantatum fuerat, *excelſa voce* pronunciabatur, quod in Lemovicenſi ſuccentor præcinebat in baculo ſuo tenens candelas junctas, appoſito pulpito ad tenendum librum ante ſedem ejus. Hymnum etiam prætermittebat Eccleſia Cabilonenſis, non ſolùm in matutinis, ſed in aliis quoque diurnis horis, pſalmos omnes ſub una decantabat antiphona, binos & binos, ſub una gloria.

IV. Ex ordinario Eccleſiæ Narbonenſis finito ultimo matutinorum reſponſorio, [tacet chorus, & ſtatim pulſantur campanæ; & interim altaria parantur, & chorus ornatur. Ornatis omnibus, prædictus cantor dat cappas rubras illis qui debent regere chorum, & Dominus Archiepiſcopus, vel ille qui debet facere officium, incipiat alta voce in laudibus, ℣. *craſtina die*. Antiphona *Judæa & Jeruſalem* & ceteræ ut ſunt in breviario.] Ubi obſervabis laudes non à ſolito verſu. *Deus in adjutorium*, ſed à verſu *craſtina die* inceptas fuiſſe, in quarum fine *benedicamus Domino* cum duplici *alleluia* cantabatur.

Lectio martyrologii.

V. [Ad primam, inquit ordinarium Cabilonenſe, ſonatur groſſa campana... dicto *benedicamus Domino*, venit chorus in capitulo, & legitur ibi in nova regula, poſteà *pretioſa in conſpectu Domini* uſque in finem totum legitur in regula, & ante lectionem dicit lector *jube domne*. poſt lectionem pronunciatur breve.] Regulæ nomine hîc intelligo martyrologium, quod cum aliis diebus legeretur in choro Cabilonenſi, in vigilia natalis Domini in capitulo pronunciabatur. Quonam verò ritu

Digitized by Google

id fieri debeat accipe ex ordinario Rothomagenſi canonicorum regularium S. Laudi ? [In vigilia nativitatis Domini, ipſa die poſt miſſam matutinalem ſignum capituli celeriùs & productiùs debet pulſari, ut fratres ad initium capituli omnes undecumque valeant convenire ; & ne quis deſit, pridiè in capitulo omnibus denuntietur : pridiè enim vel ante etiam ; ſi Dominica obſtiterit, fratres raduntur. Hac die ad lætitiam & devotionem cordium demonſtrandam & in amorem venientis Dei & Redemptoris noſtri JESU CHRISTI flagrantiùs excitandam, locus quo denunciari debet noſtra redemptio, videlicet capitulum, quàm honeſtiùs præparetur : ubi cùm lector pronunciaverit dicens : *In Bethleem Iuda Ieſus-Chriſtus filius Dei naſcitur*, omnes ſtatim in terram ſe proſternent : proſtrati verò prout devotio ratioque dictaverit orantes, innuente prælato ſurgant, & lector reliqua proſequatur.] Et Carnotenſe S. Joannis ordinarium : [Statutum tenemus à Patribus, ut hodierna die ex quo lector in capitulo pronunciaverit feſtum nativitatis Dominicæ, & dixerit JESUS-CHRISTUS Filius Dei in Bethleem Judæ naſcitur, memores humilitatis Dominicæ, omnes ſimul ad terram proſternamur. Lector verò finito ipſo verſiculo, nobiſcum proſternitur. Tunc quiſque privatim dicit pſalmos vel orationes quales ei placuerit. Cùm autem D. Abbas vel prior ſurrexerit, & ſignum aliquod ſurgendi fuerit, ſurgimus : lector verò lectionem proſequitur.] Eadem leguntur in ordinario Gaſtinenſi. Sed hic ritus peculiaris fuiſſe videtur religioſorum, quo de videſis quid diximus in lib. 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 3. in præfato S. Joannis Carnotenſis ordinario hac die notatur commune defunctorum anniverſarium, pro quo ante miſſam matutinalem dicitur prima cum pſalmo *Beati immaculati*, quo finito, dicitur *Requiem æternam*, oratio Dominica cum collecta *Inclina* & *Fidelium*, deinde miſſa ſine diacono & ſubdiacono.

CAPUT XL. *De vigilia natalis Domini.*

VI. In Eccleſia Viennenſi in Gallia ante ſolemnem miſſam ſolemnis fit abſolutio, id quod colligimus ex ejuſdem Eccleſiæ ordinariis his verbis : [Ante magnam miſſam pulſetur pro benedictione ſeu abſolutione.] Hæc miſſa non ſine ſolemnitate, quæ natalem Domini diem deceret, celebrabatur. In ea plures olim dictas fuiſſe prophetias non obſcure innuit ordinarium Cabilonenſe dum ait : [ad miſſam prophetiæ in albis leguntur, & à clericis de ſubſtallum.] Numerum determinare videtur Pontificale ms. Saliſburgenſis Eccleſiæ, in quo hæc lego : [In vigilia nativitatis Domini quinque lectiones leguntur cum totidem reſponſoriis, [niſi fortè hæc verba de lectionibus matutinarum quis intelligere velit. In Eccleſia Mediolanenſi quatuor recitantur lectiones præter epiſtolam & evangelium : lectiones quaſlibet ſequitur reſponſorium ſeu graduale cum collecta : Lectiones autem in miſſali Ambroſiano iſtæ habentur : Ex libro Geneſis *factus eſt ſermo Domini ad Abram dicens, noli timere &c.* uſque *qui tollens univerſa hæc fecit ſicut præceperat ei Dominus.* Ex libro judicum *erat vir quidam de Saraa de ſtirpe Dan &c.* uſq. *exaudivitque Dominus precantem Manue.* Ex libro Regum *triſtis erat*

Miſſa ſolemnis.

CAPUT XI. *De vigilia natalis Domini.*

*anno &c.*uſq. *det tibi potitionem quam rogaſti eum.* Ex Iſaïa *adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens : pete tibi ſignum &c.* uſque *coram Rege Aſſyriorum.* In quibuſdam antiquis miſſalibus Eccleſiæ Gallicanæ ante epiſtolam præmittitur unica prophetia, qui uſus fuit Eccleſiæ Viennenſis, Argentinæ, Pariſienſis, Ebrodunenſis, Bituricenſis, Pictavienſis, Venetenſis, Glaudatenſis, Melodunenſis, Rotomagenſis S. Audoeni & in Italia Cuſentinæ miſſale vetus S. Audoeni præſcribit, ut [diaconus & ſubdiaconus & ille qui legit prophetiam contra conſuetudinem adventus induantur dalmatica & tunica.] Additque : [ad offertorium dicantur verſus. Poſt ſanctus proſtratur conventus ſuper formas.] Porrò in miſſali Mozarabum nulla hac die miſſa notatur.

VII. [In illa die ante natale Domini hora nona expleta, id eſt vigilia Domini manducant Romani, Græci dicto veſpere miſſam cantant.] inquit Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in capitulis ſelectis. n. 29. ſpilegii tom. 9. & infrà n. 66. [ante natalem Domini noſtri JESU-CHRISTI Græci ſera, Latini nona hora miſſas celebrant.]

Veſperæ.

VIII. Quod ſpectat ad veſperas obſervat Guillelmus Durandus in rationali lib. 6. cap. 12. quoſdam hos modulari pſalmos, *Laudate pueri Dominum. Laudate Dominum omnes gentes. Lauda anima mea Dominum. Laudabo. Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Lauda Ieruſalem Dominum.* In quibuſdam verò Eccleſiis decantari ſequentes : *Laudate pueri Dominum. Qui confidunt. In convertendo. Memento Domine David. Benedictus Dominus Deus.* In Eccleſia Turonenſi pſalmi dicebantur de feria : omnes verò antiphonæ triumphabantur, hoc eſt ter decantabantur. Hymnus ex ordinario Lingonenſi prætermitti debebat, totumque officium ex integro perſolvi ante meridiem : ita ut deinceps canonici ad Eccleſiam non convenirent niſi pro matutinis.

Completorium.

IX. In antiquo ordinario Eccleſiæ Lugdunenſis ante annos 500. ſcripto præſcribitur, ut completorium hac die ſub ſilentio recitetur; cujus officium in Cabilonenſi ita ordinatur : [ad completorium tantum tres pſalmi dicuntur : *Cum invocarem. In te Domine. Ecce nunc.* Hymnus *Virgo Dei.* Capitulum *Populus gentium.* ℣. *Benedictus qui venit*, antiphona *alleluia*, non dicitur *verbum caro* uſque in die, ſed juxta tonum ejuſdem *alleluia*, octo *alleluia* poſt *nunc dimittis* oratio ut ſuprà.]

Pſalterii recitatio.

X. Ex eodem ordinario poſt completorium recitantur in choro tria pſalteria [quibus ſucceſſivè perlectis, ſonantur matutinæ.] In Eccleſia etiam Auguſtodunenſi poſt completorium duodecim in choro clerici pſalleterium unum decantant, quod ad matutinas uſque producunt : ideoque refectiunculam, (collationem dicere ſolemus,) ibidem accipiunt.

XI. Hic adjicere liceat piam conſuetudinem Eccleſiæ Mediolanenſis, quam ita deſcriptam reperio in rituali Cardinalis Montii.

Ordo aſperſionis aquæ in vigilia nativitatis Domini.

Parochus ſuperpelliceo & ſtola indutus, ſingulas parochiæ ſuæ ædes obit ingrediensque dicit: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. *Deinde domum aſpergens dicit antiphonam*: Aſperges me &c. *Et pſalm.* Miſerere mei Deus. *Cum* Gloria Patri &c. *Repetitur antiphona.* Aſperges me &c. *Finita antiphona in primario loco dicit*:

℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem noſtram.

℟. Et clamor noſter ad te perveniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni ſanguine linitas, ab Angelo percutiente cuſtodiſti: ita mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Dominum noſtrum.

Dominus vobiſcum &c.

CAPUT XII.

De feſto natalis Domini.

I. SAcratiſſimum natalis Domini feſtum inter ea meritò cenſeri debet, quæ ab ipſo naſcentis Eccleſiæ principio univerſorum populorum conſenſu inſtituta ac celebrata fuere. Id ſanè non obſcurè innuit S. Joannes Chryſoſtomus ſerm. 31. tom. 5. ubi docet nativitatem Domini octavo calendas Januarii, qui dies Decembris vigeſimus quintus eſt, celebrandam eſſe exemplo occidentalis Eccleſiæ, in qua jam inde *à primordio* ab ipſa Thracia Gades uſque incolentibus præfatus dies percelebris fuerat; eoſque qui Romæ commorantur, ex antiquiſſima traditione ejuſdem diei notitiam ad poſteros tranſmiſiſſe, atque eum diem ex codice deſcriptionis in Judæa cùm Chriſtus natus eſt factæ, ibidem publicè aſſervato didiciſſe potuiſſe. Quo ex ſermone conſtat, non ſolùm antiquitas inſtitutionis feſti natalis Domini, ſed etiam dies illius ſolemnitati aſſignatus; nempè vigeſimus quintus Decembris. Eumdem etiam ex communi Eccleſiæ traditione deſignat S. Auguſtinus ſerm. 380. n. 1. lib. 4. de civitate Dei c. 5. & in pſal. 132. In oriente tamen maximè in Ægypto una cum Epiphania die Januarii ſexta celebratur, ut docet cum Caſſiano collat. 10. c. 2. S. Epiphanius hæreſi 51. n. 2. immò ſi Cle-

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.* Natalis Domini feſtum quam antiquum.

Caput XII. De feſto natalis Domini.

menti Alexandrino lib. 1. Stromatum fides ſit, nonnulli die 20. Aprilis, quidam 15. Maii idem feſtum recolebant. Sed tandem omnes totius orbis Eccleſiæ Romanæ morem & inſtitutionem quoad diem ſecutæ ſunt.

II. Quanta verò cum devotione, quanta cum religione idem feſtum celebratum fuerit, vel inde apparet, quòd clericis olim ſub ſeveris diſtrictiſque pœnis cautum erat, ne eo inſtante ab Eccleſiis abeſſent: [Si quis in clero conſtitutus, inquit, Concilium Agathenſe can. LXIV. ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt nativitate Domini, Epiphania, Paſcha vel Pentecoſte, dum potiùs ſingulari lucro ſtudeat quam ſervitio ſuo parere; convenit ut triennio à communione ſuſpendatur.] Immò laïcis ipſis præceptum erat, ut Epiſcopos ſuos communionis ac benedictionis percipiendæ gratia convenirent. Hinc idem Agathenſe Concilium can. LXIII. jubet, [ut cives qui ſuperiorum ſolemnitatum, id eſt Paſchæ ac natalis Domini vel Pentecoſtes feſtivitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, cum in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ cauſa poſitos ſe noſſe debeant, triennio à communione priventur Eccleſiæ.] Et Concilium Aurelianenſe I. can. XXV. [Nulli, inquit, civium Paſchæ, natalis Domini, vel quinquageſimæ ſolemnitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.] Similiter Epaonenſe can. XXXV. [Cives ſuperiorum natalium nocte Paſchæ ac Nativitatis Domini ſolemnitate Epiſcopos, nec intereſt in quibus civitatibus poſitos, accipiendæ benedictionis deſiderio noverint expetendos.] Vide Concilium Toletanum XIII. can. VIII.

Nocturnum officium duplex.

III. Nocturnum olim officium duplex celebrabat Eccleſia Romana in natali Domini. Primum in Eccleſia S. Mariæ majoris, ſecundum in Eccleſia S. Petri. Primum in ipſo noctis creſpuculo ſine invitatorio: quo expleto, hoc eſt vigiliis cum matutinis percantatis, Summus Pontifex miſſam primam ad præſepe Domini celebrabat, cujus rei praxim videre eſt in vita Nicolaï Papæ I. ubi hæc conſuetudo *olitana*, ſeu antiqua dicitur, finita miſſa ad S. Anaſtaſiam pergebat ſecundam in nocte miſſam cantaturus, deinde ad S. Petri Eccleſiam ſe conferebat vigilias denuo celebraturus cum matutinis. Hæc ſanè conſtant tum ex antiquiori ordine Romano, tum ex Alcuini vulgati libro de divinis officiis, tum ex Amalarii libro de ordine antiphonarii cap. 15. de nativitate Domini, ubi ſe reperiſſe ait in Romano antiphonario duo officia nocturnalia in una eademque nocte poſita. [Unde interrogavi, inquit, quemdam clericum educatum ab incunabulis in Sancta Romana Eccleſiâ, cur eſſent hæc duo officia, in una nocte poſita... Qui reſpondit: (primum) ſolet Apoſtolicus canere in vigiliis & in Eccleſia S. Mariæ ad præſepe ſine invitatorio. Alterum... ſolent clerici canere in Eccleſia S. Petri cum invitatorio. *Christus natus eſt nobis* nocturnali tempore quando populus ſolet ad officium ſurgere.] Neque verò inſolens fuit etiam aliis Eccleſiis duplex in præcipuis feſtis habere officium, id quod diſcimus ex Durando.

IV. Gallicana olim ſacrariſſimam hanc noctem totam ferè tranſigebat inſomnem : [natale Domini, inquit Cæſarius Arelatenſis in regulæ recapitulatione cap. 15. & Epiphania ab hora tertia noctis uſque ad lucem vigilandum eſt.] Id quod ampliùs patet ex Epiſtola Lupi Tricaſſini & Euphronii Auguſtodunenſis Epiſcoporum ad Talaſium Andegavenſem præſulem : [Vigilia natalis Domini longè alio more quàm Paſchæ vigilia celebranda : quia hic nativitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem paſſionis. Epiphaniæ quoque ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maximè aut *perpete nocte*, aut certè in matutinum vergente curandæ ſunt.] Duos tamen dumtaxat nocturnos aſſignat loco citato Cæſarius, & in ſingulis ſex *miſſus* ſeu lectiones, ita ut duodecim in illa nocte legerentur ; quem numerum etiam obſervare licet in antiquo lectionario Luxovienſi ante annos mille deſcripto. Sed illi nocturni tantæ erant prolixitatis, ut in ſolis præcinendis lectionibus tres minimum horas inſumere neceſſe eſſet, quippè nulla erat quæ quartam ſaltem horæ partem non expleret. Et hæc erat Eccleſiæ Gallicanæ antiqua inſtitutio priuſquam Romanum ordinem reciperet ; quo ſemel admiſſo, aliis etiam cœpit moribus uti, novem tantum antiphonis, totidemque pſalmis, lectionibus ac reſponſoriis, præmiſſo invitatorio & hymno, contenta, quibus etiam explendis non unus, ſed planè diverſus extitit diverſarum Eccleſiarum ritus.

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.*

Vigiliæ nocturnæ quam prolixæ in Galliis.

V. Obſervat porrò Durandus lib. 6. cap. 13. [ante nocturnos in quibuſdam locis ſuper altare poni tres pannos, & in ſingulis nocturnis amoveri.] Quorum [primus, inquit, niger pro tempore ante legem, ſecundus albus pro tempore revelationis, tertius rubeus pro tempore gratiæ propter dilectionem ſponſæ candidæ & rubicundæ.] Additque [In quibuſdam quoque Eccleſiis ſuſpenduntur boni panni, in quibuſdam viles, in quibuſdam nulli.] Et certè ex ms. Eccleſiæ Narbonenſis Ordinario in primo nocturno debet adhiberi color rubeus, in ſecundo albus, in tertio violaceus.

Ornamentorum color varius.

VI. Ex eodem Ordinario invitatorium cantari debet. [Ante altare à duodecim tenentibus cappas rubras & mitras in capite, & virgas pictas ſive bordonos in manibus, cum candela accenſa in quolibet.] Ita ut [ſex cantent tres primos verſus ſubmiſſa voce, & alios tres alii ſex alta voce.] Paulò aliter ms. Eccleſiæ Silvanectenſis Ordinarium invitatorium decantandum inſtituit : Quatuor [Maſſicoti, inquit, vel clerici clericaliter induti cappis ſericis incipiunt invitatorium *Chriſtus natus eſt*, & totum cantatur. Deinde cantor incipit dictum invitatorium, & totum à choro cantatur. Poſteà prædicti Maſſicoti vel clerici induti, ut ſuprà, cantant pſalmum *venite*, & poſt quemlibet verſum prædictum invitatorium defertur Epiſcopo vel decano facienti ſervitium & antiquioribus canonicis.] Ex Ordinario verò Lingonenſi invitatorium cum pſalmo *venite exultemus* præcini debet à quatuor canonicis alternatim, ſcilicet decano, cantore, theſaurario aut alia dignitate & à choriſta hebdomadario, binis unum verſum & binis alterum decantantibus ; ad quem ferè modum

Invitatorium quo ritu canendum.

coaptare ſe debent canonici Turonenſes ex ſuo Ordinario. Uticenſe ſeu Ueeticenſe: præſcribit, ut finito à quatuor cantoribus invitatorio, [proſternant ſe in terra in memoriam Dominicæ incarnationis, & proſtrati adorent, donec chorus flexis genibus dictum invitatorium repetierit.]

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.*

Hymni plures ad vigilias.

VII. Finito invitatorio addit idem Ordinarium *ſequitur hymnus* A ſolis ortus, *&* Enixa eſt: *inſimul dicuntur ambo, quia hymnus non dicitur in laudibus.* Verum ex Lingonenſi tres ad vigilias hymni decantari debent, ſinguli ſcilicet ad ſingulos nocturnos. In Africana olim Eccleſia Ambroſiani in natali Domini decantabantur hymni, ut diſcimus ex his S. Auguſtini verbis in ſerm. 372. [Hunc noſtri gigantis excurſum breviſſimè ac pulcherrimè cecinit B. Ambroſius in hymno quem paulò ante cantaſtis.]

VIII. Omnes antiphonas triumphari ſive ter dici jubet Ordinarium Eccleſiæ Turonenſis: verſus autem ante lectiones cum triplici alleluia.

Lectiones quo ritu legendæ.

IX. Lectiones in primo nocturno tres deſumuntur ex Iſaïæ prophetia, quæ quidem ex Ordinario Lingonenſi ſine titulo pronunciari debent; ex Namnetenſi verò ita terminari, ſcilicet prima *Hæc dicit Dominus Deus, qui hodie dignatus eſt naſci pro ſalute humani generis: Convertimini ad me & ſalvi eritis.* Secunda *Hæc dicit Dominus, qui hodierna die homo natus apparuit pro redemptione hominis, Convertimini.* Tertia *Hæc dicit Dominus, qui hodie fieri dignatus eſt particeps noſtræ humanitatis, Convertimini.* In Eccleſia Narbonenſi hæc ſecundæ lectionis verba: *Vox dicentis: clama. Et dixi quid clamabo? Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quaſi flos agri,* ſingulari quadam ratione ſeu modulatione canuntur.

Lectio 5. ab Imperatore aut Rege legenda in Eccleſia Romana.

X. Lectiones ſecundi nocturni deſumi ſolent ex Sanctorum Patrum ſermonibus. Sed ex Ordinario Eccleſiæ Argentinæ in ſecundo nocturno [legatur homilia *Exiit edictum,* deinde ſermones legantur ad duas lectiones. In tertio verò nocturno homilia *Paſtores loquebantur. Paſtores quidem illi.* Homilia *In principio.*] Hic obſervare licet antiquam conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, in qua quintam lectionem legebat Imperator, ſi præſens adeſſet, aut Rex, aut omnium qui pro tempore curiam Pontificis frequentarent nobiliſſimus: qua de re gloriatur orator Regis Franciæ in quadam epiſtola ad Carolum ſeptimum regem, quam manuſcriptam aliquando legi in codice S. Vincentii Cenomanenſis. De hoc ritu ita ſcribit ceremoniale Domini Rotomagenſis de Stouta-villa: [Si Imperator vel Rex ſit in curia hac nocte, ſacriſta vel clerici præſentant ſibi librum legendarum, in quo debet legere quintam lectionem, & eum honeſtè inſtruunt de ceremoniis obſervandis in petendo benedictionem, in levando enſem cum vagina, & extrahendo, ipſum vibrando, & de pluviali, pileo & aliis. Item notabiliter paretur per ſacriſtam & clericos cameræ enſis cum vagina, corrigia, & pileo ſecundùm notabilitatem principis: & dum cantatur reſponſorium quartum, ſi ſit Imperator vel Rex; camerarius, ſacriſta, & clerici capellæ parant unum pulchrum pluviale album, & ante pulpitum deponunt ſibi capucium, & ipſum induunt ad modum chlamydis illud pluviale, ita quòd ſciſſura ſit ad manum ejus dextram;

& cingunt ei enſem, & ipſemet extrahit, & facit vibrari, & ponunt ſibi ſuper caput pileum; & ipſe inclinat caput ad Papam, & petit benedictionem, & legit lectionem ſibi prædictis adſtantibus, qua lecta, ducunt ſic indutum cum pileo ſuper caput, enſe extracto in manu, ad oſculum pedis Papæ, & quilibet revertitur ad locum ſuum.] Quandonam iſte ritus inceperit in curia Romana certò definire non poſſum. Sanè nullam ejus mentionem reperire eſt in antiquioribus ordinibus Romanis, ſed neque in iis quos Sæculo XII. Benedictus canonicus S. Petri aut Cencius de Sabellis ſcripſere. Prima ejus mentio reperitur in rituali Jacobi Gaïetani quem Bonifacius octavus Cardinalem creavit. An verò adhuc vigeat mihi ptorsùs incompertum eſt.

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.*

XI. De lectionibus verò tertii nocturni ita ſcribit Joannes Abrincenſis Epiſcopus in libro de officiis Eccleſiaſticis: [Tria evangelia in cappis, incenſo & candelabris præcedentibus pronuncientur.] Quæ omnia adhuc obſervantur in Eccleſia Rotomagenſi, ubi incenſatur altare antequam quiſquam legat evangelium. Concinere videtur ordinarium Eccleſiæ Argentinæ, cujus hæc verba [nota quod ad ſingula evangelia hujus matutinæ datur incenſum.]

XII. Quod ſpectat ad reſponſoria obſervat Durandus l. 6. c. 13. in quibuſdam Eccleſiis tres verſus ad primum dici, & in fine trium priorum reſponſoriorum *Gloria Patri*. Modum autem cantandi reſponſorii in Eccleſia Narbonenſi accipi ex ordinario ejuſdem Eccleſiæ: [Primum reſponſorium cantatur à ſex tenentibus cappas rubras, & mitras in capite, & virgam in manibus, & in capite virgæ una candela accenſa.] In Eccleſia Lingonenſi canitur in ambone cum muſica. In eadem Eccleſia cum tertio primi nocturni reſponſorio tres canuntur proſæ. Ita quippe præſcribit illius ordinarium: [Reſponſorium tertiæ lectionis, *Deſcendit de cælis*. Proſa, *Fac Deus munda* inter reſponſorium & verſum cantatur. Verſus *Tanquam ſponſus*. Proſa *Familiam*. Poſt *Gloria Patri* proſa altera *Facinora noſtra*.] Addit idem ordinarium: [nota quod poſt tertiam lectionem incenſatur majus altare & omnes capellæ, à duobus ſcilicet canonicis qui ſecundam & tertiam legerunt lectionem. Deinde his canonicis per portam ambonis regreſſis, duo pueri ex majoribus, lineis induti, incenſant chorum & omnes canonicos ex utraque parte procedendo uſque ad altare: exinde redeuntes incenſant choriſtas & infimum chorum uſque ad altare.] Subditque eumdem ritum obſervandum eſſe poſt tertiam lectionem ſecundi tertiique nocturni, & in laudibus & veſperis ad *Benedictus* & *Magnificat*. Ex Eccleſiæ Turonenſis ordinario prædictæ tres proſæ dici debent ad nonum reſponſorium. In antiquo breviario Eccleſiæ Pariſienſis unica dumtaxat proſa poſt tertium, in ordinario poſt nonum aſſignatur. Ex ordinario Argentino in fine tertii reſponſorii cujuſque nocturni non proſæ, ſed [tres neumæ cantantur, quarum ultima regatur à cantore, qui indutus cappa, & ſtans in medio chori vertat ſe ad ſingulos choros in ſingulis pauſis, quia pauſæ à choro alternatim cantantur.]

De reſponſoriis.

Digitized by Google

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.* Verſus Sibyllæ.

XIII. Ex præfato breviario Pariſienſi poſt quintam lectionem, ex ordinario Verticenſi poſt ſextam, ex Lemovicenſi S. Martialis poſt ſextum reſponſorium debent cantari verſus Sibyllæ Erithrææ quales habentur apud Euſebium in oratione Conſtantini Magni ad Sanctorum cætum cap. 18. qui etiam ex ordinario Narbonenſi debent cantari circa finem nonæ lectionis *à melioribus vocibus clericorum*, & ipſis cantatis reſumi lectio ab eo qui primo illam inceperat. In Eccleſia verò Rotomagenſi olim biduo ante vigiliam natalis ad nocturnos legebatur ſermo quidam ſub nomine S. Auguſtini, in quo ejuſdem Sibyllæ oracula recitabantur.

Lectio evangelii.

XIV. [Finito nono reſponſorio, inquit Micrologus cap. 34. Evangelium *Liber generationis* legitur, deinde *Te Deum laudamus* cum pulſatione ſignorum dicitur.] Hic ritus incognitus fuiſſe videtur olim Eccleſiæ Romanæ, ut pote cujus nullam mentionem faciunt omnes illius antiqui ordines; ſed ab omnibus Galliarum Eccleſiis uſurpatum conſtat, vigetque hactenus: modus autem cantandi evangelii ita deſcribit ordinarium Laudunenſe: [Diaconus procedit de ſacrario palmam tenens in manu, dalmatica indutus, præcedente eum ſubdiacono tunica induto, deferente textum argenteum, duobus clericulis ferentibus cereos, aliis duobus duas torchias & aliis duobus tenentibus duo thuribula. Diaconus accepta benedictione ab Epiſcopo, aſcendit pulpitum unà cum aliis prædictis, & ibidem legit cantando evangelium *Liber generationis*. Quo finito, Epiſcopus *Te Deum laudamus* incipit. Si Epiſcopus non fuerit præſens, diaconus qui legit evangelium incipit *Te Deum laudamus.*] Ex libro Joannis Abrincenſis non diaconus, [ſed major Eccleſiæ ſacerdos dalmatica indutus & caſula.] Genealogiam Chriſti ſecundùm Matthæum feſtivè legere debet; ex ordinario verò Rotomagenſi [quidam ſacerdos reveſtitus omnibus indumentis ſacerdotalibus] idem præſtat. Alibi tamen communiter hoc officium exequitur diaconus, & quidem ex ordinario Narbonenſi mitram geſtans in capite, uti & ſubdiaconus atque acolythi. Ex ordinario Trecenſi antequam incipiat legere dicit *Ecce annuntio vobis gaudium magnum.* In Eccleſia Lingonenſi [in ambone cantatur à diacono induto dalmatica coloris viridis & à muſica alternatim.] In Bajonenſi vero lecto evangelio, [Epiſcopum incenſat diaconus, & poſteà portat ei ſubdiaconus textum ad deoſculandum, deinde incenſatur chorus, & textus defertur ad deoſculandum more conſueto.]

XV. Obſervat Durandus prædictum evangelium quibuſdam in Eccleſiis legi in fine primæ miſſæ, qui ritus præſcribitur in veteri miſſali ab annis circiter 500. ſcripto ad uſum Eccleſiæ Ebroicenſis vigetque in Remenſi S Symphoriani Eccleſia parrochiali, vigebatque olim in Cathedrali, cujus ms. ordinarium hæc præſcribit: [Expleta miſſa uſque ad collectam poſt communionem, ſacerdos qui illam cantavit, ſicut indutus eſt ſacerdotalibus veſtimentis ſubſiſtit juxta altare, & diaconus ingreditur chorum ſolemni dalmatica ornatus cum duobus ceroferariis, duabus crucibus præcedentibus, cum totidem thuribulis;

aſcendenſque pulpitum pronunciat evangelium : quo decurſo, Archiepiſcopus, ſi præſens fuerit, altè inchoat *Te Deum laudamus*; vel cantor, ſi Archiepiſcopus præſens non fuerit. Hoc etiam decurſo, ſacerdos qui celebravit miſſam, ſive Archiepiſcopus, ſive aliquis alius dicto *Puer natus eſt nobis*, incipiat matutinas laudum.] De eodem ritu hæc lego in ordinario Eccleſiæ Argentinæ : [Finita miſſa, decanus vel alius ſenior presbyter cum ſacerdotalibus indumentis, pendente caſula, & non ſuprà brachia plicata, ſicut in miſſa fieri ſolet, procedat ſuper ambonem ad pulpitum evangelii præcedentibus cum cereis & thuribulo, & ſubdiacono deferente textum evangelii, in quo legat evangelium, *Liber generationis*. Quo finito proſequatur cantor, vel alius canonicus loco ſui *Te Deum laudamus* : & cantando deſcendant ad capellam S. Joannis, & ibi finiantur laudes, & interim compulſentur duæ nolæ, minor verſus *Verbum caro factum eſt*.]

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.*

XVI. His omnibus expletis in Eccleſia Rotomagenſi fit ſolemnis ad præſepe retro altare præparatum proceſſio ; quam ita deſcribit ms. ejuſdem Eccleſiæ ordinarium : [Finito *Te Deum*, peragatur officium paſtorum hoc modo ſecundùm Rotomagenſem uſum. Præſepe ſit paratum retro altare, & imago S. Mariæ ſit in eo poſita. In primis quidam puer ante chorum in excelſo ad ſimilitudinem angeli nativitatem Domini nuntians ad quinque canonicos quindecim marcarum & librarum, vel ad eorum vicarios de ſecunda ſede ; paſtores intrantes per magnum oſtium chori, per modum chori tranſeuntes ad locum in quo paratum eſt præſepe accedant, cantantes hunc verſum *pax in terris &c.* Salutent paſtores virginem... tunc viſo puero, paſtores adorent eum. Finita miſſa, ſacerdos qui miſſam cantaverit vertat ſe verſus paſtores, & dicat *Quem vidiſtis paſtores? dicite, annuntiate nobis in terris quis apparuit?* Paſtores reſpondeant *natum vidimus*] *&c.* In Lemovicenſi etiam Eccleſia S. Martialis fit proceſſio ad altare B. Mariæ, ſed poſt ſextum reſponſorium nocturnorum.

Proceſſio ad præſepe.

XVII. Decurſis ea quam deſcripſimus devotione nocturnis officiis, ſtatim celebratur prima miſſa. Nam tres hodie ex antiqua Eccleſiæ Romanæ traditione decantari ſolent, quas videre eſt in vetuſtiſſimis Gelaſii & Gregorii Magni Sacramentorum libris ; idque ipſum teſtatur ipſemet Gregorius in homilia 8. in Evangelium, quæ eſt de nativitate Domini, [quia largiente Domino miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus.] In miſſali tamen Mozarabum, in Ambroſiano apud Pamelium & in ordine Gallicano unica dumtaxat miſſa aſſignatur. Tres nihilominus, ut in ordine Romano præſcribitur, celebratas fuiſſe haud ægrè mihi perſuaſerim. Nam & in libello Eldephonſi Epiſcopi Hiſpanici, qui anno DCCCLV. ſcripſit tres indicantur miſſæ in natali Domini. In novo etiam miſſali Ambroſiano tres habentur miſſæ, ſed in prima dumtaxat præmittitur confeſſio, & in fine tantùm tertiæ dicitur evangelium Joannis *In principio*, in aliis verò miſſis data benedictione ſtatim ſacerdos incipit ingreſſam, ſeu introitum ſequentis. Sed hoc in novo miſſali,

An tres olim miſſæ dicerentur.

CAPUT XII. *De feſto natalis Domini.*

nam in eo quod S. Carolus typis mandari curavit paulò aliter. [Sacerdos, inquit, ante quamlibet miſſam debet dicere confeſſionem, & in fine cujuſlibet populo benedicere, & evangelium S. Joannis *In principio* legere. Poſt primam verò miſſam loco prædicti evangelii dicitur evangelium *Cum natus eſſet Jeſus*, quod in die Epiphaniæ legitur.] Tres etiam in Eccleſia Gallicana dictas fuiſſe, conjicere licet ex Gregorio Turonenſi, apud quem ſaltem duas deprehendere licet; unam poſt nocturnas vigilias, alteram poſt tertiam. Primæ meminit in lib. 2. de miraculis S. Martini cap. 25. & in lib. 1. de gloria martyrum cap. 86. Secundæ in libro de vitis Patrum cap. 8.

Ubi & à quibus celebrandæ.

XVIII. Prima ſtatim poſt nocturnas vigilias celebrabatur, & quidem in alia Eccleſia, ad quam decurſis divinis officiis procedebant, id quod deſumi potuit ex ordine Romano, ex cujus præſcripto tres miſſæ decantari debent in diverſis Eccleſiis, prima ſcilicet ad Eccleſiam S. Mariæ majoris ad præſepe Domini, ſecunda ad S. Anaſtaſiam, tertia ad S. Petrum; idque ut mihi videtur à diverſis ſacerdotibus; ad cujus ritus ſimilitudinem ordinarium Eccleſiæ Lemovicenſis præſcribit ut miſſa de media nocte ad capellam B. Mariæ celebretur ab eo qui fecit officium ad matutinum, ſecunda ad altare S. Mariæ Magdalenæ ab hebdomadario canonico præcedentis hebdomadæ, tertia verò ad majus altare ab hebdomadario. Ad eundem modum Joannes Epiſcopus Abrincenſis in libello de divinis officiis, primam, inquit, miſſam [Secretarius Eccleſiæ celebret, ſecundam vero cantor, tertiam præſul aut decanus.] In Eccleſia Argentina olim primam miſſam cantabat vicarius imperatoris, ſecundam unus minor presbyterorum, tertiam Epiſcopus, ex ordinario ejuſdem Eccleſiæ idem uſus apud monachos olim invaluiſſe demonſtravimus in lib. 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 4. confirmaturque ex vetuſto miſſali Rotomagenſis monaſterii S. Audoeni ex cujus præſcripto prior cantat miſſam de nocte: hebdomadarius miſſæ matutinalis ſecundam, abbas tertiam, apud Cartuſienſes prima miſſa hactenus cantatur à Vicario, ſecunda ab hebdomadario, tertia à priore. In Eccleſia etiam Remenſi, in Viennenſi, Turonenſi Sancti Martini, Lingonenſi, Lemovicenſi Sancti Martialis, Carnotenſi Sancti Joannis ſecunda miſſa in diverſis altaribus & à diverſis ſacerdotibus celebrabatur. In quibuſdam Eccleſiis quatuor dicebantur miſſæ. Nam quatuor aſſignantur in vetuſtiſſimo codice Bibliothecæ Regiæ n. 3865. cujus caracter accedit ad annos 900. Scilicet prima *ad S. Mariam*, ſecunda *ad S. Anaſtaſiam*, tertia *mane prima*, quarta *ad S. Petrum*.

Miſſa in Galli cantu qua hora dicta.

XIX. Prima miſſa in antiquis libris inſcribi ſolet *In Galli cantu*, quod ego in libro 1. de antiquis monachorum ritibus cap. 1. cùm interpretatus fuiſſem de media nocte, circa quam tunc primum Galli cantare ſolent, monuit me unus ex amicis meis vir ſacris in ritibus verſatiſſimus, hanc inſcriptionem non de primo gallorum cantu, ſed de poſtremo, qui à purioris latinitatis ſcriptoribus ſolet intelligi, cùm ſimpliciter enunciatur gallorum cantus, protulitque in medium uſum Eccleſiæ

Senonenſis, in qua prima miſſa circa horam tertiam poſt mediam noctem decantatur: qui uſus ante aliquot annos etiam vigebat in Rotomagenſi. Verùm quominùs huic viri doctiſſimi ſententiæ aſſentiar, obſtat, non ſolùm uſus univerſalis pene Eccleſiæ, ſed etiam vetuſtiſſimi codices manuſcripti; Gellonenſe miſſale annorum 900. in quo hæc miſſa inſcripta legitur *In primo Gallorum cantu*. Dionyſianum ante annos 800. ſcriptum. Moiſacenſe ejuſdem circiter ætatis. Romaricenſe annorum 600. Lugdunenſe, Lingonenſe, Catalaunenſe, quibus in omnibus habetur *In primo Gallorum cantu*, uti & in Pontificali Arelatenſi annorum 400. & in ordinario Argentino. In Turonenſi verò S. Gatiani annorum 800. *Primo pullorum cantu*. Atque ut omnem tollamus ambagem codex Joannis Aretini Epiſcopi ante annos 800. ſcriptus, duo pervetuſti codices monaſterii S. Theoderici propè Remos, quorum unus ad uſum Eccleſiæ Noviomenſis ſcriptus fuiſſe videtur, Sacramentarium Parthenonis B. Mariæ Calenſis ejuſdem ætatis, S. Gregorii Sacramentarium apud Pamelium clariſſimis & perſpicuis verbis iſtam huic miſſæ epigraphem apponunt *Media nocte ſtatio ad S. Mariam majorem* quibus ſuffragatur vetuſtiſſimum miſſale Fuldenſis monaſterii quod ſervatur in celebri S. Benigni Divionenſis monaſterio & aliud Fiſcannenſe recentius annorum circiter 300. & Miſſale Ambroſianum, Rupertus lib. 3. cap. 18. Durandus lib. 6. cap. 13. & Cæſarius monachus in Dial. diſt. 2. c. 5. Et revera hac potiſſimum hora hæc miſſa celebratur, qua Chriſtus natus creditur. At verò dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo Domini à regalibus ſedibus venit. Hinc in quadam charta inſignis Eccleſiæ S. Martini Turonenſis Thomas Archiepiſcopus Neapolitanus anno 1384. in natali Domini ibidem celebraſſe dicitur *tam in media nocte, quàm in aurora, & in die.*

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

Hymnus angelicus græcè decantatus.

XX. Quod verò ſpectat ad ritus ſingulares in ea obſervari ſolitos, in primis ordinarium Eccleſiæ Turonenſis inſtituit ut quater introitus dicatur. Ea in Eccleſia hymnus Angelicus græcè olim cantabatur, uti alias obſervavimus ex ms. ſpeculo ſacrorum rituum. Atque hunc uſum ante annos 400. adhuc illibatum viguiſſe in Martiniana ejuſdem civitatis Baſilica colligimus ex ejus ms. Rituali, in quo ita legimus: [Dicitur ad majus altare prima miſſa Dominus *Dixit ad me*, & dicitur *Gloria in excelſis Deo* Græcum ſcilicet δόξα.] In Eccleſia Vertienſi ſingulari quadam ratione ac ſolemnitate idem hymnus cantabatur, proptereà quod hac nocte primum ab angelis præcantatus fuit:

Prophetia ante epiſtolam.

XXI. Ante epiſtolam olim abſque ullo intermedio cantu dicebatur Prophetia, idque in duabus aliis etiam miſſis obſervabatur, ut adnotarunt Rupertus lib. 3. c. 15. ubi & myſticam hujus inſtitutionis rationem reddit, Durandus lib. 6. c. 13. Idque teſtantur antiqua miſſalia, Redonenſe S. Melanii ante annos 600. ſcriptum, Colbertinum n. 422. annorum circiter 500. & Sorbonicum annorum 400. Atque ita obſervabant Eccleſiæ non paucæ: Viennenſis in Gallia, Narbonenſis, Bituricenſis,

Digitized by Google

Caput XII. *In feſto natalis Domini.*

Turonenſis, Pariſienſis, Argentina, Pictavienſis, Silvanectenſis, Sueſſionenſis, Ebroicenſis, Vertienſis, Tolonienſis, Venetenſis, S. Quintini apud Auguſtum Viromanduorum. In quibuſdam ut in Ebrodunenſi, Glandatenſi, Lingonenſi, Auguſtodunenſi & Melodunenſi dicebatur tantum in prioribus duabus miſſis. Lugdunenſis, Cenomanenſis & quædam aliæ nullam omninò cantabant. In Auguſtodunenſi poſt prophetiam dicebatur reſponſorium & oratio.

Quo ritu cantata.

XXI. Nec prætereundus ritus quo in Narbonenſi tam prophetia, quàm epiſtola ipſa cantabatur. Is in ordinario ms. ejuſdem Eccleſiæ ita exprimitur: [Prophetia *Lectio Iſaia*, & cantatur à duobus clericis, ita quòd ſimul incipiant *Lectio Iſaia Propheta*: Deinde unuſquiſque cantet per ſe ſuum verſum, ita quod alter eorum cantet textum prophetiæ, & alius ornaturam, ſive farcituram; dicta Prophetia immediatè ſequitur epiſtola Pauli ad Titum *chariſſime*, & cantetur à duobus eo modo quo ſuprà in Prophetia eſt ordinatum.] Ornatura autem, ſeu farcitura prophetiæ, uti aliàs obſervavimus in libro 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 3. art. 2. n. 11. erat ejuſdem expoſitio vernacula, quam ad ſingulos verſus alter ſubdiaconorum ſeu clericorum, populo pronunciabat, qui ritus in quibuſdam adhuc Eccleſiis erat in uſu.

XXII. Obſervat verò Durandus in nonnullis epiſtolam deſumi ex Apoſtolo ad Romanos *Paulus ſervus &c.* In aliis verò ex epiſtola ad Titum *Apparuit gratia Dei.*

XXIII. Ex miſſali autem Auguſtodunenſi in hac miſſa ſymbolum non debet dici, ſed nec in ſecunda. Ex ordinario Argentino non cantatur in prima, ſed in duabus aliis dicitur.

Oblationes.

XXIV. De oblationibus quæ tam in iſta quàm in aliis miſſis fieri conſueverant, hæc lego in ordinario Namnetenſi: [Nota quod in iſtis tribus miſſis myſticæ conſueverant fieri oblationes. In prima offeruntur luminaria, per quod intelligitur divinitas Verbi. In ſecunda panes, in quo notatur humanitas, quia Chriſtus factus eſt cibus noſter. In tertia denarii, ad ſignificandum quia ſicut in denario imprimitur imago; ita in Chriſto junctum eſt Verbum naturæ humanæ.] In quibuſdam parochialibus Eccleſiis dum fiunt hujuſmodi oblationes, in prima præſertim miſſa, populus ſpiritualia de Nativitate Domini cantica vulgari idiomate compoſita decantat, quod ſanè prætermittendum mihi viſum non eſt.

XXV. Poſt communionem miſſale Catalaunenſe monet ſacerdotem, qui ſecundam ſeu tertiam miſſam celebraturus eſt, ne aliquid ſumat poſt ſumpſionem ſanguinis, ſed tantùm lavet manus in lavatorio.

Matutinæ laudes unà cum miſſa conjunctæ.

XXVI. Addit Micrologus hanc miſſam cum *Benedicamus Domino*, non cum *Ite miſſa eſt* compleri, [ne populo, inquit, quaſi licentiam abeundi infrà matutinales laudes dediſſe videamur, quas ſtatim poſt miſſam, iterum concrepantibus ſignis incipere ſolemus.] Atque ita in Eccleſia Argentina, in Eccleſiis Gallicanis alia ratione populum in Eccleſia

Digitized by Google

retinere viſum eſt, laudes videlicet incipiendo ſtatim poſt communionem, complendas per orationem quæ dici debet in fine miſſæ, ad eum ferè modum, quo veſperas unà cum miſſa in Sabbato ſancto decantare ſolemus. Ita habuit uſus Eccleſiæ Remenſis, Pariſienſis, Turonenſis S. Gatiani & S. Martini, Viennenſis, Narbonenſis, Rotomagenſis, Auguſtodunenſis, Laudunenſis, Lemovicenſis S. Stephani & S. Martialis, Lingonenſis, Melodunenſis, Namnetenſis, Noviomenſis, Silvanectenſis, Vertienſis, Carnotenſis S. Joannis, Gaſtinenſis &c. Meminitque hujus ritus Durandus in lib. 6. c. 13.

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

Qua ratione incepta.

XXVII. Atque hac fortè etiam ratione factum eſt, ut laudum officium non à ſolito verſu *Deus in adjutorium*, ſed à prima antiphona ſtatim inciperetur. Turonenſis S. Martini laudes auſpicabantur cum hoc verſu. *Benedictus qui venit in nomine Domini, & illuxit nobis.* In Eccleſia Toloſana & in Namnetenſi ſtatim poſt nocturnos, antequam miſſa inciperetur, dicebatur *Deus in adjutorium*, & poſt miſſam laudes à prima antiphona incipiebant.

XXVIII. In ms. miſſali quod uſui fuit olim Eccleſiæ Ebroicenſi poſt primam miſſam habetur evangelium ſecundùm Mattheum *Liber generationis*, quod alibi ſtatim poſt nocturnum expletum officium ſolemni ritu cantari ſolet, deinde ſequuntur laudes quæ incipiunt à verſu *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, quem ſequitur antiphona *Quem vidiſtis paſtores.* Ita etiam præſcriptum legitur in ordinario Argentino.

Hymnus prætermiſſus.

XXIX. Circa hoc laudum officium obſervandum eſt nullum in quibuſdam Eccleſiis hymnum dici ſolitum fuiſſe, ſed neque capitulum, neque reſponſorium, verum poſt quintam antiphonam is qui celebrabat antiphonam ad *Benedictus* ſtatim imponebat ita in Eccleſia Pariſienſi, in Turonenſi, Toloſana, Vertienſi, Silvanectenſi, Laudunenſi, Lingonenſi, Carnotenſi S. Joannis, & Gaſtinenſi.

XXX. In ordinario Namnetenſi præſcribitur, ut poſt canticum *Benedicite* [pueri ludentes cum baculis ſtent ante altare, & dicat cantor *Paſtores dicite*, pueri reſpondeant, *Infantem vidimus*; & tunc incipiat aliquis antiphonam *Parvulus filius*,] quam ſubſequatur pſalmus *Laudate Dominum de cœlis.* Similis penè ritus habetur in ordinario Noviomenſi, in Silvanectenſi & Turonenſi. De hoc ritu paulò aliter præſcribit ordinarium B. M. Remenſis, in quo hæc lego : [Poſtquam *Laudate Dominum de cælis* fuerit deductum uſque ad *Laudate Dominum in ſanctis ejus* cum *Gloria Patri & Filio* & *Sicut erat &c.* ſubſiſtitur, & antiphona *Parvulus filius* cum qua fuerat inchoatus pſalmus finitur ; tunc aliquis ſacerdotum, cui à præcentore fuerat injunctum, incipiat antiphonam *Paſtores dicite*, & totam cantat rem ; alter chorus reſpondet *Infantem vidimus.* Item primus chorus *Laudate Dominum in ſanctis*, ſecundus chorus *Paſtores dicite.* Primus chorus *Infantem vidimus.* Secundus chorus *Laudate eum in virtutibus ejus*, & ſic reciproca cantilena pſalmo decurſo cum *Gloria Patri, & Filio*, eadem antiphona *Paſtores dicite*, & *Infantem*

vidimus, ex integro cantatur, & tonus finitur.] Similia ferè habet ordinarium Narbonenſe.

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

XXXI. Repetita poſt *Benedictus* antiphona, ſacerdos orationem ad complendum ſubjungebat, diaconus verò *Ite miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, & quidem cum duplici *Alleluia* ex ordinario Narbonenſi, cujus loco ex Silvanectenſi, Noviomenſi, & Vertienſi ordinariis ſolus cantabat integram antiphonam *Ecce completa ſunt &c.* In Eccleſia Auguſtodunenſi dicto à diacono *Ite miſſa eſt*, ſtatim cantabantur ſequentes tres antiphonæ.

Completi ſunt dies Mariæ, ut pareret filium ſuum primogenitum.

Ecce completa ſunt omnia quæ dicta ſunt per angelum de Virgine Maria.

Hodie Chriſtus natus eſt, hodie Salvator apparuit, hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli, hodie exultent juſti dicentes: Gloria in excelſis Deo. Alleluia.

Rotomagenſe verò ms. ordinarium præſcribit ut *Benedicamus* [Cantetur à paſtoribus, *Verbum Patris hodie*; quo finito paſtores cantent hanc antiphonam in pulpito *Ecce completa*; Archiepiſcopus vel ſacerdos dicat verſum *Poſt partum. Oratio. Deus qui ſalutis. Benedicamus tres pueri.*] Sed hæc illa in Eccleſia jam abiere in diſſuetudinem: Libellus Joannis Abrincenſis ſolùm ſtatuit, ut completis laudibus, [cantor antiphonam, *Ecce completa ſunt*, incipiat, cui oratio congruens commemorationis S. Mariæ ſuccedat.] In Eccleſia verò Laudunenſi Epiſcopo poſt miſſam & laudes ad ſacrarium redeunte, [cantor & ſuccentor cappis albis induti ſtantes in oſtio dextri chori dicunt *Paſtores dicite*: clericuli ſtantes à foris, reſpondent *Infantem vidimus*; pulſatis inſimul campanis, cantor & ſuccentor incipiunt *Lux fulgebit.*] Quòd initium eſt miſſæ ſecundæ.

Miſſa ſecunda qua hora cantata.

XXXII. Ex his verbis apparet miſſam in aurora ſtatim poſt laudes in Eccleſia Laudunenſi olim celebratam fuiſſe, id quod deſumpſiſſe potuit ex Remenſi Metropolitana in qua ritus idem obſervabatur, uti & in pluribus aliis, puta in Rotomagenſi, Turonenſi S. Martini, Argentina, Auguſtodunenſi, Noviomenſi, Silvanectenſi, Carnotenſi S. Joannis, & Gaſtinenſi. Iſque fuit uſus antiquus Eccleſiæ Romanæ, in qua celebrata prima miſſa ad S. Mariam majorem, ſtatim apoſtolicus pergebat ad S. Anaſtaſiam ſecundam miſſam cantaturus, uti videre eſt in antiquiori ordine Romano. Unde etiam in quibuſdam vetuſtiſſimis Sacramentorum libris ut in duobus Eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. ſcriptis & in Colbertino n. 2585. hæc miſſa ita inſcribitur *Alia miſſa in nocte ad S. Anaſtaſiam*, uti etiam in Corbeienſi codice Rodradi. Ad cujus ritus ſimilitudinem ex ordinario Argentino, laudibus [finitis, vadant in capellam S. Andreæ celebrare ſecundam miſſam.]

XXXIII. Circa hanc miſſam præter ea quæ jam attigimus pauca hæc ſunt obſervanda. Ex ordinario Argentino ritu ſolemniori quàm prima celebrari debebat. In antiquo codice Eccleſiæ Turonenſis annorum 800.

Oratio de S. Anaſtaſia præmittitur orationi de nativitate Domini. Ex miſſali Eccleſiæ Pictavienſis duæ illæ orationes ſub unica concluſione debent dici, idque ipſum præſcribit ordinarium Narbonenſe; uti & Vertieenſe atque Argentinum. Symbolum prætermitti jubet Lingonenſe proſam offertorio ſubjungunt Laudunenſe & Sueſſionenſe. Denique duas præfationes, unam de nativitate, alteram de S. Anaſtaſia habet antiquiſſimus codex Parthenonis B. Mariæ Calenſis, In miſſali Venetenſi pro *Ite miſſa eſt*, diaconus antiphonam *Ecce completa ſunt* cum nota cantare jubetur; in ordinario Remenſi, ut finita hac miſſa, [canonici revertantur in chorum, & dum revertuntur cantor alta voce incipiat hanc antiphonam *Completi ſunt dies*; deinde aliam *Ecce completa ſunt*; deinde ſacerdos qui celebravit miſſam dicit *Oremus*: *Deus qui ſalutis æternæ.*]

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

XXXIV. Quod ſpectat ad horas diei, prima, tertia, ſexta, nona nullum in Toloſano Catalaunenſique breviario antiquo habent hymnum, ſed neque ex ordinario Lingonenſi debet dici. Ex ordinario Argentino has ad horas unicus dumtaxat verſiculus hymni *A ſolis ortus cardine* cum verſus Gloria tibi Domine dicebatur. Hoc eſt ad primam *A ſolis ortus*, ad tertiam *Beatus auctor*, ad ſextam *Clauſa parentis*, ad nonam *Domus pudici pectoris.*

XXXV. In capitulo quod poſt primam congregari ſolet, pronunciata martyrologii lectione, deſignatiſque miniſtris ad majorem miſſam, [decanus, inquit ordinarium Laudunenſe, dicit verſum *Puer natus eſt nobis*: alii reſpondent, *& Filius datus eſt nobis.* Poſteà decanus dat oſculum pacis his qui ſunt juxta eum, prius à dextris, poſteà à ſiniſtris; & oſculantur ſe in oſculo pacis ex utraque parte uſque ad ultimos.]

Oſculum pacis in capitulo.

XXXVI. Idem ordinarium proceſſionem quæ tertiam miſſam præcedit ita deſcribit: [Proceſſio fit in circuitu chori, in qua præcedit clericulus cum aqua benedicta: deinde alii duo clericuli cum cereis, & alii duo clericuli cum cappis ſericis portantes duas cruces aureas: Deinde ſex ſubdiaconi combinati, ille qui lecturus eſt epiſtolam ultimus incedit & ſolus, & omnes ferunt textus. Hos ſequuntur diaconi ſex combinati, ſed non ferunt textus: ille qui lecturus eſt evangelium ultimus incedit & ſolus; deinde ſequuntur clericuli omnes combinati. Prætereà cantor & ſuccentor cum cappis ſericis & baculis deargentatis; deinde omnes alii combinati; ad ultimum Epiſcopus. Cantor & ſuccentor incipiunt ℟. *Hodie nobis* cum aliis ſequentibus uſque dum proceſſio pervenerit in medio Eccleſiæ: quo dum pervenerit, cantor & ſuccentor incipiunt ℟. *Deſcendit* ſeptem canonici cantant verſum, duo ſubdiaconi, duo diaconi & duo presbyteri, Decanus eſt in medio vel Archidiaconus, vel theſaurarius, vel ſacerdos qui celebraturus eſt miſſam, ſi iſti defuerint. Cantato verſu, proceſſio intrat chorum cantando & *exivit.*]

Proceſſio ante tertiam miſſam.

XXXVII. [Ante introitum miſſæ, inquit, ordinarium Turonenſe, dicant duo pueri *Accendite* ter elevando vocem ad unumquemque

Introitus miſſæ tertiæ quinquies repetitus.

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

cantum.] Qui ritus in pleriſque Eccleſiis ſabbato Sancto ſolebat obſervari [quo facto , addit idem ordinarium , & cereis omnibus accenſis , incipiat cantor *Puer natus*. Deinde *Cantate bis*. Deinde *Puer*. Item *Gloria Patri* deinde *Puer*. Item *Sicut erat* , deinde *Puer*. Item *Hac dies*. Deinde *Puer*.] Ubi quinquies introitum repeti præcipitur.

Antiphona ante evangelium.

XXXVIII. Miſſale Ambroſianum ſeu Mediolanenſe ante evangelium hanc habet antiphonam *Gloria in excelſis Deo & in terra pax. Alleluia. Alleluia.* Eamdem aut ſimilem præſcribunt ordinaria varia Cleniutinum , Turonenſe , Silvanectenſe , Lingonenſe , & Bajocenſe.

XXXIX. [Lecto evangelio , inquit ordinarium Laudunenſe , diaconus alta voce clamat *Humiliate vos ad benedictionem* , chorus reſpondet *Deo gratias*. Epiſcopus dat benedictionem ſuper clerum & populum. Data benedictione , revertitur Epiſcopus ad altare , & dicit *Credo in unum Deum*.] Hic ritus deſumptus videtur ex ordine Romano auctore Benedicto S. Petri canonico , in quo præſcribitur ut Pontifex poſtquam evangelium deoſculatus fuerit , aſcendat pulpitum , ſermonem ad populum habeat , [ad cujus finem facit confeſſionem , benedicit , & redit ad ſedem, & dicit *Credo in unum Deum*.]

Communio fidelium in natali Domini.

XL. Denique in miſſali Eccleſiæ Lugdunenſis anno 1524. edito *Ad Euchariſtiam* legitur antiphona *Venite populi* quam etiam habet Athanacenſis monaſterii miſſale. Hanc antiphonam olim cantabant ad invitandam plebem ad ſacram communionem , eamque etiam retinuere illa miſſalia veluti antiquæ diſciplinæ certiſſimum documentum , propterea quod olim in natali Domini perinde ac in paſchate fideles omnes ad ſacram ſynaxim accedere tenebantur , uti demonſtravimus libro 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. 4. art. 10. Hinc fortè Concilium Antiſſiodorenſe can. II. vetat in natali Domini *Poſt mediam noctem bibere* , ut ſcilicet jejuni ad ſacram ſynaxim fideles accedere poſſent. Hinc & S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in ſermone 1. de adventu Domini , qui eſt 115. in appendice tomi 5. operum S. Auguſtini novæ editionis , plebem ad ſe preparandam ad Domini natale ita exhortans ait : [Rogo & moneo , ut quantum poſſumus cum Dei adjutorio laboremus , ut in illo die cum pura & ſincera conſcientia mundo corde & caſto corpore ad altare Domini poſſimus accedere , & corpus & ſanguinem ejus non ad judicium, ſed ad remedium animæ noſtræ mereamur accipere.] Idem videre eſt apud Ambroſium lib. 3. de virginibus c. 1. & apud Gregorium Turonenſem lib. de vitis Patrum c. 8. antiquæ etiam conſuetudines canonicorum regularium Caſſanenſis monaſterii præſcribunt, ut [in natali Domini omnes communicent aut miſſas celebrent ,] Similia habent ordinarium Gaſtinenſe & Carnotenſe S. Joannis. Porrò hæc olim communio in prima potiſſimum miſſa fiebat , ut diſcimus ex Rabani libro 2. de inſtitutione clericorum cap. 31. ubi ſic loquitur. [Hac etiam cauſa credimus in Eccleſia hunc morem inoleviſſe , ut in ea nocte , qua Chriſtus creditur eſſe natus, ſacra miſſarum ſolemnia celebrentur : ut ea hora fideles quique ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti perci-

Digitized by Google

perent, qua eum inter homines miſericorditer natum ſcirent.] Poſt modum verò mos invaluit, ut hæc communio in tertia miſſa fieret; hinc Lucas Cuſentinus Epiſcopus in ſuo ordinario jubet, ut miſſa [tertia,, quia dies parvus eſt, & populus offert, atque communicat, tempeſtivè incipiatur.]

CAPUT XII. *In feſto natalis Domini.*

XLI. Denique ut ea quæ ad hanc miſſam ſpectant, abſolvamus, miſſale Catalaunenſe aſſignat in fine evangelium ex Luca *Paſtores*, ordinarium Lingonenſe idem, vel *Miſſus eſt*.

XLII. [Poſt ſextam, inquit ordinarium Laudunenſe, Epiſcopus cum decano & canonicis vadit ad refectorium, duobus canonicis cantantibus *Salve feſta dies* ceteris reſpondentibus. Poſtquam ventum eſt in refectorium, dapifer pulſata campanula, dicit *Benedicite*; ſacerdos dat benedictionem. Duo de ſubdiaconis qui procedentes fuerunt in miſſa aquam & manutergium deferunt ad Epiſcopum. Rugnarius legit vel alius pro ipſo. Cantores prædicti cantant coram Epiſcopo dum epulatur. In ſecundo ferculo pulſatur campanula, & fit benedictio à ſacerdote, & datur Hancha, & magnus panis, & dimidius ſextarius vini. In alia benedictione data ab hoſpitalario ſimiliter pulſatur campanula, & benedicenti datur haſta cum cibo, & hæc dantur pro præbenda presbyterii. Decanus dicit *Tu autem*, lectori dantur tria jecora cum cibo. Poſteà duo prædicti canonici ſtantes ante menſam cantant *Partis viſceribus*: quo cantato, recipiunt nummos ab Epiſcopo. Finito prandio, cum proceſſione ad Eccleſiam cantatur ℟. *Deſcendit*. Interim majora ſigna in turri pulſantur. Poſt ℟. ſacerdos preces non dicit, ſed ſtatim ad nonam *Deus in adjutorium.*] Simile aliquid habet ordo Romanus auctore Benedicto canonico, ex quo colligas hanc conſuetudinem deſumptam fuiſſe ab Eccleſia Romana.

XLIII. Et quia de prandio occurrit mentio haudquaquam præterire debemus, qui ubique invaluit, hodiernum uſum in gratiam tantæ ſolemnitatis jejunium ſolvendi & abſtinentiam relaxandi: qua de re interrogatus olim ab Epiſcopo Pragenſi Honorius Papa III. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1216. n. 45. ita reſpondit: [Explicari præterea poſtulaſti, utrum illis ſit licitum, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, carnes comedere quando in ſexta feria dies Dominicæ nativitatis occurrit. Ad hoc tale damus reſponſum, quòd illi qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti in ſexta feria, ſi feſtum nativitatis Dominicæ ipſo die venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam uti poſſunt ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis: nec tamen ii reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere.] Longè alia erat mens Priſcillianiſtarum in Hiſpania, qui cùm Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non crederent, in ipſo natali ejus die, uti & reſurrectionis, jejunabant; quos ea de re redarguit S. Leo Papa epiſtola 15. noviſſimæ editionis alias 93. cap. 4.

Abſtinentiæ relaxatio in natali Domini.

XLIV. Ad lætitiam etiam hujus diei ſpectare poſſet Jacobi Goartii

Digitized by Google

obſervatio ad Codini cap. 6. [Incipiente olim in Eccleſia ab his ſolemnibus anno, ut mutuis ſeſe donis & xeniis excipere, ita & felicibus votis benè ominari, quod obſervant adhuc Itali, conſuevere græci. Diſcurrunt itaque per vias & computa pueri & adoleſcentes hac die, & ad amicorum portas modulis ſonis ac muſicæ inſtrumentis πολυχρόνια perſtrepunt, xenia reportaturi, cuncti qui χριστογεννητικοῖς pro natalitiis Chriſti muneribus ſeſe cumulant certatim.]

De veſperis. XLV. Denique ad hujus diei lætitiam referri poſſet quod ad veſperas, quæ in Eccleſia Mediolanenſi ſunt duplices, de nativitate ſcilicet & de S. Stephano, ex ordinario Cenomanenſi omnes debent eſſe in cappis; quod ex breviario Toloſano nec hymnus, nec capitulum debet decantari? quod ex ordinario Narbonenſi poſt reſponſorium proſa [Cantatur à ſex clericis de choro majori, indutis cum cappis rubris, portantibus mitras in capitibus & bordonos in manibus, ſuper pulpito ante altare;] tandem quòd ex ordinario Lingonenſi finitis veſperis fiunt tripudia, & ex Lemovicenſi [vadunt omnes ad capitulum, ubi Epiſcopus, ſive præſens, ſive abſens fuerit, dat eis potum de tribus vinis.]

XLVI. De completorio hujus diei ita ſcribit idem Lemovicenſe ordinarium: [Canonicus hebdomadarius incipit completorium, & unus vicarius qui exercet officium puerorum de latere ubi eſt chorus cantat ſuaviter & punctuatim antiphonam *Cuſtodi nos Iſraël*; qua finita, incipit antiphonam *Ecce nomen Domini Emmanuel*: quam uterque chorus ſurgendo cantat totam ſine neumate; & poſt idem vicarius inchoat canticum *Nunc dimittis ſervum*, quem verſum proſequitur unus chorus, & poſt alius chorus in eodem tono dicit alium verſum *Quia viderunt*. Deinde idem vicarius elevando cantum per unum chorum reincipit prædictam antiphonam *Ecce nomen Domini*, quam chorus uſque ad verſum *Hodie*. Et poſt eodem tono dicuntur alii duo ſequentes verſus, ſcilicet *Quod paraſti. Lumen ad revelationem gentium*: Deinde prædictus vicarius in eodem tono incipit medium antiphonæ ab illo verbo *Hodie*, quam proſequitur uſque in finem. Poſteà dicitur verſus *Gloria Patri & Filio*, & *Sicut erat* in eodem tono, & poſt prædictus vicarius incipit tertio elevando cantum per unum tonum antiphonam *Ecce nomen Domini*, & finitur à choro cum neumate; & deinde hebdomadarius dicit collectam,] &c.

CAPUT XIII.

De octava natalis Domini.

Caput XIII. *De octava natalis Domini.*

I. TAnta eſt Dominicæ Nativitatis ſolemnitas, ut eam non uno die tantum cum omni majeſtate ac pompa celebrare ſibi ſufficere crediderint majores noſtri, ſed quò fidelium devotioni ac pietati facerent ſatis,

ſatis, ſequentes per totam octavam, immò ad Epiphaniam uſque, dies feſtos adjiciendos neceſſarium duxerint, ita ut ab omni terreno opere otioſi, toti ſe Deo recolendiſque ejus beneficiis conſervarent, ac ſpirituali lætitia animum recrearent. Hinc Concilium Turonenſe II. can. XVIII. [quia inter natalem Domini & Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt,] prandium monachis conceſſit.

Caput XIII. *De Octava natalis Domini.*

II. Has inter feſtivitates primarium meritò locum obtinet S.Stephani protomartyris natale cujus memoriam altero poſt Chriſti nativitatem die ſæculo jam quarto ſolemnem fuiſſe conſtat ex S.Aſterii Amaſeæ Epiſcopi orat. 12. & ex Gregorii Nyſſeni oratione de S. Stephano: quo etiam ſacræ ejus reliquiæ aliquantis poſt annis repertæ traduntur. Eidem ſancto integras primas veſperas concinit Eccleſia Mediolanenſis; nam poſtquam de Nativitate Domini totum curſum abſolvit, ſtatim de S. Stephano alterum veſpertinum inchoat officium. Guillelmus quoque Autiſſiodorenſis Epiſcopus 59. ſtatuit fieri [proceſſionem in vigilia B. Stephani hiemmali poſt veſperas de nativitate ſolemnem, ſingulis in cappis ſericis deferentibus accenſorum luminaria cereorum,] uti legimus in Hiſt. Epiſcoporum Autiſſiodorenſium. cap. 59. Verùm non uni illi Eccleſiæ ſingularis fuit iſthæc proceſſio, ſed communis aliis penè omnibus, in quibus dicta à celebrante de nativitate collecta, ſtatim cantor reſponſorium aut antiphonam de S. Stephano imponebat, quam cum cantico *Magnificat* ad altare eidem protomartyri ſacro procedendo proſequebantur; id quod in omnibus penè ordinariis, quæ perluſtravimus advertere licuit. Omnium ad inſtar ſit Cabilonenſe. [Poſt veſperas, inquit, omnes diaconi induuntur cappis, quorum duo chorum regunt cum baculis & mitris; & veniunt ante altare B. Stephani. Diaconus præcedit, ceteri ſequuntur, choriſtæ incipiunt ℟. *Ecce jam coram te*, & ſic incedunt, ℟. cantando, duobus ceroferariis præcedentibus. Diaconus inſimul cantat ℣. *Caritatis.* Chorus repetit *Ut qui*, à Diacono *Gloria Patri.* Ad *Magnificat* antiphona *O quanta eſt.* Oratio, *Da quæſumus nobis Domine.* Diaconus inſimul *Benedicamus Domino.*]

De feſto S. Stephani.

III. De hoc duobuſque ſequentibus feſtis breviter ordinarium Namnetenſe [Tria feſta, inquit, quæ ſequuntur, fiunt cum magna ſolemnitate & tripudio. Primum faciunt diaconi, ſecundum presbyteri, tertium pueri.] Ubi quod ait *Primum faciunt diaconi*, idem eſt ac ſi diceret primarium & præcipuum in divinis celebrandis laudibus officium exercent diaconi, uti docent nos varii rituales libri mſſ. diverſarum Eccleſiarum atque in primis libellus Joannis Abrincenſis Epiſcopi, in quo hæc leguntur: [Finitis his veſperis, diaconi diaconalibus veſtibus induti procedant cum cereis canentes aliquod ℟. de S. Stephano, cujus natalis orditur celebratio, ſubſequatur antiphona cum *Gloria Patri*; & oratione dicta, compleatur veſpertina ſynaxis. In matutinis ut præcedenti nocte pulſentur campanæ. A quatuor diaconis cappatis cantetur invitatorium, conſervato cetero præcedentis noctis ordine in lectionibus & reſponſoriis & cantorum numero. Tria tamen reſponſoria non

Digitized by Google

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

cantantur in cappis. Evangelium pronunciet diaconus dalmaticatus, thymiamaterio & cereis præcedentibus. Duo diaconi in dalmaticis chorum regant, qui altare incenſando *Te Deum*, incipiant. Ante nocturnum & in laudibus cantentur hymni præſenti feſto congrui; ad *Benedictus* antiphona ter repetatur. Miſſa in cappis celebretur. Qui chorum regent & graduale vel alleluia cantabunt, ſed & qui epiſtolam & evangelium legent utantur dalmaticis. Finitis diaconalibus veſperis, recolatur cum antiphona & *Gloria Patri* memoria nativitatis.] His concinunt ferè in omnibus ea quæ in aliis ordinariis continentur.

IV. In Turonenſi S. Martini Eccleſia cum in primis veſperis ad illum cantici *Magnificat* verſiculum *Depoſuit potentes* perventum erat, cantor baculum locumque ſuum diacono qui pro eo chorum regeret cedebat. In Lemovicenſi ad nocturnas vigilias primam lectionem [debet legere ſuccentor indutus cortiballo, id eſt dalmatica, aſſiſtente ſibi diacono ordinario non canonico, tenente duas parvas candelas inſimul junctas ad librum: Qinque lectiones ſequentes leguntur per canonicos in cortiballis, tres ultimæ lectiones leguntur per canonicos in cappis ſericis.] Ita Lemovicenſe ordinarium. Cabilonenſe præſcribit ut reſponſoriis interſerantur tres proſulæ ſcilicet *Familiam, Fac Deus* & *Facinora*, ut in natali Domini. [Et ſciendum eſt, inquit, quod diaconi in hoc feſto licet alias non ſit ſolitum cantant reſponſoria ante pulpitum.... Poſt nonam lectionem veniunt diaconi ad pulpitum, & ibi cantant inſimul nonum reſponſorium.] Poſtremum hunc ritum ita deſcribit ordinarium Rotomagenſe: [Dum nona lectio legitur omnes diaconi pergant ad veſtiarium; qua finita, exeant de veſtiario cum cereis ardentibus, cantado ℟. *O martyrum gemma*, & ante altare in modum coronæ cum verſu & proſa à tribus diaconibus finiatur; quo finito, incipiatur *Te Deum*]

V. In laudibus, addit ordinarium Cabilonenſe, dicto poſt hymnum verſiculo, [unus diaconus dicit alta voce, *Dixit Jeſus turbis Judæorum & principibus ſacerdotum:* alii reſpondent *Amen di o vobis* totam antiphonam. *Pſ. Benedictus.* Poſt pſalmum reincipitur ab illo qui incepit, vel ab alio *Dixit Jeſus.* Et chorus *Amen dico vobis.*] *&c.*

VI. [Ante primam (ordinarium Lemovicenſe exſcribo) dicitur miſſa matutinalis per ſecundum hebdomadarium, deinde fit ſermo per concionatorem ordinarium caſtri Lemovicenſis. Si hoc feſtum venerit Dominica, fit ſermo poſt prandium.]

VII. Jam verò quod ſpectat ad miſſam antiquus ritualis liber Rotomagenſis præſcribit [ut ad miſſam omnes diaconi in cappis in medio chori chorum regant: utque diaconus legat epiſtolam *Stephanus plenus*, & in loco ubi dicitur *clamavit voce magna dicens* duo diaconi cantent proſam *Stat ut agnus inter lupos.* Tres diaconi; *Sederunt principes* ℣. *Adjuva me*, Et omnes diaconi cantent *Alleluia* ℣. *Ecce video cælos*, in medio chori in modum coronæ,] denique ut lecto evangelio pronunciet [quidam diaconus in cantu *Credo in unum Deum.*] In miſſali Ambroſiano duplex in feſto S. Stephani legitur epiſtola, una ex actibus Apoſtolorum

Stephanus plenus gratia uſque ad *obdormivit in Domino.* Altera ex epiſtola ad Timotheum *Omnis ſcriptura divinus &c.* uſque ad *qui diligunt adventum ejus.* Ex ordinario vero Cabilonenſi [epiſtola farcitata dicitur à duobus diaconis in cappis.] Quid verò ſit epiſtolam farcitam ſeu farcitatam dici, alias explicuimus, pateteque ampliùs ex veteri libro rituali Eccleſiæ Sueſſionenſis tempore Nivelonis ſcripto, in quo hæc leguntur : [Epiſtolam debent cantare tres ſubdiaconi induti ſolemnibus indumentis, *Entendez-tuit à ceſt ſermon*, vel epiſtolam. *Stephanus plenus.*] Idem Cabilonenſe ordinarium præſcribit, ut poſt graduale dicatur *Alleluia* cum ℣. *Video cælos apertos*, & pſalmo *Magnus Dominus*, additque: [Ante evangelium ſuper pulpitum incipit diaconus antiphonam *O quanta eſt*, & chorus proſequitur.] Ex ordinario Argentino collecta de Nativitate Domini cum collecta S. Stephani ſub una eademque concluſione dici debet; hæc ſunt præcipua quæ ad miſſam ſpectant.

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

Epiſtolo farcita.

VIII. Singularem omninò ritum ad veſperas continet ordinarium Eccleſiæ Lemovicenſis, ut ſcilicet in fine cujuſque pſalmi antequam incipiatur antiphona dicatur proſa. Poſt veſperas verò [propinatur in refectorio ſicut in vigilia nativitatis,] inquit ordinarium Argentinum. Completorium eodem ritu ac modo qui in nativitate Domini præſcribitur decantari inſtituit præfatum Lemovicenſe ordinarium. Et hæc de feſto S. Stephani deque primo poſt natalem Domini die; non abs re tamen erit hic obſervare id quod legitur in Antonini martyris itinerario : [Depoſitio Jacob & David in terra illa (ſcilicet ad radicem Mambre) die primo poſt natalem Domini devotiſſimè celebratur : ita ut ex omni terra Judæorum conveniat multitudo incenſa deferens, & luminaria, & dant munera ad ſerviendum.]

De feſto S. Joannis.

IX. Feſtum S. Joannis Evangeliſtæ eodem prorsùs ritu ac modo quo S. Stephani celebrabatur, idemque in eo præſtabant preſbyteri, quod in illo diaconi. Integras primas veſperas habet in breviario Ambroſiano, ubi dictis de Nativitate Domini veſperis conſequenter ſubjiciuntur cum commemoratione S. Stephani. In Turonenſis S. Martini Eccleſia cum ad illum cantici *Magnificat* verſiculum *Depoſuit potentes* chorus perveniſſet, cantor diaconorum baculum ac ſedem cedebat cantori presbyterorum, finitiſque veſperis, fiebat proceſſio ad S. Joannem, hoc eſt ad altare S. Joannis, quod una cum fontibus extat in capitulo canonicorum; quippè ſolemne fuit olim in quibuſdam Eccleſiis poſt veſperas hujus diei eodem fere modo quo in octava Paſchæ procedere ad fontes; unde in vetuſtiſſimo Sacramentorum libro Eccleſiæ Turonenſis S. Gatiani, inter orationes ſeu collectas hujus diei, poſt eam quæ eſt ad *Veſperas* ſtatim altera ſubjungitur *Ad fontes*, & alia *Ad S. Andream.* Quid autem ibi peragerent diſcimus ex antiquo rituali S. Martini in quo hæc lego : [Vadunt ad S. Joannem cantando reſponſorium *Valdè* cum verſiculo, & faciunt ibi vigiliam cum tribus lectionibus & novem pſalmis & antiphona diei, ſine hymnis, & legitur de vita ipſius : poſt redeunt, & dicunt completorium ſicut in feſto S. Stephani.] Itaque

Officium nocturnum duplex.

Digitized by Google

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

quod obſervavit Amalarius in lib. de ordine antiphonarii reperiſſe ſe in Romano antiphonario duo officia nocturnalia in una eademque nocte natalis Domini poſita, unum quod in crepuſculo noctis ad S. Mariam majorem, alterum quod hora ſolita apud S. Petrum celebrabatur, pro lege tranſierat olim apud Martinianos in feſto S. Joannis Evangeliſtæ, in quo unum pridie poſt veſperas in capitulo cum tribus dumtaxat lectionibus, alterum nocte in propria Eccleſia cum novem lectionibus officium decantabant.

Miſſa duplex.

X. In pleriſque codicibus vetuſtiſſimis duæ hac die habentur miſſæ, ut in Corbeienſi Ratoldi Abbatis, Moyacenſi, Rhedonenſi S. Melanii, Lugdunenſi, apud Pamelium, in libello Joannis Abrincenſis prima quæ ſummo mane ſeu, ut ex *autentico miſſali* ait prædictus Abrincenſis Epiſcopus, *diluculo*; altera poſt tertiam: meminit hujus ritus Durandus in lib. 7. cap. 13. [Canitur, inquit, in quibuſdam Eccleſiis una miſſa in exordio lucis, ad notandum quod ipſe accepto lumine hujus mundi ſacrificium virginitatis ſemper obtulit Deo: quia enim non poterat habere vigiliam propter feſtum Beati Stephani, ſtatutum fuit ut duas miſſas haberet:] His conſonat ms. Miſſale S. Gatiani Turonenſis annorum circiter 300. in quo poſt miſſam S. Stephani habetur: [Ipſo die vigilia S. Joannis Evangeliſtæ antiphona *Ego autem ſicut oliva*,] *&c.* quæ eſt ipſiſſima miſſa in vigiliis Apoſtolorum dicenda, deinde [In die ad miſſam antiphona *In medio.*] In hac autem ſecunda miſſa officiales, qui erant ſacerdotes, caſulis utebantur ex libello Joannis Abrincenſis. Porrò haudquaquam prætermittendum credimus hanc miſſam in vetuſtiſſimo codice Regio n. 3865. & in Noviomenſi annorum minimum 900. in miſſali Gothico apud Thomaſium & in Sacramentario Gallicano Bolienſis monaſterii inſcribi *In natali S. Jacobi & S. Joannis.*

De feſto SS. Innocentium à pueris celebrato.

XI. Quod in feſto S Stephani Diaconi, in die S. Joannis presbyteri, id in feſto SS. Innocentium præſtabant pueri, hoc eſt præcipuam in divinis officiis partem, quantum per eorum ætatem liceret, habebant, ſuperiores chori ſedes occupabant, alii inferiores; antiphonas & reſponſoria cantabant, chorum regebant cum proprio cantore, cui in Eccleſia S. Martini locum & baculum cedebat cantor presbyterorum cum ad illum cantici *Magnificat* verſiculum *Depoſuit potentes* deveniſſent: Immò & proprium habebant Epiſcopum, qui benedictiones & collectas legeret. [Puero Epiſcopello, inquit, Lucas Cuſentinus Epiſcopus in ſuo ordinario, pontificalia conceduntur inſignia, & ipſe dicit orationes.] De hoc puerorum Epiſcopo ita ſcribit Turonenſe S. Martini Rituale ms. [Poſt primam, S. Joannis, vadunt clericuli ſuper equos ad Bellum-montem, & ibi in cathedra levant Epiſcopum, & incipit cantor puerorum ad majorem portam Eccleſiæ ℟. *Sancta*, & ante altare B. Mariæ antiphonam *Alma* cum *Gloria.* Poſt facit Epiſcopus reveſtitus in cappa ſerica benedictionem in choro ſuper moniales. Poſt redeuntes cum Epiſcopo reveſtito levant eum in cathedra ante portam theſaurarii, & dicunt ℟. *Sancte*, & ducunt eum ante B. Martinum, ubi dicta

oratione, facit ſuper populum benedictionem, & debet ſuccentor ire cum eis ad Eccleſiam Belli-montis. Ad miſſam ſerviunt ſicut in feſto S. Stephani, excepto quod juvenes non cantant epiſtolam, ſed ſubdiaconus legit eam in choro. Ad veſperas ſuper pſalmos antiphonæ de laudibus, & quando *Magnificat* canitur, veniunt clericuli in choro cum Epiſcopo habentes candelas accenſas de proprio, & quando *Depoſuit* canitur, accipit cantor puerorum baculum, & tunc in ſtallo aſcendunt pueri, & alii deſcendunt, & dicta oratione, vadunt ad altare crucifixi cantantes ℟. *Sub altare*, poſt antiphonam *Innocentes* cum *Magnificat* & oratione, poſt dicit ibi Epiſcopus benedictionem, ſcilicet *Dominus omnipotens*. Deinde ducit eos cantor in domum ſuam, & ibi bibunt, & dant candelas janitori cantoris.] Ceterum cum ex hujuſcemodi puerorum ritibus perplures ſubrepſiſſent abuſus, eos de medio tollere tentavit Concilium Baſileenſe ſeſſione 21. ubi hæc legere licet: [Turpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis, quo certis anni celebritatibus, nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus pontificalibus more Epiſcoporum benedicunt. Alii ut Reges ac Duces induti, quod feſtum fatuorum vel Innocentium, ſeu puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur: alii larvales ac theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium & mulierum facientes, homines ad ſpectacula & cachinnationes movent, alii comeſſationes & convivia ibidem præparant, hæc Sancta Synodus deteſtans, ſtatuit & jubet.] &c. Concilio Baſileenſi præiverat Concilium Copriniacenſe anno 1260. celebratum, cujus canon ſecundus ita effertur: [Cum in baleatione quæ in feſto Sanctorum Innocentium in quibuſdam Eccleſiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones, & turbationes, tam in divinis officiis quàm aliis conſuevetunt provenire, prædictas baleationes ulterius fieri ſub intimatione anathematis fieri prohibemus; necnon & Epiſcopos in prædicto feſto creari: cùm hoc in Eccleſia Dei ridiculum exiſtat, & hoc dignitatis Epiſcopalis ludibrio fiat.] Ab his omnibus deteſtandis pror sùs abuſibus omninò immunis fuiſſe videtur Eccleſia Remenſis, in cujus antiquo ordinario nihil de feſto Innocentium à pueris celebrando continetur, nec de officio diaconorum aut presbyterorum in feſtis S. Srephani & S. Joannis, cujus exemplum longè ante Concilium Baſileenſe imitata fuerat Eccleſia Sueſſionenſis, in cujus antiquo Rituali libro tempore Nivelonis ſcripto hæc lego: [Et ſciendum eſt quod hæc feſtivitas (S. Stephani) de communi totius capituli aſſenſu ab omnibus, excluſa antiqua conſuetudine diaconorum & ludorum, ſolemniter ſicut aliæ triplices feſtivitates debet celebrari.] Viget nihilominùs adhuc in Eccleſia Lugdunenſi quæ antiquorum rituum tenaciſſima obſervatrix exiſtimatur, & in quibuſdam aliis Eccleſiis.

CAPUT XIII. *De octava nativitatis Domini.*

Feſtum Innocentium cum triſtitiæ ſignis celebratum.

XII. Jam verò circa officium ipſum iſtius diei aliqua obſervanda ſunt. [Licet, ut in morte Domini, inquit Joannes Abrincenſis, *Te Deum* & *Gloria in excelſis Deo* & *Alleluia* in aliquot Eccleſiis ex more antiquo omittatur; quia ut Chriſtus occideretur tot parvuli occidi

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

jubentur; & illis occiſis fit mors Chriſti ſecundùm æſtimationem Herodis; tamen quia placuit modernis, placet & nobis ut cantentur. Subdiaconi & diaconi tunicis & dalmaticis utantur, quamvis apud quaſdam Eccleſias hac die caſularum uſus habeatur.] Ex his verbis patet feſtum SS. Innocentium *ex more antiquo* cum aliqua triſtitia ſemper celebratum eſſe, unde nec iſto die Romani concedebant carnes nec ſaginam, niſi fortè in Dominicam incidiſſet, uti teſtatur Benedictus canonicus S. Petri in ſuo antiquo ordine Romano, totumque apud eos officium erat quadrageſimale. Hinc etiam ex ordinario Silvanectenſi nec in fine invitatorii *Gloria Patri*, nec ad reſponſoria per horas *Alleluia*, nec *Gloria* decantari debent. In ms. etiam breviario Eccleſiæ Catalaunenſis hæc lego: [In feſto Innocentium, non dicitur *Gloria Patri* in fine invitatorii, ſed in fine pſalmorum dicitur, nec dicitur in tertio, ſexto & nono reſponſorio, nec in reſponſoriis ad horas: ſed reincipiuntur reſponſoria ad horas pro *Gloria Patri.* Nec cantatur *Te Deum laudamus*, nec in introitu miſſæ dicitur *Gloria Patri*, nec *Gloria in excelſis*, nec etiam *Alleluia*, nec *Ite miſſa eſt.* Hæc autem dicuntur in octavis eorum.] Eadem præſcribit ordinarium Argentinum, additque ut [pro *Alleluia* cantetur in fine reſponſorium *Eia nunc pueri laudate nomen Domini*; & pro *Gloria Patri* cantetur *Sit nomen Domini benedictum in ſæcula.*] In miſſali tamen Ambroſiano ſtatim poſt ingreſſum, ſeu introitum notatur *Gloria in excelſis Deo.* In quibuſdam etiam Eccleſiis, ut in Lemovicenſi, Turonenſi S. Martini, Rothomagenſi, Rhedonenſi S. Melanii &c. *Alleluia* dicebatur. In nonnullis etiam miſſalibus duo *Alleluia* cum duobus verſiculis aſſignantur. Ita in Turonenſi annorum minimum 800. in Arelatenſi annorum 400. in Lugdunenſi, Ebrodunenſi, & Glandatenſi. In antiquo miſſali Noviomenſi annorum circiter 800. in Colbertino annorum 500. in Ebroicenſi & Venetenſi pro *Alleluia* verſiculo præmittitur *Laus tibi Chriſte* idem præſcribitur in ordinario Argentino, cujus loco ponitur; in Remenſi *Laudemus eia*, qui uſus ignoti non fuere Durando, qui illorum meminit in lib. 7. c. 42. in quodam miſſali Turonenſi annorum circiter 300. legitur *Alleluiā*, *Cantemus eia*, deinde ℣. *Fulgebunt &c.* in Miſſale verò Catalaunenſi dicitur proſa *Laude piiſſima* cum ℣. *Judicant juſti*, quem ſequitur alia prolixior proſa. In ordinario etiam Argentino aſſignatur proſa *Latabundus exultet.* Denique ex ordinario Cabilonenſi [ante evangelium ſuper pulpitum incipiat diaconus antiphonam *O beata infantia.*] Ad veſperas in ordinario Argentino aſſignatur hymnus *A ſolis ortus cardine*, uti & in feſtis S. Stephani & S. Joannis Evangeliſtæ.

Feſtum S. Trophimi

XIII. Altero poſt feſtum SS. Innocentium die Arelatenſis Eccleſia ſolemnitatem S. Trophimi primi ſui celebrat Epiſcopi, de qua hæc leguntur in veteri ms. Miſſali ejuſdem Eccleſiæ: [In feſto S. Trophymi non cantatur miſſa matutinalis in majori Eccleſia, nec cantatur miſſa in aliqua Eccleſia Arelatis quouſque in Eccleſia B. Trophymi dictum ſit evangelium in majori miſſa, Prima tempeſtivius more ſolito pulſatur,

& dicta prima, ſtatim pulſatur ad tertiam, & domnus Archiepiſcopus cum Archidiacono & Archipresbytero & aliis miniſtris vadit ad Eccleſiam. Et dum cantatur tertia in choro, Domnus Archiepiſcopus induit ſe ſolemniter veſtimentis Pontificalibus, & Archidiaconus & Archipresbyter eodem modo ſuis veſtimentis ſolemniter ſe induunt; & dicta tertia, domnus Archiepiſcopus facit proceſſionem ſolemnem.]

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

Feſtum S. Perpetui.

XIV. Die ſequenti in Turonenſi Eccleſia fit feſtum S. Perpetui Epiſcopi, poſt cujus ſecundas veſperas præſcribitur in ms. Rituali S. Martini proceſſio ad S. Columbam cum vigiliis trium lectionum de ejus paſſione.

Feſtum circumciſionis.

XV. Octavam natalis Domini diem ſolemnem in Eccleſia fecit Circumciſionis feſtum, cujus meminit Concilium Turonenſe II. can XVII. Unde in veteri breviario ejuſdem Eccleſiæ præſcribitur, ut verſus primi nocturni cum triplici *Alleluia*, ſecundi cum duplici, tertii cum unico canantur: in ordinario verò Silvanectenſi, ut poſt nonum reſponſorium dicta proſa evangelium *Regreſſus eſt Jeſus* ſolemni pompa à diacono pronuncietur, ad eum ferè modum, quo in natali Domini Chriſti genealogia ſecundùm Matthæum decantari ſolebat. Porrò [quidam, ut ait ordinarium Namnetenſe, dicunt quod in die Circumciſionis tria feſta concurrunt; B. Mariæ, circumciſionis, & octavæ Domini; quia ſi Chriſtus circumciſus non fuiſſet, nihilhominùs fieret octava,& alii dicunt quod duo feſta tantùm, B. Mariæ & circumciſionis: unde in multis Eccleſiis prima miſſa dicitur de B. Maria *vultum tuum &c.* Alia de circumciſione *Puer natus eſt*, & evangelium Lucæ legitur *Poſtquam impleti ſunt.*] Et revera duas miſſas in pleriſque miſſalibus antiquis hac die reperimus, ut in duobus Colbertinis, in tribus quatuorve Turonenſibus, in Rodonenſi S. Melanii, in Arelatenſi &c. In quibus plerumque evangelium incipit ab his verbis *Paſtores loquebantur* & procedit ad eum uſque locum quo circumciſionis myſterium deſcribitur; immò in quibuſdam ad uſque Simeonis canticum incluſivè in antiquioribus Sacramentorum libris alia inſuper habetur miſſa *Ad prohibendum ab Idolis* inſcripta, ut in codice Regio 3865. in Gellonenſi, in Remenſi, in Noviomenſi, in ordine Gelaſiano, & aliis quibuſdam, quæ potiſſimum inſtituta erat ad reprimendas paganorum hac die ſuperſtitiones, quas fusè deſcribit S. Auguſtinus, ſeu quivis alius ſermone 129. in appendice novæ editionis. His verbis: [Hinc itaque eſt quòd illis diebus pagani homines perverſo omnium rerum ordine, obſcænis deformitatibus teguntur, ut tales utique ſe faciant qui colunt, qualis eſt ille qui colitur. In iſtis enim diebus miſeri homines, &, quod pejus eſt, aliqui baptizati ſumunt formas adulteras, ſpecies monſtruoſas, in quibus quidem ſunt primum pudenda, aut potiùs dolenda ſunt. Quis enim ſapiens poterit credere inveniri aliquos ſanæ mentis, qui cervulum facientes in ferarum ſe velint habitum commutare? Alii veſtiuntur pellibus pecudum, alii aſſumunt capita beſtiarum, gaudentes & exultantes ſi

Paganorum initio anni ſuperſtitiones.

CAPUT XIII. *De octava natalis Domini.*

taliter ſe in ferinas ſpecies transformaverint, ut homines non eſſe videantur. Ex quo indicant ac probant, non tam ſe habitum belluinum habere quàm ſenſum. Nam quamvis diverſorum ſimilitudinem animalium exprimere in ſe velint, certum eſt tamen in his magis cor pecudum eſſe quàm formam. Jam verò illud quale & quàm turpe eſt quod viri nati tunicis muliebribus veſtiuntur, & turpiſſima demùm demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant, non erubeſcentes tunicis muliebribus inſerere militares lacertos, barbatas facies præferunt, & videri fœminæ volunt.] Et poſt pauca: [Sunt enim qui in calendis Januarii auguria obſervant, ut focum de domo ſua, vel aliud quodcumque beneficium cuicumque petenti non tribuant, diabolicas etiam ſtrenas, ex ab aliis accipiunt, & ipſi aliis tradunt: aliqui etiam ruſtici menſulas in iſta nocte quæ præteriit plenas multis rebus, quæ ad manducandum ſunt neceſſariæ componentes, tota nocte ſic compoſitas eſſe volunt, credentes quòd hoc illis calendæ Januariæ præſtare poſſint, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perſeverent.] Et ſincerus Auguſtinus in ſermone 198. qui ſecundus eſt in Calendis Januarii: [Solemnitas gentium quæ fit hodierno die in lætitia ſæculi atque carnali, & in ſtrepitu vaniſſimarum cantionum, in conviviis & ſaltationibus turpibus.] Et non multo poſt: [Acturus es celebrationem ſtrenarum ſicut paganus, luſurus alea & inebriaturus te? Quomodo alind credis, aliud ſperas, aliud amas? Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſinas. Avocantur illi cantionibus luxuriarum, avocate vos ſermonibus ſcripturarum: Currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam: inebriantur illi, vos jejunate. Si hodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate prandete] His prorsùs ſimilia habes apud S. Petrum Chryſologum ſerm. 155. apud S. Maximum Taurinenſem Epiſcopum homilia 5. in Muſei Italici Mabillonii tomo 1. & apud S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinum in epiſtola ad Zachariam Summum Pontificem cap. 6. Qui totis viribus in profanas haſce ſuperſtitiones invehuntur: quas etiam non improbavit modo, ſed diſtrictè damnavit Eccleſia in ſuis Conciliis, præſertim in Turonenſi II. can. XXIII. Antiſſiodorenſi anno 614. can. I. & Romano ſub Zacharia Pontifice anno 743. can. IX. cui præiverat Gregorii Papæ conſtitutio, ut diſcimus ex reſponſione Zachariæ ad S Bonifacium. Atque ut efficacius eis remedium afferret, ſolemne & univerſale hac die jejunium indixit, ut patet ex antiquo ordine Romano: [Sed quia imperiti homines ſecundùm dementiam gentilium hunc diem Calendarum Januariarum à principe ſuo Jano, quem pro Deo colebant, ita vocatum, multis diabolicis ſpurcitiis ſacraverunt; ſtatuit univerſalis Eccleſia jejunium publicum in iſto die fieri, quatenùs his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret.] Quibus concinit vulgatus Alcuinus in libro de divinis officiis & auctor ſermonis 119. in appendice S Auguſtini quem Cæſarium Arelatenſem eſſe exiſtimant: [Ideò Sancti antiqui Patres noſtri conſiderantes maximam partem hominum diebus iſtis gulæ vel luxuriæ deſervire, & ebrietatibus & ſacrilegis

Jejunium in Calendis Januarii.

ſacrilegis ſaltationibus inſanire, ſtatuerunt in univerſum mundum, ut per omnes Eccleſias publicum indiceretur jejunium, ut agnoſcerent miſeri homines in tantùm ſe malè facere, ut pro illorum peccatis neceſſe eſſet omnibus Eccleſiis jejunare.] Et ſermone ſequenti. [Ante omnia fratres ad confundendam paganorum carnalem & curioſam lætitiam, exceptis illis qui præ infirmitate abſtinere non prævalent, omnes auxiliante Deo jejunemus, & pro illis miſeris qui Calendas iſtas pro gula & ebrietate ſacrilega conſuetudine colunt, Deo quantum poſſumus jejunemus.] Jam verò quale debeat eſſe jejunium explicat Concilium Toletanum IV. anno 633. celebratum can. II. [Calendis Januarii, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omninò *Alleluia* non decantabitur. In quibus præter piſcem & olus, ſicut in aliis quadraginta diebus, à ceteris carnibus abſtinetur; & à quibuſdam nec vinum bibitur.] Ne quis tamen exiſtimet jejunium in ſimplici à carnibus abſtinentia repoſitum fuiſſe, obſtat Concilium Turonenſe II. can. XVII. Statuens [in Calendis Januarii fieri litanias, ut in Eccleſia pſallatur, & hora octava in ipſis Calendis circumciſionis miſſa Deo propitio celebretur.] Quibus ex verbis facili negotio quiſque conjicere poteſt, jejunium illud ad nonam ſaltem horam productum fuiſſe, cùm in miſſa celebranda ea, quam exigit circumciſionis feſtum, ſolemnitate, ad minùs integra hora impendi oporteret. In antiquo etiam miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. ſcripto poſt communionem habetur oratio ſeu collecta *ſuper populum* dicenda non ſecus ac in quadrageſima, id quod veri jejunii judicium fuiſſe nemo non videt.

XVI. Solemne fuit etiam hac die in Eccleſia S. Martini feſtum *novi anni*, cujus officium ac ritus ita refert antiquum Rituale: [In vigilia novi anni dicitur nona in ordine, & poſt incipit feſtum quod non debet remanere, niſi corpora ſint gumi. Sonato claſſico veſperarum, accendunt erupitores candelas ante altare de pietate: & hoc facto cantant ibi clerici in cappis ſericis *O Regina Virginum*: Poſt veniunt ad cameram ad quærendum cantorem, coram quo dum dicitur, ſub corona reveſtitus in alba & cappa canunt duo clerici *De ſupernis affero nuntium*; & alii reſpondent. *Tam feſta dies*: poſt incipit cantor *Lætemur gaudiis*, cereis ac lampadibus coronæ accenſis. Poſt vadunt in chorum & cappas reddunt exceptis cantore & ſuccentore. Poſt veniunt duo clerici in cappis ſericis ab altari cantantes *Pſallat chorus*, & alii retro ſtant; & tenens baculum cantoris reſpondet *Hodierna*; & hoc dicto tradit baculum cantori: poſt cantant ſex clerici in medio chori tribus vocibus, *O Nazarene*. Poſt cantant presbyteri in cappis ſericis *Deus in adjutorium*, & chorus dicit *Gloria Patri*. Poſteà incipiunt antiphonas duo inſimul in cicadis, & cum *Alleluia*, & neuma finiuntur. Finitis pſalmis, & accenſis candelis, in pulpito cantant ibi juvenes reſponſorium cum verſu & cum *Gloria*; & poſt debet in choro cum proſa repeti, ſcilicet *Judæa & Jeruſalem*. Poſt dicitur hymnus *Veni Redemptor gentium*, & canit dexter chorus primum verſum, & ſiniſter ſecundum. Poſt can-

Feſtum novi anni.

Digitized by Google

Caput XIII. De octava natalis Domini.

tant clerici tribus vocibus verſiculum *Omnis noſtra concio.* Poſt dicitur oratio cum cantu *Deus qui ſalutis*: Et poſt dicunt ſex clerici *Benedicamus. Primus homo corruit.* Poſt vadunt ad pedes, & cantant ℟. *In principio*, de S. Stephano antiphona *Rex regum* dicitur, de B. Martino dicitur *O quam admirabile* cum *Magnificat* & duobus tonis, poſt collecta & *Benedicamus.* Ad completorium antiphona *Aula* cum pſalmis, poſt ſequentia *Ave Maria* loco hymni. Poſt cantant ſex clerici verſiculum *Omnipotentiſſime.* Poſt incipiat cantor antiphonam *Reſponſum*, & ſuccentor *Nunc dimittis*, & ad quemlibet verſum pſalmi dicit chorus *Media vita*, & clericus ſolus *Sancte*, & chorus poſt *Ne projicias nos.* Poſt dicitur *Kyrie eleiſon*, *Pater cuncta*, poſt *Pater noſter* & *credo* farſita, & capitula *Ego dixi &c.* oratio & *Benedicamus.*

Ad matutinas cantant duo & duo verſus invitatorii & antiphonas ſimiliter, & hymnos ſicut ad veſperas. Antequam legatur prima lectio, accenditur primus circulus turris David, & duo corruptores cantant *Salvetur noſter circulus* poſt dicuntur verſiculi & proſæ reſp. in medio chori in rota, & cantant reſponſoria duo & duo, cum *Gloria* in choro, exceptis tertio, ſexto & nono quos cantent juvenes in pulpito candelis accenſis & omnes à capite repetuntur. Dicto verſiculo tertii nocturni, accenditur totum luminare, & veniunt Prophetæ in capitulo reveſtiti, & poſt cantant inſimul *Lumen Patris*, & clericus ſolus dicit *In gaudio*, & poſt legitur ſeptima lectio. Poſt nonam lectionem ducunt prophetas de capitulo ad portam Theſaurarii cantilenas cantando, & poſt in chorum, ubi dicunt cantori prophetias, & duo clericuli in pulpito cantando eos appellant. Poſt dicitur nonum in pulpito.

In laudibus incipiunt antiphonas duo & duo, & poſt quintam antiphonam dicitur ℟. *Sancte Martine* cum ℣. Poſt dicitur hymnus & ℣. & poſt *Benedictus*, & ad unumquemque verſum pſalmi incipiunt duo clerici in cicadis antiphonam *Mirabile.* Poſt *Benedicamus verbum Patris*; & debent organizari invitatorium, verſiculi, reſponſorium, & proſæ, & *Benedicamus* ad unumquemque pſalmum * conductum dici. Si eſt qui faciat, & ſimiliter ad omnes horas.

* f. conſuetum.

Ad primam dicitur ſuper tres primos pſalmos antiphona *Alma*, & canitur tota, & ſuper *Quicumque*, *Spes noſtra*, quæ ſimiliter canitur, poſt ℣. *Ecce ſidus*, & proſa *hac die* & *Kyrie eleiſon* cum capitulis & oratione, & dicuntur pſalmi cum tonis duobus. Antiphonam incipiunt duo & duo. Poſt recitatur * miraculum in clauſtro. Ad tertiam, ſextam & nonam dicuntur antiphonæ ſuper pſalmos, & pſalmi duobus tonis & ℟. hinc inde in utroque choro.

* f. Martyrologium.

Ad proceſſionem cantore & aliis in choro ſtantibus in cappis ſericis, incipit cantor *Lumen Patris*, ad unumquemque verſum dicunt duo *In gaudio*, & poſt incipit *Hac die*, & dum vadit proceſſio *Pax æterna*, & ℟. *Sancta & immaculata*, & ſub corona *Gaude* cum proſa & poſt *ante luciferum*, poſt *Stirps Jeſſe* cum ℣. quem cantant ſeptem clerici tribus vocibus & fiunt neumæ. Poſt dicitur *Feſtinemus.* Poſt facit

benedictionem Epiſcopus puerorum, qui vadit ultimus in proceſſione in cappa ſerica : crucem autem & candelabra portant tres de ſuperioribus Eccleſiæ. Ad introitum chori ℟. *Sancte Martine.*

Ad miſſam ſunt in cappis ſericis, & cantant juvenes duo & duo, & epiſtolam in pulpito, & alia dicunt ſicut in libro reperies. Poſt prandium debent choros ducere in clauſtro in ſupelliciis donec Eccleſia aperiatur, & totum luminare accendatur. Quo facto, incipiunt nonam & veſperas, faciunt totum ſicut ad primas, & dictis pſalmis & antiphonis, ducunt ad portam theſaurarii prophetas, ſicut ad matutinum & reducunt in chorum ſimiliter, & habent clerici virgas plenas candelis ardentibus vocant eos clerici duo ſicut ad veſperas, poſt dicitur *Stirps Jeſſe*, & cantant juvenes verſum in pulpito cum *Gloria*, & poſt in choro repetitur & fiunt pneumæ. Poſt dicitur *Regens gubernanſque*, & fiunt pneumæ. Poſt levat ſe cantor ſuper formam, cappam habens ſuper humeros, & incipit antiphonam, & dicit ter *Depoſuit* baculum tenens, & ſi baculus capitur *Te Deum laudamus* incipietur, & poſt verſus pſalmi *Eſurientes* cum antiphona & oratione. Poſt vadunt ad pedes cantando ℟. *Videbant*, & antiphonam *Tu Principatum*, poſt de B. Martino antiphonam *Confeſſor Domini* cum *Magnificat* & oratione, & redeundo *Jubilemus* ſicut ad primas veſperas.

Ad completorium ſuper pſalmos antiphona *Neſciens mater*, poſt ſequentia *Hac clara*, poſt ſuper hoc *Nunc dimittis* ℟. ſicut ad primum completorium & *Pater noſter* & *Credo* farſita, & alia ſicut ſuperius. Hoc dicto aſcendunt duo clerici ſuper formam theſaurarii & cantant *Hæc eſt ſancta dies &c.* Et poſt *Conſerva Deus*, & dum canitur verberant eum clerici baculis, & ante eos cantores feſti & erupitores Poſt vadunt ante crucifixum, chori, & dicunt *Chriſtus reſurgens*, & ſex clerici verſum; poſt dicitur oratio. Poſt ante altare de pietate *Ave Regina* vel *Beata es* cum *Gloria* & oratione. Poſt ante altare S. Juliani ℟. *Sancte Juliane* cum verſu & oratione. Poſt ante ſepulcrum dicitur *O Beatum virum* cum *Gloria* & oratione. Poſt incipit cantor novus *Verbum caro factum eſt*, & hoc cantando ducunt eum in domum ſuam per parietes cum baculis feriendo. Si autem baculus non accipitur, nihil de iis dicitur, ſed vadunt, & extinguitur luminare.

CAPUT XIV.

De feſto Epihaniæ.

I. EPiphaniæ feſtum, cujus mentionem faciunt acta S. Philippi Heracleæ Epiſcopi & Martyris apud Ruynartium, celeberrimum facit triplex Chriſti apparitio ſeu manifeſtatio, adoratio ſcilicet ejus per magos, baptiſmus, & primum miraculum quod contigit in Cana Galilææ. Triplicem hanc Chriſti manifeſtationem ſemper hac die recoluiſſe videtur Eccleſia latina, ut patet tum ex hymno Prudentii, antiquum,

CAPUT XIV. *De feſto Epiphaniæ.* Epiphaniæ feſtum quàm antiquum.

CAPUT XIV. *De feſto Epiphania.*

quem ad divina officia ſolet adhibere, tum ex S. Paulino carmine 9. de S. Felice, ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 26. & de gloria martyrum c. 87. ex S. Iſidori libro 1. de divinis officiis cap. 26. & aliis. Addit ordo Romanus hac die etiam quinque millia hominum à Domino refecta fuiſſe, id quod etiam habet vulgatus Alcuinus de divinis officiis cap. de Baptiſmo Domini. Tametſi in Orientali Eccleſia Chriſti potiſſimum baptiſmus in Epiphania recolatur.

Quàm ſolemne.

II. Hinc mirum videri non debet, ſi hæc inter præcipuas ſolemnitates ſemper habita fuerit: adeò ut virginum conſecratio in Epiphania præſertim olim celebraretur ex Gelaſii Papæ decreto in epiſtola 9. ad Epiſcopos Lucaniæ,& Baptiſmus olim maximè in Galliis frequentaretur, uti probavimus in lib. 1. c. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus patetque inſuper ex hoc Amalarii loco libri 4. c. 33. de Throphania: [Necnon & Apoſtolici viri ſatagebant baptiſmum generalem transferre de præſenti feſtivitate in feſtivitatem Paſchæ & Pentecoſtes: quem propterea multi certabant frequentare in iſta feſtivitate, quia in ipſa à multis creditur Dominus baptizatus eſſe à Joanne.] Hinc in nonnullis etiam Eccleſiis remanſit benedictio ſolemnis aquæ in Epiphania, quæ hactenus uti & Baptiſmus generalis in tota viget Orientali Eccleſia, ut patet ex Codino Curopalata de officiis cap. 8. ubi obſervat Goartius aquam iteratò benedicere Eccleſiam græcam, *Semel in pervigiliis veſpera, & in miſſa ſecundò*. Cujus ritus auctorem Petrum Fullonem Antiochenum Epiſcopum facere videtur Theodorus Lector lib. 2. ubi tradit eum [inſtituiſſe ut ſacrum Chriſma coram omni populo conſecraretur, utque invocatio ſuper aquas die feſto Epiphaniorum fieret ſub veſperam.] Tametſi longè ante Fullonem eſſet hæc benedictio uſu recepta, ſed media fiebat nocte, ut patet ex Chryſoſtomo homilia de baptiſmo Chriſti, Petrus verò Fullo inſtituit ut veſpere celebraretur. Ex hac aqua Græci in Eccleſia, non ſolùm aſpergebantur & potabantur, ſed etiam domum referebant plenos calices, cui Deus hanc largiebatur benedictionem, ut multis annis incorrupta permaneret, atque hujus miraculi teſtis eſt egregius S. Chryſoſtomus loco citato: [In hac ſolemnitate, inquit, ſub mediam noctem cùm omnes aquam acceperint, domum calices referunt & recondunt, & per integrum annum conſervant, utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno atque adeò biennio & triennio ſæpè, quæ hodiè fuit hauſta, incorrupta & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis quæ nuper fuerint fontibus eductæ certat.] Aliud miraculum refert S. Epiphanius hær. 51. n. 29. 30. quod hac ipſa die ſuo tempore pleriſque in locis contingere ſolebat; converſio non ſcilicet aquæ fluvialis, ſeu fontalis in vinum. [Non eſt dubium, inquit, undecima die Tyri ſecundùm Ægyptios Salvatoris nativitatem acceſſiſſe. Sub idem verò tempus trigeſimo anno vertente primum in Cana Galilææ miraculum edidit, tum cum ex aqua vinum factum eſt. In cujus rei fidem hodiéque pluribus in locis, idem

Digitized by Google

quod olim factum eſt prodigium inſtauratur, idque ipſum fontes fluviique teſtantur paſſim in vina converſi. Cujuſmodi ad Cibyram Cariæ oppidum fons eſt, qui eadem illa hora, qua miniſtri aquam hauſerunt, ac Salvator dixit, *date architriclino*, in vinum vertitur. Idem & in Geraſeno Arabiæ fonte contigit. Nos in Cibyræ illo fonte, fratres noſtri ex Geraſeno potavimus, qui in martyrio eſt. Plerique verò idem & de Nilo Ægypti fluvio confirmant. Quæ cauſa eſt, cur Tyri undecimo omnes in Ægypto aquam hauriant ac reſervent, idque aliis in locis fieri aſſolet.] Porrò qui ad Jordanem olim habitabant populi, in memoriam & honorem ſacri Chriſti baptiſmatis, qui in eo hac die à Joanne tinctus eſt in eundem fluvium deſcendere ac ſeſe abluere ſolebant: [Cùm dies ſanctus Epiphaniarum adveniſſet, inquit Gregorius Turonenſis, lib. 1. de gloria martyrum cap. 87. & omnes in Jordanem deſcenderent abluere tam vulnera corporis, quàm animæ cicatrices.] Neque id in ſolo Jordane fluvio fieri conſueverat, ſed pluribus aliis in locis Orientales populi fluvios fonteſve benedicebant, atque in eos ſeſe immergebant, quaſi proprium renovaturi aut Chriſti imitaturi baptiſmum; idquod apud pleroſque ad hancuſque diem perſeverare teſtantur relationes non paucæ. Sed miſſis orientalibus, ritus Eccleſiæ occidentalis referamus.

CAPUT XIV. *De feſto Epiphaniæ.*

III. Epiphania, ut diximus, inter præcipuas ſolemnitates ſemper habita eſt, propriam habens vigiliam, de cujus jejunio diximus in libro tertio de antiquis monachorum ritibus; hîc tantum obſervaſſe ſufficiat jejunium illud alicubi religiosè cultum fuiſſe, cùm plerique aliundè fideles populi ob gaudium ac lætitiam nativitatis Domini ab eo abſtinerent, id quod teſtatur Joannes Abrincenſis in ſuo libello: [Vigilia verò Epiphaniæ, quam plebes diversè colunt: Alii enim jejunant, & alii prandent, nobis jejunandum congruum videtur.] In miſſali etiam Mozarabum habetur miſſa *in jejunio Epiphaniæ*. In vetuſto Calendario Spicilegii tom. 10. in vigilia Epiphaniæ expreſsè lego. *Jejunium & miſſas hora nona.* Et in ordinario Silvanectenſi præſcribitur, ut in miſſa non dicatur *Gloria in excelſis*, nec *Alleluia*, nec ſequentia. *Kyrie eleiſon* verò, præfactio, Sanctus & agnus in cantu jejunii proferantur. E contrariò autem Narbonenſe decernit, ut *Te Deum laudamus*, quod lætitiæ canticum eſt, ad nocturnas vigilias dicatur, idque ex Archiepiſcopi ac ipſius capituli ordinatione. Et ex Cuſentino [Vigilia Epiphaniæ propter gaudium Dominicæ nativitatis non habet jejunium.] Quæ totidem penè verbis leguntur in ordinario Vertienſi.

Vigilia Epiphaniæ cum jejunio.

IV. Singularis eſt hac die miſſa in Ambroſiano miſſali, in qua præter epiſtolam, quæ ex ea quam ſcripſit Apoſtolus ad Titum deſumpta eſt, ab his verbis *Eramus & nos aliquando inſipientes &c.* uſque ad *ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Quatuor habentur lectiones ex veteri Teſtamento. Prima ex libro numeri *Sumpta parabola Balaam hac locutus eſt &c.* uſque *Et reverſus eſt in locum ſuum.* Secunda ex libro Regum *Cùm levare vellet Dominus Eliam per turbinem &c.* uſque *Et non vidit eum ampliùs.* Tertia ex libro item Regum *Dixerunt filii Prophetarum ad Elizæum &c.* uſque

Lectiones quatuor in miſſa vigiliæ.

CAPUT XIV. *De feſto Epiphaniæ.*

ad *qui extendit manum & tulit illud.* Quarta ex libro Iſaïæ *Hæc dicit Dominus in tempore placito exaudivi te, &c.* uſque ad *Et pauperum ſuorum miſerebitur.* Lectiones ſingulas ſequitur reſponſorium cum collecta. Evangelium verò ex Matthæo Chriſti Baptiſmum commemorat: cum è contrariò in antiquo lectionario Gallicano Luxovienſis monaſterii, adorationem magorum exhibeat.

Nocturnæ vigiliæ in Epiphania quam prolixæ.

V. Ea fuit antiqua Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudo, ut parem Epiphania Domini cum natali ejuſdem haberet ſolemnitatem, unde & nocturnas ejus vigilias ad lucem uſque dici producebant: [Natali Domini & Epiphania, inquit S. Cæſarius in regula ad virgines, ab hora tertia noctis uſque ad lucem vigilandum eſt.] Et S. Aurelianus in utraque ad monachos & ad virgines regula: [In natali Domini & in Epiphania hora tertia noctis ſurgite: Dicite unum nocturnum, & facite ſex miſſas de Iſaïa Propheta: iterùm dicite ſecundum nocturnum, & legantur aliæ ſex de evangelio. In Epiphania ita, in primis unum nocturnum, deinde de Daniele Propheta facite illas ſex miſſas, & nocturnos, & iterum de evangelio ſex.] Hinc & Lupus Trecenſis Epiſcopus atque Euphronius Auguſtodunenſis in Epiſtola ad Talaſium Andegavenſem Pontificem volunt ut vigiliæ Epiphaniæ perinde ac natalis *perpote nocte aut certè ad matutinum vergente* curentur. Sed & Joannes Abrincenſis in libello de divinis officiis [Dies Epiphaniæ, inquit, ut dies nativitatis celebretur abſque invitatorio.]

Invitatorium prætermiſſum.

VI. Quod iſte auctor ait nocturnum officium abſque invitatorio decantandum eſſe, antiquæ eſt conſuetudinis, cujus meminere vulgatus Alcuinus de divinis officiis cap. *de Theophania*, Amalarius lib. 4. cap. 33. & in libro de ordine antiphonarii cap. 21. & Durandus lib. 6. c. 16. qui myſticas hujus prætermiſſionis rationes afferunt, ut ſcilicet ea differret invitatio qua fideles ad Deum laudandum excitantur, ab ea qua Hærodes ſcribas & doctores legis invitavit ut ſciſcitaretur ab eis ubi Chriſtus naſceretur; at potiſſima veriorque ratio videtur, quia in tertio nocturno pſalmus *Venite exultemus* adhibetur quem in uno eodemque officio & repetere non decebat. Non deſunt tamen inſignes Eccleſiæ quæ invitatorium in vigiliarum initio decantent, quales ſunt Lugdunenſis, Rotomagenſis, Argentina, & Namnetenſis, ex ordinario. Et in Lugdunenſi quidem quatuor ex inſignioribus canonicis id muneris obeunt, qui ad ſingulos pſalmi *Venite* verſiculos ſumma cum gravitate ad aram principalem ſeu majorem accedunt eamque omni cum pietate deoſculantur. Ex ms. verè ordinario B. Mariæ Remenſis [dicta quinta antiphona poſt quintum pſalmum, ſtatim incipitur invitatorium *Chriſtus apparuit nobis & venite* cantatur: quò finito cum *Gloria Patri & Filio*, antiphona cantatur ſcilicet *Venite adoremus* cum tono.] Qui ritus eidem Eccleſiæ peculiaris videtur. Non prætereunda eſt Amalarii hoc de pſalmo obſervatio in libro de ordine Antiphonarii cap. 21. [Hunc pſalmum, inquit, audivi Conſtantinopoli in Eccleſia S. Sophiæ in principio miſſæ celebrari.]

VII. Obſervat etiam Durandus lib. 6. c. 16. quod [in quibuſdam Eccleſiis non dicitur ad nocturnos *Domine labia mea aperies* nec *Deus in adjutorium*, nec *Gloria Patri*, nec hymnus, ad notandum promptitudinem gentium, qui ſtatim ſtella apparente venerunt.] Et certè in mſ. Pontificali Eccleſiæ Saliſburgenſis ita reperio : [In Theophania *Domine labia mea* non dicunt, nec *invitatorium*, ſed ſtatim antiphona cum pſalmo incipitur.] Et in ordinario Lingonenſi : [Ad matutinum non dicitur *Venite exultemus*, ſed ſtatim incipitur pſalmus *Afferte Domino.*] In Narbonenſi verò ; [ad Matutinum non dicitur invitatorium, nec hymnus, ſed poſt *Domine labia* & *Deus in adjutorium* incipiatur antiphona à duobus.] Id quod etiam præſcribitur in Vertienſi. In ordinario etiam Argentino nullus ad nocturnos, nullus ad Laudes hymnus aſſignatur. Infrà octavam verò ubique ſolebat dici invitatorium & quidem in Eccleſia S. Martini Turonenſis poſtridiè Epiphaniæ *Regem baptizatum.* At in Silvanectenſi neque in octava dicebatur. Ex Vertienſi benedictiones omnes ſunt de B. Maria, idque infrà octavam etiam obſervandum.

CAPUT XIV. De feſto Epiphan. Multaque alia.

VIII. Circa primum reſponſorium non omninò contemnenda videtur Durandi obſervatio : [Bruno, inquit, Siguienſis Epiſcopus corrector officii antiphonarii dicit quod in reſponſorio *In columba ſpecie*, & in antiphona *Vox de cælo*, quæ dicitur in octava ad laudes, non debet eſſe verbum iſtud, *Ipſum audite* ; quia in baptiſmo non fuit hoc dictum, ſed in transfiguratione.]

IX. In Pariſienſi S. Pauli parochiali Eccleſia tria in tertio nocturno decantantur evangelia, tribus quæ hoc in feſto recoluntur myſteriis reſpondentia qui quidem uſus in Rotomagenſi olim obtinebat. Poſt nonum verò reſponſorium communis omnium Eccleſiarum uſus habuit ut Chriſti genealogia ſecundùm Lucam ab eo loco *Factum eſt cum baptizaretur* ſolemni pompa ad eum ferè modum, quo in natali eadem genealogia ſecundùm Matthæum, decantaretur. His Joannes Abrincenſis ſubjungit *Officium ſtellæ*. Quodnam ſit autem officium illud ſtellæ non ſatis liquet. Antiqui libri mſſ. officiorum Rotomagenſis Eccleſiæ officium quoddam ſtellæ quod *trium Regum* nuncupant exhibent, ſed quod poſt tertiam decantari debebat, quod an idem ſit penes alios eſto judicium. Illud tamen ad pietatem fideliumque devotionem excitandam olim inſtitutum hic repræſentare lectoribus haudquaquam ingratum fore putamus.

Evangelium triplex.

Officium trium Regum ſecundùm uſum Eccleſiæ Rotomagenſis.

Die Epiphaniæ tertia cantata tres de majori ſede cappis & coronis ornati, & debent eſſe ſcripti in tabula, ex tribus partibus ante altare conveniant, cum ſuis famulis portantibus Regum oblationes, indutis tunicis & amictis, & debent eſſe de ſecunda ſede ſcripti in tabula ad placitum ſcriptoris. Ex tribus Regibus medius ab Oriente veniens, ſtellam cum baculo oſtendens, dicat alte. Stella fulgore nimio rutilat. Secun-

CAPUT XIV. *De feſto Epiphaniæ.*

dus Rex à dextra parte veniens reſpondeat, quæ Regem regum natum demonſtrat. Tertius Rex à ſiniſtra parte veniens dicat. Quem venturum olim prophetiæ ſignaverant. Tunc magi ante altare congregati ſeſe oſculentur, & ſimul cantent. Eamus ergo, & inquiramus eum, offerentes ei munera, Aurum, Thus, & Mirrham. Quo finito, cantor incipiat reſponſorium Magi veniunt &c. Et moveat proceſſio. Sequatur aliud reſponſorium, ſi neceſſe fuerit. Interrogabat magos &c. Proceſſione in navi Eccleſiæ conſtituta, ſtationem faciant. Dum autem proceſſio navem Eccleſiæ intrare ceperit, corona ante altare crucis pendens ad modum ſtellæ accendatur, & magi ſtellam oſtendentes, ad imaginem S. Mariæ ſuper altare crucis priùs poſitam cantantes pergant: Ecce ſtella in Oriente prævìſa, iterum præcedit nos lucida. Hæc, inquam, ſtella natum demonſtrat, de quo Balaam cecinerat dicens: Orietur ſtella ex Jacob, & exurget homo de Iſraël, & confringet omnes duces alienigenarum, & erit omnis terra poſſeſſio ejus. Hoc finito, duo de majori ſede cum dalmaticis ex utraque parte altaris ſtantes ſuaviter reſpondeant. Qui ſunt hi, qui ſtella duce nos adeuntes inaudita ferunt? Magi reſpondeant. Nos ſumus quos cernitis Reges Tharſis & Arabum & Sabbæ, dona ferentes Chriſto Regi nato Domino, quem ſtella deducente, adorare venimus. Tunc duo dalmaticati aperientes cortinam dicant: Ecce puer adeſt quem quæritis, jam properate adorare, quia ipſe eſt redemptio mundi, tunc procidentes Reges ad terram ſimul ſalutent puerum ita dicentes: Salve princeps ſæculorum. Tunc unus à ſuo famulo aurum accipiat, & dicat: Suſcipe Rex aurum. Et offerat. Secundus Rex, ita dicat, & offerat, tolle thus tu verè Deus. Tertius dicat & offerat, myrrham ſignum ſepulturæ. Interim fiant oblationes à clero & populo, & dividatur oblatio prædictis duobus canonicis. Tunc Magis orantibus, & quaſi ſomno ſopitis, quidam puer alba indutus, & amictu ſuper caput, quaſi Angelus in pulpito illis dicat hanc antiphonam: Impleta ſunt omnia, quæ prophetico dicta ſunt: Ite obviam remeantes aliam, ne delatores tanti Regis puniendi eritis. Hoc finito, Reges recedant per alam Eccleſiæ ante fontes, & intrent chorum per oſtium ſiniſtrum, & proceſſio intret chorum, ſicut conſuetum eſt in Dominicis, cantore incipiente hoc reſponſorium tria ſunt munera. ℣. Salutis, ſi neceſſe fuerit. Ad miſſam tres Reges regant chorum, qui Kyrie fons bonitatis. alleluia, ſanctus, & agnus cantent.

X. In ordinario Argentino ad ſingulas horas diurnas aſſignatur unus verſiculus hymni *Hoſtis Herodes* cum verſu *Deo Patri*, hoc eſt ad primam *Hoſtis Herodes*, ad tertiam *Ibant magi*, ad ſextam *Lavacra gurgitis*, ad nonam *Novum genus potentiæ*.

Singularia in miſſa Epiphaniæ.

XI. Ad miſſam hujus diei quod ſpectat, in antiquo miſſali annorum circiter 500. bibliothecæ Colbertinæ n. 422. præter epiſtolam habetur & prophetia. In vetuſto etiam miſſali Arelatenſi duo gradualia & duo alleluia. In Ambroſiano verò uti & in ordinario Turonenſi antiphona

ante

ante evangelium. Evangelium autem ipſum in antiquo lectionario Luxovienſi ex tribus conſtat evangeliſtis, ſcilicet ex Matthæi cap. 3. v. 13. *Venit* JESUS *in Jordane ad Joannem* uſque ad finem capitis cui uno tenore ſubjungitur ex Lucæ 3. v. 23. *Et ipſe erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph*, conſequenter ex Joannis cap. 2. v. 1. *Et die tertio nuptiæ factæ ſunt in Cana* ad v. 11. [Diaconus autem in miſſa, inquit Lucas Cuſentinus Epiſcopus in ordinario, perlecto evangelio prænunciat Paſcha Domini in hunc modum: *Noveritis, fratres cariſſimi, quod vigeſimo quinto die*; vel illo, qui eſt menſis Januarii, ſive Februarii, erit ſeptuageſima; illo tali die menſis Februarii, ſive Martii erit initium ſacræ quadrageſimæ, illo tali die menſis Martii, ſive Aprilis Sanctum Paſcha concedente Domino celebrabimus.] Et Miſſale Ambroſianum: [Lecto evangelio, diaconus annunciat Paſcha Reſurrectionis. Noverit charitas veſtra, fratres cariſſimi, quod annuente Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI miſericordia die tali, menſis talis, Paſcha Domini celebrabitur. [Meminit hujus ritus Guillelmus Durandus in rationali libro 6. cap. 16. [Non eſt etiam prætermittendum, ait, quod in Italia in miſſa hujus diei futurum Paſcha populis annunciatur. Sacerdos namque vel alius poſt offertorium dicit alta voce: Annuncio charitati veſtræ gaudium magnum quod erit omni populo, quòd *Septuageſima erit tali die, & Paſcha tali.*] Verùm non in Italia tantum, ſed etiam in Gallia hanc obtinuiſſe conſuetudinem conſtat ex Concilio Aurelianenſi IV. cui can. I. [Placuit Deo propitio ut Sanctum Paſcha ſecundùm laterculum victoris, ut ab omnibus ſacerdotibus uno tempore celebretur. Quæ feſtivitas annis ſingulis Epiphaniarum die in Eccleſia populis denuntietur] &c. Et Concilium Autiſſiodorenſe canone II. [Ut omnes presbyteri ante Epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio quadrageſimæ nuncient, & in ipſa Epiphania ad populum indicent.] Id ipſum præſtabant & Hiſpani, ſed in natali Domini, ſaltem in Concilio Bracarenſi II. can. IX. præſcriptum lego, ut Paſchatis diem [ceteri Epiſcopi & reliquus clerus breuiculo ſubnotantes, unuſquiſque in ſua Eccleſia adveniente natalis die Domini, aſtanti populo poſt lectionem evangelicam nuncient, ut introitum quadrageſimæ nullus ignoret.] Hujus inſtitutionis origo repetenda eſt ex Concilio Nicæno, in quo cum decretum fuiſſet feſtum paſchatis uno eodemque die, eoque Dominico celebrandum eſſe; quæſtio deinceps agitari cæpit de ratione diei paſchatis inveniendi: [Quamobrem inquit Baronius ad annum 325. quòd omnibus conſtaret ex antiquiſſimo tempore Ægyptios hanc peculiarem ſibi vindicaſſe ſcientiam, ut anni tempora, necnon ſolis & lunæ curſum perveſtigarent; placuit ſanctæ Synodo in Alexandrum Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum hanc curam, conjicere qui adhibitis ſecum viris calculandi peritiſſimis creditum ſibi munus diligenter exſolvit. Sed & ſucceſſorum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcoporum Sancta Synodus voluit id eſſe muneris & officii, ut quo potiſſimum die ſingulis annis celebrandum Paſcha foret Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis

CAPUT XIV. De feſto Epiphaniæ.

Paſchatis dies in Epiphania populo annunciatus.

CAPUT XIV. *De festo Epiphaniæ.*

primum ſignificarent, à quibus reliquæ omnes Eccleſiæ certiores redderentur.] Id quod probat auctoritate S. Leonis Papæ in epiſtola 64. Ad Marcianum Imperatorem. In oriente etiam paſchatis dies in feſto Epiphaniæ, aut eo ſaltem ſtatim tranſacto denuntiabatur, ut teſtatur Caſſianus collatione 10. c.2.

XII. Denuntiato paſchatis die, ſequitur oblatio, in qua olim Francorum Reges exemplo Magorum aurum thus & myrrham ad altare offerebant ex Nangii Gallico continuatore ad annum 1378. In ordinario verò Eccleſiæ Lemovicenſis hic ritus præſcribitur. [Cantato offertorio, antequam eant ad offerendam, tres chorarii induti veſtibus ſericis habentes ſinguli coronam auream in capite ſuo, & cyphum deauratum, ſeu aliud jocale pretioſum in manibus ſuis ad inſtar trium Regum qui venerunt adorare Dominum, ingrediuntur per portam majorem chori, incedentes cum gravitate, cantantes ſequentem proſulam :

O quam dignis celebranda dies iſta laudibus,
In qua Chriſti genitura propolatur gentibus.
Pax terrenis nunciatur, gloria cæleſtibus.
Novi partus ſignum fulget orientis patria
Currunt Reges Orientis ſtella ſibi pravia
Currunt Reges, & adorant Deum ad præſepia.
Tres adorant Reges unum, triplex eſt oblatio.

Primus dicit elevando cyphum *Aurum primo*, deinde ſecundus dicit *Thus ſecundo*, item tertius *Myrrham dante tertio.* Ordine prædicto primus dicit *Aurum Regem*, ſecundus *Thus cæleſtem*, tertius *Mori notat unctio.* Deinde exiſtentes circa medium chori, unus eorum elevat manum oſtendentem ſtellam pendentem in filo, quæ antecedit eos, cantando altiori voce. *Hoc ſignum magni Regis.* Tunc tres ſimul pergunt verſus majus altare cantantes *Eamus inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus & myrrham.* Et vadunt ad offerendam relinquentes ibi ſua jocalia. Poſt hæc unus puer pſallit retro majus altare, adinſtar angeli alloquendo Reges cantat: *Nuncium vobis fero de ſupernis, natus eſt Chriſtus Dominator orbis in Bethleem Juda, ſic enim propheta dixerat ante.* Qua viſione attoniti reges, & admirantes, redeunt per portamquæ ducit ad ſacriſtiam cantando antiphonam *In Bethleem natus eſt Rex cælorum.*]

XIII. Omiſeram penè id quod præſcribit Lucas Cuſentinus Epiſcopus in ordinario, ut ſcilicet in Epiphania [completis laudibus, & pronunciato ex more martyrologio, mox Dominus vel ſacerdos qui laudes celebravit faciat ſolitum exorciſmum ſalis & aquæ, & circumſtantes aſpergat cum faſciculo hyſopi : capellani quoque civitatis aſpergant inde fideles omnes die ipſa tam in Eccleſia, quàm ubicumque poſſunt, in memoriam & reverentiam baptiſmi Dominici.] In veteri vero Rituali Burdegalenſi habetur benedictio aquæ quæ fit in vigilia Epiphaniæ poſt completorium, in qua tria leguntur evangelia, tres pſalmi dicuntur pluresque recitantur exorciſmi.

XIV. [Infrà octavam Epiphaniæ ad nocturnum officium ex ordinario Argentino ſingulis diebus tres dumtaxat aſſignantur antiphonæ cum totidem pſalmis, totidemque lectionibus atque reſponſoriis & hymno *Te Deum laudamus.* Ad laudes verò unica ſuper pſalmos omnes antiphona. Altera poſt Epiphaniam die ad miſſam evangelium *Vidit Joannes* JESUM *venientem ad ſe.* Cui concinit miſſale Pariſienſe quod olim uſui fuit Ludovico Borbonio his verbis. In craſtina Epiphaniæ, niſi Dominica fuerit. Et tunc feria 2. epiſtola ad Romanos *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur &c.* evangelium ſecundum Joannem *Vidit Joannes* JESUM *venientem ad ſe,* & ait, *Ecce agnus Dei*] In Calendario Frontonis *die prima poſt Theophania* aſſignatur evangelium ex Marci c. 3. *Fuit Joannes in deſerto baptizans.* Item poſt Theophaniam ex Joannis c. 13. *Vidit Joannes* JESUM *venientem ad ſe.* Item illud ex Matthæi cap. 7. *Venit Joannes Baptiſta*, an verò tria hæc evangelia eodem die, an diverſis alterniſque infrà octavam Epiphaniæ diebus dicerentur, non ſatis liquet, in miſſali Toloſano infra octavam propriæ habentur ſingulis diebus epiſtolæ & evangelia. Idem & in Narbonenſi advertere licet, niſi quod feria 5. & ſabbatum propriam tantùm habent epiſtolam. In eodem uti & in Pictavienſi ad ſeptuageſimam uſque dicitur præfatio de Nativitate Domini *Quia per incarnati Verbi.*

XV. Ex ordinario S. Martini Turonenſis octava Epiphaniæ die Januarii duodecima celebratur, ut ſequenti die feſtum S. Hilarii ſuo proprio loco recoli poſſit. Sed ex ordinario Argentino in octava Epiphaniæ commemoratio dumtaxat S. Hilarii celebratur, & ad veſperas iſti decantari pſalmi debebant, qui jam ipſo die feſto decantati fuerant. *Laudate pueri Dominum. Laudate Dominum omnes gentes. Lauda anima. Laudate Dominum quoniam bonus. Lauda Jeruſalem.*

XVI. [Prima autem die poſt octavam Epiphaniæ, inquit Miſſale Arelatenſe, celebratur miſſa conventualis pro memoria omnium defunctorum, & non dicitur niſi una oratio, ſcilicet *Fidelium Deus omnium conditor.* Et poſt miſſam proceſſionaliter abſolvitur totum cimiterium, ſicut in craſtino omnium Sanctorum, & in qualibet ſtatione dicitur oratio *Fidelium.*]

CAPUT XV.

De feſto Purificationis B. Mariæ.

I. FEſtum Purificationis B. MARIÆ, quod Græci ὑπαντὴ ſeu ὑπαπαντὴ, id eſt occurſus, antiquiores ſacramentorum libri *Feſtum S. Simeonis* appellant, primam ſui originem exiſtimant nonnulli debere Juſtiniano Imperatori, qui exorta Conſtantinopoli lue graviſſima, ut divinum numen ſedaret, hoc feſtum primùm inſtitui mandaverit. Ita Nicephorus lib. 17. hiſt. Eccleſ. c. 28. & Cedrenus, quibus conſentit

CAPUT XV. *De feſto Purificationis &c.* Feſtum Purificationis Mariæ quam antiquum.

CAPUT XV.
De feſto Purificationis, &c.

Uſuardus in martyrologio ad diem Februarii ſecundam ſic ſcribit : [Hypante Domini & Purificatio B. Virginis : quod feſtum tempore Juſtiniani Imperatoris apud Bizantium ſeu Conſtantinopolim ſumpſit exordium.] Id anno Chriſti 542. factum ſcribit Sigebertus, Cedrenus Juſtiniani anno nono, Theophanes anno decimoquinto. Verùm enim verò longè ante Juſtiniani tempora hoc feſtum inſtitutum fuiſſe probat S. Gregorii Nyſſeni ſermo quem de occurſu Domini compoſuit, ubi inter alia hæc habet ? [Etenim quando circa tempus quod eſt archetypum, ut ſic dixerim, præſentis feſti, is qui forma divina præditus erat, & formam ſervi ſumpſerat, mediator inter Deum & homines factus, legis præceptum exequens, quadraginta dies natus, infans ſempiternum illud Verbum una cum genitrice convenientem atque præſcriptam hoſtiam portante ad templum pergebat, &c. Cujus hodie nos myſterii memoriam celebrantes] &c. Itaque quod aiunt illi autores, non de ſimplici hujus feſti inſtitutione, ſed de tempore quo primum Conſtantinopoli celebrari cæpit intelligendum eſt, id quod planum eſt ex his Theophanis lib. 16. hiſt. & Landulfi Sagacis in vita Juſtiniani verbis : [Anno quintodecimo imperii Juſtiniani menſe Octobri, facta eſt mortalitas Bizantii, & eodem anno Hypapante ſumpſit initium, ut celebraretur apud Bizantium die ſecunda Februarii.] Sed & in Eccleſia latina longè ante Juſtiniani tempora purificationem B. Mariæ ſingulari feſto celebratam fuiſſe conſtat ex infrà dicendis : immò ſcribit Stephanus Baluzius vir eruditiſſimus in notis ad Regem Francorum capitularia pag. 1177. ſolum hoc ex omnibus Beatæ MARIÆ feſtis olim exultum fuiſſe, cui deindè addita eſt Aſſumptio, tum Conceptio, Præſentatio, Annunciatio &c. Tametſi in antiquis Gallicanis miſſalibus à Thomaſio vulgatis, nec in vetuſtiſſimo lectionario Luxovienſi, in quibus aſſumptionis feſtivitas reperitur, nulla purificationis mentio habeatur.

Proceſſio in Purificatione quam antiqua.

II. Duo præſertim hac in feſtivitate ſingularia occurrunt ; cereorum benedictio & proceſſio, de quarum origine S. Ildephonſus ſermone 1. hæc ſcribit : [Agitur autem hæc feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhuc Pagani à Februo, id eſt Plutone ſic vocaverunt : quem potentiſſimum purgationis credebant : februare enim purgare dicimus. Quo menſe luſtrabatur civitas, & diis manibus offerebant ſacrificia, quorum auxilio & virtute totum orbem ſe ſubjugaſſe putabant. Quam luſtrandi conſuetudinem congruè & religioſè chriſtiana mutavit religio, cùm eodem menſe, id eſt hodierna die, in honore Sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis MARIÆ, non ſolùm clerus ; ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis & diverſis hymnis luſtrantibus circumeunt; non jam in memoriam terreni imperii quinquennem, ſed ob recordationem cæleſtis regni perennem, quando juxta evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi Sponſo Chriſto obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis ſunt introducendi.] Similia videre eſt apud Bedam in libro de temporum ratione cap. 10. Et in S. Eligii homilia 2. id quod à Gelaſio I. Summo Pontifice

Caput XV. De feſto Purificationis, &c.

inſtitutum fuiſſe conſtat ex ejus libello adverſus Audromachum. Quapropter quod ordo Romanus & vulgatus Alcuinus tradunt Sergium præcepiſſe litanias fieri in die Præſentationis Domini in templo, ſtare minimè poteſt, neque etiam geſta Romanorum Pontificum quæ ad id probandum citant, planè evincunt; ſed tantum ut proceſſio quæ in Purificationis feſto fieri conſueverat, in aliis B. MARIÆ ſolemnitatibus celebraretur; vel quæ nullo prius determinata erat in loco, deinceps ab Eccleſia S. Adriani ad B. MARIAM majorem procederet. Sic enim habet liber Pontificalis in vita Sergii: [Conſtituit autem ut diebus annunciationis, nativitatis, & dormitionis S. Dei genitricis ſemperque Virginis MARIÆ, ac S. Simeonis quod Hypapantem Græci appellant, litania exeant à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.]

Nudis pedibus Romæ facta.

III. Quia verò ad calcandam præcipuè gentilium ſuperſtitionem hæc ſupplicatio inſtituta eſt, olim Summi Pontifices & Cardinales ex Eccleſia S. Adriani ad S. Mariæ baſilicam nudis pedibus procedebant, ut patet ex ordine Romano auctore Cencio cap. 5. [Dominus Papa ſequitur proceſſionem, cumque venerit ad portam ipſius Eccleſiæ, exuit planellos, & nudis pedibus vadit cum aliis in proceſſione uſque ad prædictam Eccleſiam B. Mariæ-majoris.] Et Jacobus Gaïetanus cap. 78. [Advertendum, inquit, quod ſi proceſſiones hujuſmodi fierent Romæ per Papam & ſolemniter in locis, ubi Papa his tribus diebus, (Scilicet Purificationis, Cinerum & Palmarum) eſſet celebraturus, Papa paratus eſſet ſolemniter etiam in proceſſione paramentis pontificalibus, & cum pallio? & iret diſcalciatus ipſe, & omnes Cardinales, & Prælati in proceſſione. ſaltem in hac die Purificationis ab Eccleſia S. Adriani uſque ad S. Mariam-majorem; & in die Cinerum ab Eccleſia S. Suſannæ uſque ad S. Sabinam, ubi eſt ſtatio.]

Vigilia Purificationis.

IV. Sunt etiam qui autumant alicubi jejunatum olim fuiſſe per aliquot dies ante Purificationem verùm ad id probandum auctores deficiunt: huic tamen opinioni aſſerendæ facere poſſet quod in veteri miſſali Bituricenſi, in Pariſienſi annorum 300. in veteri breviario ordinis Fontebraldenſis, & in ordinario Silvanectenſi notatur *Vigilia Purificationis*: id quod ad jejunium proximè accedit.

V. De benedictione cereorum nulla fit mentio apud Amalarium, Valfridum, & vulgatum Alcuinum, qui cereos tantùm à Pontifice dari aſſerit. Sed neque in Gelaſiano, Gregoriano, Gellonenſi, aliiſque ſuprà nongentos annos ſcriptis ſacramentariis aliquid ea de re extat. In antiquo miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. ſcripto unica *Ad luminaria benedicenda* reperitur, quam hîc exhibere cum quibuſdam aliis ordinibus antiquis ad cereos benedicendos operæ prætium duximus.

Ad luminaria benedicenda.

Deus, verum lumen, æternæ lucis propagator & auctor, infunde cordibus tuorum fidelium perpetui luminis claritatem, ut quicumque

in templo ſancto gloriæ tuæ præſentium luminum adornantur lucernis, omnium vitiorum contagiis expiati, in templo cæleſtis habitationis tuæ cum fructu bonorum operum tibi valeant præſentari. Per

ORDO I.

Ad benedicendos cereos.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Biſuntinæ.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ BENEDICTIO CANDELARUM.

Poſtquam fratres exierint à capitulo, pulſentur ter ſigna ſicut mos eſt, & induant ſe ſacris veſtibus, ſicut ſoliti ſunt facere feſtivis diebus: & ſic veniendum eſt ante altare S. Mariæ; ibique proſternatur tapete, & deſuper ponantur candelæ, benedicenturque cum magna veneratione ab Epiſcopo vel Decano vel ab hebdomadario hoc modo:

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & has candelas tua benedictione perfunde, quatenus fidelis populus eas in manibus portans, non ſolùm exteriori lumine gaudeat; ſed cæcitate cordis expulſa, ſic lumen quod in tenebris lucet apprehendat, ut nequaquam à via veritatis oberret. Per

Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Præfatio.

Vere Deus fons & origo totius lucis, qui mundum illuſtraſti lumine tuæ claritatis &c. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, & non ceſſant clamare dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Oratio.

Præceptis ſalutaribus moniti & divina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter, *uſque in finem*

Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præſentibus & futuris, & cuſtodi nos in omni opere bono. Per

Tunc accipiat ſacerdos de cereis, & diſtribuat ceteris. Cantor verò dum inluminantur incipiat antiphonam Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. ℣. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, *Et* gloria *dicetur. Et repetatur antiphona ab alio cantore, & ſacerdos dicat hanc orationem,*

Domine Deus, Pater, lumen indeficiens, qui es conditor omnium luminum &c.

His ritè peractis, ordinent ſe & faciant proceſſionem per clauſtrum cum omni honeſtate & decore. Major cantor incipiat antiphonam: Ave gratia plena,

Dei genitrix virgo, ex te enim ortus eſt ſol juſtitiæ, illuminans quæ in tenebris ſunt. Lætare tu ſenior juſtè ſuſcipiens JESUM in ulnis liberatorem animarum noſtrarum donantem nobis & reſurrectionem.

Tunc incipiat cantor aliam antiphonam Adorna thalamum &c. *Cum hac antiphona veniendum eſt in choro. Cum autem ordinati fuerint, incipiat cantor antiphonam, & cantetur ſtudioſè & honeſtè ad honorem B. Mariæ,* Reſponſum accepit Simeon &c.

Hic dicatur oratio.

Erudi, quæſumus Domine, plebem tuam, & quæ extrinſecus annua tribuis devotione venerari, interius aſſequi gratiæ tuæ lucem concede. Per

Sic incipiatur tertia. Interim preparet ſe Domnus Archipræſul, ut procedat è ſacrario cum ſuis præceſſoribus ad celebrandam miſſam. Præcedant illum quinque candelabra, duo thuribula, duæ cruces, ſubdiaconi cum evangeliorum libris quinque, diaconi cum dalmaticis quinque, presbyteri cum caſulis duo teneant illum per manus; ipſe accinctus pallio, tres ſubſequantur illum. Poſt confeſſionem mox offert incenſum, & ſic ſcandit Pontificalem thronum, & finiant miſſæ.

ORDO II.

Ex ms. codice Eccleſiæ Narbonenſis annorum circiter 600.

BENEDICTIO CANDELARUM IN PURIFICATIONE B. MARIÆ.

Dominus vobiſcum.

Oremus.

OMnipotens qui hodierna die unigenitum tuum, Iſraeliticæ legi carnaliter ſubjectum cum myſticis hoſtiarum oblationibus in templo præſentari feciſti, quique juſti Simeonis longam expectationem ipſius viſione atque ulnarum deportatione impleſti; da ſuper hos cereos in honore tui nominis conſecrandos benedictionem tuam; † & præſta ut qui eos hodiè ob amorem tui nominis manibus geſtaverint, per ſanctæ Dei genitricis intereeſſionem à præſentibus periculis eruantur & manſuris gaudiis inſerantur: Per

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & has candelas &c.

Hic mutet vocem in modum præfationis.

Per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Dominus vobiſcum &c.

Omnipotens, æterne Deus, fons & origo totius luminis, qui illuminaſti lumine cleritatis tuæ, mittendo nobis unigenitum tuum per

uterum intemeratæ Virginis MARIÆ, & quem longè ante promiſiſti prophetarum oraculis venturum, temporibus noviſſimis ipſum miſiſti lucem populis ſedentibus in tenebris, & regione umbræ mortis ambulantibus perpetua claritas exorta eſt eis. Te quoque precamur, ut has candelas nomini ſancto tuo præparatas tua bene ✝ dictione digneris bene ✝ dicere, qua nos tranſtuliſti à poteſtate tenebrarum in lucem & regnum dilecti filii tui, per quem exortum eſt in tenebris lumen rectis corde & gaudium ſalutis æternæ: & qui juſtum Simeonem fideli repleſti expectatione, ut non prius videret mortem quàm eundem Chriſtum Domini carne videret indutum, totius mundi lumen ſalutare: ipſe nos lumine tuæ claritatis ſic repleas, ut omnes infidelitatis tenebras à nobis repellas, & ſicut ſervum tuum hodiè dimiſiſti in pace, ſic nos in pace ſanctæ Eccleſiæ digneris gubernare, ut portum quietis æternæ valeamus intrare, quatenùs radiis veræ lucis perfuſi, ibi in die examinis læti cum hymnidicis angelorum choris valeamus videre faciem indefeſſi ſolis. *Hic mutat vocem legendo.* Per eundem &c.

Deindè diaconus capiat candelabrum cum cereo novo igne accenſo, & ſtet ante facientem officium, & benedicatur ab eo ut ſequitur.

Benedictio ignis novi.

Oremus.

Domine ſancte Pater, æterne Deus, bene ✝ dicere & ſancti ✝ ficare digneris ignem iſtum, quem nos indigni ſuſcipimus per invocationem unigeniti tui Domini noſtri JESU CHRISTI, quem hodiè repræſentatum juſtum Simeonem tuum ante faciem omnium populorum eſſe lumen ſcilicet gentibus ad gloriam plebis tuæ Iſraël prophetico ſpiritu docuiſſe, te quæſumus Domine, benedicere digneris lumen iſtud, & omnibus ipſum in manibus geſtantibus vere lumen tuæ pietatis concede, ut te cognoſcentes per viam virtutum ad te valeant pervenire. Per eumdem.

Poſt ſupra illuminatum cereum dicat.

OREMUS.

Domine Sancte Pater, exaudi nos lumen indeficiens, tu es Sanctus omnium conditor luminum, Benedic ✝ Domine hoc lumen, quod à te ſanctificatum & benedictum eſt; & ſicut tu illuminaſti omnem mundum, ſic ab eo lumine accendamur & illuminemur igne caritatis; ſicut illuminaſti Moyſen, ita illumina corda noſtra; & ſenſus noſtros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Poſteà aſpergatur aqua ſuper candelas, & diaconus tenens candelam accenſam novo igne, verſa facie verſus populum, incipiat ſuppreſſa voce quod ſequitur: Venite, & accendite. *Et chorus reſpondeat* aptate veſtras lampades, ecce ſponſus venit exite obviam ei. *Et dicatur ter, ſemper elevando vocem, & dum antiphona prædicto modo cantatur, omnes circumſtantes accendant*

accendant candelas ſuas eis traditas juxta morem Eccleſiæ novo lumine : quibus accenſis, cantor incipiat ſequentem antiphonam Lumen ad revelationem &c. *Et chorus cantet eam totam : qua finita, cantor incipiat pſal.* Nunc dimitris. *Et poſt quemlibet* ℣. *Repetitur.* CAPUT XV. *De feſto Purificationis.&c.*

Deinde cantatur antiphona Exurge *Et pſalm.* Deus auribus noſtris &c. *Cum* Gloria Patri. *In aliquibus tamen Eccleſiis dicitur ſolum primus verſus ipſius pſalmi, quod conſuetudini relinquo. Et repetitur antiphona. Quibus dictis presbyter faciens officium verſus populum dicat hanc orationem cum ſalutatione conſueta.* Erudi quæſumus Domine &c. *Deinde fit proceſſio, & cantantur antiphonæ.* Ave gratia plena &c. *Antiph.* Adorna thalamum &c. Reſponſum accepit &c.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria.

IN *Purificatione B. Mariæ Virginis ſecunda hora diei mediante Pontifex & omnis clerus convenientes in Eccleſiam, primum cantent tertiam. Deinde ipſe Pontifex & ceteri qui debent indui cum eo ad miſſam, quique juxta ordinem ſuum miſſalibus induuntur indumentis. Interim autem unus de ſacerdotibus exorciſet ſalem & aquam ad aſpergendos exinde cereos. Poſteà dicat has ſequentes orationes in benedictione ipſorum cereorum.*

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus qui ex nihilo cuncta creaſti &c. *Ut in ordine Romano.*

Alia. Domine JESU-CHRISTE, vera lux &c. *ibid.*

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus qui per Moyſen &c. *ibid.*

Alia. Domine JESU-CHRISTE, qui hodierna die in noſtræ carnis ſubſtantia &c. *ibid.*

Tunc aſpergantur cerei aqua benedicta & thure adoleantur, & de ipſis cereis aliqui illuminentur, & interim cantetur antiphona. Lumen ad revelationem. *Pſalm.* Nunc dimittis. *Et repetatur tertio. Poſt hæc dicatur ſequens oratio.* Dominus vobiſcum. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne Deus qui unigenitum tuum ante tempora &c. *Vt in ordine Romano.*

His finitis præſententur cerei Pontifici, & ipſe primum presbyteris, deinde diaconibus & ceteris poſtmodum de clero & populo ſingulis ſingulos cereos tradat, & tunc unuſquiſque ſuum illuminet. Hoc facto, incipiat cantor antiphonam Exurge, Domine, adjuva nos. *Pſal.* Deus auribus noſtris. *Sequitur oratio ad collectam ad S. Adrianum.* Dominus vobiſcum. Oremus. Erudi quæſumus &c.

Deinde procedente pontifice cum clero & populo ad locum ubi futura eſt ſtatio, incipiat cantor. Ave Maria gratia plena. Adorna thalamum tuum : *Et cantentur per viam hæc & cetera quæ huic congruunt feſtivitati. Cum autem appropinquaverit foribus Eccleſiæ cum cereis accenſis, ſtent per ordinem & diſtinctè ac moroſe cantetur.* Reſponſum accepit Simeon. *Et ingre-*

Digitized by Google

diendo Eccleſiam cantent antiphonam Cum inducerent puerum Jeſum, *Quibus finitis agatur miſſa ordine ſuo.*

Caput XV. *De feſto Purificationis, &c.*

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali inſigni Eccleſiæ Arelatenſis.

In Purificatione B. Mariæ.

Finita tertia in Eccleſia, pulſatur claſſicum, & ordinatur hoc modo. Primo ponuntur duo pueri cappis ſericis induti cum candelabris, & cereis ardentibus. Secundo loco ponitur ſubdiaconus indutus alba & floqueto cum cruce majori. Tertio ponuntur omnes clerici bini & bini cum cappis laneis. Ultimo loco ponitur Dominus Archiepiſcopus cum cappa lanea, & diaconus alba & ſtola & manipulo, & deſuper cappa lanea. Et proceſſione ſic ordinata, præcentor incipiat ad exitum Eccleſiæ ℟. Adorna thalamum *: Et cantando* ℟. *Vadit proceſſio ad Eccleſiam S. Mariæ majoris. In introitu ipſius Eccleſiæ præcentor incipit.* ℟. Gaude Maria. *Et cum omnes convenerint in Eccleſia, Dominus Archiepiſcopus induit ſe ſolemniter veſtimentis Pontificalibus, & Præpoſitus vel miniſter induit ſecum eo, & ſic induti, aſcendunt tribunam, & Dominus Archiepiſcopus faciet ibi ſermonem ad populum, vel in alio loco magis competenti. Finito ſermone, redeunt ad altare, & Dominus Archiepiſcopus ſignat lumen novum, deinde cereos.*

Benedictio ignis.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✝ dicere dignare ignem iſtum, quem nos indigni famuli tui per invocationem unigeniti filii tui Domini noſtri Jesu-Christi benedicere præſumimus; & eum clementiſſime, tua benedictione ſanctifica, & ad profectum atque illuminationem ſanctæ tuæ Eccleſiæ pervenire concede. Per.

Benedictio cereorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die unigenitum tuum Iſraeliticæ legi tuæ. &c. *Alia oratio.*

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & has candelas. &c.

Præfatio.

Æterne Deus fons & origo totius luis. &c.

Data benedictione Dominus Archiepiſcopus aſpergit aquam benedictam ſuper cereos, deinde accenduntur cerei, & diſtribuuntur canonicis & clericis, & dum accenduntur, cantor incipit : Venite & accendite lampades &c. *Deinde præcentor incipit antiphonam,* Lumen ad revelationem &c. *Pſal.*

Digitized by Google

Nunc dimittis *totum dicatur cum* Gloria Patri. *Et hac antiphona dicitur ter. Finito pſalmo & antiphona, Dominus Archiepiſcopus dicit ſuper cereos orationes quæ ſequuntur.* CAPUT XV. *De feſto Purificationis, &c.*

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene † dicere & ſanctificare digneris ignem iſtum &c. *Alia oratio.*

Domine Deus, Pater omnipotens, exaudi nos lumen indeficiens &c. *Hic dantur candelæ canonicis & clericis & populo; quibus acceptis, Archiepiſcopus dicit hanc orationem.* Erudi quæſumus Domine, plebem &c *Finitis præſcriptis orationibus, proceſſio ſicut intravit ordinate exit Eccleſiam, & vadit S. Eulaliam præcentore incipiente* Adorna thalamum. *Poſteà incipit præcentor aliam antiphonam* Ave gratia plena &c. *Sequitur alia antiphona.* Reſponſum accepit Simeon &c.

Deinde quando recedunt ab Eccleſia S. Eulaliæ, præcentor incipit reſponſoria quæ remanſerunt, & ſic cantando veniunt ad Eccleſiam B. Trophimi, & in introitu Eccleſiæ præcentor incipit antiphonam. Ecce Maria ad templum, &c. *Tunc pulſatur claſſicum. Quo pulſato, quatuor cantores induunt ſe cappis ſericis, & incipiunt officium ad miſſam.*

ORDO V.

Ex ms. miſſali Eccleſiæ Rotomagenſis.

In Purificatione B. Mariæ Virginis feſtum triplex.

BENEDICTIO CANDELARUM.

Sacerdos indutus ſtola & alba dicat.

OREMUS.

Exaudi, quæſumus Domine, plebem tuam, & quæ extrinſecus annua tribuis devotione venerari, interius aſſequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

Hic aſpergatur aqua benedicta ſuper candelas.

OREMUS.

Immenſæ majeſtatis tuæ miſericordiam obſecramus, omnipotens Deus, ut qui verum lumen Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo repræſentari atque diù deſideratum Beati Simeonis brachiis amplecti voluiſti, mentis noſtræ ſenſus dono tuæ gratiæ illuminare digneris: quatenus hos cereos tua bene † dictione ſanctificatos ferentes caſtitatis ſecuritate tuique amoris caritate exuberantes noſmetipſos hoſtiam viventem ſanctam tibique placentem exhibere valeamus. Per.

Digitized by Google

CAPUT XV. *De feſto Purificationis. &c.*

Hic benedicatur ignis in quodam cereo de quo omnes accendantur.

ORATIO.

Omnipotens clementiſſime Pater, lumen indeficiens, exaudi nos, & tuæ benedictionis largitate hoc lumen ſancti † fica: ut in Filii tui amore illud deguſtantium expulſis peccatorum tenebris ſancti Spiritus igne corda illuſtrentur, & in amore tuo accendantur. Per

Benedictio ignis.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene † dicere & ſancti † ficare digneris ignem iſtum &c.

Hic accendantur candelæ vel cerei, & diſtribuantur, clero cantante.

Lumen ad revelationem gentium &c. Nunc dimittis &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die unigenitum tuum in ulnis S. Simeonis in templo ſancto tuo ſuſcipiendum præſentari voluiſti, tuam ſupplices deprecamur clementiam, ut hos cereos quos nos tui famuli in tui nominis magnificentiam, ſuſcipientes geſtare cupimus luce accenſos bene † dicere & ſancti † ficare, ac lumine tuæ ſupernæ bene † dictionis accendere digneris, quatenus nos tibi Domino Deo noſtro offerendo digni & ſancto igne dulciſſimæ veritatis accenſi in templo ſancto gloriæ tuæ repræſentari mereamur. Per

Ad proceſſionem. Ave Maria & adorna thalamum.

In ſtatione. Reſponſum accepit &c. *In pulpito.* Hodie beata Virgo &c.

Ad introitum chori. Cum inducerent.

ORDO VI.

Ex ms. ordinario Eccleſiæ Argentinæ.

POſt primam benedicantur cerei cum eodem ornatu & ſolemnitate quo in die Palmarum palmæ ſolent benedici, & in eodem loco. Cereis benedictis & aqua benedicta aſperſis, atque incenſatis, cantor ſtans in medio chori, cappa tamen indutus imponat antiphonam. Lumen ad revelationem. *Qua finita, ſequitur pſalmus.* Nunc dimittis, *Sed unicuique tamen verſui antiphona ſubjuncta, poſt tertium verſum antiphona pracantata, ſubjungitur* Gloria Patri. *Antiphona* Lumen ad. Sicut erat. *Iterum canitur antiphona* Lumen. *Interim cerei fratribus per camerarium & cuſtodes Eccleſiæ diſtribuantur. Deinde duo pueri cappati canent hos verſus.* Aurea lux mundi, *Cum quibus vadant per circuitum clauſtri, & circa majus monaſterium:*

Sed in exitu monaſterii pueri ceſſant cantare uſque dum redierint ad Eccleſiam. Tunc reſumunt cantum uſque ad ſtationem, ſicut etiam in feſto Paſcha plenius habetur. Statione ordinata, cantor imponat antiphonam. Ave gratia plena, *quam cantet chorus præpoſiti* 1. *Major proceſſio verſus cameram. Qua finita, hac antiphona cantetur ab alio choro, antiphona.* Adorna thalamum. *Has antiphonas regat cantor vertens ſe ad choros. Finitis antiphonis præcedentibus, ſuper chorum imponat cantor.* ℞. Cùm inducerent, *ſine verſu. Ordinatis autem in choro, ſtando ante principale altare, incipiat Epiſcopus vel Præpoſitus cum aliis concinentibus antiphonam.* Reſponſum accepit; *& chorus ſupplet cantando antiphonam, ſed iſti cantabunt ſemper neuma. Interim cantor ſtet in medio chori, & poſtquam inceperit antiphonam ad tertiam vadat ad cameram, & induat ſe. Miniſtri altaris non vadant ad hanc proceſſionem niſi præſens ſit Epiſcopus.*

ORDO VII.

Ex ms. ordinario inſignis Eccleſiæ Cabilonenſis.

DUm *cantatur tertia benedicuntur cerei ſuper altare B. Virginis ab Epiſcopo vel ab illo qui debet cantare miſſam, & induitur veſtimentis ſacerdotalibus præter infulam cum cappa tantum & alba, & ſtant illic præſentes induti de ornamentis ſuis diaconus cum textu, ſubdiaconus cum cruce, & ceroferariis, thuribulo, & aqua benedicta. Oratio benedictionis.* Domine Deus Pater *Et præfatio quæ ſequitur. Finita benedictione, & aqua benedicta aſperſa ſuper cereos, & thurificatis etiam illis accenduntur, & venit in choro proceſſio, incipiente choriſta,* Lumen ad revelationem. *Cantatur totus pſalmus.* Nunc dimittis; *Repetita antiphona* Lumen *poſt quemlibet verſum, & poſt* Gloria Patri. *In cappis eſt proceſſio, & deferant omnes in manibus cereos ardentes, præter minores, & reſervant eos uſque ad offertorium qui offerre voluerint. Ad proceſſionem incipit ſuccentor antiphonam.* Ave gratia, *Et quandiu durat, præter ſolitum fit ſtatio in primo panno. Poſtea incipitur alia antiphona.* Adorna thalamum: *& fit ſtatio in ſecundo panno. Poſtea incipitur alia antiphona.* Reſponſum, *Et prætenditur uſque ad ultimum pannum. Et cum dicitur pars illa,* Accepit eum Simeon, *Paratus eſt ſacerdos in veſtimento ſacerdotali & infula alba, capite cooperto, tenens manus ſub infula in figura Simeonis, diacono verſo ad ipſum, ceroferariis hinc inde, & accipit thuribulum thurificans textum, & deoſculans recipit eum inter brachia more Simeonis: & tunc incipitur antiphona.* Hæc eſt Regina. *Poſt hoc incipitur miſſa immediatè alta voce. Introitus.* Suſcepimus. *Pſal.* Magnus Dominus. *Et ſic introitum cantando ſacerdotem ſequitur proceſſio. Ipſe autem deponit textum ſuper altare.*

Ex HOCCE ORDINARIO conſtat benedictionem cereorum olim paucioribus orationibus completam fuiſſe. Unicam duntaxat aſſignat

Digitized by Google

antiquus codex Corbeienſis, unicam Carnotenſe S. Joannis ordinarium & Gaſtinenſe. Duas legere eſt in antiquis miſſalibus Bituricenſi, Catalaunenſi & Pictavenſi, in rituali Sueſſionenſi & Turonenſi S. Martini. Duas etiam habet antiquus codex Floriacenſis ms. quibus Sancti evangelii lectio pronuncianda præmittitur. Tres præſcribit ordinarium Silvanectenſe, uti & ms. Pontificale Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, ex cujus præſcripto facta benedictione, cerei thurificandi ſunt, *thurificato* tamen *prius altari*.

In quibuſdam locis præter cereorum benedictionem, benedicebatur & novus ignis prius è ſilice excuſſus, unde cerei erant accendendi, cujus ritus meminit S. Bernardus ſerm. 2. de Purificatione n. 1. atque ita, præter pontificalia hîc à nobis relata, miſſale Arelatenſe, Ebrodunenſe & Glandatenſe decernunt.

Quibuſdam in locis ſinguli ſingulos in manibus cereos tenebant dum benedictio perageretur, ut in Eccleſiis Lemovicenſibus S. Stephani & S. Martialis, ſed alibi paſſim ſuper tapetem aut altare deponebantur ante ſacerdotem benedicentem; quibus benedictis, eorumdem fiebat diſtributio, aut à præſule, aut à cuſtode, aut ab alio.

Ex ordinario Lemovicenſi & ex Petro Amelio cerei accenſi ad uſque miſſæ finem manibus geſtandi ſunt. At verò ex ordinario Lucæ Epiſcopi Cuſentini, & ex ordinario S. Martialis ad offertorium ſacerdoti celebranti ſunt offerendi.

Si feſtum Purificationis olim in Dominicam ſeptuageſimæ, vel ſexageſimæ, aut quinquageſimæ incidiſſet, de feſto eodem die fiebat officium, ut patet ex Orderico Vitali lib. 13. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p. 921. nec ut hodie in aliam diem transferebatur. In antiquo verò Rituali S. Martini officium eo caſu ita diſponitur, ut [veſperæ fiant de B. Maria & poſt completorium fiant vigiliæ cum novem lectionibus de eadem. Nocte autem fiant matutinæ de ſeptuageſima, & ad laudes includatur alleluia. In die fiant horæ & proceſſio & miſſa de B. Maria.]

CAPUT XVI.

De Septuageſima.

Caput XVI. De Septuageſima.

Alleluia in Septuageſima dimiſſum.

I. HAc die propter primi hominis lapſum, quem in ſacris vigiliarum lectionibus recenſet Eccleſia, cantica lætitiæ deponit. Hinc illa ſolemnis *Alleluia* ſuppreſſio, quam ex S. Gregorii Papæ inſtituto fieri tradunt. Saltem id non obſcurè docet breviarium Romanum, cum eum conſtituiſſe ait, [ut extra id tempus quod Septuageſima & Paſcha continetur alleluia diceretur.] Et certè ex regula S. Benedicti ad quadrageſimam uſque decantari poteſt, id quod in pleriſque congregationibus ad noſtram ferè ætatem religiosè obſervatum eſt.

Qua officii parte.

II. In dimittenda autem hac lætitiæ voce non unus fuit omnium

Eccleſiarum uſus. Nam ut ait Durandus lib. *6*. c. 24. [Quidam in ipſo ſabbato dimittunt alleluia ad ſextam, quidam ad nonam, quidam ad veſperas, quidam verò ad nocturnam hujus Dominicæ, & quidam ad primam Dominicæ hujus diei: quæ varietas provenit ex diverſitate inceptionis diei. Rectiùs tamen dimittitur in veſperis, quia tunc dies incipit quoad diurna officia, quia nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Et hoc etiam ſtatuit Alexander Papa II. ut ejus geminatio ad finem præcedentis temporis pœnitentiæ quam laus ſequatur evangelica referatur, & ejus depoſitio luctui ſequentis temporis aſſignetur. Unde & quædam Eccleſiæ deponunt alleluia cum gaudio magno, aliæ verò cum gemitu & ſuſpirio.] Hactenus Durandus, ubi quod ait de Alexandri Papæ II. decreto dimittendi ad veſperas alleluia, confirmatur ex Micrologo, qui cap. 47. idem aſſerit. Verum à paucis obſervatum fuiſſe teſtantur antiqui rituum libri diverſarum Eccleſiarum, quos percurrimus. Et quidem ex Silvanectenſi ordinario ad completorium, ex Vertienſi eo decantato dimitti debet. Verùm aliæ paſſim Eccleſiæ illud retinent & ad matutinum & ad laudes. Quod addit Durandus quaſdam Eccleſias illud dimittere cum gaudio, confirmari poteſt ex variis ordinariis & antiphonariis. Ordinarium Silvanectenſe jubet ut ad veſperas ſabbati pſalmi ſinguli cum triplici alleluia, excepto tertio qui cum duplici tantùm, pro antiphona decantetur. Benedicamus verò cum duplici, ac deinceps ad completorium ſileat. In aliis paſſim Eccleſiis in nocturnis vigiliis ad invitatorium, ad ſingulas antiphonas, & reſponſoria, in laudibus item ad ſingulas antiphonas ſumma cum animi jubilatione concinebatur. Maximè verò ad pſalmum *Laudate Dominum de cælis*, Ad cujus ſingulos verſus repetebatur. Audiendum eſt ea de re Eccleſiæ Remenſis ordinarium. [*Laudate Dominum de cælis*, hoc modo decurritur. unus ex presbyteris incipit antiphonam, & totam decantat ita: *Laudate Dominum de cælis alleluia*; Primus chorus reſpondet, *Laudate eum in excelſis alleluia*. Alter chorus reſpondet cum duplici alleluia ſic: *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus alleluia alleluia*. Item primus chorus cum triplici alleluia ſic: *Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen alleluia alleluia alleluia*. Alter chorus canit quartum verſum cum ſimplici alleluia *Laudate eum cæli cælorum*. Quintus verſus cum duplici alleluia canitur, ſextus cum triplici alleluia, & ſic uſque in finem. In fine autem. *Sicut erat in principio &c. Amen. Alleluia alleluia alleluia*. Cum triplici alleluia finitur, & cum tono, nec antiphona repetitur.] Idem erat uſus inſignis Eccleſiæ Cabilonenſis & Turonenſis S. Martini. Illius meminit Hericus in lib. miraculorum S. Germani Autiſſiodorenſis cap. 10. ubi ſic loquitur: [Erat autem alleluia quod noſtra Eccleſia Septuageſimæ tantum die Domin co cum ſupramemorato pſalmo (*Laudate Dominum de cælis*,) modulari conſuevit, ut in primo verſu ſemel, in ſecundo bis, in tertio tribus vicibus reciprocatum. In quarto demùm reiteratur à capite.] Ex ordinario Cenomanenſi [in medio cujuſlibet verſus dicitur ſemel alleluia,

CAPUT XVI. *De Septuageſima.*

Quo ritu.

CAPUT XVI. *De Septuageſima.*

& in fine cujuſlibet verſus ter alleluia, & in fine pſalmi dicitur antiphona alleluia, & ita includitur alleluia.] In Pontificali etiam Saliſburgenſi ſcriptum reperio ut[poſt matutinas per oratoria alleluia cantetur.] Antiphonarium S. Martini Turonenſis addit, ut in laudibus ad primam antiphonam dicantur decem alleluia, totidem ad ſecundam, ſeptem ad tertiam, in fine quartæ tria, pſalmus verò LaudateDominum de cœlis eo quo diximus modo decantetur: Benedicamus Domino cum duplici alleluia.

III. Quod ſpectat ad lectiones in vigiliis legendas, integrum ab hac die ad Dominicam uſque paſſionis Eptateucum legebant. Ita præſcribunt libellus Joannis Abrincenſis, ordinarium Lucæ Cuſentini Epiſcopi, Rothomagenſe & Cabilonenſe. Monachi Pentatcucum tam in choro quàm in refectorio ante quadrageſimam abſolvebant uti demonſtravimus in libro tertio de antiquis monachorum ritibus c. 8. Eccleſia Pariſienſis libros Paralippomenon addebat. Canonici Turonenſes S. Martini amplius aliquid præſtabant; nam ad uſque Samſonis hiſtoriam infrà hebdomadam Septuageſimæ legebant: quamvis in modo quo id fieret non nihil fortaſſis reprehenſibile aliquibus videatur. Sic quippè habent in antiquo rituali ms. [Et in iſta hebdomada debet legi de Bibliotheca uſque ad Samſonem.] Et paulò poſt: [Nota quod per totam ſeptimanam niſi in feſtis novem lectionum debent ſonare matutinam in crepuſculo noctis, & incepta tertia lectione poſſunt abire, & juvenes legunt de bibliotheca, & ultima die debet legi uſque poſt mortem Joſue, & debet præpoſitus legere tertiam lectionem.] Et in ordinario ejuſdem Eccleſiæ anno 1450. exarato. [Olim in hac hebdomada legebantur quinque libri Moyſi ante ſepulcrum B. Martini per juvenes tertiæ ſtationis, qui dicebant primam & ſecundam lectionem: tertia verò per canonicum.] Rituale S. Martini explicatur per ordinarium inſignis Eccleſiæ Silvanectenſis, in quo hæc notanda veniunt: [Sciendum eſt quòd in Eccleſia Silvanectenſi diebus privatis ad matutinas ſolebant fieri in choro longæ lectiones de bibliotheca itaque à Dominica ſeptuageſimæ uſque ad feriam 4. in capite jejunii legebantur quinque libri Moyſi & Joſue & Judicum & Ruth. Et quia propter prolixitatem multi dormiebant, alii recedebant ab Eccleſia, & ſic pauci ad ſervitium perficiendum remanebant, ideò ad tædium evitandum, modo fiunt breves lectiones ad matutinum, & per diem unus de clericis vel capellanis Eccleſiæ, ſolario mediante, legit reſiduum in choro retro majus altare. Tamen feriis 2. &c. 3. immediatè ſequentibus Dominicam in quinquageſima ad matutinum legitur totus liber Ruth.] His affine eſt quod legitur in ordinario inſignis Eccleſiæ Vienenſis in Gallia: [Poſt cænam Dominicæ in ſeptuageſima pulſetur pro officio nocturno, more ſolito hora octava. Finita pulſatione, omnes veniant, primo ſacerdos hebdomadarius & vicarius cantoris hebdomadarii. Invitatorium de feria vel de feſto trium lectionum, & non de feſto novem lectionum; quia ſi illud evenerit, fiat de illo & transfertur iſtud officium ad primam diem non impeditam. Finitis verò invitatorio antiphonis & pſalmis, aſcendat

aſcendat ſubdiaconus hebdomadarius in ambonem, & legat primam lectionem alta voce de libro geneſis. Finita lectione, cantetur primum reſponſorium. Aſcendat magiſter & legat de eodem libro pro ſecunda lectione quantum voluerit, non dicat *Tu autem Domine*, & deſcendat cum biblia in chorum, & ibidem legat voce caſſa per totam noctem uſque ad horam quintam matutinam, circa quam matricularius pulſet cymbalum more ſolito, vel claſſes, ita ut poſſint intereſſe officio, maxime qui debent cantare, & dum venerit magiſter aſcendat in ambonem, & legat alta voce de libro prædicto in quo fecit punctum in choro dum legebat pernoctando, & non dicat *Jube domne benedicere*. Et lecta lectione, dicat *Tu autem Domine*. Clericulus hebdomadarius dicat ſecundum reſponſorium. Deinde decanus tertiam lectionem cantet; qua finita, ſubdiaconus Remiſſiviarius cantet tertium reſponſorium. Poſtea decantentur laudes, refectuarius Eccleſiæ debet providere ligna ad calefaciendum legentes bibliam, magiſtrum ſcilicet, & coadjutores ſuos.]

CAPUT XVI. *De Septuageſima.*

Canticum *Te Deum* dimiſſum &c.

IV. Canticum *Te Deum laudamus* quod in lætitiæ ſignum decantari ſolet, retinebant hac die nonnullæ Eccleſiæ, ſed deinceps uſque ad Paſcha illud reticebant in antiquo tamen ordinario Eccleſiæ Lugdunenſis Dominica prima Quadrageſimæ decantandum aſſignatur. Singularis fuit uſus Eccleſiæ Turonenſis S. Martini, quæ ad Dominicam uſque paſſionis eumdem decantare ſolebat hymnum, id quod ex regula S Benedicti, cui paruerat olim, acceperat. Idem de hymno angelico *Gloria in excelſis* ferendum judicium, quem etiam in feſtis prætermittebant Gaſtinenſis canonici regulares. Idem de dalmaticæ & tunicæ depoſitione dicendum eſt.

V. [Poſt matutinum verò, inquit breviarium Catalaunenſe ab annis circiter 400. ſcriptum, dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales ſine litania uſque in capite quadrageſimæ.] Idem habet antiquum breviarium Eccleſiæ Pariſienſis ejuſdem circiter ætatis.

Confeſſio peccatorum ante quadrageſimam.

VI. [Hebdomada una ante initium quadrageſimæ confeſſiones ſacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda,] inquit Theodulfus Aurelianenſis in capitulari n. 37. quæ verba an intelligenda ſint de Dominica Sexageſimæ, infrà cujus hebdomadam ſingulis diebus ſingula legebat evangelia non epiſtolas Eccleſia Pariſienſis, an de Dominica quinquageſimæ, quæ in miſſali Mozorabum inſcribitur *Dominica ad tollendas carnes*, à quibuſdam ſcriptoribus Dominica carnis privii, quia revera clerici olim ab hac die incipiebant à carnibus abſtinere, uti videre eſt in vita S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi c. 10. & in Concilio Claromontano apud Matthæum Paris ad annum 1095. & in ſtatutis Synodalibus Nicolai Gelant Epiſcopi Andegavenſis anno 1274. editis cum tamèn regulares à Septuageſima jejunare inciperent. Audiendus in hanc rem Petrus Bleſenſis ſerm. 13. [Jejunium quadrageſimale regulares cænobitæ incipiunt à Septuageſima. Græci verò à Sexageſima. Clerici verò noſtri autore Teleſphoro Papa à quinquageſima.] Longè tamen

R

Religioſiores erant olim Poloni, qui quadrageſimale jejunium more orientalis Eccleſiæ à ſeptuageſima inchoabant, qui ritus [ab ipſis Polonicæ Eccleſiæ incunabulis ſuſceptus cum non leves controverſias pareret, penitus ſublatus eſt.] ab Innocentio IV. ut diſcimus ex Odorico Rainaldo ad annum 1248. n. 49.

CAPUT XVII.

De feria quarta in capite jejunii.

Caput XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

FEria quarta in capite jejunii, à cineribus pœnitentium de Eccleſia ejiciendorum capitibus imponendis, *Cinerum* vulgò appellata vix ullos ſingulares ritus habet, præter ipſam cinerum benedictionem, & pœnitentium ejectionem, quam ex antiquis diverſarum Eccleſiarum Pontificalibus libris jam tetigimus in libro 1. cap. 6. de antiquis Eccleſiæ ritibus cùm de pœnitentia ageremus, hicque iterum ex aliis mſſ. libris præcipuarum præſertim Eccleſiarum repetemus.

ORDO I.

In capite jejunii.

Ex ms. codice Eccleſiæ Narbonenſis annorum circiter 600.

BENEDICTIO CINERUM.

FEria quarta in capite jejuniorum quadrageſimæ Domnus Archiepiſcopus vel presbyter faciens officium, indutus veſtimentis ſacerdotalibus & cappa pluviali, ſimiliter miniſtri cum eo induti in albis cum cruce præcedente, portante ſubdiacono eam ad altare: tunc Archiepiſcopus vel ſacerdos benedicat in dextro cornu altaris cineres ſuper dicto altari, ſubmiſſa voce dicendo:

Dominus vobiſcum. *Oremus.* Deus qui non mortem &c. *Ut in miſſali Romano.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primo homini tranſgredienti mandatum tuum, nec confitenti peccatum proprium denunciaſti quod cinis eſſet,& in cinerem reverteretur; te poſcimus ut parcas nobis peccata noſtra veraciter confitentibus, & aſperſione hujus cineris veniam conſequamur, & de peccato ad juſtitiam, de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam pervenire mereamur æternam. Per

Oremus. Deus qui humiliatione flecteris & ſatisfactione placaris &c. *Ut in miſſali Romano.*

Quibus dictis, aſpergatur aqua benedicta ſuper cineres per facientem officium. Quo finito, veniant omnes cum cruce & proceſſione ad januam

Eccleſiæ, nihil cantando: & dum fuerint ibidem, pœnitentiarius Domni Archiepiſcopi, vel faciens officium exeat fores Eccleſiæ, & introducat pœnitentes uſque altare tenendo primum per manum, & alter alterum ſe tenendo: cantore incipiente ibidem dum incipiunt intrare Eccleſiam ſeptem pſalmos pœnitentiales, & ſemper cum toto clero Eccleſiæ cantando uſque ad chorum, ibidem eoſdem ſeptem pſalmos finiendo. Interim proſternant ſe pœnitentes, & ille qui facit officium ponat cineres ſuper capita ſingulorum pœnitentium dicens:

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris.

Et diaconus aſpergat aquam benedictam ſuper ſingulos. Quibus ſeptem pſalmis finitis erigat ſe faciens officium cum miniſtris ſuis verſus pœnitentes, & dicat alta voce. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Salvos fac ſervos & ancillas tuas, ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℣. Eſto eis Domine. Domine Exaudi. *Poſteà manu mediocriter elevata, dicat ſuper proſtratos pœnitentes orationes.*

Exaudi Domine preces noſtras, & tibi confitentium parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per

Alia.

Præveniat hos famulos tuos & famulas tuas, quæſumus Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab his famulis & famulabus tuis clementiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana vulnera, eorumque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparati, tibi Domino ſemper valeant adhærere. Per

Alia.

Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hos famulos & famulas tuas, qui ſe tibi graviter peccaſſe confitentur; Tuum eſt enim abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem; concede ergo, Domine, ut hi & hæ tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratulentur. Per

Quibus finitis, fiat ſermo; & finito ſermone, Archiepiſcopus vel faciens officium accipiat per manum dextram unum ex pœnitentibus, & alii pœnitentes alter alterum, & ſubſequantur eum dicentem: Ecce ejicimus vos hodie à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ propter peccata & ſcelera veſtra: omnipotens Dominus vos reverti faciat cum fructu pœnitentiæ ℟. Amen. *Et incipiat cantor.* In ſudore vultus tui *Cum ſuo* ℣. *&* Gloria Patri. *Et ita ejiciet & eos cum proceſſione, ut ingreſſi fuerant Eccleſiam.*

Ejectis verò ab Eccleſia, faciat eis verbum qualiter ſe habere debeant in pœnitentia, in jejuniis, vigiliis, eleemoſynis, & orationibus, inſtantes ut Dominus perducat eos ad fructum pœnitentiæ.

CAPUT XVII. De feria quarta in capite jejunii.

Quibus ritè peractis, Pontifex vel faciens officium cum clero redeant ad altare: Et cum fuerint ibi, cantor incipiat antiphonam. Exaudi nos Domine &c. *Et diaconus ponat cinerem ſuper caput dicti Pontificis vel facientis officium cum aſperſione aquæ benedictæ. Deinde Dominus Pontifex vel faciens officium ponat cinerem ſuper capita miniſtrorum ſuorum, & canonicorum, & aliorum clericorum Eccleſiæ, quo facto, incontinenti voce aliquantulum elevata dicat.* Oremus. Concede nobis Domine &c. *Deinde redeant ad ſacrarium, & cantetur miſſa more ſolito.*

ORDO II.

Ex tribus miſſalibus mſſ. Eccleſiæ Pariſienſis.

Feria quarta in capite jejunii, hora ſexta cantata, Epiſcopo in medio chori proſtrato, ſuperpellicio & ſtola & cappa ſerica nigra & mitra alba ornato, dicantur ſeptem pſalmi pœnitentiales incipiente cantore antiphonam: Intret oratio &c. *Pſalm.* Domine ne. Gloria Patri. &c. Laus tibi Domine &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos tuos. Mitte eis. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Domine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, ut condignè poſſim tibi gratias referre, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti officio ſacerdotali, & me exiguum humilem, quem mediatorem conſtituiſti ad orandum intercedendum ad Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM pro peccatoribus & ad pœnitentiam revertentibus; ideóque Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant; ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, pro famulis & famulabus tuis: qui ad pœnitentiam venerunt. Per

Pſal. Beati quorum. *Cum* Gloria Patri *&* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ *Sine* Kyrie eleiſon *Et ſine* Pater noſter. Exurge, Domine, adjuva nos. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

Oremus.

Deus cujus indulgentiarum nemo non indiget; memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & qui lubrica terreni corporis fragilitate ſunt mundati, quæſumus, ut des veniam confitentibus, parce ſupplicantibus; & qui noſtris meritis accuſamur, tua miseratione ſolvamur. Per

Item pſal. Domine ne II. *cum* Gloria Patri & Laus tibi, Domine,

Digitized by Google

ſine Kyrie eleiſon *& ſine* Pater noſter *Pſ.* Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Et propter gloriam nominis tui Domine. Beati immaculati in via; Qui ambulant.

Caput XVII. De f. ria quarta in capite jejunii.

Oremus.

Deus ſub cujus oculis omne cor trepidat, & omnes conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, & ſicut nemo noſtrum liber eſt à culpa, ita nemo ſit alienus à venia. Per

Item pſal. Miſerere mei Deus *cum* Gloria & Laus tibi Domine. *Sine* Kyrie eleiſon, *& ſine* Pater noſter. *Capit.* Propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum Domine. Nihil proficiat inimicus.

Oremus.

Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere langoribus, & miſerationum tuarum remiſſione percepta in tua ſemper benedictione lætemur. Per

Item pſal. Exaudi 1. *cum* Gloria *&* Laus tibi Domine, *ſine* Kyrie *& ſine* Pater noſter *Capit.* Memento noſtri Domine, in beneplacito populi tui. Perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis.

Oremus.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus, ad hos famulos tuos, qui ſe tibi graviter peccaviſſe confitentur. Tuum eſt enim abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebremus, & correctis actibus ſuis conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratulentur. Per

Item pſal. De profundis *cum* Gloria *&* Laus tibi Domine *ſine* Kyrie *& ſine* Pater noſter. *Capit.* Salvum fac populum tuum, Domine. Domine Deus virtutum converte nos.

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & ſicut publicani precibus & confeſſione placatus es; ita & his famulis tuis placare; votis quoque eorum benignus adſpira, ut in confeſſione flebili permanentes, & petitione perpetua clementiam celeriter promereantur, ſanctiſque altaribus & ſacramentis reſtituti rurſus cæleſti gloriæ mancipentur. Per

Item pſal. Domine exaudi 2. *Cum* Gloria *&* Laus. *Antiphona.* Intret

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

oratio noſtra in conſpectu tuo Domine, inclina aurem tuam ad preces noſtras. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemiſti, Chriſte, pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris nobis. Kyrie eleiſon *ter* Pater noſter. Convertere Domine uſquequo. Confiteantur tibi, Domine omnia opera tua. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Precor, Domine, clementiæ & miſericordiæ tuæ majeſtatem, ut famulis & famulabus tuis peccata & facinora ſua confitentibus veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui publicani preces confeſſione placatus exaudiſti; tu etiam his famulis tuis & famulabus placare, Domine: Tu eorum precibus benignus adſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat fletus eorum, & petitio perpetua clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & ſacrificiis reſtituti ſpei rurſum æternæ & cæleſti gloriæ mancipentur.

Deinde ſurgat Epiſcopus, & manu extenſa ſuper populum, dicat abſolutionis orationem.

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui dixit Apoſtolis ſuis quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælis, de quorum numero quamvis me indignum & peccatorum miniſtrum eſſe voluit, intercedente glorioſa Dei Genitrice Maria, & B. Michaële Archangelo, & B. Petro Apoſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, & omnibus Sanctis; ipſe vos abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis veſtris, quæcumque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egiſtis, atque à vinculis peccatorum noſtrorum, abſolutos perducere dignetur ad regna Cælorum, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat.

Abſolutio.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum & ſpatium veræ pœnitentiæ, & emendationem tribuat vobis omnipotens Deus. Amen.

Tunc Epiſcopus faciat benedictionem ſuper populum, quo facto, ſtatim benedicat cineres.

Benedictio cinerum.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam peccatorum deſideras. &c.

Domine ſempiterne Deus, qui miſereris omnium & nihil odiſti &c.

Facta benedictione, aſpergentur cineres aqua benedicta, & ſtatim paratur proceſſio, & cantor incipit antiphonam, & epiſcopus vel ejus capellanus aſcendat locum decani, & capitibus imponat cineres in modum crucis dicens:

Memento, homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris; & quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Sequitur oratio ſilentio dicenda poſt cineres capitibus impoſitos.* Deus qui humilitate flecteris & ſatisfactione placaris, &c.

Cineribus datis & proceſſione de choro exeunte, aſcendat Epiſcopus, vel alius ſupplens vicem ejus in pulpitum, & faciat interim brevem ſermonem ad populum donec redeat proceſſio: qua redeunte, faciat Epiſcopus abſolutionem ſuper populum, præcedente hoc pſalmo, Miſerere mei Deus *cum* Gloria Patri, *&* Kyrie eleiſon. Pater noſter. Convertere, Domine, uſquequo. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Dominus JESUS-CHRISTUS &c. Abſolutionem & remiſſionem. &c.

Quo facto, faciat Epiſcopus benedictionem ſuper populum, & deſcendat de pulpito, & eat ad portam Eccleſiæ majorem, & ejiciat pœnitentes de Eccleſia, dando eis cineres. Clerici vero aſſiſtentes cantent reſponſoria quæ ſequuntur. ℟. In ſudore vultus tui &c. Ecce Adam &c. *Quo facto, claudat Epiſcopus januam Eccleſiæ, & revertatur ad reveſtiarium, & ibi diſpoliet ſe. Ad proceſſionem.* Exaudi nos Domine &c. *Pſal.* Salvum me fac Deus &c. *Antiphona.* Juxta veſtibulum &c.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Arelatenſis.

IN CAPITE JEJUNIORUM ORDO AD POENITENTES.

NOmina vero pœnitentium qui ejiciendi ſunt de Eccleſia ſcribantur, & pœnitentes accepta pœnitentia vadant ante fores Eccleſiæ. Tunc Archiepiſcopus introeat Eccleſiam, & induat ſe cum miniſtris alba, ſtola, & cappa; & det benedictionem ſuper cineres.

Deus qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, ut hos cineres, quos cauſa proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus noſtris imponi decernimus, bene✝dicere pro tua pietate digneris; ut qui nos cinerem eſſe, & ob pravitatis noſtræ meritum in pulverem reverſuros cognoſcimus, peccatorum veniam & pœnitentia pœnitentibus repromiſſa miſericorditer conſequi mereamur. Per

Alia oratio.

Deus qui humiliatione flecteris & ſatisfactione placaris, &c.

Alia oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primo homini transgredienti mandatum tuum, &c.

Tunc veniat ad januas chori, præcedente ſchola, & omni clero, & dividantur per choros: tunc unus ex Archipresbyteris vocat pœnitentes

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

nominatim : intrantes vero in Eccleſia proſternunt ſe in terra in pavimento Eccleſiæ. Illis autem proſtratis, accedunt duo Archipresbyteri, unus ferens aquam benedictam, ſpargat ſuper eos, alter verò ſequens ponat cineres ſuper capita ſingulorum, hæc dicens : Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris : Age pœnitentiam ut habeas vitam æternam. *Interim chori diſtincti canant ſeptem pſalmos pœnitentiales quibus finitis, dicat Archiepiſcopus.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Mitte eis auxilium. Nihil proficiat. Eſto eis Domine. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras & tibi confitentium parce peccatis &c. Præveniat hos famulos &c. Adeſto Domine ſupplicationibus &c. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris &c.

Hic faciat Archiepiſcopus ſermonem, qualiter ſe habere debeant in pœnitentia, jejuniis, vigiliis, eleemoſynis, & orationibus inſtantes, ut Dominus perducat eos ad fructum pœnitentiæ. Tunc accipiat Archiepiſcopus unum ex pœnitentibus per manum dextram, & alii pœnitentes alter alterum tenentes ſubſequuntur eum dicentem : Ecce ejicimus vos hodie à liminibus Sanctæ Matris Eccleſiæ propter peccata & ſcelera veſtra. Omnipotens Deus faciat vos reverti cum fructu pœnitentiæ.

℟. In ſudore. ℣. Pro eo quod audiſti &c.

Et ſic finit Ordo pœnitentum.

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Noviomenſis monaſterii S. Cornelii Compendienſis.

ORDO QUOMODO POENITENTES IN CAPITE QUADRAGESIMÆ EPISCOPO SE DEBENT PRÆSENTARE.

OMnes qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pœnitentiam ante fores Eccleſiæ ſe repræſentant Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent decani, ideſt Archipresbyteri parochiarum, ideſt presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungunt. Poſt hæc in Eccleſiam eos introducant, & Epiſcopus cum omni clero ſeptem pœnitentiæ pſalmos in terra proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet.

Antiphona. Intret oratio. *Pſal.* Domine ne in furore &c. *Oratio.* Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam &c. *Alia. oratio.*

oratio. Exaudi Domine preces noſtras &c. *Alia.* Præſta quæſumus Domine &c. *Alia.* Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit in his &c. *Alia.* Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris &c. *Alia.* Deus humani generis benigniſſime conditor &c. *Alia.* Omnipotens Deus qui Beato Petro Apoſtolo tuo &c. *Alia oratio.* Dominus JESUS-CHRISTUS qui dixit diſcipulis ſuis quæcumque ligaveritis &c.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Abſolutio.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum percipere mereamini hic & in æternum.

Tunc ſurgens ab oratione, faciat benedictionem cinerum.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum &c.

Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſereris omnium &c.

Dum cineres capitibus imponuntur: Memento, homo, quia cinis es, & in pulverem reverteris. *Oratio poſt cineres pœnitentium capitibus impoſitos.* Deus qui humilitate flecteris &c. *Poſt cineres pœnitentium capitibus impoſitos Epiſcopus ſuper eos aquam benedictam ſpargat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris ſuſpiriis eis denunciet quod ſicut Adam projectus de paradiſo eſt; ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis abjiciuntur. Poſt hæc jubeat miniſtris, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant. Clerus verò proſequatur eos cum* ℟. In ſudore vultus tui. &c. *Quo finito, claudat Epiſcopus Eccleſiæ januam & clerus proſequatur.* ℟. Ecce Adam &c. *Ut videntes ſanctam Eccleſiam facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam.*

ORDO V.

Ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Autiſſiodorenſis.

INCIPIT OFFICIUM IN REPRÆSENTATIONE POENITENTIUM IN DIE CINERUM.

CAntata hora ſexta, conveniant omnes publicè pœnitentes in majori Eccleſia, & faciat Epiſcopus ſermonem vel alius pro eo. Quo facto, intrent chorum omnes publicè pœnitentes, Epiſcopo exiſtente in ſupercilio & cappa de choro cum mitra & cambuca in primo ſtallo in introitu dextræ partis chori. Et tunc Epiſcopo & clero & omnibus publicè proſtratis, incipiatur antiphona ſine cantu. Intret oratio mea &c. *Qua antiphona incepta, dicant ſeptem pſalmos pœnitentiales, & in fine ſeptem pſalmorum dicatur tota antiphona ſupra dicta. Quibus dictis, antequam ſurgant, faciat Epiſcopus abſolutionem in hunc modum.*

Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos. Mitte eis. Nihil proficiet. Eſto eis, Domine. Domine, exaudi orationem meam. Domi-

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

nus vobiſcum. *Oremus.* Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris &c. *Oremus.* Precor, Domine, clementiæ & miſericordiæ tuæ majeſtatem &c.

Deinde ſurgat Epiſcopus manuque extenta ſuper populum dicat ſubſequentem abſolutionis orationem ſine Dominus vobiſcum, *& ſine* Oremus.

Dominus JESUS-CHRISTUS qui dixit diſcipulis ſuis, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; de quorum numero quamvis me indignum & peccatorem; miniſtrum tamen eſſe voluit, intercedente Beata Dei Genitrice Maria, & B. Michaele Archangelo, & B. Petro Apoſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, & omnibus Sanctis, ipſe vos abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis veſtris, quæcumque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione, negligenter egiſtis, à vinculis peccatorum veſtrorum abſolutos perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Concluſio abſolutionis.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, ſpatium veræ pœnitentiæ & emendationem vitæ tribuat vobis omnipotens Pater & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Facta abſolutione, ſtatim benedicat cineres.

Benedictio cinerum.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras. &c.

Item alia benedictio de eodem. Omnipotens ſempiterne Deus qui miſereris omnium &c.

Dum cineres capitibus imponuntur in modum crucis dicitur quod ſequitur. Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris; & quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Sequitur oratio poſt cineres capitibus impoſitos.* Dominus vobiſcum. *Oremus.* Deus qui humilitate flecteris &c.

His itaque ritè peractis, vadant pœnitentes ad portam Eccleſiæ, ibidem Epiſcopum & proceſſionem expectantes. Epiſcopo vero exiſtente in porta Eccleſiæ, incipiatur. ℟. In ſudore vultus tui &c. *Dum vero cantatur.* ℟. *Ejiciat Epiſcopus pœnitentes manuatim de Eccleſia. Quibus ejectis, claudat Epiſcopus fores Eccleſiæ poſt eos, & cantetur.* ℟. Ecce Adam &c. *Ita fiat ut videntes Sanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam non parvipendant. Explicit officium in repræſentatione pœnitentium.*

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

ORDO VI.

Ex mſ. ordinario Eccleſiæ Bajocenſis.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

POſt ſextam Epiſcopus ſuperpellicio, ſtola, & cappa nigra ſerica, mitra alba, & baculo adornatus, ſuper cornu altaris dextrum ſuper oblatos cineres benedicat orationibus ſubnotatis dicens: Deus qui non mortem &c. Omnipotens ſempiterne Deus qui omnium miſereris &c. *Benedictione facta, aſpergat ipſe cineres aqua benedicta. Tunc proceſſio ordinata modo ſubſcripto procedit ad majores portas Eccleſiæ ad educendos pœnitentes, cantore incipiente, & choro ſuſcipiente.* ℟. In ſudore. *Procedit urciſer amictu & alba indutus, ſequitur acolythus ferens crucem indutus ſuperpellicio & cappa ſerica; ſequuntur duo ceroferarii induti ſicut Urciſer, ſequitur quis alius ſimiliter indutus ferens miſſalem parvum: & omnes præſcripti ſunt de ſecunda forma. Deinde ſequitur ſubdiaconus portans textum ſuppoſito pulvinari, quem ſequitur diaconus qui ambo albis tantum ſine paratura induuntur. Hos ſequitur ſacerdos hebdomadarius ſuper albam cappa ſerica præindutus: Deinde Archidiaconi omnes in ſuperpelliciis & cappis ſericis conducent Epiſcopum modo præſcripto redimitum.*

Sic igitur ante fores Eccleſiæ prænotato reſponſorio terminato, prius fit ſermo, deinde facit Epiſcopus benedictionem ſuper pœnitentes, ſic inchoata antiphona, Ne reminiſcaris. *Proſequitur chorus ſeptem pſalmos pœnitentiales cum proſtratione &* Gloria Patri. *In fine cujuſlibet pſalmi. Proſtrato Epiſcopo intus Eccleſiam ante fores verſus orientem ſuper cathedram decenter ornatam, pœnitentibus etiam ornatis intus Eccleſiam, ſequuntur* Kyrie *cum orationibus... Quibus dictis, dicat Epiſcopus* Abſolutionem & remiſſionem. *Tunc imponantur cineres ſuper capita pœnitentium in modum crucis per manus ipſius Pontificis & hebdomadarii ſacerdotis dicentium:* Memento, homo, quia cinis es &c. *Et ſic demum tradantur per Epiſcopum pœnitentes, ſtatim ex quo receperunt cineres Archidiaconis manuatim educendi. Quibus regreſſis, redeat proceſſio ordinate ſicut prius, cantore incipiente antiphonam.* Ne reminiſcaris, *Et choro proſequente ſeptem pſalmos pœnitentiales ſicut prius. Et dum conveniunt Epiſcopus ante altare proſternat ſe cum miniſtris ibidem proſtratis ſuper cathedram ſicut prius, & miniſtri ſuper tapeta & pulvinaria præparata, choro interim proſtrato, quolibet de choro in ſua ſtatione. Sic itaque. Finitis pſalmis, ſurgens Epiſcopus ſicut prius, ſtans ad cornu altaris dextrum faciat abſolutionem, ſicut prius. Qua facta, rediens ipſe in ſtallum ſuum, ſacerdos verò in partem chori alterum in ſtallum, ſcilicet theſaurarii, dent cineres ſuper cleri capita ſicut prius. Quo facto, deponat Epiſcopus inſignia, & Archidiaconi cappas ſericas tantum. Ceteri verò ſic induti procedant cum choro ad proceſſionem ad S. Vigorem more conſueto in Quadrageſima.*

CAPUT XVII.
De feria quarta in capite jejunii.

ORDO VII.

Ex mſ. Pontificali Petri Epiſcopi Silvanectenſis.

Feria quarta in capite jejunii poſt ſextam conveniant Epiſcopus & clerus, ubi pœnitentes excubant, & imponat Epiſcopus hoc. ℟. Genti peccatrici. *Cum* ℣. Eſto p. *deinde fiat letania ut iſtæ preces dicantur inter cetera.*

Ut nobis miſeris miſericors miſereri digneris. Te rogamus.

Ut oculos miſericordiæ tuæ ſuper nos reducere digneris. Te rog.

Ut mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas. Te rogamus.

Ut cæleſtibus diſciplinis nos inſtruere digneris. Te rogamus.

Ut vota jejunantium ſuſcipere digneris. Te rogamus.

Ut languores animarum noſtrarum curare digneris. Te rogamus.

Ut ſpatium veræ pœnitentiæ & emendationem vitæ nobis dones.

Ut dignos pœnitentiæ fructus nobis agere concedas.

Ut dimittas quod conſcientia metuit, & adjicias quòd oratio non præſumit.

Finita letania ſurgat Epiſcopus, jacentibus pœnitentibus; & dicat ſubnotatos pſalmos cum orationibus quæ ſequuntur. Pſal. Domine ne in furore. *Sequitur oratio.*

Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces & confitentium &c.

Sequitur pſalmus. Benedic anima mea *uſque* renovabitur ut aquilæ juventus tua. *Subjungat Epiſcopus orationem.*

Adſit quæſumus Dñe his famulis tuis inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ corda eorum fletuum ubertate reſolvat, ſicque macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per

Pſal. Miſerere mei Deus. *uſque* ſpiritu principali.

Oratio. Præveniat hos famulos tuos &c.

Pſal. Deus in nomine tuo ſalvum me fac.

Oratio. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c.

Pſal. Deus miſereatur noſtri.

Hic ſurgant pœnitentes, & dicat Epiſcopus: Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Oratio.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris &c.

Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Deus cujus indulgentia nemo non indiget, memento famulorum tuorum qui lubrica terrenaque corporum fragilitate decepti in multis deliquerunt, quæſumus ut des veniam confitentibus, parce ſupplicibus, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. Per

Digitized by Google

Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate.

Da quæſumus Domine his famulis tuis continuam purgationis ſuæ obſervantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeant, gratia eos tuæ viſitationis præveniat ut conſequatur. Per

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Benedictio cinerum.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum. &c.

Hic mittat cineres ſuper capita eorum cum aqua benedicta, & expellantur extra Eccleſiam, pſallentibus ceteris ℟. In ſudore &c. *Antiph.* Juxta veſtibulum &c. *Pſal.* De profundis. *Antiph.* Immutemur habitu *Pſal.* Venite exultemus.

Ejectis pœnitentibus, & habito ſermone de pœnitentia incipiatur hac antiphona Domine Deus Rex omnipotens, libera nos propter nomen tuum, & da nobis locum pœnitentiæ. *Pſalm.* Inclina Domine. *Deinde preces dicantur iſta.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Ego dixi Domine miſerere mei. Sana animam meam quia peccavi tibi. Convertere Domine uſquequo. Fiat miſericordia tua Domine. Peccavimus, Domine, cum Patribus noſtris. Domine non ſecundùm peccata noſtra. Ne memineris iniquitatum noſtrarum. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Salvos fac ſervos tuos. Eſto illi Domine turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in eis. Memento noſtri Domine in beneplacito. Memor eſto congregationis. Exurge, Domine, adjuva nos. Domine Deus virtutum converte nos. Ad te levavi oculos meos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

ORATIO.

Precor Domine clementiam tuam, * ſit his famulis & famulabus tuis peccata ſua & facinora confitentibus dare veniam & præteritorum criminum culpas relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui publicani precibus & confeſſione placatus es. Tu etiam Domine horum famulorum famularumque tuarum precibus benignus aſpira, ut in flebili confeſſione perſiſtentes, pietatem tuam celeriter & indificulter exorent, ac ſacris altaribus ac myſteriis reſtituti æternæ vitæ præmia conſequantur. Per.

* l. ſic,

Benedictio ſuper cilicium pœnitentibus dandum poſt cineres.

ORATIO.

Omnipotens & miſericors Deus qui peccatoribus pietatis tuæ miſericordiam & veniam tribuis; oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum quod vocatur cilicium benedicere & ſanctificare digneris, ut quicumque eo pro peccatis ſuis indutus fuerit, & miſericordiam tuam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequatur. Per

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

ORDO VIII.

Ex mſ. ordinario Eccleſiæ Argentinæ.

POſt nonam presbyter qui celebraturus eſt miſſam, benedicat cineres, ſtans in altari ita dicens. Oremus &c. *Quos poſtquam aqua benedicta aſperſerit, cantor imponat antiphonam.* Exaudi nos Domine. *Pſalm.* Salvum me fac. *Sine* Gloria Patri, *Et iterum repetitur antiphona.* Exaudi, *& ſacerdos ſubjungit.* Oremus. *Diaconus.* Flectamus genua. Levate. *Oratio.* Concede nobis Domine. *Tunc cantor imponit antiphonam.* Juxta veſtibulum. *Interdum dum ſic canitur, puer portans crucem procedat, ſubſequente omni clero, ad dextrum cornu altaris, ubi ſacerdos ſtans de cinere priùs benedicto ſingulorum capitibus imponat dicens.* Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris. *Et ſic tranſeunt proceſſionaliter retro altare, & eodem itinere deſcendant per capellam S. Joannis, & per circuitum clauſtri & circa majus monaſterium: & interim cantetur antiphona.* Immutemur habitu. *Fratres autem accedendo non petunt veniam, ſed recedendo, ſed tantùm inclinant capite. Poſtquam ſacerdos omnibus cinerem impoſuerit, decanus vel ſenior presbyter accipiens cineres eidem ſacerdoti imponit dicens:* Memento &c. *Interim cantor imponat* ℟. Paradiſi portas. ℣. Ecce nunc. ℟. Emendemus in melius. ℣. Peccavimus. Sequitur letania. Iſtis omnibus finitis, ſequitur major miſſa.

ORDO IX.

Ex antiquo miſſali mſ. inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis.

FEria quarta in capite jejunii hora nona ſacerdos reveſtitus amictu, alba, ſtola & fanone, proſtratus dicat voce medioeri ſeptem pſalmos pœnitentiales. Antiphona.* Ne reminiſcaris *Pſal.* Domine ne in furore &c. Ne reminiſcaris &c. *Poſt ſacerdos dicat* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos & ancillas tuas. Eſto eis Domine. Mitte eis Domine. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces &c. Præveniat hos famulos &c. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris &c.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, & ſpatium veræ pœnitentiæ, & emendationem vitæ, & conſolationem ſancti Spiritus. Tribuat vobis omnipotens Pater, pius & miſericors Dominus. Amen.

Abſolutione facta, ſacerdos benedicat cineres ſuper altare poſitos dicens: Dñus vobiſcum. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſereris &c.

Digitized by Google

Oremus. Concede nobis Domine præſidia militiæ &c. *Cinere benedicto, ponat eum ſacerdos ſuper capita eorum dicendo*: Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris. *Interim cantetur ſequens antiphona.* Immutemur habitu &c. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. &c. *Antiphona:* Juxta veſtibulum &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus &c. *Ad proceſſionem antiphona.* Exaudi nos Domine, &c. *pſalm.* Salvum me fac Deus *Reiteretur antiphona.* Exaudi. *Qua cantata in Eccleſia Rotomagenſi verſus portam occidentalem legatur ſine titulo hac lectio: Non tamen in Eccleſiis parochialibus dicitur. Sequitur lectio.*

CAPUT X. *De feria quarta in capite jejunii.*

Vox ſanguinis fratrum noſtrorum quos interfeciſtis clamat ad Dominum: Sancta Eccleſia de amiſſione filiorum ſuorum contriſtatur. Sed acriùs dolet de animarum veſtrarum interitu. Unde oportet vos ab ejus communione projicere, & corpora veſtra juxta Apoſtolum tradi Satanæ, ut ſalvi ſint ſpiritus in die Domini. Inde vos moneo, ut abſque omni tepore ac torpore quæ prave commiſiſtis, ſumma diligentia pœnitere ſtudeatis; quatenus à poteſtate Satanæ erepti, ſub tutela matris veſtræ, ſcilicet ſanctæ Eccleſiæ, redire valeatis. Sententia enim de vobis valdè eſt tremenda & terribilis: ait enim Beatus Leo Papa in Epiſtola Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi ita: *Væ communione privatis & ita defunctis. Horum cauſa Dei judicio ſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non poſſumus.* Ait iterum in epiſtola Theodoro Epiſcopo Forojulienſi miſſa: *Si quis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exceſſerit: Et priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus corpore non poterit. Nec neceſſe ergo eſt, nos eorum qui obierunt merita actuſque diſcutere; cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeant comprehendi quod ſacerdotum implere miniſterium non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervavit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit. Et quia quibuſdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuat: multum enim utile ac neceſſarium eſt; ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvantur.* Pœnitentiam itaque veſtram, ut à Sanctis Patribus definita eſt ſcire debetis: Tempore pœnitentiæ veſtræ cilicio uti debetis, à carne abſtinere, in pane & aqua jejunare, ſecundum judicium & inſtructionem ſacerdotum veſtrorum ab equitatu & militia, & à balneis, & à tonſura, & ab uxorum veſtrarum cohabitatione, quantum quidem ipſæ permiſerint, cohibere vos oportet. Reſtat enim, teſtante ſacra ſcriptura, ut qui illicita perpetrat, à licitis ſe abſtineat. Nec in aliis, pro certo ſciatis, vobis indulgere poſſumus, niſi pauperum ſuſtentatione aut aliquo beneficio redimatur.

Poſt ejiciantur pœnitentes extra Eccleſiam cantando antiphonam ſequentem. Ne iraſcaris, Domine, populum tuum, ne avertas faciem tuam à nobis. Peccavimus, Domine, peccavimus, peccavimus, iniquitatem fecimus: parce, parce præ ira tua, ineffabilis Rex miſericordiæ: non

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis: ſed propter nomen gloriæ tuæ, quod eſt ſanctum fac nobiſcum ſecundùm magnitudinem miſericordiæ tuæ, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates noſtras. *Pſal.* Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Ne iraſcaris &c. ℣. Et ſecundùm multitudinem &c. *Et ſic per ſingulos verſus reiteretur antiphona. Ejectis pœnitentibus claudatur porta. Deinde redeat proceſſio cantando.* ℟. Ecce Adam &c. *Proceſſione eunte ad altare dextra crucis, & ibi dicatur.* Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Peccavimus, Domine, peccavimus cum Patribus noſtris. ℣. Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. ℣. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. ℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. ℣. Domine ſalvos fac Reges. ℣. Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ. Oremus pro fidelibus defunctis. ℣. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te. *Pſal.* Miſerere mei Deus ſecundùm magnam *totum dicatur.* Gloria Patri. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus cui proprium &c. Ineffabilem miſericordiam tuam &c. Prætende Domine, famulis & famulabus tuis &c. Eccleſiæ tuæ &c. Deus à quo ſancta deſideria &c. Animabus quæſumus, Domine, famulorum &c. *Poſteà duo de ſecunda ſede incipiant letaniam, & ſic cantando incipiat proceſſio in choro, & in fine letaniæ dicitur bis.* Omnes Sancti orate pro nobis. *Quibus finitis, incipiatur miſſa.*

ORDO X.

Ex antiquo miſſali Eccleſiæ Lemovicenſis.

F*Eria quarta in principio quadrageſimæ quando ſexta hora inchoatur, ſtatim debet pulſari ad proceſſionem, & dicta ſexta Epiſcopus vel hebdomadarius, Epiſcopo abſente, indutus ſacris in infula introducit pœnitentiarios in Eccleſia, deinde proſternitur in tapeto, qui debet eſſe poſitus ante majus altare, una cum diacono à ſiniſtris & ſubdiacono à dextris: & utroque choro etiam hinc & inde proſtrato, dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales ſubmiſſa & competenti voce; & in fine cujuſlibet pſalmi dicitur* Gloria Patri. *Quibus dictis, dicitur ab omnibus antiphona.* Ne reminiſcaris Domine. *Sine cantu; qua finita, duo vicarii in habitu ſuo ſtantes erecti incipiunt alta voce letaniam in hunc modum* Kyrie eleiſon. *Et omnes proſtrati reſpondent idem quod & ipſi vicarii dicunt, & ſic dicitur tota letania uſque ad iſtum locum* Ut domnum Apoſtolicum. *Et poſt illum verſum Epiſcopus vel hebdomadarius à proſtratione aliquantulum ſe erigens flexis genibus ibi in bacino cineres à dextris poſitos benedicat ter dicens:* Ut hos cineres, *Et ſtatim redeat in proſtrationem duobus vicariis proſequentibus reſiduum letaniæ. Qua finita, dicitur ab omnibus ſecreto* Pater noſter. *Et hic*

hic duæ candelæ ſimul junctæ teneantur ad librum per ſubdiaconum coram Epiſcopo vel hebdomadario, qui aliquantulum ſeſe erigens dicat. Et ne nos. Salvos fac ſervos tuos. Mitte eis. Nihil proficiat. Eſto nobis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oremus. *Et dicantur orationes flexis genibus uſque ad orationem.* Omnipotens ſempiterne Deus. *Sequuntur orationes iſtæ.* Exaudi Domine preces noſtras &c. Præveniat hos famulos &c. Adeſto Domine. &c.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Deinde dicat proſtratus Confiteor Deo &c. *Chorus* Miſereatur. *Deinde ſolus abſolutè dicat orationem.*

ORATIO.

In ea auctoritate & poteſtate confidentes quam omnipotens Deus in B. Petro Apoſtolorum principe tribuit dicens: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; quantum nobis permiſſum eſt ab omni vos vinculo abſolvimus peccatorum; & quidquid in hoc ſæculo contra voluntatem Dei, ſuadente diabolo, contrarium commiſiſtis, quantum poſſumus totum vobis indulgemus; & ut confracta de collis veſtris omnium delictorum catena, liberi & abſoluti ante tribunal æterni judicis veniatis, percepturi ab ipſo hæreditatem in cæleſtibus regnis, in quibus gaudeatis ſine fine exultantes in gloria cum omnibus Sanctis. Amen.

Vice B. Petri Apoſtolorum principis, cui à Domino collata eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, cujus etiam & nos licet indigni vice fungimur, abſolvimus vos fratres, in quantum veſtra expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, quod nobis ut dictum à Domino, in Sancto Petro eſt attributum à Domino ab omnibus criminibus veſtris, ſitque vobis omnipotens Deus redemptor noſter vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum, & corona gloriæ. Amen.

Oratio.

Miſertus & propitius ſit vobis omnipotens Deus. ℟. Amen. Dimittat vobis omnia peccata veſtra. ℟. Amen. Liberet vos ab omni malo. ℟. Amen. Conſervet & confirmet vos in omni opere bono. ℟. Amen. Et perducat vos pius Dominus ad vitam æternam. ℟. Amen.

Alia oratio.

Miſericordia Dei omnipotentis per merita & ſuffragia Sanctorum cuſtodiat vos omni tempore, & pietas illius conſequatur vos omnibus diebus vitæ veſtræ. *Et ſurgendo dicat.* Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM filium tuum qui vivit & regnat. Amen.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Hic vadat ad dextrum cornu altaris ad cineres benedicendos, dicens: Dominus vobiſcum. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne Deus &c. Deus qui non mortem &c. Deus qui humiliatione &c. Omnipotens ſempiterne Deus qui Niniyitis &c. *Ut in Romano. Deinde aſpergat cineres aqua benedicta, & poſt incenſet eoſdem, & imponat capitibus ſingulorum pœnitentium, & dum imponuntur cantatur hæc antiphona.* Exaudi nos Domine quoniam &c. Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt vanitates à filiis hominum. *Et quandiu durat cinerum impoſitio prædicta antiphona cantatur & repetitur, dicente Epiſcopo vel hebdomadario:* Memento,homo,quia cinis es & in cinerem ibis, pulvis es & in pulverem reverteris. *Completa cinerum impoſitione, Epiſcopus vel hebdomadarius dicit:* Dominus vobiſcum. *Oremus.* Concede nobis, Domine, præſidia &c. *Poſt fit proceſſio ad ſepulcrum, deinde dicitur officium miſſæ.*

ORDO XI.

Ex ms. miſſali Eccleſiæ Ebrodunenſis & Glandatenſis.

F*Eria quarta in capite jejunii. Antiphona.* Ne reminiſcaris. *Poſteà ſequuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales.* Domine ne in furore &c. *Antiphona.* Ne reminiſcaris &c. *Deinde dicitur.* Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Quo finito, ſurgat exſequutor officii, & ſtans ſuper gradum presbyterii, verſa facie ad meridiem, & dextram manum erectam ad chorum dicat.* Et ne nos inducas. ℣. Salvos fac ſervos. Mitte eis Domine. Eſto eis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat.

Finita hac oratione fiat abſolutio hoc modo.

Dominus JESUS-CHRISTUS, qui Beato Petro licentiam dedit ligandi atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, & quantum meæ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante tribunal Domini noſtri JESU-CHRISTI ab omnibus peccatis & negligentiis veſtris, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Finita abſolutione, ille qui facit officium vertat vultum ſuum ad altare, & ſic benedicat cineres, ut à choro audiatur. Dicat abſolutè. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne. Deus qui miſereris omnium.

Finita benedictione, aſpergat eos aqua benedicta, & incipiat antiphonam. Exaudi nos, Domine, &c. Salvum me Deus &c. Gloria Patri. *Cum ver-*

ſibus dicatur quotquot fuerint neceſſarii, & repetatur antiphona poſt quemlibet verſum, & poſt ultimum verſum, qui dicetur, dicatur Gloria Patri. *Et repetatur antiphona.* Exudi nos. *Deinde dicatur,* juxta veſtibulum *antiphona.* Immutemur habitu &c.

Caput XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Dum hæc cantantur dentur cineres. Dum imponuntur cineres in modum crucis, dicatur antiphona. Memento quia cinis es, & in cinerem reverteris. *Finita cinerum impoſitione, qui facit officium verſo vultu ad altare dicat mediocri voce.* ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Concede nobis præſidia &c. *Poſt hæc dicatur miſſa.*

ORDO XII.

Ex ms. ordinario inſignis Eccleſiæ Lingonenſis.

POſt ſextam benedicuntur cineres ad majus altare ab Epiſcopo, ſi fuerit præſens, in habitu canonicali, alioquin à ſacerdote ex dignioribus habente ſtolam tantum, & pœnitentialibus & aliis dantur atque prædicatori. quibus datis, offerunt pœnitentiales candelas extinctas. Poſteà proſternitur chorus ſuper gradus ante majus altare, & pœnitentialis ſuper gradus chori, & dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales ſequitur. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Et quatuor orationes.* Deus qui humiliatione flectitur. Exaudi Deus preces. Adeſto Domine ſupplicationibus, *&* Præveniat.

Poſteà fit ſermo ad populum. Quo facto, exeunt pœnitentiales, & ſequitur eos chorus cantando. ℟. In ſudore. *Cum verſu & repetitione. Oratio ſola in parva porta Eccleſiæ à latere ſiniſtro.* Deus qui peccatorum maculas. *Quibus finitis, & redeundo in chorum, deducuntur pœnitentes per Epiſcopum, aut ejus vicarium ſeu pœnitentiarum ad Eccleſiam S. Petri, quæ Eccleſia non longè abeſt ab Eccleſia S. Mammetis, ubi claudunt eis fores. Poſt hæc permittuntur abire inſtructi qualiter circa pœnitentias ſuas agendas ſolliciti debeant eſſe.*

ORDO XIII.

Ex manuſcripto miſſali Rotomagenſis S. Audoeni monaſterii.

FEria quarta in capite jejunii poſt ſextam ſtatim, diſcalciatis fratribus in clauſtro, pulſatur aliquod magnum ſignum in choro ad eos congregandos. Tunc non præmiſſa oratione, incipiunt ſeptem pſalmos: quibus finitis, Abbas vel Prior ad dextrum cornu altaris ſtolam habens ſuper frocum abſolutionem faciat. Poſt abſolutionem proſternant ſe ſuper ſedilia, & dicant. Pater noſter, *Sicut ante horas: & facto ſigno ſurgant. Tunc cantor incipiat.* Exurge Domine. *Quo bis cantato, iterum procumbant ſuper formas. Tunc ille qui cantaturus eſt miſſam, indutus ſimplici alba, & ſtola,*

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

& manipulo, dicat preces & orationem. Poſteà in medio choro, ſcilicet ante gradum benedicat cineres.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Citò anticipent nos. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Salvos fac ſervos tuos. Eſto eis turris fortitudinis. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Exaudi Domine preces noſtras &c. Præveniat hos famulos tuos &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris &c. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris &c.

Abſolutio.

Abſolvimus vos vice B. Petri Apoſtolorum principis: cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit, & quantum ad vos pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens vobis vita & ſalus, & omnibus peccatis noſtris indultor per eum qui venturus eſt.

Poſt abſolutionem quare retrò. ℣. Oſtende nobis. Kyrie Pater noſter. Et ne nos. Deus miſereatur. Domine non ſecundum peccata noſtra. *Oratio.* Deus qui culpa offenderis &c. *Poſteà in medio choro, ante gradum ſcilicet benedicat cineres ſic.* Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum &c. Omnipotens ſempiterne Deus qui miſereris omnium. &c.

Poſteà mittat ſacerdos cinerem in modum crucis ſuper caput Abbatis, ſi præſens fuerit, dicens: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Deinde ſuper caput aliorum ſimiliter: & quidam ſtans juxta ſacerdotem aſpergit unumquemque aqua benedicta, dum ei imponit cinerem ſacerdos. Iterum verò conventus cantet antiphonam.* Immutemur habitu &c. Juxta veſtibulum &c. *His peractis, itur ad proceſſionem, poſtquam ſequitur brevis letania, deinde miſſa.*

ORDO XIV.

Ex ms. ordinario canonicorum regularium Sancti Joannis Carnotenſis.

Feria quarta in capite jejunii. Poſt tertiam ſtatim ſine aliquo intervallo pulſatur & cantatur ſexta. Poſt ſextam vadunt fratres in clauſtrum. Hora autem nona appropinquante ſonat ſecretarius majus ſignum. Tunc in Eccleſia fratres omnes diſcalciati conveniunt. Primum ſacerdos hebdomadarius in alba indutus, ſed ſtolam tantum habens facit aquam benedictam, & eam aſpergit circa altaria, & ſtatim Dominus Abbas ſtolam tantum habens, tenenſque virgam paſtoralem, facit abſolutionem ſi adeſt: ſi deeſt vero domnus Prior: Ad abſolutionem incipiat cantor antiphonam. Intret oratio. *Et continuo D. Abbas & D. Prior proſternunt ſe juxta cornu altaris, alter hinc,*

alter inde. D. Abbas ſcilicet à dextro cornu altaris, & D. Prior à ſiniſtro. Ceteri verò fratres omnes ante altare, primum ſeniores, poſt juniores, unuſquiſque in ſuo ordine: noviſſime autem converſi & pueri cum ſuis cuſtodibus, & proſtrati decantent ſeptem pſalmos pœnitentiales cum Gloria Patri. *Sine letania. Quibus finitis, dicitur tota antiphona.* Intret oratio. *Antiphona.* Parce Domine, *Sine cantu. Sequitur.* Kyrie eleiſon. Chriſte. Kyrie. Pater noſter. Salvos fac. Mitte eis. Eſto illis. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. *Collecta.* Exaudi Domine &c. *in fine collecta.* Omnipotens Deus qui B. Petro.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

His expletis, domnus Abbas non indutus ſacerdotalibus veſtibus, ſed ſtolam tantum uſus, tenenſque virgam paſtoralem, benedicet cineres. Quibus benedictis, incipit cantor antiphonam. Exurge Domine. *Pſal.* Deus auribus. *Antiphona.* Exurge Domine. *Qua finita ſacerdos hebdomadarius dicat collectam.* Oremus. Parce Domine. *Qua finita.* Per Chriſtum, *Cantor incipit antiphonam.* Exaudi nos Domine. *Qua finitur in choro. Cantor iterum antiphonam.* Juxta veſtibulum. *Hymnus & finitur in choro. Iterum dum hymnus cantatur D. Prior mittit cineres primum ſuper caput Abbatis in modum crucis dicens:* Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Et Abbas ſuper caput prioris dicens:* Memento. *Poſteà Domnus prior aſpergit capita ſingulorum aqua benedicta, & domnus Abbas apponit deſuper cineres in modum crucis. Aſperguntur ante priores vel ſeniores: noviſſime vero converſi & pueri. Intereà ſecretarius affert tria philacteria cum ſericis ligaminibus miniſtris hebdomadariis, presbytero ſcilicet, diacono, ſubdiacono in medio chori ſtantibus, & pendet ſingula ad colla ſingulorum. His ordinatis procedit proceſſio ad capellam: uno converſo cum aqua benedicta, duobus converſis vel pueris cum duobus candelabris, præcedentibus uno de converſis vel ſecretariis crucem portante: ſubdiacono, diacono & ſacerdote reliquiis ad colla ſuſpenſis ſubſequentibus. His autem exeuntibus, incipit cantor antiphonam.* Immutemur, *Qua finitur ante portam capellæ. In hac vero proceſſione Eccleſiaſticis veſtibus nemo reveſtitur; ſed ob agendæ pœnitentiæ, humilitatis, & triſtitiæ indicium, aſſuetis veſtibus, cappis videlicet laneis nemo exuitur, ad introitum capellæ incipit cantor antiphonam.* Aufer à nobis. *Et reliqua. In fine antiphona.* Sancte Paule ora pro nobis. *Dum hoc cantatur ſacerdos aſpergit aquam benedictam circa altare: qua aſperſa, ipſe & diaconus & ſubdiaconus ponunt philacteria ſua ſuper altare & ſecretarius crucem.* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Tunc proſternunt ſe omnes pariter.* Pater noſter. *Sacerdos hebdomadarius.* Et ne nos. Ora pro nobis B. Paule. ℣ Sacerdos. ℣. Juſtorum animæ. *Sequuntur capitula.* Ego dixi. *Et cetera capitula ſicut ad matutinum & ad veſperas pſ.* Miſerere mei Deus. *Cum* Gloria Patri. *Pſal.* De profundis. *ſine* Gloria. Requiem. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Quæſumus omnipotens Deus ut B. Paulus. Deus qui populo. Clamantes ad te. Omnipotens ſempiterne Deus qui facis. Preces populi tui. Deus qui nos in tantis. *Oremus.* Deus cujus miſericordiæ. Fidelium Deus. Benedicamus Domino.

His expletis, duo juvenes incipiunt letaniam ante altare, & ſtatim ſacerdos & comminiſtri ejus vadunt ad altare, & Domnus Capicerius ſuſpendit reliquias quas depoſuerant ad colla eorum; & redeuntes ſtant ante altare in ordine ſuo. Cum vero præfati duo pronunciant nomen Sancti in cujus honore dedicatus eſt locus, recedit proceſſio, & vadit circa clauſtrum: qua rediens intra Eccleſiam per occidentalem portam.... Dum verò in reditu finitur letania à ſecretario nona pulſatur, quibus finitis, ſtatim cantatur poſt nonam miſſa.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

ORDO XV.

Ex ms. miſſali ad fratrum prædicatorum uſum ante annos 400. exarato.

Feria quarta in capite jejunii dum nona cantatur; præparet ſe ſacerdos hebdomadarius cum miniſtris ſuis ad celebrandam miſſam. Poſt nonam verò ſacerdos & miniſtri altaris ſine aliquo proceſſionis apparatu vadant in ſanctuarium. Poſteà prior cappa exutus, & ſuperpelliceo indutus, accipiens ſtolam à ſacriſta, proſternat ſe ad gradum altaris ſuper aliquem pannum ibidem à ſacriſta præparatum. Similiter ſacerdos hebdomadarius proſternat ſe juxta priorem, & miniſtri altaris juxta ipſos hinc & inde. Et incipiente priore antiphonam. Ne reminiſcaris &c. *ſine cantu proſternant ſe fratres qui ſunt in choro ſuper formas, & dicant ſeptem pſalmos pœnitentiales, ſingulos finientes cum* Gloria. *Antiphona.* Ne reminiſcaris &c. *Poſt hæc dicat Prior.* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Choro idipſum reſpondente. Dicto* Pater noſter. Et ne nos, *Surgat prior, & ſtans ſuper gradum, verſus aquilonem, ſubdiacono tenente coram eo librum, dicat preces.* Salvos fac ſervos tuos. Mitte eis. Eſto eis. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Exaudi preces noſtras. &c.

Præſta quæſumus his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarant peccando, admiſſorum reddantur innoxii veniam conſequendo. Per

Omnipotens Deus qui B. Petro licentiam dedit ligandi atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, ut quantum meæ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante tribunal Domini noſtri JESU CHRISTI ab omnibus peccatis & negligentiis veſtris, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Facta autem abſolutione, ſurgant omnes ab oratione, & ſtent verſis vultibus ad altare uſque ad finem benedictionis cinerum. Subdiaconus teneat coram priore cineres & aſperſorium, qui eos benedicens aſpergit.

Hæc eſt benedictio cinerum.

Omnipotens ſempiterne Deus qui miſereris omnium &c.
Cùm verò poſt reſponſionem reſponderit chorus. Amen. *Statim incipiat*

Digitized by Google

chorus antiphonam. Exaudi nos Domine &c. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt &c. *Et dicantur ceteri verſus tot quot fuerint neceſſarii, & in fine cujuſlibet repetatur antiphona.* Exaudi; *Et in fine omnium dicatur.* Gloria Patri; *Et repetatur antiphona. Deinde antiphona.* Juxta veſtibulum &c.

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Interim dum hæc cantantur, depoſita ſtola, veniat ante gradum, & ſub illo flexis genibus ab hebdomadario miſſæ, priùs ipſe accipiat ſacros cineres, quibus acceptis erigens ſe, & reſumpta ſtola, ſtet ſupra gradum verſus chorum, & ſuper capita ſingulorum mittat cineres benedictos, incipiens à miniſtris altaris, omnibus in terra genua flectentibus eo ordine quo ad communionem accedere ſolent, diacono vas cum cineribus tenente. Prior verò dum imponit cineres dicat: Memento homo quia cinis es,& in cinerem reverteris. *Sacerdos verò ſuper ſingulos aſpergat aquam benedictam.*

Dum autem in choro cineres fratribus imponuntur, exeat ſacerdos aliquis juſſu prioris, & cum quibus juſſerit ad Eccleſiam laicorum ad cineres ibidem convenientibus imponendos. Cumque omnes cinerum impoſitione corruptionis ſuæ memores eſſe ammonuerit, depoſita ſtola & ſuperpelliceo ad locum ſuum revertatur. His peractis, dicat ſacerdos. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Dominus vobiſcum. *Oremus.* Concede nobis Domine &c. *Deinde ſacerdos & miniſtri altaris divertunt in veſtiarium, & reſumpta caſula à ſacerdote, redeunt ad altare. Et tunc primum miſſa incipitur.*

ORDO XVI.

Ex miſſali Mozarabum.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

ANtiphona. Exaudi nos Deus quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in nos, Domine. ℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. *Pſal.* Exaudi nos Deus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri, *totum cum* Gloria & honor Patri. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis. Peccavimus cum patribus noſtris. ℟. Injuſte egimus, iniquitatem fecimus. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum.

Oremus.

Concede nobis, quæſumus Domine, præſidia militiæ &c. *Ut in Romano. Et poſteà ſacerdos benedicat cineres.*

Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum &

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

terram. ℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.* Deus qui non mortem ſed pœnitentiam &c. *Ut in Romano.*

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſereris omnium, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam; qui etiam miſericorditer ſubvenis clamantibus ad aures clementiæ tuæ, bene † dicere & ſanctificare digneris hos cineres, quos ſuper capita noſtra, cauſa ſanctæ religionis & humilitatis pro peccatis noſtris more ninivitarum ferre conſtituiſti: da per invocationem Sancti tui nominis, ut omnes qui eos ad precandam miſericordiam tuam ſuper capita ſua tulerint, mereantur à te, Domine JESU-CHRISTE, omnium delictorum ſuorum veniam percipere, & hodie ſic ſancta inchoare jejunia, ut ad diem reſurrectionis, purificatis mentibus digne mereamur accedere, & in futuro perpetuam & immarceſſibilem accipere gloriam. Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM.

Benedictio.

Benedictio † Dei Patris omnipotentis, & Filii, † & Spiritus † ſancti, deſcendat & maneat ſuper hos cineres. ℟. Amen.

Hic aſpergat aquam benedictam ſuper cineres. Benedictis cineribus incipiat cantor antiphonam. Immutemur habitu &c. *Dicatur tribus vicibus. Deinde dicatur alia antiphona.* Inter veſtibulum ℣. Gloria & honor Patri. ℟. Emendemus &c. ℣. Adjuva nos &c. ℣. Gloria & honor Patri.

Interim dum cantaverint clerici has antiphonas, accipiant clerici & laici cineres de manu Archiepiſcopi vel ſacerdotis, & dicat ſacerdos dum poſuerit antiphonam. Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris. Age pœnitentiam, & prima opera fac.

Hoc facto, eant omnes ad proceſſionem. Finita proceſſione, fiat ſermo: quo finito, incipiant miſſam.

In hàc miſſa dicitur alleluia ad laudem poſt evangelium, ad ſacrificium autem ſeu offertorium unicus verſus.

HOS OMNES RITUALES libros ſigillatim deſcribere libuit, ut vel hinc Eccleſiæ ſuis in ritibus uniformis ratio, vel ſi qua ſucceſſu temporis orta eſt circa ipſos diſcrepantia, facilius dignoſci poſſit. Antequam verò ulterius progrediamur, nonnulla hic breviter obſervare non erit abs re.

Primò. Benedictio cinerum quæ ad altare vulgò fieri ſolet, in quibuſdam Eccleſiis fiebat ſuper menſam ſeparatam, & ad hunc uſum præparatam, in qua Lugdunenſis Eccleſia una cum cineres apponit virgas, congruum pœnitenti inſtrumentum, & puniendis peccatis aptiſſimum.

Secundò. Ex Pontificali Biſuntino cineres benedicebantur [in vaſe teſteo,

teſteo, ut cognoſcat ſe homo terram eſſe, & in cinerem eſſe reverſurum.]

Caput XVII. D. feria quarta in capite jejunii.

Tertiò. Ex ordinario Cuſentino: Nulli capellanorum civitatis, antequam benedicantur cineres in majori Eccleſia & ſermo fiat, celebrare licebit; qua facta, Epiſcopus aſcendat pulpitum, & ſermonem faciat, ſubjungendo generalem confeſſionem & abſolutionem cum benedictione ſolemni.]

Quartò. Cinerum impoſitio olim ſuper ſolos publicè pœnitentes fiebat; ſed poſtmodum etiam ſuper alios, ipſos etiam clericos & ſacerdotes celebrari cœpit. Et quidem Romæ ſæculo XII. nulla jam ſuper pœnitentes fiebat, ut patet ex ordinibus Romanis quos eo tempore ſcripſere Benedictus S. Petri canonicus & Cencius. In Concilio Beneventano anno 1091. extat ea de re Canon IV. hoc modo: [Omnes tam clerici quàm laïci; tam viri quàm mulieres die illo cinerem ſuper capita accipiant.] In quibuſdam verò Eccleſiis duplex cinerum impoſitio peragebatur, una ſuper pœnitentes, altera ſuper alios fideles & clericos, ut in Narbonenſi & in Bajocenſi.

Quintò. Una cum cinerum impoſitione fiebat pleriſque in locis & aquæ luſtralis aſperſio. Ita in Eccleſia Ambianenſi, Narbonenſi, Carnotenſi, Gaſtinenſi, Vertienſi, Pictavienſi, Venetenſi, & aliis.

Sextò. Ex antiquis Miſſalibus Eccleſiæ Arelatenſis aſpergebantur etiam altaria aqua benedicta. Idem præſcribit Gaſtinenſe ordinarium.

Septimò. In Eccleſia Pictavienſi cineres imponebantur ſub hac forma *Pœnitentiam age in cinere & cilicio, & memento quia cinis es & cinis eris, & in cinerem reverteris, in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti amen.* In Tolonienſi: *Homo recognoſce quia cinis es, & in cinerem ibis; pulvis es, & in pulverem reverteris: ideò age pœnitentiam & habebis vitam æternam.* In Autiſſiodorenſi: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

Octavò. In ms. conſuetudinario canonicorum regularium Caſſanenſis monaſterii anno 1387. renovato hæc reperio: [ſecundùm morem antiquitus ſervatum ad recipiendos cineres feria quarta omnes fratres canonici & alii, exceptis presbytero & aliis miniſtris altaris, veniebant diſcalceati, & ſe calceabant quando epiſtola dicebatur. [Quibus concinit miſſale Athanacenſis monaſterii, & antiquum ordinis Præmonſtratenſis ordinarium his verbis: [Hac tamen feria quarta cinerum cum ſexta cantata fuerit, exeant fratres, exceptis miniſtris altaris, & diſcalcient ſe] &c. Romæ etiam non ſolùm cineres diſcalceatus Summus Pontifex, Cardinales, & alii accipiebant; ſed etiam ex Eccleſia S. Anaſtaſiæ ad S. Sabinam, in qua indicta ſtatio erat, nudis pedibus procedebant; uti videre eſt in ordine Romano auctore Benedicto canonico, & in eo quem ſcripſit Cencius: atque ubi eo perveniſſent, mappulariorum & cubiculariorum ſchola aquam calidam ad lavandos Summi Pontificis pedes offerebat. Nunc verò Cardinales ſubſequente famulitio ſuper mulas è Vaticano ad prædictam ſtationem procedunt; cui ſupplicationi cùm per otium & valetudinem licet; Summus Pontifex intereſſe ſolet: cujus rei teſtis fuit Mabillonius ann. 1686. uti ſcribit in itinere Italico p. 154.

Digitized by Google

CAPUT XVII. *De feria quarta in capite jejunii.*

Nonò. Sæculo XII. Nulla Jam Romæ fiebat pœnitentium ex Eccleſia ejectio, quæ tamen adhuc in quibuſdam perſeverat gallicanis Eccleſiis, ut in Cænomanenſi & Rotomagenſi, ubi, ſcilicet [in cathedrali Rotomagenſi Eccleſia in ejectione publicè pœnitentium à diacono haſtili appenſum portatur cilicium,] ut ſcribit Joannes Prevotius in notis ad Joannem Abrincenſem. In Eccleſia Auguſtodunenſi ultimus canonicorum pœnitentium perſonam repræſentans ejicitur de Eccleſia. In urbe vero Halberſtadienſi, ut ſcribit Æneas Silvius in hiſtoria de Europa cap. 31. [Singulis annis unus ex populo deligitur, quem peccatis gravioribus inquinatum putant. Hunc veſte lugubri induunt, & obvoluto capite, prima die jejunii ad templum ducunt, indeque peractis divinis officiis ejiciunt. Is quadraginta diebus nudis pedibus perambulat urbem, & ædes ſacras circuit, neque ingreditur, neque quemquam alloquitur. Invitatus à canonicis per vices, quod apponitur comedit. Somnus ei poſt medium noctis in plateis permittitur, die Jovis Sancto poſt conſecrationem olei rurſus ad templum introducitur, & oratione facta; à peccatis abſolvitur, pecuniaſque ei populus offert, quæ tamen templo dimittuntur. Hunc Adam vocant, & omni crimine liberum putant.]

Decimò. In Eccleſia Laudunenſi pœnitentes infrà miſſarum ſolemnia ad offertorium ejiciebantur: [Dum cantatur offertorium, inquit illius ordinarium, Epiſcopus pœnitentes in Eccleſiam introducit, poſteà redictis ad ſiniſtram partem pulpiti, dat eis cineres, & Archidiaconus cilicium. His peractis, ejicit eoſdem quos introduxerat de Eccleſia, deinde redit ad altare, & divinum peragit officium.] Ejecti pœnitentes ad uſque cænam Domini ab Eccleſiæ ingreſſu prohibebantur. [Sed ſi fiat ſermo, inquit ordinarium Narbonenſe poſſint introire, & audire ſermonem dumtaxat.]

Undecimò. Circa miſſam ipſam ex veteri miſſali Lemovicenſi diaconus ante primam orationem cantabat. *Flectamus genua*, atque interim ſacerdos ſubmiſſa voce dicebat hanc orationem. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Idque per totam quadrageſimam in miſſis de jejunio obtinebat. Et certè ex ordinario Narbonenſi poſtquam diaconus. *Flectamus genua* dixit, parva debet intercipi morula antequam ſubjiciat. *Levate.*

Duodecimò. Ex S. Auguſtini epiſt. 29. novæ editionis n. 2. feria quarta ante quadrageſimam legebatur ex Matthæi cap. 7. evangelium *Nolite dare ſanctum canibus.*

Decimò tertiò. [Finita præfatione miſſæ, inquit ordinarium Silvanectenſe fit proſtratio in choro, & quando dicitur *Per omnia ante pax Domini*, tunc omnes ſurgunt. Et ſic fiet hæc proſtratio per omnes dies privatos quadrageſimæ uſque ad cænam Domini excluſivè, niſi in craſtinum fuerit feſtum 9. lectionum.]

Decimò quartò. Ordo Romanus auctore Benedicto canonico præſcribit, ut [ante communionem ſtet ſubdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: *Craſtina die veniente ſtatio erit in Eccleſia S. Georgii mar-*

tyris ad velum aureum, reſpondet ſchola *Deo gratias*. Et ſic poſteà primicerius cantat communionem.] Additque [Finita miſſa, acolythus debet rollere papyrum, & intingere in oleo candelæ, & diligenter extergere, & portare ad palatium ante Pontificem dicens *Jube domne benedicere*. Pontifex benedicit. Ille verò dicit *Hodie fuit ſtatio ad S. Sabinam quæ ſalutat te*. Pontifex reſpondet *Deo gratias*. Acolythus repræſentat ei papyrum, qui oſculatur eum pro devotione Sanctæ, & dat eum cubiculario. Cubicularius reponit & diligenter obſervat uſque ad mortem Pontificis. Et ſic fit in omnibus ſtationibus. ad mortem facit ex eis pulvillum, & ponit ſub capite ejus in ſepulchro.] Tandem prætermittendum non cenſeo quod legitur in ordinario Narbonenſi: [Licet Pontifex iſta die celebret in pontificalibus, ſcilicet cum veſtimentis nigris & mitra alba; tamen diaconus & ſubdiaconus miniſtrent in albis cum paramento nigro, ſine dalmatica & floqueto, & tantum unus regat chorum, & incipiat officium cum cappa ſerica nigra.]

CAPUT XVIII.

Generales Quadrageſimæ conſuetudines.

Caput XVIII. Generales Quadrag ſimæ. &c.

De jejunio Quadrageſimali.

I. GEnerales Quadrageſimæ conſuetudines eas voco, quæ per totam quadrageſimam obſervari ſolebant: quas inter primarium meritò locum obtinere debet jejunium, quod ex apoſtolica traditione acceptum vulgò docent ſancti Patres ab Eccleſia præceptum: quamvis in præfigendo dierum abſtinentiæ numero non una fuerit ſemper, nec omnium regionum ſeu Eccleſiarum conſuetudo. [Nam qui ſunt Romæ, inquit, Socrates lib. 5. c. 21. tres ſeptimanas ante Paſcha, ſabbato & Dominico exceptis, ſimul jejunant: qui autem in Illyria & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante ſex ſeptimanas jejunia quæ ante Paſcha fiunt ordiuntur, illudque tempus quadrageſimam nuncupant; alii præter horum conſuetudinem ſeptem ſeptimanas ante illud feſtum initium jejunandi facientes, quamvis quindecim ſolùm dies, quibuſdam intervallis interpoſitis, jejunent; nihilominus tamen tempus illud quadrageſimam vocant.] Verùm Socratem, ſi non mendacii, ſaltem oſcitantiæ arguunt Caſſianus, & S. Leo Papa, ipſi ætate æquales, ſed auctoritate longè ſuperiores, qui non ſolùm tres, ſed ſex integras hebdomadas Romæ atque adeò in occidente jejunatum fuiſſe tradunt. Paulò diligentior fuiſſe videtur Sozomenus libro 7. cap. 19. ſic ſcribens: [Jam illam quæ huic præceſſit, quæque appellatur quadrageſima, in qua populus jejunat, alii ſex dierum ſeptimanas computant, ut Illyrii & qui ad occidentem ſiti ſunt, nec non ut univerſa Lybia & Ægyptus cum Palæſtinis: alii ſeptem, ut Conſtantinopolitani & nationes circumjacentes uſque ad Phœnices.] Deinde notans corruptos quorumdam mores addit: [Nonnulli & ſex aut ſeptem illis hebdomadis tres per intervalla jejunant:

CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſimæ, &c.*

Alii tres Paſcha immediatè præcedentes continuant, alii duas tantum ut Montani ſectatores.] Et hæc quidem quorumdam hæreticorum aut ſemi chriſtianorum praxis errandi anſam Socrati præbuit, qui laxiorem eorem jejunandi rationem pro certa atque indubitata Eccleſiæ Romanæ conſuetudine propoſuit: Nec mirùm ſanè videri debet quoſdam primis illis aureiſque ſæculis fideles ab exacta jejunii obſervantia deflexiſſe, cùm eò nos ferat trahatque vitiatæ per peccatum naturæ noſtræ pondus. Tantæ ſanè corruptioni obſtitere, ut par erat, quantum in eis fuit, SS. Patres: gratum Deo non exiſtimantes jejunium tanto vitio infectum: [Audio complures, inquit S. Ambroſius ſeu quivis alius auctor ſermonis 23. novæ editionis, quod gravius eſt, fideles alternis in quadrageſima hebdomadis abſtinere, conſecratum illum dierum numerum gulæ intemperantia violare: hoc eſt prandere ſeptem dierum curriculo, & ſeptem dierum ſpatio jejunare. Quibus hoc dico, cur etiam per ſeptem illos dies fraudem ſibi faciant jejunando, cùm illis jejunium tale non proſit? Quamvis enim abſtineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non ſumat, non tamen illi accepto fertur quadrageſimæ jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat.] Hujuſmodi homines reſpicere videtur S. Joannes Chryſoſtomus in homilia 16. ad populum Antiochenum ubi ait: [Conſuetudinem omnes habent per Quadrageſimam interrogare, quot quiſque ſeptimanas quadrageſimæ jejunavit: & dicentes audire licet; hos quidem quòd duos, hos verò quòd tres, illos verò quòd omnes jejunaverunt ſeptimanas.]

Jejunium 36. dierum.

II. Longè accuratius jejunii quadrageſimalis dies præfixiſſe videtur Joannes Caſſianus, in cujus collatione 21. cap. 24. Abbas Germanus ita interrogat [Quid cauſæ eſt, ut ſex hebdomadibus quadrageſima celebretur, licet in quibuſdam provinciis religionis forſitan propenſior cura adjeciſſe hebdomadam etiam ſeptimam videatur, cùm neuter numerus die Dominico ſabbatoque ſubtracto, quadraginta dierum impleat ſummam: ſex enim & triginta dies in ipſis hebdomadibus tantummodò concluduntur?] Cui quidem interrogationi poſtquam multa repoſuit hæc demum addit c.27. [Porrò quod dicitis diverſo more, id eſt ſex vel ſeptem hebdomadibus per nonnullas provincias quadrageſimam celebrari: una ratio idemque jejuniorum modus diverſa hebdomadarum obſervatione concluditur. Hi enim ſibi ſex hebdomadarium obſervantiam præfixerunt, qui putant die quoque ſabbati jejunandum. Sex ergo in hebdomada jejunia perſolvunt, qui eoſdem ſex & triginta dies ſexies revoluta conſummant.] Ac tandem concludit trigeſimum & ſextum illum dierum numerum, totius anni decimas efficere, quas ſolemni jejunio & offerimus Deo & conſecramus. Caſſiano conſentit Gregorius Magnus qui in hom. 16. in Evangelium ita habet: [A præſenti die uſque ad Paſchalis feſtivitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta & duo fiunt. Ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentia ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm dies ſex & triginta remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta dies annus ducitur, nos autem per

triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus.] Similia habet Sanctus Dorotheus doctrina 15.

Generales Quadrageſimæ. &c.

III. Ex his patet ante S. Gregorii tempora necdum invectos fuiſſe quatuor illos jejunii dies, qui à feria quarta cinerum vulgò nuncupata, incipiunt, ut quadragenarius dierum numerus adimpleatur. Ac proindè corrigendum eſſe Micrologum qui cap. 49. exiſtimat etiam ante S. Gregorium à SS. Patribus adjectos fuiſſe; qua de re meritò dubitavit Amalarius cùm ait: [Occurrit quòd Sanctus Gregorius tantummodò triginta & ſex dies abſtinentiæ nobis inſinuat quadrageſimalis temporis: forſitan quia necdum erant additi quatuor dies à feria quarta uſque ad Dominicam quadrageſimæ.] id quod incunctanter aſſerit Æneas Pariſienſis Epiſcopus in libro adverſus græcos quæſtione 3. [Nam Beatus, inquit, Papa Gregorius quadrageſimale computans tempus à capite ſex hebdomadarum illud dinumerare incipit.] Certè nec ſtatim poſt Sanctum Gregorium additos fuiſſe evincit regula magiſtri cap. 28. præſcribens monachis, ut à [Sexageſima quarta ſexta & ſabbato poſt lucernarium ſemper reficiant; aliis verò diebus uſque ad Quadrageſimam ad nonam reficiant, ut quod Dominicæ quadrageſimæ de quadraginta jejuniis ſubtrahunt, quarta ſexta & ſabbato à ſexageſima jejunia uſque ad veſperam continuata reſtituant.] Ex hoc loco luce clarius conſtat tempore magiſtri qui ſeptimo ſcripſit ſæculo, necdum inſtitutos fuiſſe in Eccleſia quatuor illos jejunii dies, quibus ſupplendis ſex ille ſuppoſuit, tres videlicet in ſexageſima & tres in quinquageſima, nulla facta feriæ quintæ mentione.

Quatuor jejunii dies ante Dominicam primam quadrageſimæ quãdo inceperint.

IV. Quæres ergo quandonam potiſſimum inceperunt dies illi jejunii legem obtinere? Ludovicus Thomaſſinus eruditus è congregatione oratorii presbyter in ſingulari tractatu quem de jejuniis inſcripſit parte 2. cap. 2. exiſtimat necdum tempore Caroli Magni, ſed occaſione Photiani ſchiſmatis & calumniarum quas immeritò latinis intulerunt græci inſtitutos fuiſſe. Verùm huic opinioni refragantur antiqui manuſcripti ſacramentorum codices ante annos nongentos exarati, ac Carolo Magno ſaltem æquales, quales ſunt codex Remenſis, S. Remigii, Gellonenſis, Regius unus & Noviomenſis in quibus publica peccatoribus pœnitentia feria quarta in capite jejunii indicitur. Idem videre eſt in regula Grodogangi Metenſis Epiſcopi qui circa medium ſæculum octavum florebat, & in Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi libello pœnitentiali etiàm antea ſcripto. Et ſane ſi ita recens fuiſſet illa quatuor jejunii dierum invectio, Amalarius qui Ludovico pio inſcripſit libros de divinis officiis ac conſequenter ante ſchiſma Photianum, illius non meminiſſet, nec planè dubitare potuiſſet an Gregorium Magnum auctorem habuiſſet, uti modo videbamus.

V. Hæc tamen additio non ſtatim per omnes occidentalis Eccleſiæ regiones recepta eſt, ſiquidem Ratramnus Corbeienſis monachus in lib. 4. contra oppoſita Græcorum c. 4. teſtatur nonnullos, licet perpaucos, ſuo adhuc tempore exiſtere in occidente, [qui non quadraginta dies ante

paſcha jejunando compleant.] Eam ſub finem ſæculi undecimi necdum admiſerant Scoti, ut diſcimus ex Theodorico monacho in vita S. Margaritæ Reginæ, qua potiſſimum agente illam receperunt. Sed neque eam adhuc recepit Eccleſia Mediolanenſis, quæ etiam hodiè Quadrageſimam à Dominica ſexta ante Paſcha incipit triginta ſex dumtaxat diebus jejunare contenta, approbante, S. Carolo in Concilio I. Provinciali, qui non parum in quinta Dioceſana Synodo laboravit, ut abſtinentia quæ ante ipſum feria ſolum ſecunda cuſtodiri ſolebat, à Dominica præcedenti initium duceret. Tempore tamen S. Ambroſii Eccleſia Mediolanenſis quadrageſimam non à ſexta ſed à ſeptima ante paſchatis feſtum Dominica obſervare ſolebat, quippe ex illis erat, quæ præter Dominicos dies etiam ſabbato jejunium ſubtrahebat, ut conſtat ex S. Ambroſii libro de Elia & jejunio cap. 10. [Conſidera, inquit, quadrageſimæ totis præter ſabbatum & Dominicam jejunatur diebus. Hoc jejunium Domini Paſcha concludit.] Idem dicendum eſt de Eccleſia Gallicana. Nam S. Aurelianus in regula ſabbatum & Dominicam diem à jejunio eximit. Et Fauſtinus ſeu Fauſtus Regienſis Epiſcopus in ſermone habito Dominica ante Quadrageſimam, cujus fragmentum refert Æneas Pariſienſis Epiſcopus in libro adverſus græcos, quinque tantum per hebdomadam jejunii dies admittit, invehens in eos qui [veriti ſunt credo, inquit, ne quinque jejuniis prolongatis caro eos corpuſque deficeret, & exiles ac tenues quadrageſimæ abſtinentiam tolerare non poſſent.] Verum Concilium Aurelianenſe IV. can. II. vetuit [ne per ſabbata abſque infirmitate quiſquam ſolvat quadrageſimæ jejunium, niſi tantùm die Dominico prandeat.]

Caput XVIII. Generales Quadrageſimæ. &c.

Jejunium ſabbato & Dominica ſolvebat Eccleſia Mediolanenſis uti & Gallicana.

VI. Ante Gregorii II. Papæ tempora feria 5. non ſolùm per annum, ſed per totam quadrageſimam à jejunio vacabat, auctore, ut aiunt, Melchiade, qui ut ſcribit liber Pontificalis, [conſtituit ne ulla ratione die Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies pagani quaſi ſacrum jejunium celebrant.] Unde etiam in quibuſdam antiquioribus ſacramentorum libris feriam quintam proprio officio deſtitutam videre licet, [ut quia feſtiva erat velut Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur,] inquit Walfridus in libro de rebus Eccleſiaſticis capite 20. at mirum ſanè videri debet hoc Melchiadis decretum Caſſiano & Gregorio Magno ignotum fuiſſe, qui ut ſupra vidimus ex ſex ſeptimanis ſolas demunt Dominicas, triginta & ſex jejunii dies incunctanter numerantes. Nec refert quòd in quibuſdam ſacramentarii Gregoriani codicibus feria 5. proprio vacet officio, cum purus & ſincerus ad nos non pervenerit ille liber, ſed multis interpolationibus adauctus. Sed & regulâ magiſtri cap. 28. ex cujus præſcripto monachi omni tempore. [In ſeptimana duobus diebus ad ſextam reficere debent, hoc eſt quinta feria & Dominica; ab hac lege quadrageſimale tempus eximit, in quo ſolis Dominicis diebus jejunium ſubtrahit: tametſi huic inſtitutioni anſam & occaſionem præbere potuerit, ut quod illo tempore jejunii regularis pro monachis ſtatuerit, hoc ſibi

Feria 5. olim à jejunio libera.

in Eccleſiaſticis jejuniis indulgendum putaverint reliqui fideles laïci. Sed quiſquis tandem hujus inſtitutionis auctor extiterit, abuſum illum tandem ſuſtulit Gregorius II. quippè qui [quadrageſimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit] ut loquitur liber Pontificalis.

Caput XVIII. Generales Quadrageſimæ, &c.

VII. Porrò qui jejunium feriæ 5. non admittebant, hi ut legitimum dierum abſtinentiæ numerum adimplerent, hoc eſt quadraginta aut ſaltem triginta ſex diebus jejunarent; à quinquageſima vel ſexageſima jejunium incipiebant. Nam qui triginta ſex tantùm diebus abſtinebant, jejunium à quinquageſima auſpicabantur; qui verò quadraginta, jejunii faciebant initium à ſexageſima: tandem qui cum Dominica & feria quinta etiam ſabbato prandebant, à ſeptuageſima jejunare incipiebant: atque hinc fortè ſeptuageſimæ nomen; quod ante illam inſtitutionem penitùs fuerat inauditum. Ita ferè ratiocinatur Ratramnus Corbeienſis monachus in libro 4. contra græcorum oppoſita cap. 4. ubi fusè hac de re diſputat, cui adjicere poſſumus auctorem ſermonis 15. in appendice ad tomum 2. novæ editionis S. Ambroſii, in quo hæc lego: [Sexageſima ideò celebratur in qua ſunt octo hebdomadæ, ideſt dies quinquaginta ſex: ſi ſubtraxeris octo dies Dominicos & octo quintas ferias quadraginta dies ſolummodò remanent jejunii. Septuageſima verò, à qua uſque in Paſcha ſunt novem ſeptimanæ, ideſt ſexaginta tres dies, ideò ab aliquibus celebratur, quia ſi ſubtraxeris novem dies Dominicos propter Domini reſurrectionem, & novem quintas ferias propter Dominicam cœnam, & totidem ſabbata ne videamur ſabbatizare cum Judæis non ampliùs quàm triginta ſex dies remanent ad jejunandum.]

VIII. Græci ab initio ſeptem hebdomadas jejunio conſecrarunt, octavam deindè addiderunt, quam carnis privii appellare ſolent, eò quòd à ſolis carnibus in ea abſtineant, permiſſo caſei & lacticiniorum uſu per totam deinceps quadrageſimam inhibito. Hujus additionis auctorem Heraclium Imperatorem facit græcorum Triodium, in quo hæc leguntur hebdomadam apocreon [Quidam referunt Imperatorem Heraclium, cùm priùs carnes in ea concederentur, abſtinentiæ diebus aggregaſſe, & ſolius caſei in ea deguſtandi licentiam feciſſe. Continuis quippè ſex annis cùm Choſroe demicans, Deo vovit, ut ſi adverſus eum prævaleret, licentiam carnes in hac hebdomada comedendi mutaret, eamque mediam inter jejunium & delicioſas epulas conſtitueret. [Ex quibus maniſtè apparet quàm immeritò latinis olim objecerint quòd non octo ſicut illi ſeptimanis ante Paſcha jejunarent, cum ex nulla niſi humana traditione octavam illam jejunii hebdomadam acceperint, quam hodierni etiam græci mirè deturpant, conceſſa licentia carnes per totam præviam hebdomadam, nequidem excepta quarta nec ſexta feria, comedendi. Sed horum calumnias egregiè confutarunt Æneas Pariſienſis Epiſcopus & Ratramnus Corbeienſis monachus, quorum libellos quilibet conſulere poteſt.

Græcorum quadrageſima quando inciperet.

IX. His de jejunii quadrageſimalis dierum numero ea qua potuimus

Jejunium quadrageſimale

quale olim fuerit.

CAPUT XVIII. *Generalis Quadrageſimæ. &c.*

brevitate pro noſtro modulo dictis, jam quale eſſet illud jejunium, aut in quo potiſſimum conſiſteret inquirendum. Sanè ſi antiquiorum aut religioſorum patrum ſcripta percurramus, in tribus præſertim ſitum fuiſſe reperiemus: in abſtinentia ſcil. à carnibus, in abſtinentia à vino, & in unica ad veſperam refectione. Tria hæc clarè & perſpicuè indicat S. Baſilius in oratione 1. de jejunio: [Verum, inquit, jejunium eſt ab omnibus vitiis eſſe alienum: Carnes non edis, & comedis fratrem tuum: A vino abſtines, ſed ab injuriis non temperas: expectas veſperam ut cibum capias: ſed diem totum abſumis apud tribunalia.] De duobus etiam primis capitibus S. Cyrillus Jeroſolimitanus in cathecheſi 4. ita habet: [Jejunamus enim, & à vino carnibuſque nos abſtinemus, non ea quaſi piacula abhorrentes, ſed mercedem expectantes.] Utramque etiam abſtinentiam commendat S. Auguſtinus pluribus in locis, ſed maximè in ſermone 205. novæ editionis qui eſt 1. in quadrageſima ubi ſic diſcurrit: [Nemo ſub abſtinentiæ ſpecie, mutare affectet potius, quàm reſecare delicias, ut pretioſos cibos quærat, quia carne non veſcitur; & inuſitatos liquores, quia vinum non bibit.] Et ſermone 207. [Videas etiam quoſdam pro uſitato vino inuſitatos liquores exquirere, & aliorum expreſſione pomorum, quod ex uva ſibi denegant, multo ſuavius compenſare: cibos extra carnes multiplici varietate ac jucunditate conquirere, & ſuavitate quas alio tempore conſectari pudet, huic tempori quaſi opportunè colligere: ut videlicet obſervatio quadrageſimæ non ſit veterum concupiſcentiarum repreſſio; ſed novarum deliciarum occaſio.] His ſimilia habet in ſermone 210. ubi etiam explicat quales eſſent illi pretioſi cibi, quales inuſitati liquores carnibus & vino ſuffecti, in quos tanto invehitur zelo, nimirum [copioſi pretioſique fructuum diverſorum apparatus, expreſſioneſque pomorum.] Ex quibus patet tempore S. Auguſtini præter fructus & legumina, nullos in quadrageſima admiſſos fuiſſe cibos apud religioſiores chriſtianos, quibus pro magnis habebatur deliciis, adhibere in potu pomorum expreſſiones: His utinam noſtra ætate eſſent contenti, qui ſeveriorem quadrageſimæ obſervantiam tenere profitentur. Sed ô tempora! ô mores! longè tamen aliam abſtinentiæ quadrageſimalis notionem efformat Socrates in lib. 5. cap. 22. ubi hæc habet: [Alii omninò ab omni animantium genere abſtinent; Alii inter animantia piſces ſolos comedunt: alii cum piſcibus volucres etiam manducant, eaſque ex aqua, ut eſt apud Moïſen, naſci aſſerunt. Alii ab omni arborum fructu & ovis abſtinent. Quidam ſolo veſcuntur pane: alii ne hoc quidem utuntur. Nonnulli uſque ad horam nonam jejunantes, quovis poſt hæc ciborum genere utuntur abſque diſcrimine.] Verùm hic loci probos improboſque chriſtianos uno contextu complexus eſt: adduci enim non poſſum ut credam piè ſanctèque inſtitutos avibus, immò quovis ciborum genere abſque ullo diſcrimine uſos fuiſſe, idque ad nonam. Maximè cùm orientales, apud quos ille agebat, latinos in abſtinentia & vitæ auſteritate longè ſuperaverint; nec jejunium illo ævo reputaretur quod ante veſperam ſolveretur. Non ibo

tamen

Digitized by Google

tamen inficias ſubſecutis ſæculis antiquum hunc abſtinentiæ rigorem temperatum fuiſſe. Nam & Sanctus Cedda in Anglia Epiſcopus, teſte Beda in hiſtoriæ lib. 3. c. 23. quadrageſimæ [diebus cunctis excepta Dominica, jejunium ad veſperam juxta morem protelans nec tunc niſi panis permodicum & unum ovum gallinaceum cum parvo lacte aqua mixto percipiebat.] Ubi vides ovorum & lacticiniorum uſum ſæculo VII. quo ille florebat à ſanctiſſimis præſulibus abſque ullo ſcrupulo in quadrageſima adhibitum fuiſſe: unde mirum planè videri non debet, ſi Sæculo IX. quibuſdam Germaniæ Galliarumve populis idem conceſſum legamus: tametſi apud pleroſque antiquus abſtinentiæ vigor ſaltem aliqua ex parte adhuc perſeveraret. Audiendus hac de re Æneas Pariſienſis Epiſcopus in libro adverſus Græcos capitulo 184. [Inſuper & pars Italiæ cui hoc ex animo complacet, tribus diebus in hebdomada per totam quadrageſimam à cibis igne decoctis abſtinet, tantummodò diverſis fructibus arborum & generibus herbarum, quibus Italia opulenter abundat in cibo utens abſtinentiæ perficit votum.] Hæc ſanè à primæva Eccleſiæ diſciplina haudquaquam abhorrent, ſed tantùm quod addit: [Germania etiam à lactis & butyri ac caſei & ovorum eſu per totam quadrageſimam non abſtinet, excepto quem ſpontanea attrahit voluntas.] Verùm hæc infirmitati humanæ indulgenda fuere, ut diſertis verbis inſinuat Theodulphus Aurelianenſis in ſuo Capitulari n. 40. [Abſtinentia, inquit, in his diebus omnium deliciarum eſſe debet, & ſobriè & caſtè vivendum: qui verò ovis & caſeo piſcibus & vino abſtinere poteſt; magnæ virtutis eſt: qui autem his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere abſtinere non poteſt, utatur: tantum, ut jejunium uſque ad veſperam ſolemniter celebret.] Et hæc infirmiorum ſaltem erat abſtinentia: cæterùm non deerant qui naſcentis Eccleſiæ fervorem æmulantes, antiquam abſtinentiæ rationem & retinerent & ſuperarent. Audi Ratramnum eruditum monaſterii Corbeienſis monachum ad oppoſita Græcorum libro 4. cap. 4. reſpondentem: [Niſi fortè putandum quòd Græci ſint in hoc præponendi, quod hebdomada ſeptima nec ova, nec caſeum comedant, quando quidem longè præcelluntur ab iis, qui coctum aliquid per totam quadrageſimam non comedunt, nec non ab eis qui ſolo pane veſcuntur, appareant etiam multum inferiores illis, qui nec hoc, ſed herbarum tantummodò eſu reficiuntur. Nec quoque penitùs eis conferendi, qui per totam quadrageſimam vix ſemel aut bis in hebdomada cibum corpori largiuntur.] O utinam plures, utinam vel paucos his ſimiles noſtra tempora ferrent. Ceterùm tametſi ovorum & lacticiniorum uſum infirmis conceſſum olim fuiſſe viderimus, hæc tamen indulgentia ſubſecutis ſæculis penitùs ſublata eſt. Certè memini me legiſſe in archivis inſignis Eccleſiæ Turonenſis Summi Pontificis litteras ab annis tantùm circiter ducentis datas, quibus in quadrageſima facultas utendi butiro canonicis datur: adeò ut mirari ſubeat quanta religione abſtinentia à lacticiniis tum obſervaretur, quæ ſine Summi Pontificis diſpenſatione temerè violari non poſſet. His

CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſimæ &c.*

Ovorum & lacticiniorum uſus in quadrageſima.

concinit Stephani Poncherii Pariſienſis Epiſcopi ſtatutum anni 1503. [Hortor & moneo vos quadrageſimam congruè jejunare, & veluti cenſuerunt ſacri canones, à carnibus, lacte, caſeo, butiro & ovis abſtinere.]

CAPUT XVIII. *Generales &c. Quadrag. ſima. &c.*

Abſtinentia à gaudiis.

X. Verùm non una erat in quadrageſima ciborum abſtinentia: ſed cùm tempus illud pœnitentiæ præſertim ſit conſecratum, omnibus inſuper gaudiis nuncium remittendum erat: [Tempore quadrageſimæ, inquiunt canones Arabici Concilii Nicæni, nulla celebranda ſunt aut agenda gaudia, neque ſponſalia, neque nuptiæ, neque pontificum aut ſacerdotum promotiones, neque electiones, neque conſecrationes: neque augurandi ſunt Reges, neque coronandi, neque baptiſmata celebranda: quia dies jejunii ſunt, dies luctus & mœſtitiæ, quibus preces & ſupplicationes diu noctuque Deo porrigendæ ſunt.] Ubi quod prohibent ſponſalia & nuptias celebrari, concinit antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ, quæ conjugatis in quadrageſima amplexum carnalem non permittebat, ut in variis canonibus & pœnitentiarum libellis videre licet.

A conjugibus.

Hinc S. Auguſt. ſermone 205. qui primus eſt in quadrageſima: [Per alios, inquit, dies adulteria, fornicationes, omneſque illicitas corruptelas nolite contingere: per hos etiam à conjugibus abſtinete. . . . Tempus quod reddendo conjugali debito occupabatur, ſupplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus affectibus ſolvebatur, puris precibus proſternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur.] Simili ferè modo loquitur ſermone 206. & 207. ſermone verò 208. [Quicumque etiam eſtis conjugibus alligati, nunc maximè apoſtolica monita nolite contemnere, ut invicem abſtineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim aliis diebus utiliter fit, nimis verecundum eſt, ſi modo non fiat. Arbitror oneroſum non eſſe debere, anniverſaria obſervatione ſolemnibus diebus hoc facere conjugatos, quod viduæ ex quadam vitæ parte profeſſæ ſunt, quod tota vita ſua ſanctæ virgines ſuſceperunt.] Quæ quidem iiſdem penè verbis repetit in fine ſermonis 209. & ſermone 210. qui ſextus eſt in quadrageſima: [Nunc tempus eſt quo & conjugati ab uxoribus, & nuptæ à viris ſuis abſtineant, ut orationibus vacent: quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant, & quantò crebriùs, tantò utique melius.] Eodem tendebat S. Cæſarius in ſermone 142. appendicis novæ editionis S. Auguſtini, ubi ſic loquitur: [Licet credam, quod Deo inſpirante, ſemper ſupervenientibus feſtivitatibus caſtitatem ante plures dies etiam cum propriis uxoribus cuſtodiat caritas veſtra: tamen, licet ex ſuperfluo, etiam quod vos facere credo, caritatis contemplatione commoneo, ut per totam quadrageſimam uſque ad finem Paſchæ caſtitatem, Deo auxiliante, ſervantes, in illa ſacro-ſancta ſolemnitate Paſchali... ad altare Domini accedentes corpus & ſanguinem ejus non ad judicium, ſed ad remedium poſſitis accipere.] Eandem legem tulit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in ſuo capitulari n. 43. his verbis: [Abſtinendum eſt etiam in his ſacratiſſimis diebus à conjugibus, & caſtè pièque

vivendum.] Et Nicolaus Papa I. In reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 48. [Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadrageſimali tempore convenire poſſe nullatenus arbitramur.] Ceterùm quanta cum diſtrictione leges iſtæ obſervarentur, diſces ex his quæ ſcribit Ekkohardus junior in libro de caſibus S. Galli cap. 2. de parentibus Iſonis ejuſdem cœnobii monachi, qui cum per totam quadrageſimam abſtinuiſſent ſabbato Sancto tentatione victi, conjuncti ſunt.

CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſimæ, &c.*

Abſtinentia à vehiculis & venatione.

XI. Præterea à vehiculis etiam abſtinendum eſſe in quadrageſima docet libellus Pirminii Abbatis, qui circa medium Sæculum octavum ſanctitate florebat: Venationem etiam chriſtianis vetitam fuiſſe non obſcurè docere videtur auctor ſermonis 146. in appendice S. Auguſtini, qui Cæſarium ſapere exiſtimatur. Quique eos non verè jejunare opinatur, qui eo tempore venationem exercent: [An putatis, inquit, illum jejunare, qui primo diliculo ad Eccleſiam non vigilat, non beatorum martyrum loca ſancta perquirit, ſed ſurgens congregat ſervulos, diſponit retia, canes producit, ſaltus ſilvaſque perluſtrat; ſervulos, inquam, ſecum pertrahit, fortaſſis magis ad Eccleſiam venire cupientes, & voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens reum ſe futurum tam de ſuo delicto, quàm de perditione ſervorum? Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum efferens, nunc ſilentium latenter indicens; lætus ſi quid repererit; iratus, ſi id quod non habebat amiſerit: & tanto ſtudio gerit, quaſi indictum fuerit jejunium, ut venetur. In his ergo luxuriis, fratres, dicite quis cultus ſit Dei, quæ mentis poſſit eſſe devotio: qui propterea jejunat, non ut Deo aut orationibus vacet; ſed ut tota die otioſus & liber proprias exerceat voluptates? Quamvis igitur, qui hujuſmodi es, frater, veſpere ad domum redeas, quamvis declinante jam ſole manduces; potes videri tardius refeciſſe, non tamen Domino jejunaſſe.] Prolixum hunc locum, cui ſuffragatur Nicolaus Papa I. in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 44. tamquam egregium antiquæ diſciplinæ monumentum integrum referre libuit, ut vel inde appareat quàm longè à puritate vitæ majorum diſſideant mores noſtri ſæculi, ubi videmus, nec rarò, chriſtianos omni voluptatum generi ſine ulla religione indulgentes.

A litibus.

XII. Sed neque his contenti erant antiqui, qui lites & contentiones in quadrageſima exerceri non permittebant, uti videre eſt apud S. Auguſtinum pluribus in locis, ſed præſertim in ſermone 205. & in ſermone 143. & 144. in appendice ejuſdem atque in reſponſis Nicolai Papæ I. ad conſulta Bulgarorum cap. 45. Quibus unum addo Theodulphum Aurelianenſem in ſuo capitulari num. 42. ſic loquentem: [In his jejuniorum diebus, nullæ lites, nullæ contentiones eſſe debent; ſed in Dei laudibus & in opere neceſſariò perſiſtendum.]

A bello.

XIII. Quin & hoc tempore arma deponi volebant atque ab omni bello ceſſari: unde in actis exauctorationis Ludovici Pii Imperatoris cap. 3. inter alia redarguitur, [quòd contra chriſtianam religionem & contra votum ſuum, ſine ulla utilitate publica, aut certa neceſſitate,

pravorum conſilio deluſus, in diebus quadrageſimæ expeditionem fieri juſſit.] & Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi ad annum 923. conqueritur; quod [Regnum Lotharienſe ob perſecutionem Giſleberti & Otthonis rapinis & incendiis etiam tempore quadrageſimæ vaſtaretur.] vide ſi lubet ea quæ hac de re ſcribit Nicolaus Papa I. in reſponſis ad conſulta Burgarorum cap. 46.

A lavacris.

XIV. Ceterum ex dictis ſatis conſtat, quàm potiſſimum ob cauſam tantam à chriſtianis etiam laicis abſtinentiam exigeret Eccleſia: nam & præterea quæ ſuprà commemoravimus, etiam lavacra in quadrageſima vetita erant, uti videre eſt in ſermone 144. appendicis S. Auguſtini. Nimirùm ut ab omni rerum terrenarum impedimento prorsùs liberi Deo diviniſque laudibus impenſiùs vacarent, Eccleſiaſticis officiis diù noctúque intereſſe poſſent, piis lectionibus, ſacramentorum frequentationi, aliiſque hujuſmodi chriſtianæ religionis officiis toti ſe darent. Audi quid à chriſtianis laïcis exigeret S. Ambroſius ſeu quivis alius auctor ſermonis 25. in nova editione: [Moneo etiam, ut qui juxta Eccleſiam eſt & occurrere poteſt, quotidiè audiat miſſam: & qui poteſt omni nocte ad matutinum officium veniat. Qui verò longè ab Eccleſia manent, omni Dominica ſtudeant ad matutinum venire: ideſt viri, & feminæ, & juvenes & ſenes, præter infirmos; unus tamen aut duo remaneant qui domum cuſtodiant. Nullus omninò uxori ſuæ jungatur ante octavam Paſchæ; & exceptis illis quibus ſacerdos conſilium dat ut non communicent, omnes chriſtiani omni Dominica debent offerre & communicare. In quadrageſima verò moneo ut omni die, aut ſaltem, ut dixi, omni Dominica offeratis & communicetis; & idcircò puram & mundam vitam ducite, ut digni ſitis accedere ad ſanctam communionem.] Communionem etiam die Dominica commendat Theodulphus in capitulari n. 41. [Sciendum quoque eſt, quòd in ſingulis diebus Dominicis in quadrageſima præter eos qui excommunicati ſunt, ſacramenta corporis ac ſanguinis Chriſti ab omnibus ſumenda ſunt.] Quæ totidem verbis etiam reperiuntur in quibuſdam miſſ. codicibus apud Amalarium ſub finem libri tertii de divinis officiis. Atque eam in Hiſpania viguiſſe conſuetudinem non obſcurè colligitur ex miſſali Mozarabum, in quo ſingulis per quadrageſimam Dominicis in miſſa legitur aliqua antiphona ante communionem *ad accedendum* inſcripta, ſcilicet ad communionem ſacram, uti ſequenti capite videbimus.

Communio frequens in quadrageſima.

XV. A miſſis verò quadrageſimalibus abeſſe etiam privatis diebus apud noſtrates Sæculo VIII. religioni ducebatur plebeis quibuſve laicis qui certè nec temerè hoc pietatis opus negligebant, tametſi aliundè manuum labore proprium ſibi victum quærere tenerentur: Id quod probat liber 2. de miraculis S. Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi cap. 35. Sed neque nocturnas in Eccleſia vigilias agere prætermittebant. [Si infirmitas non prohibet, inquit, S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ſermone 141. in appendice novæ editionis operum S. Auguſtini, quotidiè jejunate, & ad vigilias alacri & ferventi devotione conſurgite.] Et præcedenti

Sermone : [Rogo vos, fratres cariſſimi, ad vigilias maturiùs ſurgite, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam ante omnia convenite. Nullus ſe à ſancto opere ſubtrahat, niſi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut forté certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum.] Et ne quid pietatis opus à fidelibus prætermitteretur, addit : [Nec ſolùm vobis ſufficiat, quod in Eccleſia lectiones divinas auditis, ſed etiam in domibus veſtris aut ipſi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite.] Et iterùm ſermone ſequenti : [Lectiones divinas in Eccleſia ſicut conſuetis libenter audite, & in domibus veſtris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, ut ante refectionem ſcripturæ divinæ non poſſit inſiſtere, non eum pigeat in conviviolo ſuo aliquid de divinis ſcripturis relegere, ut quomodo caro paſcitur cibo, ſic anima reficiatur Dei verbo.] His addere poſſemus ſacras conciones quas à piis quibuſve chriſtianis frequentatas fuiſſe haudquaquam ambigimus. Nam quotidiana exigebat catechumenorum in Paſchate baptizandorum inſtructio, id quod de naſcente in Angliæ regno Eccleſia teſtatur Beda lib. 1. hiſt. c. 20. [Aderant etiam quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia ſacerdotum, in tantùm ut quotidianis prædicationibus, inſtituti certatim populi ad gratiam baptiſmatis convolarent.]

CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſima, &c.*

XVI. Porrò ſi tantam ab omni populo chriſtiano, ſi tantam à laïcis, plebeiſque hominibus perfectionem poſtulabat Eccleſia : quantam planè à clericis viriſque ſingulari profeſſione Deo dicatis, quos longè majori diſtrictione devinctos fuiſſe non dubitamus ? Sanè præclara ſunt ea quæ de S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano refert Gerardus in ejus vita cap. 4. Adeò ut ea, licet prolixa, prætermittere mihi religio foret : [Tempus verò quadrageſimæ, inquit, quanta devotione celebraret ſermo mihi non ſufficit ad narrandum ; ſed tamen ea quæ vidimus, non decet nobis in totum omittere. Matutinis namque laudibus expletis, aurora diei prima illuceſcente, aliis orationibus expletis, pſallere pſalterium cæpit : quo expleto, & letania expleta, aliis orationibus firmiter inſiſtebat, uſque dum ſignum ad vigilias defunctorum ſonaret : quo audito, ſtatim ſurrexit, & cum fratribus vigiliam celebravit & primam. Prima verò expleta, fratribus ſolito more crucem portantibus, ipſe remaneus in Eccleſia, codiculum breviatum ex pſalmis cum aliis orationibus interim decantavit, uſque dum fratres cum cruce redirent, & miſſam ſacrificationis celebrare cæpiſſent : ipſe primum devotè Deo ſacrificium offerens manum ſacerdotis humiliter oſculans. Expleta verò miſſa, tertiam cum fratribus explevit : fratribus verò ad capitulum pergentibus, ipſe ſolito more in Eccleſia remanſit, donec ſignum ad ſextam ſonaret. Sexta autem hora expleta, altaria circuibat cum venia cantans *Miſerere mei Deus*, & *De profundis*. Tunc demùm ad cubiculum rediit ad lavandum faciem ſuam, & ad miſſam ſe præparandum. Miſſarum autem celebrationibus expletis, & veſperis decantatis ad hoſpitiolum pauperum pervenit, & 12. pauperum pedes lavit, & unicuique eorum de aceolo pretium unius denarii donavit. Inde rediens ad menſam pranſurus

CAPUT XVIII. Generales Quadrageſima. &c.

conſedit: ibi lectio non defuit, nec prædictorum pauperum multitudo copioſa. Cibo verò conſumpto, & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore completorium recitavit; inſuper aliis orationibus peractis, ſecreta cubiculi cum ſilentio repetivit, & omne colloquium niſi cum Deo & ſanctis ejus uſque ad alterius diei primam peractam, omninò devitavit. Hoc modo dies quadrageſimæ explevit.]

XVII. Ex hac S. Udalrici praxi prolixoque hoc loco ſex præſertim obſervare licet, quæ omnibus paſſim clericis olim erant communia. 1. Quotidianum ſervitutis penſum productâ admodum pſalmodiâ precibuſque extraordinariis adauctum. 2. Proceſſiones non infrequentes ad varias diverſaſque Eccleſias. 3. Duplex quotidiè oblatum miſſæ ſacrificium. 4. Pauperum mandatum & eleemoſynas. 5. Refectionem in communi peractam. 6. Lectiones inſolitas: quæ quidem omnia hic breviter perſtringere oportet.

Pſalmodia addita.

XVIII. Pſalmos ad quotidianum divinæ ſervitutis officium ſuperaditos fuiſſe teſtatur Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis in epiſtola 79. ad Hildegarium S. Hilarii Pictavienſis Eccleſiæ decanum: [De vario numero pſalmorum qui adjiciuntur à quibuſdam in tempore jejunii per ſingulas horas canonicas in fine poſt orationem Dominicam & capitula quæ ſequuntur, regulam non invenio: pſalmi quidem meo arbitratu ſuperflui eſſent, niſi eos tutaret pſalmiſtarum devotio. Finitis autem capitulis, poſt orationem Dominicam, ubi dicitur *Domine exaudi orationem meam*, ſtatim ſubdenda eſſet oratio quæ ex libro Sacramentario recitatur.] Ubi obiter obſervare licet nonnullos ex hoc loco non ſatis rectè inferre collectarum uſum in Eccleſia Pictavienſi necdum invaluiſſe tempore Fulberti: cum id non dicat Fulbertus, ſed orationem ſeu collectam quæ poſt ſuperadditos pſalmos, ex libro ſacramentorum, qualem nos vidimus ante Fulberti ætatem ſcriptum, *recitatur*, ſtatim poſt orationem Dominicam & ſubjecta capitula ſubjungendam fuiſſe, ſi pſalmi illi non eſſent ſuperadditi. Hi autem pſalmi pro familiaribus ſeu benefactoribus & amicis cantabantur, unde & *Pſalmi familiares* dicti. Hos præter pſalmos & officium defunctorum quod in Eccleſia Ambroſiana, in Cuſentina, Cabilonenſi, Lingonenſi, &c. Quotidiè recitabatur; cui Remenſis Eccleſia, uti & Silvanectenſis, aliæque officium parvum de Beata Maria quotidiè ſubjungebant; in ordinario Lingonenſi, in Namnetenſi & Vectenſi in omnibus quadrageſimæ feriis ſeptem pœnitentiales pſalmi recitandi notantur. Inſuper in quibuſdam Eccleſiis quotidiè vinginti quinque pſalmi poſt primam cantabantur, ita ut ſingulis quibuſque hebdomadis integrum pſalterium perſolveretur. Ita præſcribunt antiquum Eccleſiæ Catalaunenſis breviarium, ordinarium Remenſe, Silvanectenſe, Cenomanenſe, Carnotenſe S. Joannis &c. [In hac die, inquit, ordinarium Silvanectenſe, ſcilicet feria 2. poſt Dominicam primam quadrageſimæ, poſt primam incipietur pſalterium, & dicentur 25. pſalmi, & poſtea letania: quibus finitis, dicetur *Pretioſa in conſpectu Domini*, & ſimiliter aliis diebus quadrageſimæ, niſi feſtum

Digitized by Google

9. lectionum intervenerit : In feſto enim 9. lectionum non dicentur ipſi 25. pſalmi, ſed in die præcedente feſtum vel ſubſequente dicentur quinquaginta pſalmi cum letania : quando id competentius fieri poſſe videbitur.] Paulò aliter hunc ritum deſcribit breviarium Catalaunenſe : [In quadrageſima poſt primam incipitur pſalterium, & inde dicuntur qualibet die viginti quinque pſalmi, & ſic finitur pſalterium qualibet hebdomada. Quando pſalterium incipitur, tunc tantùm dicit ſacerdos *Deus in adjutorium.* Antiphona : *Intret oratio.* Aliis verò diebus dicto *Gloria Patri.* Poſt omnes pſalmos, dicitur antiphona. *Intret oratio mea. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter*, & dicuntur preces quæ continentur poſt breviſſimam letaniam proximè ſubſequentem.] In Eccleſia Cabilonenſi quotidiè poſt matutinas laudes dicebantur ſeptem pſalmi pœnitentiales, & poſt officium defunctorum pſalmi quinque, poſt primam pſalmi triginta incipientes à pſalmo *Ad Dominum cum tribularer* uſque ad finem pſalterii. In Remenſi quotidiè pſalmis vinginti quinque ſtatim poſt primam recitandis, adduntur quindecim pſalmi proſtrati poſt tertiam pro defunctis. In mſ. Eccleſiæ Argentinæ conſuetudinibus hi pro benefactoribus pſalmi poſt primam dicendi aſſignantur. *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam. Deus in nomine tuo. Miſerere mei Deus, miſerere mei. Deus miſereatur. Deus in adjutorium. Inclina Domine. Domine Deus ſalutis. Gloria Patri.* Cum *alleluia* vel *Laus tibi Domine.* Preces *Diſperſit dedit pauperibus. Salvum fac populum tuum. Exclamaverunt ad Dominum. Requiem æternam. Dominus vobiſcum.* Oratio. Retributor *Omnium bonorum Deus.* Præterea ſingulis feriis 2. 4. & 6. Pſalmi *Beati immaculati.* uſque ad *Ad Dominum cum tribularer* feriis 3. 5. & ſabbato pſalmi pœnitentiales cum his precibus *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Exurge quare obdormis. Quare faciem tuam. Exurge Chriſte, adjuva nos. Deus noſter refugium. Da nobis auxilium. Memor eſto congregationis. Eſto nobis Domine. Dominus vobiſcum.* Oratio. *Succurre, quæſumus omnipotens Deus. Deus qui juſtè iraſceris.* Sequitur. *Pretioſa in conſpectu.* Oratio. *S. Maria. Deus in adjutorium* ter *Gloria Patri. Kyrie* ter. *Pater noſter. Salvos fac ſervos.* Præterea poſt tertiam pro benefactoribus pſalmi *Ad Dominum cum tribularer* Cum ceteris uſque ad *Laudate nomen Domini.* Cum his precibus *Diſperſit dedit pauperibus. Salvum fac populum tuum, Exclamaverunt ad Dominum. Requiem æternam.* Oratio. *Retributor bonorum omnium.* Verùm in Eccleſia Ambianenſi olim non ſolùm ſingulis quadrageſimæ hebdomadis;ſed ſingulis per annum diebus integrum in conventu pſalterium perſolvebatur. [Verum propter onus ſervitii, exiſtente decano felicis recordationis magiſtro Joanne de Abbatis-villa, poſtmodum Archiepiſcopo Veſuntino, & demum Epiſcopo Sabinenſi, unicuique canonicorum tam ſimplicium, quàm eorum qui ſunt in dignitatibus conſtituti, eſt ſua pſalterii portio aſſignata ab ipſo omni die dicenda; incipiente quidem præpoſito, finiente decano, & eſt diviſum pſalterium in quadraginta unam particulas in hunc modum. Præpoſitus. *Beatus vir.*

Quare fremuerunt. Domine quid multiplicati ſunt. Cum invocarem. Sanctus Accolus. Verba mea. Domine ne in furore] *&c.* Ita ad annum 1220. ordinatum legitur in vetuſto ejus Ecelefiæ Micrologio anno 1180. exarato. Denique ut ea quæ ad quotidianum officium in quadrageſima ſuperaddita ſunt abſolvam, in breviario Ambroſiano juſſu S. Caroli anno 1588. edito hæc lego : [Quotidiè in quadrageſima præterquam in ſabbato & diebus Dominicis poſt tertiam & nonam leguntur in choro duæ lectiones, una de Geneſi cum ſuo reſponſorio, altera de proverbiis. Deinde poſt tertiam cantatis his lectionibus, orationem ſubjungit hebdomadarius de triduo litaniarum.] Neque etiam prætereundus eſt uſus Eccleſiæ Ambianenſis, ubi per totam quadrageſimam, feſtis 9. lectionum exceptis, fit horarum initio, hoc eſt poſt verſum. *Deus in adjutorium* omnes clerici in ſacris conſtituti ſtalla, in minoribus verò terram deoſculantur : qui quidem uſus viget etiam in inſigni Eccleſia Pariſienſi, & præſcribitur in ordinario Rotomagenſi, Carnotenſi S. Joannis & in Gaſtinenſi.

Generales Quadrageſimæ. &c.

Proceſſiones.

XIX. De proceſſionibus in quadrageſima faciendis inſignem habemus locum in Concilio Bracarenſi III. in cujus canone IX. ſic ſcriptum reperio : [In quadrageſimæ principio convenientes in unum vicinæ Eccleſiæ per triduum cum pſalmis per Sanctorum baſilicas ambulantes celebrent litanias.] Verùm non ſolùm initio per triduum, ſed per totam quadrageſimam non infrequentes proceſſiones agunt inſigniores Eccleſiæ. Nam præter eam quæ ſingulis Dominicis diebus fieri ſolet, unam ſingulis ſextis feriis præſcribunt Rituale Sueſſionenſe, & ordinarium Cabilonenſe ; duas ordinarium Rotomagenſe, Turonenſe Sancti Gatiani, Rituale item Turonenſe, Sancti Martini, ordinarium Cenomanenſe ; feriis ſcilicet 4. & 6. ad quas accedere videntur litaniæ quæ iiſdem diebus agendæ præſcribuntur in breviario Ambroſiano. Lemovicenſe verò S. Martialis ordinarium tres ſingulis ſeptimanis aſſignat proceſſiones. Supplicationes etiam per clauſtri ſui circuitum agere ſolebant olim monachi feriis 4. & 6. Sed nudis eas pedibus in pœnitentiæ luctu abſolvebant. Circa proceſſiones haſce quadrageſimales dignus obſervatione venit uſus quarumdam Eccleſiarum, in quibus non crux, ſed ejus loco ſacratiſſimus evangeliorum textus, Chriſti Domini perſonam repræſentans, defertur à ſubdiacono. Ita Viennenſis in Gallia, Cabilonenſis, Sueſſionenſis, Cenomanenſis, Turonenſis S. Martini, Carnotenſis S. Joannis, & Gaſtinenſis ex earum ordinariis ſive Ritualibus.

De miſſis quadrageſimalibus.

XX. Miſſas ſolemnes non ſolùm duas, ſed etiam tres dicebant Eccleſiæ nonnullæ : Tres cantabat Cabilonenſis, unam de defunctis poſt tertiam, alteram pro familiaribus poſt ſextam, & tertiam majorem poſt nonam. Tres etiam, maximè diebus feſtis, cantabat Eccleſia Narbonenſis, primam de feſto in majori altari, ſecundam de jejunio in altari S. Catharinæ, tertiam conventualem in majori. Circa has etiam miſſas nonulla occurrunt obſervanda: 1. in miſſis de jejunio colore nigro utebatur

utebatur Arelatenſis Eccleſia cum nonnullis aliis. 2. In Narbonenſi & Toloſana ſingulis diebus unus cantabatur verſus ex tractu *Domine non ſecundùm peccata noſtra* ſcilicet feria 2. primus, feria 3. ſecundus & feria 4. tertius & ſic aliis diebus. In Rotomagenſi tractus *de neceſſitatibus* omnibus feriis 4. cantabatur. In Dominicis verò tractus diverſi erant à noſtris hodiernis 3. de præfationibus his in miſſis dicendis ita diſcurrit Guillelmus Durandus in libro 6. Rationalis cap. 28. [Ab hac quoque quarta feria uſque ad Dominicam Palmarum, dicitur omni die præfatio de jejunio; etiam Dominicis diebus apud quoſdam. In illa verò Dominica & ſequentibus diebus dicitur præfatio de paſſione. Sed videtur eſſe incongruum, quòd in Dominicis diebus cantetur præfatio de jejunio, cum in illis non jejunetur: & ideò quidam dicunt in illis quotidianam præfationem : ſed licet non jejunetur numero, jejunatur tamen qualitate, id eſt in cibo quadrageſimali, ſicut in aliis diebus. In quibuſdam tamen Eccleſiis incipiunt dicere præfationem de Paſſione in Dominica de Paſſione; & in quibuſdam dicunt præfationem de jejunio uſque ad quartam feriam ante Paſcha.] Ultimum hunc uſum ſequuntur antiquum ordinarium Eccleſiæ Remenſis, miſſale Pariſienſe, ordinarium & miſſale Narbonenſe, miſſale Catalaunenſe, ordinarium Laudunenſe, uti & Silvanectenſe, miſſale Pictavenſe, ordinarium Lemovicenſe, Lingonenſe, Vertenſe, miſſale Lugdunenſe Athanacenſis monaſterii, ordinarium Carnotenſe S. Joannis & Gaſtinenſe. Sed præfationem de jejunio in Dominica Palmarum deponunt ordinarium Argentinum, miſſale antiquum Eccleſiæ Albicenſis, Arelatenſis & Tholonienſis. In Dominica Paſſionis Rotomagenſe ordinarium. Exceptis tamen Dominicis in quibus non jejunatur: Eamdem ob cauſam hymnos quadrageſimales in veſperis Dominicis diebus non cantat Eccleſia Mediolanenſis. In quibuſdam etiam communis præfatio in feſtis 9. lectionum dicebatur. 4. Finita præfatione proſtrationem in choro donec pax ſit danda præſcribit ordinarium Silvanectenſe, idque per totam quadrageſimam ad uſque cœnam Domini, niſi ſubſequatur feſtum novem lectionem. 5. Dictis ad complendum orationibus, diaconus ad populum converſus dicit *Humiliate capita veſtra Deo*, cujus quidem ritus hanc rationem reddit Durandus lib. 6. cap. 28. [Olim omnes communicabant, & communicaturos diaconus ad flectendum genua invitabat: nunc verò quia multi ſuſcipiunt Corpus Domini indignè, pro communione utimur oratione, diacono ſicut priùs ſuo fungente officio, & dicente *Humiliate capita veſtra Deo*. Eamdem rationem affert Micrologus cap. 51. 6. Subſequitur oratio ſuper populum, quæ quidem ex ordinario Vticenſe debet dici [capite inclinato aliquantulum, & voce aliquantulum demiſſa.] 7. Ex ordinario inſignis Eccleſiæ Turonenſis & ex Rotomagenſi S. Laudi poſt miſſam [veſperæ incipiuntur à ſacerdote, antequam recedat de altari.] De hoc ritu hæc lego in ordinario Argentino [In fine miſſæ *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*. Quo dicto, antiquus ſacerdos incipiat ad veſperas *Deus in adjutorium*.

CAPUT XVIII. *Generales Quadrageſima. &c.*

Digitized by Google

Poſteà benedicat populum. Benedictione data, ſacerdos cum miniſtris [deſcendat ad capellam S. Andreæ, & ibi in altari legat veſperas. Interim cantentur veſperæ in choro.] Ad quas quidem veſperas ante prandium dictas, cujuſcumque ſint, numquam thurificatur, inquit idem Turonenſe ordinarium. 8. Eccleſia Mediolanenſis per totam quadrageſimam nullam habet miſſam pro feria ſexta, nec ea die celebrat: idque omninò prohibuit S. Carolus in tertia Synodo diœceſana decreto 20. etiam funeris ſeu exequiarum ſive alterius cujuſve rei occaſione. Et in Synodo XI. hujus antiquæ conſuetudinis hanc reddit rationem, quod illa dies plena mœroris ſit ob acerbiſſimam Chriſti paſſionem: ſacrificium verò ſpiritualem populi lætitiam præ ſe ferat. Tum ſtatuit, ut illis diebus crux in altari adoranda ſolemni ritu exponatur, & concio de paſſione Domini habeatur. Præterea ad veſperas poſt Reſponſorium ſingulis ſextis feriis canuntur quatuor lectiones cum ſuis pſalmellis & orationibus; neque dicitur canticum *Magnificat*, etiam in veſperis defunctorum, uti ſtatuit Breviarium ab ipſo editum. 9. Græci per totam quadrageſimam, exceptis ſabbatis & Dominicis ac ſancto annunciationis feſto, à ſacrificio abſtinent: miſſam præſanctificatorum celebrare contenti: qua in re Laodicenæ inhærent Synodo, cujus canon 49. ita habet: [non convenit in quadrageſima panem offerre, niſi fortè ſolis ſabbati & Dominicæ diebus:] Quibus concinit Concilium in Trullo celebratum canone 52. [In omnibus ſanctæ quadrageſimæ diebus, præterquam ſabbato, & Dominica, & ſancto annunciationis die, fiat ſacra præſanctificatorum miſſa.] Qualis verò eſſet ordo miſſæ præſanctificatorum ita explicat Nicetas Pretoratus: [Sabbato & Dominica die ſecus tertiam diei horam, in qua Spiritus ſanctus deſcendit ſuper diſcipulos, immolantes, in ipſis ſanctificamus munera, in quibus ſufficientia pro tota hebdomada conſecramus. In aliis autem diebus hebdomadis juxta tempus horæ nonæ diei, concludentem omnem diei miniſtrationem, in conſummationem Lucernarii, agimus nos ſacerdotes cum diaconibus ingreſſum, thuribulum ſolùm ferentes. Et poſt lectiones prophetarum conſtitutas à magno Baſilio orationes facientes, & munera transferentes è propoſitionis menſa, oramus cum ipſis. Inſuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præſanctificatum panem, & damus præſanctificata Sancta ſanctis: & uniti communione panis & calicis myſteriorum Chriſti, gratias agentes Deo remittimus eos atque dimittimus.] Et hæc fuit ab initio Græcorum praxis, quam hactenùs integram intemeratamque conſervant, non quòd ſacrificio jejunium violetur, ut exiſtimarunt ſchiſmaticorum nonnulli, ſed quod ſacrificii lætitiam cum jejunii luctu & triſtitia ſatis cohærere poſſe non crederent: quæ cauſa etiam fuit, ut à celebrandis Sanctorum Martyrum feſtis abſtinerent; teſtante Laodicena Synodo canone LI quia [non decet quadrageſimæ ſpatio natalitia celebrare: Sed Sanctorum Martyrum memoriam ſabbatis & Dominicis agere neceſſe eſt.] Tametſi uſus ille non ſingularis extiterit orientali Eccleſiæ: Nam

Miſſa præſanctificatorum.

Sanctorum ſolemnitates in quadrageſima nullæ.

& in veteri Calendario Eccleſiæ Cartaginenſis ante annos 1200.confecto, nulla reperiuntur feſta eo in intervallo, in quod ſolet quadrageſimæ tempus accidere; Sed & Ratramnus Corbeienſis monachus in libro 4. contra Græcorum oppoſita cap. 4. teſtatur quod [cantica ſolemnia videlicet alleluia, ſeu martyrum ſolemnitates novem ante Paſcha ſeptimanis occidentalis Eccleſia nequaquam ſolemni ritu frequentat.] Immò ſæculo adhuc XII. Eccleſia Lugdunenſis uti & Mediolanenſis nullam tempore paſſionis celebrabat ſolemnitatem, ſed commemorationem dumtaxat faciebat, ut docet Joannes Belethus cap. 84. quod de tota quadrageſima intelligendum eſſe docent hæc verba Radulphi Tungrenſis in libro de obſervantia canonum cap. 16. [in officio Ambroſiano nullum feſtum in quadrageſima ſervatur.]

Generales Quadrageſima &c.

XXI. Venio ad mandatum pauperum quod præſcribitur in ordinario Remenſi, in Cabilonenſi, & in Carnotenſi S. Joannis; quodque ab ipſis etiam Epiſcopis non neglectum reperitur. Siquidem Goffridus Autiſſiodorenſis Eccleſiæ Pontifex [diebus ſingulis per omnes quadrageſimas pauperibus tredecim lavare pedes manibus propriis & jejunus miniſtrare conſueverat,] ut legitur in hiſt. Epiſcoporum Antiſſiodorenſium, c. 51.

De mandato pauperum.

XXII. De vita communi canonicorum per totam quadrageſimam inſigne habemus teſtimonium in charta Hugonis Epiſcopi Antiſſiodorenſis Spicilegii tom. 13. qua certas illis concedit decimas, [ea quidem conditione, ut per ſingulos annos tota quadrageſima in refectorio communiter comedant.] In ordinario quoque B. Mariæ Remenſis ad feriam ſecundam poſt Dominicam 1. quadrageſimæ hæc lego: [facta in refectorio benedictione more ſolito, & poſitis ſuper principalem menſam decem ſcutellis conveniunt fratres ante eamdem menſam cantantes pſalmum *Levavi oculos meos*, & *Pater noſter*, & preces cum collecta pro anima Oldarici præpoſiti, qui dedit reditus ad emendos cultellos.]

Vita communis canonicorum.

XXIII. Denique ut de lectionibus extraordinariis aliquid dicamus, in pleriſque Eccleſiis ante completorium ex aliquo libro aliquid publicè legebatur, & quidem in Bellovacenſi ex ambone. In Laudunenſi fiebat hæc lectio ex Evangelio, in Rotomagenſi, Remenſi, Cabilonenſi, Cuſana ex libris Dialogorum S. Gregorii Papæ. Quonam verò ritu hæc perageretur ita deſcribit ordinarium Cabilonenſe; [Dum ſonatur collatio, dicitur officium matutinale pro defunctis uſque ad laudes, & tandiù ſonat quoad uſque decantetur; & poſt legitur in capitulo ab aliquo de ſuperſtallum in libro Dialogorum uſque ad feſtum S. Gregorii. Lectionem exponit Decanus vel alia magna perſona; poſteà affertur potus à tribus ſervitoribus in ſuperpelliceis, quorum unus erit lector.] Deinde quod non prætereundum eſt paulò poſt addit: Poſt completorium [clericus hebdomadarius affert aquam benedictam, & ſacerdos qui cantavit completorium dat eam clericis ante pulpitum, & laicis, ſi qui fuerint, ad oſtium chori per totam quadrageſimam, exceptis Dominicis & feſtis.] Idem à decano faciendum præſcribit ordinarium Rotomagenſe. Porrò lectionem ante completorium, non ſolùm in qua-

Lectio ante completorium.

Digitized by Google

dragesima, ſed à prima die Octobris ad Paſcha uſque faciebat Ecclesia

CAPUT XVIII. Laudunenſis.

Generales Quadrageſimæ. &c.

XXIV. Hæc ſunt præcipua quæ generales quadrageſimæ conſuetudines ſpectant: quibus addere potuiſſem id quod de ſingularitate veſtium per quadrageſimam canonicorum Niſnenſium in Germania ſcribit Hieronymus Emſer in præfatione ad vitam S. Bennonis; quod de ratione epiſcopo reddenda à presbyteris hoc tempore de ordine miniſterii ſui, ſive de baptiſmo, ſive de fide catholica, ſive de precibus & ordine miſſarum præſcribunt Capitulare Carlomanni principis anni 742. n. 3. & Capitulare Caroli Magni anni 769. n. 8. denique id quod ſtatuunt conſuetudines canonicorum Caſſanenſium de ſilentio ſervando omnibus Dominicis diebus quadrageſimæ. At prætermittere non poſſum ſolemnes abſolutiones quæ adhuc tribus per hebdomadam diebus fieri ſolent in quibuſdam Eccleſiis, ut in Turonenſi & Cenomanenſi. Has ex antiquo Miſſali inſignis Eccleſiæ Pictavenſis ante annos 300. ſcripto hîc ſubjicere operæ pretium viſum eſt.

NOTANDUM *quod per totam quadrageſimam uſque ad cœnam Domini in miſſa poſt offertorium feria 2. 4. & 6. dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales, & in fine ſequitur antiphona:* Ne reminiſcaris, Domine. *Deinde ſequitur letania, & dicitur tota per ordinem ſicut in vigilia Paſchæ, non tamen cantando, ſed legendo & dum perventum fuerit ad finem ſequitur.* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Sed libera. Et veniat ſuper nos miſericordia tua Domine. Et ſalutare tuum. Memor eſto congregationis. Quam poſſediſti. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Eſto mihi, Domine, turris fortitudinis. Domine exaudi.

Oremus.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere &c. Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte &c. Deus à quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera &c. *Item ſequitur verbis gallicis.*

Bonnes gens, ferez-vous coulpes, & vous rendez confeſ & repantans à Dieu, à la Benoiſte Vierge MARIE, & à tous les Saints & Saintes de Paradis, & criez à Dieu merci qu'il vous veüillet pardonner tous les pechez & toutes les fautes que vous avez fait puis la journée que vous naquittes juſqu'aujourdhui, & dites trois fois. Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

Deinde ſequitur oratio.

Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab his famulis tuis clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, eorumque re-

Digitized by Google

mitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparati, tibi Domino ſemper valeant adhærere. Per

Alia oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris; & me, qui etiam primus miſericordia tua indigeo, clementer exaudi; ut quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ, conſtituiſti hujus operis miniſtrum. Da fiduciam tui muneris exſequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ pietatis eſt operare. Per

Sequitur benedictio.

Benedicat vos Deus Pater qui in principio cuncta creavit. Amen.

Benedicat vos Dei Filius, qui de ſupernis ſedibus pro vobis Salvator deſcendit. Amen Benedicat vos Spiritus Sanctus, qui in ſimilitudinem columbæ in Jordanis flumine requievit in Chriſto. Ipſe vos in Trinitate ſanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium. Qui cum Patre.

Dominus noſter Jesus-Christus qui dixit diſcipulis ſuis quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit; ipſe vos abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis veſtris, quæcumque cogitatione, locutione, operatione, negligenter egiſtis, atque à nexibus peccatorum abſolutos perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Patre.

Item ſequitur.

Abſolvimus vos, Fratres, vice S. Petri Apoſtolorum principis, cui à Deo collata eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi: cujus etiam & nos licet indigni vice fungimur, in quantum veſtra expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ſecundùm quod vobis, ut diximus, à Domino in S. Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus veſtris: ſitque vobis omnipotens Redemptor veſter vita & ſalus, & omnium peccatorum veſtrorum indultor. Qui cum Patre.

Per interceſſionem Beatæ & Glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam.

Abſolutio.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens & miſericors Dominus. Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

Caput XVIII. Generales Quadrageſimæ, &c.

In vetuſto Rituali ad uſum Eccleſiæ Cenomanenſis anno 1499. edito abſolutiones illæ quadrageſimales ita deſcribuntur.

Absolutiones Quadragesimales.

Populo congregato, genibus flexis, & crinibus diſcoopertis, presbytero ſimiliter ambo genua flectente, dicantur cum maxima devotione ſeptem pſalmi pœnitentiales ſub antiphona ſequente, videlicet vivo ego. *Pſal.* Domine ne in furore. Beati quorum. Domine ne in furore. Miſerere mei Deus. Domine exaudi orationem. De profundis. Domine exaudi. *Ant.* Vivo ego &c. *Sequitur letania* Kyrie eleiſon. &c.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo *& ut ſuprà.*

Exaudi, Domine, ſupplicum preces & confitentium &c. *ut ſuprà.*

Præveniat hos famulos tuos, & has famulas tuas, quæſumus Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtis, nec ſit ab his famulis &c. *ut ſuprà.*

Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris: reſpice, quæſumus, hos famulos tuos, & has famulas tuas, qui & quæ ſe tibi graviter peccaſſe confitentur. Tuum eſt enim abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus: qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quàm mortem: Concede ergo, Domine, his, ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis conferri à te tibi ſempiterna gaudia gratulentur. Per

Dominus Jesus-Christus, qui dixit diſcipulis ſuis: quæcumque ligaveritis &c. *ut ſuprà.*

Poſteà dicat ſacerdos populo, ut unuſquiſque dicat Confiteor. *Quo facto, dicat* Amen. Fratres, Miſereatur veſtri &c. *Deinde faciat crucem ſuper populum dicendo* Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, pius, & miſericors Dominus. Amen. *Injungatur ut quilibet dicat ter* Pater noſter *&* Ave Maria, *Ante exitum miſſæ in remiſſionem peccatorum.*

Huic absolutioni aliquo modo reſpondere poteſt id quod præſcribit miſſale Mozarabum, ut ſcilicet ſingulis quibuſque feriis 4. & 6. quadrageſimæ *Antequam ſacerdos faciat ablutionem manuum, proſternat ſe ad pedes altaris, flexis genibus, & dicat has preces in hunc modum.* Pœnitentes orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum, ut remiſſionem peccatorum & pacem nobis donare dignetur. ℣. Erigite vos in nomine Chriſti; completa oratione veſtra ſimul dicite. Amen. ℟. Amen. State in locis veſtris ad miſſam. *Sequitur ſacrificium ſeu antiphona noſtro reſpondens*

offertorio cum Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum Amen. *Et in fine* Kyrie eleiſon *tribus vicibus.*

Hic ritus qui in gratiam pœnitentium inſtitutus eſt in memoriam revocat uſum antiquum Eccleſiæ Laudunenſis, qui præſcribitur in ejus ordinario his verbis: [Singulis diebus ab hac die (Cinerum) uſque ad cœnam Domini clericulus qui deſeruit miniſterio, alba indutus advehit collectaneum ad dicendum orationem in veſperis pro pœnitentibus, antiphona] *Vivo ego.* ℣. *Convertere, Domine, uſquequo.* Oratio. Exaudi Domine ſupplicum.

CAPUT XIX.

In quo ſingulares quadrageſimæ ritus inveſtigantur.

I. SIngulares quadrageſimæ ritus eos voco, qui certis tantùm quibuſdam diebus ſunt ſpecialiter attributi, quos hoc capite breviter exponere aggredimur. Atque ut à Dominica prima incipiamus unde quadrageſima exordium habet. Nam veteres quadrageſimam ipſam à jejunio quod feria 4. cinerum incipit diſtinguebant. Hinc in quibuſdam antiquioribus ſacramentariis ab annis circiter 800. Et ultra ſcriptis intitulatur *Dominica initium quadrageſimæ*, quam inſcriptionem confirmat vulgatus Alcuinus his verbis: Quadrageſima *incipit à ſequenti Dominica poſt quinquageſimam*: Cui concinunt Joannes Belethus cap. 93. & Guillelmus Durandus lib. 6. cap. 32.

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrag. ſimæ &c.*

Initium quadrageſimæ à Dominica prima.

II. Hæc una ex præcipuis quadrageſimæ Dominicis ſemper habita eſt; Sed apud Græcos cum longè majori ſolemnitate celebrari ſolita: quippè qui in ea recolant [Orthodoxiam, ſive reſtitutionem venerabilium & ſacrarum imaginum factam ab imperatore Michaële & Theodora matre ejus, beata imperatrice, & S. Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano,] ut docet nos Philothæus item Patriarcha C. P. in in homilia habita Dominica 1. quadrageſimæ. Atque eo die ſolemnem inſtituere proceſſionem cum crucibus & imaginibus in præfatæ Orthodoxiæ reſtitutæ memoriam. Scribit etiam Allatius in libro 3. de conſenſu orientalis occidentaliſque Eccleſiæ cap. 17. n. 16. eos hæreticos omnes hac Dominica excommunicare: [eo etenim die, inquit, legunt Synodicon in quo hæreſes & hæretici ferè omnes anathematizantur, catholici laudantur.]

Apud Græcos quàm ſolemnis.

III. Tametſi in Romana Eccleſia aliiſve quæ illius ordinem receperunt ſolemnis fuerit ſemper hæc prima quadrageſimæ Dominica, atque una ex privilegiatis ut aiunt, habita, in quibus nulla de quocumque ſancto celebrari poſſit feſtivitas; vix tamen ſingulares aliquos ritus habet: niſi quod in Lugdunenſi ordinario hac die ad nocturnas vigilias canticum *Te Deum laudamus* aſſignatum reperio: in Pontificali Saliſburgenſi ad primam poſt pſalmum *Beati immaculati* annotatur pſalmus

Singularia apud latinos in Dominica prima quadrageſimæ.

Caput XIX. *In quo ſingulares Quadragſimæ &c.*

Qui habitat in adjutorio, qui in miſſa pro tractu decantari ſolet; cujus tamen tres tantùm primos verſiculos habet miſſale Arelatenſis Eccleſiæ. Singulare eſt quod in ordinario Rotomagenſi præſcribitur in proceſſione ante tertiam agendum, ut ſcilicet inchoato in ſtatione reſponſorio [Cum ſederit, quidam ſacerdos canonicus indutus amictu, alba, cum ſtola alba, tenens crucem ante pectus ſuum ad ſimilitudinem Domini ad judicium venientis, cantet in pulpito. ℣. *Venite benedicti*; *chorus reſpondeat & ibunt. Et tunc intret proceſſio cantando reſiduum & poſt fiat* ſermo ad populum.] Optima ſanè inſtitutio, quæ dum tremendum Dei judicium ad memoriam revocat, fideles populos ad ſinceram & ex animo agendam pœnitentiam admonet, provocat, & cogit. Solemnis etiam omninò proceſſio in Turonenſi S. Martini antiphonario notatur, in qua hebdomadarius cum tribus diaconis totidemque ſubdiaconis infulis rubris reveſtitus incedebat, cantore medio inter ſuccentorem & ſupletorem in alba parato, & cappa ſerica, chirothecis, baculum aureum manu geſtante, qui in reditu proceſſionis ad januam chori ante ſtallum Patriarchale miſſæ introitu impoſito, ad reveſtiarium cum ſuccentoribus veſtes exuturus recedebat. In eodem antiphonario, uti & in ms. Rituali ejuſdem Eccleſiæ hæc etiam reperio: [Antequam dicatur completorium, vadunt omnes in capitulum & ibi recipiunt refectionem, videlicet oblatas per manum oblatarii capituli de ſuo proprio, & vinum album de meliori & pigmentum ex parte theſaurarii de ſuo proprio; & ibi ſervire debent ſervientes theſaurarii cum cyphis & vaſis ſuis. Et habent matricularii magnum urceolum plenum de eodem pigmento. Expleta verò ſufficienti refectione, ſurgunt omnes & vadunt ad completorium cantandum; quo expleto, oblatarius debet vocare pueros ſecundæ ſtationis, & mittere per omnes domos canonicorum Eccleſiæ oblatas in parvis mappis: theſaurarius verò per ſuos famulos per ſingulas domos eorumdem canonicorum de pigmento.]

Preces dicendæ in miſſa Ambroſiana.

IV. In miſſali Ambroſiano hoc ſingulare occurrit, quod in miſſa ante collectam *Diaconus ſi tamen in officio diaconatus ſerviat, alioquin ipſemet ſacerdos dicit ſequentes preces, choro aut miniſtro ad ſingulos verſus reſpondente* Domine miſerere, *& in fine prætereà ter* Kyrie eleiſon.

℣. Divinæ pacis & indulgentiæ munere ſupplicantes ex toto corde & ex tota mente precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro Eccleſia tua ſancta catholica, quæ hîc per univerſum orbem diffuſa eſt precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro Papa noſtro N. & Pontifice noſtro N. & omni clero eorum, omnibuſque ſacerdotibus, ac miniſtris precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Rege, Duce noſtro, & omni exercitu eorum precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro pace Eccleſiarum, vocatione gentium, & quiete populorum precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro civitate hac, & converſatione ejus, omnibuſque habitantibus in ea precamur te. ℟. Domine miſerere.

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſimæ, &c.*

℣. Pro aëris temperie, ac fructu, & fœcunditate terrarum precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, & pœnitentibus precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis conſtitutis precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro his qui diverſis infirmitatibus detinentur, quique ſpiritibus vexantur immundis, precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Pro his qui in ſancta tua Eccleſia fructus miſericordiæ largiuntur precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprecatione noſtra, precamur te. ℟. Domine miſerere.

℣. Dicamus omnes. ℟. Domine miſerere.

Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.

Sequitur oratio ſuper populum & cetera ut moris eſt.

V. In miſſali verò Mozarabum miſſa Dominicæ primæ ita incipit ecce nunc tempus acceptabile, alleluia. Ecce nunc dies ſalutis, alleluia. ℣. Dominus regnavit decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe. *Deinde præcentor repetit* Ecce nunc dies ſalutis. *Tum dicitur* Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum, amen. *Poſt* Gloria in excelſis *Et orationem ſequitur lectio Iſaiæ.* Hæc dicit Dominus, audite audientes me & comedite bonum &c. *Deinde dicat presbyter* Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum. *Tractus* Daniel. Propheta. Tunc illi tres quaſi ex uno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum in fornace dicentes.

Missa Mozarabum.

Hic incipiat ſacerdos Benedictus [a]

Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, & admirabilis, & ſuperexaltatus in ſæcula. Amen. ℣. Et benedictum nomen majeſtatis tuæ illud ſanctum. P̄ Et ſuper. ℣. Benedictus es qui vides abyſſos, ſedes ſuper Cherubin, & laudabilis. P̄ Et ſuper. ℣. Benedictus es in ſolidamento cæli & laudabilis & glorioſus in ſæcula. Amen. P̄ Et ſuper. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum. Benedicite angeli Dei Dominum: Benedicite ſtellæ cæli Dominum. P̄ Hymnum dicite & ſuperexaltate eum in ſæcula. Amen. ℣. Benedicite filii hominum Dominum: Benedicite ſacerdotes Dei Dominum: Benedicite ſancti & humiles corde Dominum. P̄ Hymnum dicite. ℣. Benedicite Anania, Azaria & Miſaël Dominum, hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſæcula. Amen. ℣. Quia liberavit nos ab inferis, & de manu flammæ, & è medio ignis eduxit nos.

Dicat presbyter Confitemini.

℣. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Pſallenda.

a *Hunc hymnum in pulpito decantari jubet Concilium Toletanum IV. can. XIV. communione privans eos qui illum certis diebus decantare neglexerint.*

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſima &c.*

Ne memor fueris Deus iniquitatum noſtrarum : citò apprehendat nos miſericordia tua, Domine. ℣. Quoniam pauperes facti ſumus valdè: adjuva nos Deus ſalutaris noſter. ℟ citò apprehendent.

Hic ſacerdos debet præparare calicem cum vino & aqua & hoſtiam in patena poſita ſuper calicem, & accipiat illud, & proſternat ſe ad pedes altaris, flexis genibus, & dicat has preces.

Indulgentiam poſtulamus. Chriſte exaudi, placare, & miſerere. ℣. Jeſu unigenite Dei Patris Filius, qui es immenſæ bonitatis Dominus. ℟ Placare ℣. Cuncti te gemitibus exorantes poſcimus, cunctique ſimul deprecantes quæſumus. ℟ Placare. ℣. Tua jam clementia mala noſtra ſuperet, tuo jam ſereno vultu in nos reſpice. ℟ Placare. ℣. Remove propitius tuam iracundiam : da peccatis finem : da laboris requiem. ℟ Placare. ℣. Tranquillitatem temporum, rerum abundantiam, pacis quietem & ſalutis copiam. ℟ Placare. ℣. Illius pontificis porrige præſidium atque univerſo ſupplicante populo. ℟ Placare. ℣. Remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus indulge clemens mala quæ commiſimus. ℟ Placare.

Hic dicit ſacerdos ſubmiſſa voce.

Exaudi orationem noſtram, Domine, gemituſque noſtros auribus percipe : nos enim iniquitates noſtras agnoſcimus, & delicta noſtra coram te pandimus, tibi Deus peccavimus, tibique confitentes veniam expoſcimus : & quia receſſimus à mandatis tuis, & legi tuæ minimè paruimus, convertere Domine ſuper ſervos tuos, quos redemiſti ſanguine tuo : indulge quæſumus nobis, & peccatis noſtris veniam tribue, tuæque pietatis miſericordiam in nobis largire dignare. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic elevet ſe ſacerdos & dicat : Silentium facite. Sequentia epiſtolæ Pauli ad Corinthios &c. *Ut moris eſt. Deinde poſt benedictionem hæc ſequuntur.*

Ad confractionem dicat chorus. Qui venit ad me non eſuriet, qui credit in me non ſitiet unquam. ℣. Ego ſum lux mundi, & qui ſequitur me non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. ℟ Qui venit ad me. ℣. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. ℟ Qui venit. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟ Qui bibit & credit in me non morietur in æternum.

Hoc in miſſali nullæ habentur miſſæ per totam quadrageſimam pro feriis, niſi pro quartis & ſextis.

Cortinæ ſuſpenſio imaginum velatio.

VI. [Poſt completorium ipſius Dominicæ, inquit, Lucas Cuſentinus Archiepiſcopus in ſuo ordinario, ſacriſtæ cooperiant omnes cruces & cortinas ſuſpendant inter chorum & altaria, vel ubicumque per Eccleſiam ſuſpendi ſolent ; quæ cortinæ retrahantur in ſabbatis & feſtis 9. lectionum ante veſperas, & ſic maneant uſque poſt completorium ſequentis diei. In miſſa tamen feriæ quæ diebus feſtis poſt nonam dicitur,

CAPUT XIX.

In quo ſexageſima & quadrageſima &c.

more ſolito ſuſpendantur Retrahatur etiam ſola quæ pendet ante majus altare dicta ſexta cùm fieri debet aſperſio ante proceſſionem, & ſic maneat uſque ad finem proceſſionis. Similiter retrahatur in officiis & miſſa pro ſequenti defuncto, & in ordinationibus clericorum.] Similia videre eſt aliis in ordinariis diverſarum Eccleſiarum, niſi quod nonnullæ poſt completorium hujus Dominicæ quædam ante primam ſequentis feriæ ſecundæ id faciendum eſſe præſcribunt. Idem dicendum eſt de imaginibus, quæ olim non in Dominica Paſſionis, ut hodiernus obtinuit uſus in pleriſque Eccleſiis, ſed in ipſo quadrageſimæ initio velabantur: id quod hactenus retinuerunt inſigniores Eccleſiæ non paucæ.

Veli ſuſpenſio.

VII. Præter cortinas in choro Eccleſiæ Turonenſis ſuſpenditur velum amplum & longum violacei coloris ad ipſas templi fornices, id quod alibi vidiſſe me non memini. An de hujuſmodi velo intelligi debeat quod in hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium c. 66. legitur Petrus de Mornaio dediſſe [Eccleſiæ ſuæ ſpecioſiſſimum velum quadrageſimale.] Duplicis etiam veli ſeu cortinæ meminit Joannes Belethus in explicatione divini officii cap. 85. [Duo, inquit, vela retinentur, quorum alterum ponitur per chori circuitum, alterum ſuſpenditur inter altare & chorum, ut non appareant quæ ſunt in ſancta ſanctorum.] Primi veli nullam alibi mentionem reperi.

Examen ordinandorum.

VIII. Feria 4. ſolebant examinari & interrogari ſacros ordines ſequenti ſabbato ſuſcepturi, ideoque ad miſſam duas lectiones pronunciandas eſſe exiſtimant; unam de veteri, alteram de novo teſtamento, quia utriuſque teſtamenti debent eſſe periti. Hac in miſſa duplicem tractum præſcribit ordinarium Eccleſiæ Turonenſis, primum *De neceſſitatibus* à canonico cappa pallii induto decantandum, ad cujus ſingulos verſus chorus repetere debet *Et dimitte*; alterum, quem ſtatim cantor ſubjungit *Domine non ſecundùm.*

IX. Sabbato in 12. lectionibus hæc ſingularia habet miſſale antiquum Eccleſiæ Arelatenſis: [Ad omnes orationes dicimus *Flectamus genua*, præter ad illam orationem *Deus qui tribus pueris.* In hac autem miſſa non dicimus præfationem de jejunio, ſed communem; & in fine hujus miſſæ non dicimus *Humiliate*; nec dicimus in hac miſſa ante epiſtolam niſi unam orationem tantum.] Vetat etiam ordinarium Rotomagenſe flecti genua ad orationem ante epiſtolam, idque *Ob reverentiam epiſtolæ Pauli.*

Dominica 2. Quadrageſimæ.

X Dominica 2. quadrageſimæ nihil obſervatu dignum occurrit in ritibus Romanis, nam tantillum eſt illud quod in miſſa non legebatur, olim evangelium de transfiguratione ſed de Cananæa, id quod in variis obſervavimus miſſalibus, ut in Lugdunenſi, Rotomagenſi, Turonenſi ante annos 800. ſcripto, in Bituricenſi, Ebroicenſi, Venetenſi, Caralaunenſi, Auguſtodunenſi, Glandatenſi, Ebrodunenſi, Antiſſiodorenſi, Melodunenſi, Rhedonenſi monaſterii S. Melanii, Uticenſi annorum circiter 600. Romaricenſi, Athanacenſi, & aliis Idemque evangelium notat liber Comitis Sancto Hieronymo adſcriptus. In

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſimæ, &c.*

ordinario Ucetenſi præſcribitur, ut ubi duæ celebrantur miſſæ, in prima legatur evangelium de Cananæa, in ſecunda de Transfiguratione. In vetuſtiſſimo tamen codice Parthenonis B. Mariæ Calenſis ante annos 800. exarato & evangelia per anni circulum legenda ad miſſam continente habetur evangelium de Transfiguratione ſecundùm Marcum.

XI. In miſſali vero Ambroſiano poſt ingreſſam ante collectam leguntur iſtæ preces à diacono dicendæ choro ad ſingulos verſiculos reſpondente Kyrie eleiſon.

℣. Dicamus omnes. Kyrie eleiſon.

℣. Domine Deus omnipotens patrum noſtrorum. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Reſpice de cælo, Deus, & de ſede ſancta tua. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro Eccleſia tua ſancta catholica, quàm conſervare digneris. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro Papa N. & Pontifice noſtro N. & ſacerdotio eorum. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro univerſis epiſcopis, cuncto clero, & populo. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro famulis tuis N. Imperatore & N. Rege, Duce noſtro, & omni exercitu eorum. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro civitate hac omnibuſque habitantibus in ea. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Pro aëris temperie & fœcunditate terrarum. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. Libera nos qui liberaſti filios Iſraël. ℟. Kyrie eleiſon.

℣. In manu forti & brachio excelſo. ℟. Kyrie eleiſon. Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. ℟. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.

In miſſali Ambroſiano anno 1669. edito iſtæ preces aſſignantur Dominicæ tertiæ quadrageſimæ; quæ vero ſuperiori Dominica à nobis relatæ ſunt, huic ſecundæ attribuuntur, alternis Dominicis ad uſque Dominicam palmarum dicendæ.

XII. In miſſali verò Mozarabum Dominica ſecunda quadrageſimæ miſſa incipit à duplici lectione ex veteri teſtamento; una ex Proverbiis ab his verbis: *Fili, in corde prudentis requieſcit ſapientia*; altera ex libro Geneſis. *Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium &c.* Quibus hæc ſubjiciuntur Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Pſallenda Quam pretioſa eſt miſericordia tua, Domine Deus meus.

℣. Attrahe miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam rectis corde. P Deus ℣. Ne veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus impiorum non me commoveat. P Deus.

Hic dicat ſacerdos ſequentes preces.

Miſerere & parce, clementiſſime Domine, populo tuo, quia peccavimus tibi. ℣. Proſtrati omnes lacrymas producimus, pandentes tibi occulta quæ admiſimus: à te Deus veniam depoſcimus. P quia. ℣. Orationes ſacerdotum accipe, & quæque poſtulant affluenter tribue, ac tuæ plebi miſerere Domine. P quia. ℣. Furorem tuum adduxiſti ſuper

nos, noſtra delicta dira curvaverunt nos, & abſque ulla ſpe defecimus. ℟ quia peccavimus ℣. Traditi ſumus malis quæ neſcivimus, & omne malum irruit ſuper nos & invocamus & non audimur. ℟ quia. ℣. Omnes clamamus, omnes te requirimus, te pœnitentes lacrymis proſequimur, cujuſque iram ipſi provocavimus. ℟ quia. ℣. Te deprecantes, te gementes poſcimus; te, JESU CHRISTE, proſternati petimus: tua poteſtas jam ſublevet miſeros. ℟ quia. ℣. Confeſſionem tuæ plebis accipe, quam lamentantes coram te effundimus, & pro admiſſis corde ingemiſcimus. ℟ quia ℣. Pacem rogamus, pacem nobis tribue, amove bella, & nos omnes erue, humili prece poſtulamus, Domine ℟ quia. ℣. Inclina aurem, Deus Clementiſſime, jam abluentur delictorum maculæ, & à periculis te benignus exime. ℟ Miſerere & parce *totum Oratio.* Exaudi &c. Lauda dicitur cum duplici verſiculo. Poſteà dicat ſacerdos *Pœnitentes orate &c.* Ut ſuprà feria quarta primæ hebdomadæ Ante orationem Dominicam & illius præfationem ita legitur: *Ad confractionem panis antiphona:* Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, ſicut ſperavimus in te.

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſima &c.*

Poſt benedictionem verò: *Dicat presbyter ad accedentes antiphonam.* Ego ſum oſtium, dicit Dominus, ſi quis per me introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & regredietur, & paſcua inveniet. ℣. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. ℟ Et ingredietur. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟ Ego ſum.

XIII. Feria 5. poſt Dominicam ſecundam XL. in pleriſque miſſalibus habetur evangelium ſecundum Joannem *Non poſſum à meipſo facere quidquam* Ita in Uticenſi S. Ebrulfi, in Rotomagenſi S. Audoeni, in Ebroicenſi. In Venetenſi vero duo habentur evangelia unum ſecundùm Lucam *Homo quidam erat dives*, & alterum ſecundùm Joannem *non poſſum à meipſo* cum hac tamen rubrica *Hoc præcedens evangelium reſervabitur uſque ad Dominicam primam poſt octavas ſacramenti, & ſequens evangelium dicetur hic.*

XIV. Dominica tertia quadrageſimæ ſolemni ritu apud Græcos celebratur ob crucis adorationem, cujus feſtum hac die recolunt. [Tertia jejunii quadrageſimalis Dominica, (inquit Triodon) pretioſæ vivificæque crucis adorationem celebramus, ut crux paſſionis Chriſti monumentum nos ad eam ferventiùs auſteritatis tempore ſequendam excitet, præteritos aſtinentiæ labores conſopiat, & velut paſchalis hilaritatis pignus ſeſe ipſam proponat.] Quonam ritu recoleretur illa crucis adoratio explicat Typicum S. Sabbæ his verbis: [Sanctorum jejuniorum tertia Dominica pretioſæ vivificæque crucis adorationem peragimus. Officium in ea majus celebratur. Cum verò officium perſolvitur, ſacerdos veſtes mutat, & accepto thuribulo ſanctam menſam ſuffumigat & crucem. Ipſam verò theca adhuc incluſam in diſco repoſitam, capiti imponit, & è ſiniſtra parte ſancti tribunalis, egreſſus ad regias fores progreditur. Laudibus Deo perſolutis, & ter ſancto hymno, ſacer-

De Dominica III. Adoratio crucis apud Græcos.

Digitized by Google

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſima &c.*

dos dicit: *Sapientia. Recti.* Et dicimus modulum *Salva, Domine, populum tuum & benedic hæreditati tuæ:* Et cum pompa ad ſanctas uſque altaris valvas ſacerdos ferens crucem procedit: ibidemque in menſa præparata ab eo ſacra crux deponitur, & confeſtim incipimus canere: *Tuam crucem adoramus, Domine,* Et aperta theca, loci prælatus adorationem auſpicatur, & pariter ſacerdos coram pretioſa cruce tribus factis reverentiis. Deinde crucem deoſculati, rurſus venerationem cruci exhibent, & verſus utrumque chorum ſemel inclinant quibus peractis, ad crucem adorandam fratres reliqui procedunt.] Et Codinus in libro de officiis Eccleſiæ & aulæ Conſtantinopolitanæ cap. 9. [Dominica quæ adorationi Crucis deputata eſt, conſiſtente jam circumſtatione pro conſuetudine ſupradictorum feſtorum, circa finem affert Archidiaconus cum cantoribus ex palatii Eccleſia Crucem, geſtans ſolemne ſibi ſticharium, ferens etiam ſuper ipſo felonem, non tamen epitrachelium, ſed orarium; canuntque illud: *Salvum fac Domine populum tuum & benedic hæreditati tuæ.* Et imperator, ſic circumſtante comitatu aulico, obviam it uſque ad januam, Crucemque in pulpito poſitam oſculatur: quo peracto, revertitur, & ſtat in throno ſuo. Poſt miſſionem venit imperator, iterumque Crucem adorat & oſculatur: quam ſtatim tollunt, comitante eam imperatore uſque ad triclinii januam, & non ulterius.]

XV. In miſſali Mozarabum illud ſingulare occurrit, quod miſſa incipit à duplici lectione ex veteri teſtamento, quas ſequitur Tractus, deinde eo ritu ac modo quo in Dominica prima dictum eſt, iſtæ preces:

Rogamus te Rex ſæculorum, Deus ſancte, jam miſerere, peccavimus tibi. ℣. Audi clamantes, Pater altiſſime, & quæ precamur clemens attribue; exaudi nos Domine. ℟ Jam miſerere. ℣. Bone Redemptor, ſupplices, quæſumus, de toto corde flentes requirimus, adſiſte propitius. ℟ Jam. ℣. Emitte manum, Deus omnipotens, & invocantes potenter protege ex alto piiſſime. ℟ Jam. ℣. Fertilitatem & pacem tribue, remove bella, & famem cohibe Redemptor ſanctiſſime, ℟ Jam. ℣. Indulge lapſis, indulge perditis, dimitte noxia, ablue crimina, acclines tu libera. ℟ Jam. ℣. Aſſiſtant bona, diſcedant hoſtes; peſſimæ incumbunt clades inopia, tu Chriſte nos libera. ℟ Jam. ℣. Gemitus vide, flectus intellige, extende manum, precantes redime. ℟ Jam. ℣. Hanc noſtram Deus, hanc pacem ſuſcipe, ſupplicum voces placatus ſuſcipe & parce piiſſime. ℟ Rogamus. *Oratio* Exaudi orationem noſtram *Ut in Dominico primo quadrageſima.*

Lauda cum duplici verſu dicitur, cui ſubjiciuntur preces *Pœnitentes orate* ut ſuprà feria quarta ad confractionem panis antiphona *Fiat miſericordia* ut ſuprà. Poſt benedictionem hæc habentur *Ad accedendum.* Hic eſt panis de cælo deſcendens, ſi quis ex ipſo manducaverit, non morietur; ſed habebit vitam æternam & ego ſuſcitabo eum noviſſimo die. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, flumina de

ventre ejus fluent aquæ vivæ. ℣. Sic dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum daret pro mundo, ut omnis qui credit in eum non pereat. ℟ Sed habebit. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟ ſed habebit.

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſimæ &c.*

XVI. In miſſali Gelaſiano à viro clariſſimo Joſepho Thomaſio vulgato Dominica tertia quadrageſimæ *Pro ſcrutiniis electorum celebretur*, quæ cum jam fusè diſcuſſerimus in libro 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 1. ubi de ſacramento baptiſmatis tractavimus, hic retractare non viſum eſt operæ pretium. Obiter hic obſervabo in codice Colbertino 2585. qui fuit olim monaſterii S. Dionyſii in Francia duas miſſas aſſignari feriæ quintæ poſt Dominicam tertiam.

De Dominica 4.

XVII. Venio ad Dominicam 4. quæ paulò celebrior apud Romanos propter roſam auream muſco & balſamo plenam, quam hac die geſtare ſolebat Summus Pontif. ad principem aut magni nominis virum aliquem poſteà ab ipſo mittendam cujus ritus meminit Fulco Andegavenſis Comes in Fragmento hiſtoriæ Andegavenſis Spicilegii tom. 10. ubi hæc habet: Urbanus II. [venit Turonum, ibique datis venerabili Concilio decretis media quadrageſima coronatus eſt, & cum ſolemni proceſſione ab Eccleſia S. Mauricii ad Eccleſiam B. Martini deductus; ubi mihi florem aureum, quem in manu gerebat, donavit, quem ego etiam ob memoriam & amorem illius in Oſanna (*id eſt in Dominica palmarum*) ſemper mihi meiſque ſucceſſoribus deferendum conſtitui.] Ejuſdem etiam ritus meminit Eugenius Papa III. in epiſt. 74. ad Alphonſum Hiſpaniarum Regem ſcribens in hæc verba; [Ad judicium autem bonæ voluntaris & gratiæ noſtræ circa te Roſam auream, quam in ſignum Paſſionis & reſurrectionis JESU-CHRISTI Domini noſtri Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, ſingulis annis. Romanus Pontifex portare conſuevit, ſerenitati tuæ per venerabilem fratrem noſtrum P. Segovienſem epiſcopum prævidimus tranſmittendam, ut ejuſdem Roſæ memoria incitatus, ea quæ deſunt Paſſionis Chriſti in corpore tuo complere cum Domini auxilio ſatagas, & ipſius ſolatiante clementia debeas ad reſurrectionis gloriam pervenire.] Et Alexander Papa III. epiſtola 108. Secundæ appendicis ad Ludovicum VII. Francorum Regem. [Romanorum Pontificum inſtitutione noſcitur proceſſiſſe, quod media quadrageſima, ea Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem* conſueverunt ipſi florem aureum, non gratia temporalis elationis propriis manibus annua ſemper revolutione geſtare, ea utique in facto hujuſmodi deſignantes, quæ tam ad decorem Eccleſiæ, quàm ad fidelium noſcitur inſtructionem ſpectare. Unde cùm nos eorumdem anteceſſorum noſtrorum veſtigia ſubſequentes, ſimilem florem eo die, in quo conſtitutum eſt, nuper in manibus geſtaremus; non invenimus cui tam dignè ſicut excellentiæ tuæ florem hujuſmodi deberemus offerre, quem & devotione circa Eccleſiam Dei & nos ipſos, & dignitatis honore cognoſcimus præeminere.] Deinde ſubjungit myſticam ipſius floris explicationem. Idem Alexander III. in actis Concilii Veneti anno 1177. celebrati [dignum duxit in proxima Do-

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſimæ &c.*

minica *Lætare Jeruſalem* ad Eccleſiam B. Marci ſolemnia miſſarum celebraturus accedere. Indutus ergo ſacris veſtibus, & de conſuetudine auream ferens roſam, cum epiſcopis & cardinalibus ad altare majus proceſſit. Poſt evangelicam lectionem populo Dei ex diverſis partibus congregato paſtoraliter prædicavit, & completis miſſarum officiis, roſam quam detulerat, Duci Venetiarum in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ contulit] Anno etiam 1364. Urbanus Papa V. Vvaldemarum Daniæ Regem, qui in Urbem eo tempore advenerat, Roſa donavit, ut auctor eſt Albertus Crauzius in ſua Dania lib. 7. cap. 39. Duobus poſt annis eodem honore reginam Siciliæ decoravit, ſicut referunt ejus acta apud Boſquetum in quibus hæc leguntur: [Eodem menſe ad ipſum (Urbanum) venerunt Joanna regina Siciliæ & Petrus rex Cypri ſuperius nominati; & tunc cum occurreret Dominica *Lætare Jeruſalem*, in qua conſuevit dari per Papam Roſa aurea viro nobili tunc in curia exiſtenti; dictam Roſam memoratæ reginæ tamquam nobiliori, majori, & excellentiori, licet vir non exiſteret, dedit, rege prædicto ipſam in hoc præferendo, quæ more ſolito demùm cum cardinalibus & aliis nobilibus per Urbem æquitavit.] Denique Hieronymus Enſer in vita S. Bennonis epiſcopi refert Sixtum IV. Pontificem Erneſto imperii electori Romæ tunc exiſtenti Roſam hujuſmodi dediſſe, [quam ille inquit, Eccleſiæ Miſnenſi rediens pro munere dedit.] Hujus conſuetudinis meminit Durandus in Rationali lib. 6. cap. 53. Illius ritus deſcribunt varii ordines Romani à Mabillonio vulgati; in quibus tamen nulla fit mentio benedictionis Roſæ aureæ, quam ab Innocentio IV. inſtitutam fuiſſe tradit autor ipſius vitæ apud Labbeum his verbis: [Primus Roſam auream ſolemni ceremonia ac ritu benedixit, eamque canonicis S. Juſti hoſpitibus ſuis Lugduni dono dedit.]

XVIII. In miſſali Mozarabum miſſa hac die à duplici lectione de veteri teſtamento, quam ſequitur pſallenda, ducit exordium. Deinde presbyter eodem ritu & modo quo prima Dominica ſubjungit has preces.

Vide Domine humilitatem meam, quia erectus eſt inimicus. ℟ Miſerere, Pater juſte & omnibus indulgentiam dona. ℣. A patre Miſſus veni perditos requirere, & hoſte captivatos ſanguine redimere, plebs dira abjecit me. ℟ miſerere. ℣. Prædictus à prophetis natus ſum ex Virgine, adſumſi formam ſervi, diſperſos colligere venantes ceperunt me. ℟ miſerere. Mihi pro bonis mala reddita ſunt plurima; adverſum me dederunt iniqua conſilia venditum pecunia. ℟ miſerere. ℣. Spineam coronam poſuerunt capiti, ſputis ſordidato, incluſerunt impii afflictum crudeliter. ℟ miſerere ℣. Cùm noxiis latronibus ſuſpenſum patibulo, amaro cibo paſtus & acerbo poculo, traditum ſupplicio. ℟ miſerere. ℣. Quos veni liberare, hi accuſaverunt me, flagellis verberatum cruci affixerunt me, lancea percuſſerunt me. ℟ miſerere ℣. Qui impio latroni dimiſiſti ſcelera, tu ſolve vincula noſtra, & relaxa crimina, ſalva nos cruce tua. ℟ miſerere. ℣. Traditus ſum ſepulcro confregi portas inferi,

ejeci

ejeci vinculatos, & reduxi ad ſuperos, oſtendi in victima. ℟ miſerere ℣. Dimitte illis noxia, Pater clementiſſime, cuncta dele peccata, & relaxa crimina, ignorant quid faciant ℟ miſerere.

CAPUT XIX. *In quo ſingulares Quadrageſima &c.*

Poſt *Laude* cum dum duplici verſiculo dicitur *Pœnitentes orate* ut ſuperioribus Dominicis & feriis 4.

Ad confractionem panis antiphona. Tu, Domine, da eſcam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam, & imple omnem animam benedictione.

Ad accedendum antiphona. Amen dico vobis, ſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, habebitis vitam in vobis. ℟. Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet umquam. ℣. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. ℟. Qui venit.

XIX. Ad hanc Dominicam referendum videtur id quod ſcribit Gregorius Turonenſis lib. de vitis Patrum cap. 6. de S. Gallo Arvernorum epiſcopo. [Rogationes illas inſtituit, ut media quadrageſima, pſallendo ad baſilicam B. Juliani martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia trecenta ſexaginta.] Vide eundem lib. 4. hiſt. cap. 5. & 13.

XX. Feria 4. ſolemniſſimum omnium olim fiebat ſcrutinium, in quo catechumenis quatuor legebantur evangelia, oratio Dominica tradebatur & ſymbolum, ut vidimus in libro 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 1. art. 11. qui ritus adhuc hodie viget in inſigni Eccleſia Viennenſi in Gallia.

XXI. Feria 6. qua ad miſſam legitur evangelium de Lazari reſurrectione, ſolemnis habetur apud noſtros Vindocinenſes, propter publicam rei cujuſdam abſolutionem, quæ à priore ejuſdem monaſterii fieri ſolet poſt proceſſionem, cui uti & ſequenti concioni præfatus reus nudo corpore toto, cereum triginta trium librarum geſtans manibus, fune collo alligato, intereſſe debet: qua finita, abſolvendus à civitatis ſupremo judice priori ante gradus altaris exiſtenti exhibetur; cui ille poſt brevem exhortationem & injunctam aliquam pœnitentiam, ſcilicet ad S. Martini tumulum peregrinationem, funem collo extrahit, ac liberum abire permittit. Hoc privilegio gaudent Vindocinenſes ex gratia & beneficio Ludovici Borbonii Comitis Vindocinenſis, qui ex Anglicanis carceribus, in quibus vinctus detinebatur, divina virtute liberatus, voto ad id ſeſe obſtrinxerat, ut intelleximus ex ejus charta, quam ex archivis Vindocinenſis monaſterii deſcriptam vidimus.

XXII. [Sabbato ante Dominicam quintam quadrageſimæ, mutantur Reſponſoria & hymni, lavantur ſacræ veſtes & pallæ altarium, & fiunt hoſtiæ,] inquit Eccleſiæ Cuſentinæ ordinarium. Ex antiphonario Turonenſi S. Martini in hymno ter repeti debet *O crux ave ſpes unica.*

XXIII. Dominica 5. quadrageſimæ *Dominica Paſſionis* dicta, eo quod Paſſionem Chriſti ſingulari ratione recolere hac die incipiat Eccleſia. De Dominica Paſſionis.

A a

Caput XIX. *In quo ſingulares Quadrageſima &c.*

quæ ut triſtitiam & mœrorem palam faceret, verſum *Gloria Patri* in Reſponſoriis & invitatoriis ad officium & in miſſa ad introitum reticet; unde ſingularis videri debet mos Lugdunenſis Eccleſiæ, in cujus miſſali, uti & in edito ad uſum Athanacenſis monaſterii *Gloria Patri*, non ſolùm hac die, ſed per totam & integram quadrageſimam, ad introitum retinetur: id quod commune etiam quibuſdam Eccleſiis olim eſſe potuit, nam in antiquo quodam miſſali Turonenſis bibliothecæ hac die præſignatur verſus iſte ad introitum; quem ſuo tempore vulgò recitatum fuiſſe innuit Rupertus lib. 5. de Divinis officiis c. 2. In ordinario etiam Remenſi hac die notatur ad invitatorium, ſed minimè ad reſponſoria. Pauca hac die obſervatione digna occurrunt. Rubro colore utitur Eccleſia Cabilonenſis. Idem dicendum de Carnotenſi S. Joannis. Cantum humilem & ſummiſſiorem in ſignum doloris & triſtitiæ uſque ad Paſcha præſcribit ordinarium Uticenſe. Singularis fortè videbitur conſuetudo Eccleſiæ Rotomagenſis, in cujus antiquo miſſali præſcribitur ut ante communionem cum ſuavi vocis modulatione [Sacerdos tenens Corpus Domini cantet *Hoc corpus quod pro vobis tradetur, chorus hoc idem repetat; & interim ſacerdos* Corpus Domini ſumat: Quo ſumpto, cantet elevando modicum calicem illud quod ſequitur: *Hic calix novi teſtamenti eſt in meo Sanguine, dicit Dominus.* Chorus illud idem repetat producendo ad finem, & ſacerdos interim ſumat ſanguinem Chriſti, & poſt ablutionem manuum dicat loco communionis: *Hoc facite quotieſcumque ſumitis in meam commemorationem.*] Idem tamen in aliis ejuſdem diœceſis Eccleſiis obſervatum fuiſſe videtur. Nam ſimilia leguntur in ordinario Gemmeticenſis monaſterii. Ex præſcripto ordinarii Silvanectenſis Sacerdos debet incipere quidem *Hoc corpus* reliqua verò chorus proſequi.

XXIV. In Miſſali Mozarabum officium incipit à duplici ex veteri teſtamento lectione, ſequitur pſallenda, deinde ſequentes preces eodem planè ritu, & modo quo in Dominica prima quadrageſimæ.

Inſidiati ſunt mihi adverſarii mei magis gratis. ℟ Tu Pater ſancte, miſerere & libera me. ℣. Portatus ſum ut agnus innocens ad victimam, captus ab inimicis ut avis in muſcipulam magis gratis. ℟ Tu Pater. ℣. Aperuerunt omnes ora ſua contra me dentibus fremuerunt quærentes deglutire me magis gratis. ℟ Tu Pater. ℣. Sibilantes clamabant, & movebant capita, tractantes de me falſa proferre teſtimonia magis gratis. ℟ Tu Pater. ℣. Suſpenſum cruci damnant, fixum clavis ferreis, venditum à Judæis pro triginta argenteis, magis gratis. ℟ Tu Pater. ℣. In latere confoſſus gladio horrifico illico fluit latex cum ſanguine innoxio magis gratis. ℟. Tu Pater. ℣. Omnes inundaverunt quaſi aquæ ſuper me, diverſum in ſepulcro, adpoſuerunt lapidem magis gratis. ℟. Tu Pater. ℣. Confuſa palluerunt cuncta Chriſti ſydera, dies obtenebratur cùm vidit pati Dominum magis gratis. ℟ Tu Pater. ℣. Sic Judæorum turba cæca diffidentia depoſcunt à Pilato milites pro cuſtodia magis gratis. ℟. Tu Pater. ℣. Tunc milites dividunt veſtem meam fortibus cernentes in me flagra injuſta & ſæviſſima magis gratis. ℟ Tu Pater.

Digitized by Google

℣. Intende pie Pater & ſuccurre miſeris, pro quibus tam acerbis afficior ſuppliciis magis gratis. ℟ Tu Pater.

Sequitur oratio, deinde poſt lauda *Pœnitentes orate* ut feriis 4. & 6. *Ad confractionem panis* Tu Domine da eſcam ut ſuperiori Dominica.

Ad accedentes Amen dico vobis, ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi; ſi quis ex ipſo manducaverit, non morietur in æternum: & qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet unquam, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. ℣. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me. ℟. Si quis ex. ℣. Gloria & honor Patri. ℟ Si quis.

XXV. Feria 2. in miſſali Ebrodunenſi & Glandatenſi habetur devotus iſte Tractus dicendus in feriis ad uſque feriam 4. majoris hebdomadæ.

Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter. Per ſignum crucis dimitte delicta cuncta. Per quem redemiſti mundum cruore fuſo. Defende nos, Domine, contra ſæva jacula inimicorum die ac nocte.

XXVI. Feria 6. imaginem crucifixi, quam feria 6. paraſceves ſolet clerus & populus adorare, ſolemni pioque ritu deferunt canonici Cenomanenſes ad monaſterium S. Vincentii, ſequenti Dominica ad matricem Eccleſiam cum pompa inde reportandam. Hunc ritum ita deſcribit ejuſdem Eccleſiæ ordinarium: [Feria 6. ante ramos Palmarum cùm deportatur imago crucifixi ad S. Vincentium cooperta pallio, debent eſſe quatuor ſacerdotes in albis & ſtolis reveſtiti, euntes nudis pedibus cum aliis reveſtitis uſque ad S. Vincentium: ita quòd capellanus noſtræ Eccleſiæ ſit ad caput, capellanus de Gordana ad pedes, capellanus S. Michaëlis ad dextrum brachium, & capellanus de S. Audoëno ad ſiniſtrum, & quatuor pueri cum ſubdiacono ſimiliter decalceati, & cum venerint ad dictam Eccleſiam, cantetur ℟. de S. Vincentio; quo finito cum oratione & precibus, dimittant ibi crucifixum uſque ad ramos palmarum.]

XXVII. Sabbatum ante palmas, ut obſervat Amalarius lib. 1. c. 9. in antiquis Sacramentariis & antiphonariis prætitulatur in Sacramentario *Sabbato vacat Dominus Papa eleemoſynam dat.* Quare autem hoc ſabbatum ab officio & ſtatione vacet, ita explicat Grimoldus Abbas in præfatione ad librum Sacramentorum à Pamelio editum: [Sicut quorumdam relatu didicimus, Domnus Apoſtolicus in eiſdem diebus à ſtationibus penitus vacat, eo quòd ceteris ſeptimanæ feriis ſtationibus vacando fatigatus, eiſdem requieſcat diebus, ob id ſcilicet, ut tumultuatione populari carens, & eleemoſynas pauperibus diſtribuere & negotia exteriora liberiùs valeat diſponere.] Hæc certior & verior videtur ratio omnibus myſticis interpretationibus inſtitutionis iſtius, quas referunt Amalarius, Vulgatus Alcuinus, Rupertus & alii. Addit Alcuinus, idque poſt antiquum Ordinem Romanum: [Et quia de hac feria officium proprium non habetur, de eiſdem feriis repetitur, id eſt de feria quarta]

&c. Hodie de præcedenti feria ſexta officium repetitur, id quod improbat Joannes Abrincenſis : [Ipſa , inquit , ergo die quando quidem officium vacat , cantetur officium Dominicæ , non Geſtanæ.] Atque ita antiquum miſſale Eccleſiæ Rotomagenſis , cui concinit Micrologus cap. 50. his verbis : [Sabbata etiam ante quadrageſimam & ante palmas Dominicarum ſuarum officia recipiunt, nec immeritò cùm quilibet dies privati de ſuis Dominicis ſoleant inofficiari.] Sed Carthuſienſes monachi olim nullam hac die miſſam cantabant , ut didici ex antiquis eorum ſtatutis mſſ. quæ necdum edita fuerunt. In pervetuſto codice evangeliorum per anni circulum in miſſa dicendorum , & in Calendario Romano Joannis Frontonis hæc legitur inſcriptio *Sabbato datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſi.* Cujus tituli hæc afferri poſſe videtur ratio ſive conjectura , quod fermentum , ſive euchariſtia fermenti vocabulo appellata , quæ ex conſecrata Summi Pontificis omni die Dominico per titulos Urbis mittebatur ; hac die presbyteris titularibus ſequenti Dominica occupatis diſtribueretur , non die Dominico.

XXVIII. Alium aliarum Eccleſiarum uſum refert Joannes Abrincenſis [in ſabbato , inquit , quod palmas præcedit , epiſcopum aut majorem Eccleſiæ pedes pauperum lavare Eccleſiaſticus ordo præcipit , & fratrum unumquemque , ſi poteſt , unius pauperis : ipſa enim die lacrymis Maria lavit pedes Domini , & quod ipſa fecit in capite , nos in membris debemus facere.]

CAPUT XX.

De Dominica Palmarum.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Dominica 6. variis nominibus appellata.

I. DOminica Palmarum ſive florum aut ramorum , ab aliquibus dicta *Oſanna* propter multitudinis Chriſtum Jeroſolymam intrantem excipientis acclamationes ; ab aliis *Dominica indulgentia* , ut in vita S. Gebehardi & S. Udalrici ſæculo V. Benedictino propter indulgentias quæ hac die ſolemniter concedi ſolebant , uti videre eſt apud Ekkehardum juniorem in lib. de caſibus S. Galli cap. 1. à nonnullis *Paſcha petitum* ſive *competentium* , ut pote quibus hac etiam die tradebatur ſymbolum ; & *Paſcha Palmarum* ut in vita præfata S. Udalrici ; tandem à vulgò *Capitularium*; quia ut dicit S. Iſidorus libro 1. de divinis officiis cap. 27. & poſt eum vulgatus Alcuinus , [tunc moris eſt lavandi capita infantium , qui ungendi ſunt , ne fortè obſervatione quadrageſimæ ſordidata , ad unctionem accederent ,] Tria nobis expendenda proponit. Ramorum benedictionem , proceſſionis ordinem , & miſſam ſive curſum divinum.

Benedictio Palmarum quando incepterit.

II. Benedictionis Palmarum nulla apparet mentio apud auctores ante ſæculum octavum aut nonum. Et ſanè nullum apparet illius veſtigium in pervetuſtis miſſalibus Francorum , & Gothorum à Thomaſio vulgatis ,

nullum in antiqua liturgia Gallicana ex ms. Bobienſi à Mabillonio eruta & edita tom. 1. Muſei Italici, nullum in ordine Gelaſiano, nullum in S. Gregorii Sacramentorum libro, Menardi notis illuſtrato, aliiſque nonnullis ante annos nongentos exaratis, nullum denique in Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Pontificali, ſed neque apud Iſidorum. Nec ullum Amalario antiquiorem, qui illius mentionem fecerit, auctorem vidiſſe me memini. Ipſe enim in lib. 1. de Eccleſiaſticis officiis cap. 10. quod eſt de Palmarum die ita habet: [In memoriam illius rei, nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare ramos, & clamare Oſanna;] quos ramos haud dubitamus aliqua benedictione fuiſſe conſecratos.

III. Complures orationes ſeu collectas ad Palmas benedicendas continet antiquus ordo Romanus: quatuor exhibent nonnulli miſſales libri: plures duas dumtaxat, non pauci unicam dumtaxat. Duas habent miſſale Bituricenſe, Ebroicenſe, Auguſtodunenſe, Lingonenſe, Pictavenſe, Venetenſe, Rhedonenſe S. Melanii, ordinarium Laudunenſe. Unicam Sacramentarium bibliothecæ Colbertinæ ante annos 800. exaratum quod fuit olim celeberrimi propè Pariſios monaſterii S. Dionyſii, Rituale antiquum Sueſſionenſis Eccleſiæ, uti & Remenſe S. Remigii annorum 400. miſſale Ambroſianum, Catalaunenſe, Melodunenſe, Lugdunenſe monaſterii Athanacenſis, & pervetuſtum fratrum Prædicatorum, ordinarium Cenomanenſe, & Pariſienſe canonicorum regularium cruce ſignatorum. Duas profert antiquum miſſale ms. Eccleſiæ Turonenſis ante annos 600. exaratum, quæ quia ſingulares ſunt nec reperiuntur in ordine aut miſſali Romano hic apponendæ videntur.

Benedictio Palmarum.

Domine JESU-CHRISTE, qui pro mundi ſalute, ſicut promiſeras per legem & prophetas in plenitudine temporum adveniſti, venientique in civitatem Jeruſalem ad diem feſtum turbæ multæ occurrerunt tibi gaudentes, acceperuntque ramos palmarum, clamantes Oſanna Filio David. Te ſupplices imploramus, ut qui pro noſtra redemptione veniſti, ſolvas nos à vinculis peccatorum, morboſque omnes expellas, infirmitatem cures, ſalutem conferas, vitam amplifices, aërum temperiem præſtes, ſecuritatem temporum cum remiſſione peccatorum nobis omnibus concedas. Hos quoque ramos & flores palmarum ceterarumque frondium, quas populus tuus accepturus eſt per manus ſervitutis noſtræ, tua bene ✝ dictione ſanctifices, ut quicumque ex eis acceperint, in exemplum eorum, qui tibi Jeroſolymam properanti cum ramis occurrerunt olivarum, tua in omnibus repleantur gratia, & virtutum floribus adornentur, victoriarumque mereantur percipere palmam & ſalutis conſequi medelam: & ſicut hujus diei feſtivitate lætantur: ita eorum habitacula tua benedictione repleantur, corporaque & animas ab omni contagione delicti mundas efficias, atque Paſchalium eis tribuas cariſmata gratiarum, ut te auxiliante cum omni alacritate eadem Paſchalia

feſta ſuſcipere mereantur. Per te JESU-CHRISTE Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, vivis & regnas Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Alia.

CHRISTE JESU, Fili Dei vivi, mundi Creator, Redemptor & liberator noſter, qui ob noſtræ liberationis & ſalvationis gratiam ex ſumma cæli arce deſcendere & carnem ſumere, ac paſſionem ſubire dignatus es; qui ſponte propria loco ejuſdem propinquans Paſſionis à turbis cum ramis Palmarum obviantibus benedici ac laudari voluiſti, clamantium & dicentium Oſanna in excelſis. Ergo rex laudabilis, inenarrabilis clementiæ æternæque gloriæ; benedictus qui veniſti in nomine Domini: nunc noſtræ laudationis exaudi præconia, & confeſſionem noſtram ad Patrem tuum omnipotentem elevare digneris, & hos palmarum atque olivarum, diverſarumque arborum ramos bene ✝ dicere & ſanctificare digneris, ut quicumque, in tuæ ſervitutis obſequio exinde aliquid tulerit, tua cæleſti benedictione ſanctificatus ſit, & peccatorum remiſſionem, & vitæ æternæ percipere mereatur beatitudinem. Per te Chriſte JESU, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Secunda hæc oratio extat prima in miſſali Venetenſi.

Tres alias collectas ſeu benedictiones continent miſſale ad uſum Ebrodunenſis & Glandatenſis Eccleſiæ ab annis circiter 300. ſcriptum, Pontificale Arelatenſe, miſſale & Pontificale Narbonenſe. Has quia nullibi reperi, hic cum ritu palmas benedicendi ex dicto Pontificali Narbonenſi ſubjicere viſum eſt alicujus operæ pretium.

BENEDICTIO PALMARUM.

IV. *Dominica in ramis Palmarum in benedictione ramorum primò diaconus legat evangelium ut ſequitur:* Secundùm Matthæum in illo tempore cùm appropinquaſſet JESUS Jeroſolymis &c. *Quo cantato, fiat ſermo: Deinde presbyter faciens officium benedicat ramos in modum qui ſequitur, legendo voce aliquantulum elevata in cadapallo.*

Hæc tibi Domine feſta recoluntur, & annuis exacta curriculis memorantur, in qua infantum præſciæ turbæ arborum ramos aſſumentes, in tuæ laudis tropheo. Oſanna in excelſis Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, acclamantes occurrerunt, ut omnes gentes cognoſcerent, & victoriam te levaſſe de mundo, & de diabolo obtinuiſſe triumphum: Præſta igitur, Domine, ut hujus diei celeberrimum cultum præſentiæ tuæ ſanctificatione clarifices, ut perfectis tibi ſacris ſolemnibus, univerſa hæc plebs tua ad ſanctam reſurrectionem tuam excubando perveniat. Hæc quoque creatura arborum olivarum, una cum palmis, quam populus tuus pro tuis laudibus & benedictionibus ſuſcipiendam alacri devotione expetit, ita bene ✝ dicatur benedictione

perenni, ut quicumque pia devotione pro expellendis languoribus, ſive expugnandis inimici inſidiis in cunctis habitationibus ſuis eas hinc portaverint, ab omni ſint expugnatione ſecuri, ut agnoſcant omnes quia nomen tuum glorioſum eſt. Qui cum Patre & Spiritu ſancto &c.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Hic mutet vocem in modum præfationis.

Per omnia ſæcula ſæculorum. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

VD Domine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterneque Redemptor, qui de cælis ad terras deſcendere, & ad Paſſionem redemptionis noſtræ voluntate tua venire dignatus es, ut humanum genus tuo pretioſo ſanguine liberares; adeſto Eccleſiæ tuæ votis & ſupplicationibus noſtris: tu enim manſuetus manſueti animalis tergo inſidens ad Paſſionem redemptionis noſtræ ſpontaneus adveniſti, cùm tibi ramis arboreis occurrentibus diſcipulorum turbis, certatim ſterneretur via, & triumphantibus palmis cum voce laudis occurrerent populorum plurimæ catervæ, reſultantes pariter & dicentes, Oſanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Tibi in Monte oliveti olivarum ramis via conſtrata eſt. Tu quondam Noë ſuper undas diluvii in arca gubernaſti, & columbæ miniſterio per olivæ ramum pacem terris redditam nunciari voluiſti; ſed & Jacob Patriarcha in myſterium gloriæ tuæ erigens lapidem, & ex hujus arboris ramis oleum benedictionis in cacumen tituli infudit, unde unxiſti reges & prophetas tuos: Tu enim es Chriſtus, Filius Dei; tibi competit fructus unctionis & pacis, in cujus ineffabilem laudem Pſalmiſta cecinit dicens: Unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Qua propter ſupplices te, Domine deprecamur, ut bene✝dicas hos arborum ramos, quos tui famuli ſuſcipientes manibus, in occurſum tuum properare, teque benedicere & glorificare deſiderant. Ecce Jeruſalem ſedens ſuper aſinam Rex manſuetus adveniſti. Adveni ergo, rogamus, & nobis & in medio noſtri conſiſte, ut te in noſtris cordibus advenire ſentiamus. Et qui tunc nos reparaſti per crucem, iterùm lapſos repara per eamdem beatiſſimam Paſſionem. Oris noſtri confeſſionem, ac jejunii humiliationem libens ſuſcipe, & fructum nos viriditatis habere concede; quatenùs tuis imbribus irrigati, mereamur tibi ſuavium fructuum uberrate placere. Et ſicut illi tibi proceſſerunt obviam, cum arboreis frondibus egreſſi; ita nos te redeunte & in ſecundo adventu cum Palmis victoriæ læti mereamur occurrere, Salvator mundi, Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Poſteà legendo dicat.

Deus, cujus Filius pro ſalute generis humani de cælo deſcendit ad terras, & appropinquante hora Paſſionis ſuæ, Jeroſolymam venire, & à turbis Rex appellari ac laudari voluit, bene✝dicere dignare hos palmarum ceterarumque frondium ramos, ut omnes qui eos laturi ſunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenùs & in hoc ſæculo hoſtis antiqui tentamenta ſuperare, & in futuro cum palma victoriæ

& fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eumdem.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Quibus dictis, Dominus faciens officium, exiſtens ibidem in cadafalo, aſpergat aquam benedictam ſuper ramos, cantore incipiente alta voce antiphonas Pueri Hebræorum. Turba multa, Oſanna filio. Occurrerunt turbæ. *Quibus dictis, Dominus faciens officium dicat exiſtens in cadafalo tribus vicibus, prima vice voce aliquantulum depreſſa, ſecundò magis elevata, tertiò altius quàm poterit.* Gloria laus. *Quo facto, deſcendat de catafalto. Deinde proceſſio revertatur ad Eccleſiam Narbonenſem.*

Ramorum benedictioni præmiſſa lectio evangelii.

V. EX HOC PONTIFICALI patet ramorum benedictioni præmiſſam fuiſſe ſancti evangelii lectionem de Chriſti in civitatem Jeroſolymam ingreſſu atque concionem. Ita ferè videre in multis inſigniorum Eccleſiarum ordinariis, ut in Remenſi, Turonenſi, Arelatenſi, Rotomagenſi, Bajocenſi, Cabilonenſi, Laudunenſi, Cenomanenſi, Namnetenſi, Silvanectenſi, Lemovicenſi, Uticenſi, Carnotenſi S. Joannis; in variis miſſalibus, ut in Pariſienſi, Toloſano, Tolonienſi, & in Rituali S. Martini Turonenſi, aliiſque nonnullis; ex quibus tamen aliqui concionem ſive ſermonem ad ſtationem in proceſſione faciendam referebant. Hunc ſermonem ut plurimum pronunciare ſolebant epiſcopi, qui verbi divini prædicationem inter præcipua officii ſui munia olim recenſentes, onus iſtud in alienos humeros rejicere non cogitabant. Utramque ad proceſſionis tempus rejicit ordinarium Eccleſiæ Cuſentinæ, ſcilicet concionem & evangelii lectionem, quam græcè pronunciari jubet: [Mediante proceſſione legit evangelium græcè diaconus, aſcendens pulpitum, & verſus ad orientem: quo dicto, fit ſermo ad populum.] In quibuſdam ſed paucis Eccleſiis lectioni evangelii præmittebatur etiam una ex veteri teſtamento. Ita ex Pontificali Apamienſi in Syria & Arelatenſi, & ex ordinario Cenomanenſi, ex cujus præſcripto debebat legi *in cappa nigra.*

Ramorum diſtributio.

VI. Benedictos ramos & aqua benedicta aſperſos de manu celebrantis recipere ſolemus; olim remanentibus ſua in ſede clericis in choro deferebantur à ſacriſta aut ab alio. Ita præſcribit miſſale Albienſis Eccleſiæ, ſicque obtinebat uſus omnium cathedralium communis; ſed [Romæ, inquit Pontificale Apamienſe in Syria, Pontifex Romanus ſurſum in Palatio ſuo dat palmas cardinalibus indutis quidem ſicut debent eſſe in miſſa cum eo, & clero & populo.] Palmas etiam ab epiſcopo ipſo diſtributas & acceptas fuiſſe docet vita S. Claræ virginis cap. 4. apud Sur. XII. Auguſt.

Proceſſio duplex.

VII Proceſſio in quibuſdam Eccleſiis hac die duplex erat, ſcilicet Palmarum & Dominicalis ſolita. Ita docet Rupertus in lib. 5. de divinis officiis cap. 8. [Diligentibus evangelicæ auctoritatis inſpectoribus rectè complacuit, ut cùm hodierna proceſſione Palmarum, qua procul dubio Redemptoris noſtri recolimus Paſſionem, non computent illam quæ Dominicalis eſt, qua ſingulis Dominicis glorioſam ejuſdem commemoramus reſurrectionem.] Et infrà: [Rectiùs faciunt hi, à quibus

accipimus

accipimus ante tertiam memoriam Dominicæ reſurrectionis, quæ per totum annum occurrit de more peragentes ſicut in ceteris Dominicis, & poſt tertiam cum proceſſione palmarum Dominicæ paſſionis efferentes ſacramentum.] Duplicem etiam proceſſionem præſcribit antiquum Rituale ms. monaſterii S. Remigii Remenſis annorum 400. Duplicem quoque faciebant monachi vulgò omnes. At in inſignioribus clericorum Eccleſiis unicam palmarum aſſignatam reperimus.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

VIII. Hæc quia Chriſti triumphalem in Jeruſalem ingreſſum repræſentat generalis ut aiunt, eſſe ſolebat, convenientibus ad matricem Eccleſiam omnium clericorum collegiis, Parochialium Eccleſiarum presbyteris, monachorum congregationibus variis quæ etiam plerumque cum clero unicum efficiebant chorum, cujus iſtæ dextram, illæ ſiniſtram partem occupabant: atque alternis modulis debitas Salvatori laudes perſolvebant.

Crux revelata ad proceſſionem.

IX. Crux quæ pleriſque in locis per totam quadrageſimam ſacris in proceſſionibus non deferebatur, in iſta revelata & diſcooperta apparebat & aliquo modo triumphabat, uti videre eſt in variis ordinariis, ſed præſertim in Cuſentino, Rotomagenſi, Viennenſi in Gallia, Uticenſi, Carnotenſi S. Joannis, Gaſtinenſi; in miſſali Tolonienſi, Sariſberienſi, fratrum Prædicatorum &c. Neque una, ſed plures: Canonici Turonenſes S. Martini tres deferebant. Atque ut triumphalis gloria crucis ampliùs demonſtraretur, non ſolùm in proceſſione, ſed per totum diem aut magnam illius partem denudata manebat: id quod Carnotenſe ordinarium S. Joannis etiam ad altaria & capſas extendit: [Videndum eſt ut cum regreſſa fuerit proceſſio, ſint altaria diſcooperta, & capſæ, & ſic permaneant tota die, & tota nocte cum textibus & crucibus.] Non improbanda tamen videtur conſuetudo canonicorum regularium cruce ſignatorum, qui poſt epiſtolam crucem velabant, propter mœrorem, haud dubium & triſtitiam paſſionis, quæ mox legenda erat. Præmonſtratenſes crucem dumtaxat denudabant cum in proceſſione, impoſita antiphona *Ave Rex noſter*, omnes tertiò flexis genibus ipſam adorabant.

Evangelii textus in proceſſione cum ſolemni pompa delatus.

X. Nonnulli præter crucem, etiam ſacrum Evangelii textum, tamquam Chriſti perſonam exhibentem, cum ſolemni pompa deferebant in feretro. Meminit hujus ritus vulgatus Alcuinus in libro de divinis officiis: [Hodie præparetur quoddam portatorium honeſtiſſimè, in quo intromittitur ſanctum Evangelium, quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante aram, unde clerus proceſſurus eſt.] Quæ totidem verbis continentur in ordine Romano auctore Cencio cap. 9. Hic ritus in variis Eccleſiis & monaſteriis Germaniæ fuit in uſu, quorum præſertim ms. conſuetudines ita habent: [Mane in Palmis cuſtodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capſæ ſive textum Evangeliorum. Deſuper quoque appendantur philacteria ſive buxæ reliquiarum. Ferant autem illud latenter ante horam primam ad Eccleſiam vel ad locum quo procedere debent,

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

& cruces, & candelabra, & thuribulum, & aquam benedictam, & textum evangelii, & albas, flores, Palmas, & omnia quæ proceſſioni illi conveniunt.] An verò de hujuſmodi ritu intelligi debeat ordinarium Eccleſiæ Cenomanenſis ubi ait: [Finita prima, duo ſigna pulſentur, & ſic conveniant ad matrem Eccleſiam canonici S. Petri cum proceſſione ſua, & *feretro,* & vexillis, & populo. Deinde proceſſionibus ordinatis, ſcilicet proceſſione S. Petri primò, noſtra ſubſequente *cum feretro*, quod portatur à duobus diaconibus, & vexillis, eundo ad S. Vincentium cantatur ℟. *Inſurrexerunt.*] An verò de ſacris reliquiis, quas etiam nonnulli deferebant, ut Lingonenſes, Turonenſes S. Martini & alii?

Corpus Chriſti in proceſſione delatum. XI. In Anglia & quibuſdam aliis regionibus Anglorum regi ſubjectis non ſolùm in figura, ſed in ipſa rei veritate Chriſto debitus honor impendebatur, delata hac in proceſſione ſumma cum reverentia ſacro-ſancta Euchariſtia. Ita decernunt ſtatuta Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi, ita præſcribit miſſale antiquum Eccleſiæ Sariſberienſis, meminitque hujus ritus Matthæus Paris in libro de vitis 23. abbatum monaſterii S. Albani pag. 61. ubi deſcribit vaſculum ſeu ſcrinium à Simone abbate eleganter elaboratum ad portandum corpus Domini in proceſſione in Ramis Palmarum. Eumdem ritum etiam in Normannia obtinuiſſe, teſtantur liber Uſuum Brecenſium & Conſuetudines Lyrenſis monaſterii, ex quibus teſtimonia protulimus in lib. 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 12. Quibus addere licet ms. Eccleſiæ Rotomagenſis ordinarium, quæ hunc ritum hactenùs retinet, uti & fratres noſtri S. Audoeni.

Ordo proceſſionis. XII. Proceſſionis ordinem ita deſcribit Rituale Sueſſionenſe tempore Nivelonis ſcriptum: [Ante Tertiam pulſatur novies major campana. Aqua benedicta fit in ſacrario: intereà veniant congregationes: Paratiſque omnibus, ante altare cantent duo ſubdiaconi, qui in tabula debent præſcribi iſtum verſum.

Magno ſalutis gaudio
Lætetur omne ſæculum
JESUS *redemptor omnium*
Sanavit orbem languidum.

Chorus iterùm *Magno.* Et tunc exit proceſſio ſic. Primum clericulus cum aqua benedicta, deinde cruces congregationum: poſt illas duo clericuli noſtri cum crucibus, deinde ſubdiaconus cum magna cruce. Poſt crucem ſubdiaconi congregationum ferentes Evangelium, inter quos medius incedat noſter ſubdiaconus cum Evangelio, deinde ſacerdos hebdomadarius in alba & cappa de Pallio, reliqui ordine ſuo incedant.]

Sic ordinata proceſſio dirigebatur ad aliquam Eccleſiam aut locum, ubi lecto evangelio & facto ſermone, rami benedicebantur, ſi tamen id priùs factum non fuiſſet: aut indulgentiæ ſolemnes, ſeu benedictio impertiebatur: ſaltem is erat quarumdam Eccleſiarum uſus. Tandem

qui præcipuus videtur fuiſſe proceſſionis hujus ſcopus, in ſtatione fiebat Crucis adoratio, iteratis crebris ante ipſam genuflexionibus, quibus nonnulli pium ſubjungebant oſculum. Ita ferè habet antiquus ordo Romanus : [Ut autem pervenerint cum pſalmis, ubi ſtatio eſt ſanctæ Crucis, clerus populuſque reverenter ſtent per turmas in ordine ſuo cum baiolis & reliquo ornatu, & infantes paraphon ſtæ in loco competenti ſubſiſtentes imponant antiphonam. *Fulgentibus palmis proſternimur advenienti Domino; huic omnes occurramus cum hymnis & canticis glorificantes & laudantes, benedictus Dominus.* Reſpondet ſchola ex parte populi : *occurrunt turba cum floribus & palmis Redemptori Domino, & victori triumphanti digna dant obſequia : Filium Dei olim gentes prædicant, & in laude Chriſti voces tonant per nubila Oſanna.* Tunc ſcholaſtici è regione Crucis lento gradu veniant ante eam, & cum omni reverentia caſulas & cappas in terram jactantes proni adorent crucifixum, clero interim cantante antiphonam *Pueri Hebreorum &c.* His recedentibus, continuo veniant ex latere pueri laïci *Kyrie eleiſon* cantantes, & ſequendo vexillum quod ante eos portatur, veniant ante crucem, & annuente æditūo, jactent ramos palmarum in terram, proni adorando crucifixum, & clerus interim canat antiphonam *Pueri Hebreorum.*] Similia videre eſt in variis diverſarum Eccleſiarum ordinariis, quæ vix variant niſi in modo crucis adorandæ & in cantandis antiphonis aut Reſponſoriis, quæ ſigillatim hic proferre per otium non licet. Uticenſe dumtaxat ordinarium exſcribo : [ſtent in loco conſueto, & dicant quatuor cantores vel ſaltem duo iſtam antiphonam *Ave Rex noſter*, cantando communi voce, choro nihil reſpondente; & proſternant ſe in terram & iterum dicant altiori voce: *Ave Rex noſter* choro tacente; & iterum proſternant & dicant *Pater noſter* ſub ſilentio: quo dicto, deoſculentur terram & ſurgant. Et iterum dicant altiori voce *Ave Rex noſter*, choro tacente, & iterum proſternant ſe ſicut prius. Iterum dicant dicti cantores *Ave Rex noſter* altiſſima voce. Hic non proſternantur ſed chorus accipit *Fili David*, & ſic finit dictam antiphonam.] Brevius ordinarium Gaſtinenſe. [Continuo conveniant ad crucem adorantes, & oſculantes eam unus poſt alterum ordinatè.]

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Crucis adoratio.

XIII. In reditu proceſſionis ad portas civitatis ſive ad valvas Eccleſiæ cantabatur hymnus *Gloria laus*, cujus auctorem faciunt Theodulphum Aurelianenſem epiſcopum, quem cum ille eſſet Andegavis, ut aiunt, vinctus in carcere; tranſeunti cum proceſſione Ludovico Pio imperatori ceciniſſe ſupponunt : cujus modulatio ſuavis iratum ita demulſit imperatorem, ut vinculis abſolutum libertate donarit. Verùm hanc fabellam à neſcio quo gratis confictam validiſſimis rationibus refutat noſter Menardus in notis ad S. Gregorii Sacramentarium. Non negarim tamen hunc hymnum à Theodulpho fuiſſe compoſitum & quidem ad uſum Eccleſiæ Andegavenſis, maximè cùm illum ſub illius nomine citaſſe videatur Lupus abbas Ferrarienſis epiſtola 20.

Hymnus *Gloria laus.*

XIV. Hujus hymni, qui longè prolixior eſt in veteri miſſali Albienſi & in Pictavienſi Pontificali ab annis circiter 800. exarato, quinque aut

Digitized by Google

CAPUT XX. De Dominica Palmarum.

ſex dumtaxat ſtrophas dicimus, quibus finitis, olim epiſcopus, ſive ille qui officio præerat, portas percutiebat dicens *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ*, Cui exiſtentes in Eccleſia reponebant. *Quis eſt iſte Rex gloriæ.* Ad quos cum ille tertio dixiſſet *Attollite portas.* Similemque illi dediſſent reſponſionem; ipſe tandem clamabat *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*: tunc clauſæ aperiebantur valvæ. Ita ferè legitur in miſſali Arelatenſi, in Bituricenſi, in Catalaunenſi, in Pictavenſi, in miſſali canonicorum regularium monaſterii de Aqua viva in diœceſi Turonenſi, in ordinario Rotomagenſi, in Cenomanenſi, & Namnetenſi, in Rituali S. Martini Turonenſi & aliis quibuſdam. Apertis janais, cantor imponebat antiphonam *ingrediente Domino*; tum fiebat crucis adoratio, ſi ad ſtationem facta minimè fuiſſet. Sequebatur miſſa, cujus antequam ritus expendam, operæ pretium eſt hic ea referre quæ de benedictione ramorum & proceſſione inſecuta deſcribit Gerardus presbyter in vita S. Udalrici Auguſtenſis epiſcopi cap. 4. [Eo die, inquit, mane diluculo ad S. Afram veniebat, ſi in præterita nocte ibi non manebat: miſſam de S. Trinitate cantabat, & ramos palmarum diverſarumque frondium benedicebat, evangelioque & crucibus & fanonibus, & cum effigie ſedentis Domini ſuper aſinum, cum clericis & multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem ejuſdem diei compoſitis, & cum magno decore pergebat uſque ad collem qui dicitur *Perleich*; ibique obviam ei veniebat chorus canonicorum cum pulchritudine magna, & cum civibus qui in civitate remanſerant, & qui de oppidis circumjacentibus ipſis ſe jungere voluerunt ibi ad imitandum humilitatem puerorum ceterorumque populorum ramis Palmarum & veſtimentis ſuis viam ſternentium. Iis expletis, vir ſanctus congruentiſſimam admonitionem de Paſſione Domini ad omnes fecit, eo uſque ſæpe ut ille fleret, fletuque ſuo multos flere feciſſet. Admonitione peracta, omnes ſimul Deum laudantes ad Eccleſiam matriculam pervenerunt, ibique miſſam cum eo celebraverunt, & inde omnes ad ſua redierunt.]

Græcorum ritus.

XV. Prætermiſeram penè uſum Græcorum, quem ita deſcribit eruditus vir Jacobus Goartius in notis ad eorum Euchologium pag. 745. [Inter matutinas laudes decantandas Palmarum geſtatio earumque celebritas perficitur à Græcis, cùm ingreſſum miſſæ imitati, à Lampadario facem accenſam geſtante & præeunte cantatur Idiomelon devotum, opus ab impiiſſimo Principe Theophilo, ut Cedrenus refert, editum. *Egredimini gentes, egredimini quoque populi: reſpicite cælorum Regem*, loco enim *Chriſti evangelium procedit*. Tum ad cantum hunc adimplendum ſequitur diaconus & evangelium Chriſti figuram geſtat, cui proindè reverentiam omnes exhibent. Procedit deinde Pontifex, & tandem ſacerdotes ſacras imagines manibus tenentes, & è populo quidam ultimum agmen claudunt; eorumque proceſſione finita, matutinarum precum reſiduum perſolvitur: in quo baïa nullatenus dimittuntur.] Et in obſervationibus ad Codini caput 10. ex Typico notat, [in fine

matutinarum precum, fratribus ad evangelii oſculum accedentibus, Eccleſiæ ſuperiorem Palmarum ramos diſtribuere ad finem uſque officii geſtandos.] Neque verò hîc abs re erit ex eodem Codino ritum in aula imperatoris hac die obſervari ſolitum deſcribere : [Ad feſtum Palmarum media hebdomada ante præparetur ambulacrum ab imperatoris conclavi uſque ad Eccleſiam pertingens. Sabbato Lazari noctu floribus ſternunt ambulacri pavimentum, veſtiuntque omnes ejus columnas vel myrthorum, vel laurorum, vel olivarum ramis; & illuceſcente jam die Dominica de repente apparet extructum jam & præparatum ambulacrum.

Caput XX. De Dominica Palmarum.

Dum ergo matutinum decantatur, mutat indumenta ſua imperator, & egreditur è ſuo conclavi cum prædictis veſtimentis ſuis. Et aliis quidem feſtis fert in capite & corpore ex ſuis geſtaminibus arbitratu ſuo quodcumque voluerit, ut antea explicatum eſt. Hoc autem Palmarum feſto nihil aliud fert niſi ſtemma & ſaccum, dextra portans crucem, ſiniſtra mantile cum acacia, ut moris eſt, & lampadem. Similiter & proceres induunt uſitata ſibi indumenta, ut antea dictum eſt.

Prior ergo in ambulacrum venit Lampadarius, lampadem ferens, totumque feſto proprium canticum decantans *Egredimini gentes, egredimini populi; contemplamini hodie Regem calorum : Chriſti enim figuram gerens evangelium progreditur.* Deinde imperator & filius ejus imperatoris, ſi adſit : qui ſi ſit coronatus, fert & ipſe inſtar Patris ſtemma, imperatorem & Patrem ſuum ſubſequitur; ſi verò non ſit coronatus; tunc fert ſertum & velum, ut antea diximus. Poſt quem aſcendunt deſpotæ; deinde Archidiaconus cum evangelio, poſteà Patriarcha, ſi præſentes ſint induti indumenta ſua : poſt iſtos quatuor vel quinque ſacerdotes portantes ſacras imagines.

His igitur hunc in modum per ambulacrum uſque ad Eccleſiam abeuntibus, finitur ibidem matutinum. Deinde imperator eo quo dictum eſt modo revertitur, præeunte Lampadario.]

XVI. Venio ad divinum officium, quod tertio loco hic diſcutiendum ſuſcepimus. [A die Palmarum, inquit Pontificale Salisburgenſe, uſque in Cœnam Domini gloriam non dicunt, nec in reſponſoriis, nec in pſalmis, nec invitatorium cantant.] Hic ritus ſingularis fuiſſe videtur illi Eccleſiæ, neque alicubi memini me legiſſe invitatorium in divinis officiis prætermiſſum, aut *Gloria Patri* in pſalmis ante feriam V. in Cœna Domini, niſi fortè in aliquibus horis diurnis. In ordinario tamen Argentino reperio invitatorium ſine *Gloria Patri* in fine.

Paſsionis lectio in nocturnis vigiliis.

XVII. In tertio nocturno tres de Paſſione Domini ſecundùm Matthæum lectiones pronunciari jubet ordinarium Gaſtinenſe : eamque totam & integram pro ſeptima lectione aſſumebat olim Eccleſia Laudunenſis, quæ ejuſdem expoſitionem ad octavam nonamque lectionem adhibebat. Sed in Eccleſia Lugdunenſi nona lectio erat de Paſſione ſecundùm Marcum, quam etiam in Lingonenſi totam legebat is qui in

chоro digniorem locum occupabat. Atque is uſus viguit in Eccleſia Romana, ut fidem facit Benedictus S. Petri canonicus in ſuo ordine Romano.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Hymni ad horas prætermiſſi.

XVIII. Officium Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ita deſcribit ſupradictum Laudunenſe ordinarium [ad Tertiam non dicitur *Deus in adjutorium*, nec hymnus, ſed pſalmus *Legem pone* cum aliis pſalmis. *Gloria Patri* non dicitur, nec capitulum, ſed finitis pſalmis, cantatur ℞. *Ingrediente Domino*, nec reiteratur. Oratio *Omnipotens*, & non dicitur *Dominus vobiſcum*, ſed *Oremus*. Similiter in fine non dicitur *Dominus vobiſcum*, nec *Benedicamus Domino*. Sic fit in Sexta & Nona.] Simili ferè modo ordinarium Cabilonenſe: [ad Tertiam, Sextam, Nonam non hymni, non capitulum, non Reſponſorium, ſed remiſſa voce, & ſine nota. ℞. *Ingrediente Domino* ſine ℣. dicitur. Oratio, *Dominus vobiſcum*, & *Benedicamus* incipitur ſicut ſuper hebdomadam.] Hymnos etiam & capitula ad Tertiam, Sextam, & Nonam ſupprimit Breviarium ms. Eccleſiæ Catalaunenſis ab annis circiter 400. exaratum. In Lingonenſi idem fuit uſus, immò etiam ad veſperas ex illius ordinarii præſcripto nec hymnus dici debet.

Singularia in miſſa.

XIX. Ad miſſam ornamenta coloris rubri vulgò adhibebant. Ita jubent Ordinarium Argentinum, Lingonenſe, Lemovicenſe S. Stephani & S. Martialis, Carnotenſe S. Joannis, Conſuetudines canonicorum regularium Caſſanenſis monaſterii. Diaconis & ſubdiaconis Dalmaticam & tunicam concedit Eccleſia Rotomagenſis ex notis ad Joannem Abrincatenſem p. 105. Tractum in Landunenſi cantabant [ſex canonici in utroque pulpito, duo ſacerdotes, duo diaconi, & duo ſubdiaconi in utraque parte tres.] Sed in Arelatenſi tres tantum Tractus primi verſiculi cantabantur in majori miſſa.

XX. Ante Paſſionem diaconus ſolito more populum ſalutabat dicens *Dominus vobiſcum* idemque præſtabat feria tertia & quarta, non autem ſexta in qua nulla fit ſalutatio. Hæc in inſigni Viennenſi Eccleſia ab Archidiacono ultra Rodanum & duobus presbyteris pronunciabatur. In miſſali Albienſi iſta Paſſionis verba *Eli Eli Lammaſabacthani* cum ſuavi vocis modulatione cantanda præſcribuntur. Ad verba quæ Chriſti mortem annunciant proſtrationem ad terram præſcribunt ordinarium Rotomagenſe, & Narbonenſe atque miſſale Toloſanum, cunctis interim orationem Dominicam recitantibus, de qua proſtratione tamen altum alibi ſilentium.

XXI. Dum legitur Paſſio ramos omnes manu geſtare ſolemus, & rectè quidem, nam ut ait Rupertus lib. 5. de divinis officiis cap. 10. [Quia Pater illum hac die tradidit, & calicem Paſſionis dedit illi, rectè *Paſſio legitur* cum eiſdem, cum quibus exceptus eſt palmarum ramis,] Interim populus quibuſdam in locis ex eiſdem palmarum ramis parvas ſibi conficit cruces, quas adversùs morbos & tonitrua non parum prævalere arbitratur. Quæ quidem devotio fundamentum habere poteſt in quibuſdam orationibus ad benedicendos ramos à nobis ſupra relatis,

quibus rogat ſacerdos, ut *Qui eas pia devotione pro expellendis languoribus, & expugnandis inimi.i inſidiis* geſtaverint, in ſuis habitationibus ſint ſecuri. Ex miſſali Athanacenſis monaſterii à benedictione ramorum, eos cuncti manu deferre debent uſque ad offertorium, [& tunc, inquit, quilibet offerat ſacerdoti ramum ſuum cum manipulo ſuo.] Quippè ſacerdotes omnes manipulos in proceſſione geſtabant. Ramos etiam in miſſa offerebant monachi omnes, & Rotomagenſes Canonici S. Laudi ſed canonici regulares cruceſignati & fratres Prædicatores in reditu proceſſionis ſuper gradus altaris eos projiciebant, mox à ſacriſta inde aſportandos, idque ut opinor ad imitandam judaici populi pietatem, qui hac die ramos palmarum venienti Domino proſtraverunt.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

XXII. In libro 3. de antiquis monachorum ritibus demonſtravimus Paſſionem olim privatis in miſſis non recitatam fuiſſe à monachis, ſed ejus loco evangelium de Chriſti in civitatem ingreſſu. Concinit miſſale Athanacenſe his verbis: [Dominica in ramis Palmarum ambæ miſſæ ſunt de Dominica, & in majori miſſa dicitur Paſſio; in matutinali verò evangelium *Cùm appropinquaſſet*. In miſſis privatis poteſt dici Paſſio vel prædictum evangelium pro devotione celebrantis.] Similia videre eſt in antiquo ordinario Gemmeticenſis monaſterii. In miſſali etiam Arelatenſi ad arbitrium Archiepiſcopi relinquitur Paſſionem in miſſa cantare aut evangelium *Cùm appropinquaſſet*. In Ambroſiano anno 1560. edito duæ habentur miſſæ, una dicenda in minori Eccleſia, in qua legitur evangelium ſecundùm Joannem *Turba multa* uſque ad *Benedictus qui venit in nomine Domini*; altera in majori Eccleſia, cujus evangelium ſecundùm Joannem *Proximum erat Paſcha Judæorum &c.* uſque ad *Quia multi propter illum abibant ex judæis & credebant in* JESUM. Hinc colliges lectam non fuiſſe Paſſionem in Eccleſia Mediolanenſi die Dominica Palmarum; ſed neque ſequentibus feriis ſecunda tertia aut quarta. Feria 5. in Cœna Domini de Paſſione Domini ſecundùm Matthæum habetur lectio ad uſque Petri fletum & pœnitentiam; reſervatis quæ ſequuntur ex eadem paſſione in ſubſequentem feriam ſextam. Idem erat uſus Mozarabum, niſi quod unicam ex quatuor evangeliſtis Paſſionem conficiebant, cujus primam partem uſque ad S. Petri pœnitentiam in cœna Domini, reliqua in Paraſceve legebant. Qui ritus proceſſit ex antiqua Liturgia Gallicana, in qua unica etiam ex quatuor evangeliſtis Paſſio pronunciabatur feria 6. Tametſi in miſſali Bobienſi ſola ſecundùm Joannem Paſſio contineatur. In Africa etiam tempore S. Auguſtini unica legebatur Paſſio ſecundùm Matthæum, ut conſtat ex ejus Sermone 232. novæ editionis, cujus hæc verba: [Paſſio autem quia uno die legitur, non ſolet legi niſi ſecundùm Matthæum. Volueram aliquando ut per ſingulos annos ſecundùm omnes evangeliſtas etiam Paſſio legeretur. Factum eſt. Non audierunt homines quod conſueverant, & perturbati ſunt.]

Paſsio in privatis miſsis prætermiſſa.

Paſsio ſemel tantum in feria 6. olim lecta.

XXIII. Hæc ſunt præcipua quæ de ritibus ad Dominicam Palmarum pertinentibus dicenda habebamus, ut autem ea ampliùs eluceſcant, & quæ prætermittere potuimus non pereant, integros inſigniorum, qua-

rumdam Eccleſiarum ritus, prout jacent in earum Pontificalibus libri miſſalibus, aut ordinariis, hic ſubjicere viſum eſt.

ORDO I.

In Dominica Palmarum.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis annorum circiter 800.

D*ominica indulgentia quæ eſt dies palmarum ante horam tertiam ingrediuntur in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis ſacris, & pergunt ad Eccleſiam cum ſilentio, ubi pro conſuetudine loci rami palmarum, olivarum, ſalicum, & diverſarum frondium, ſive etiam flores multiplicium colorum præparati ſunt, & benedicuntur iidem rami.*

Benedictio eorumdem.

Deus cujus filius pro ſalute generis humani &c. *ut in ordine Rom.*

Poſt hæc accipiunt palmas juxta diſtributionem Prioris, & incipit primus ſcholæ antiphonas has. Pueri Hebræorum tollentes. Pueri Hebræorum veſtimenta.

His finitis, incipiunt reverti in Eccleſiam majorem ad ſtationem cantantes antiphonas has: Ante ſex dies. Cum appropinquaret. Cum audiſſet. *Item antiphonæ & reſponſoria de paſſione Domini ipſius diei* ℟. Collegerunt ℣. Unus autem. ℟. Fratres mei. ℟. Circumdederunt me. ℟. Concluſit vias meas. ℟. Contumelias. ℟. Facta eſt lingua ℟. Inſurrexerunt. *Et alia quæ primus ſcholæ voluerit, ſi via in procedendo longior fuerit.*

Item quando reditur & porta loci intratur, canitur à duobus pueris in loco ubi altare ſolemniter ſtatutum fuerit & vallatum decore cortinarum & palliorum, hic verſus

Antiphona de capite hujus verſus.

Gloria laus & honor tibi ſit, Rex Chriſte, Redemptor,
Cui puerile decus promſit hoſanna pium.
Iſraël es tu Rex, Davidis & inclita proles,
Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis.
Cœtus in excelſis te laudat cælitus omnis,
Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul.
Plebs hebræa tibi cum palmis obvia venit;
Cum prece, voto, hymnis, adſumus ecce tibi.
Hi tibi paſſuro ſolvebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos

Hi

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Hi placuere tibi, placeat devotio noſtra,
Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Fecerat Hebræos hos gloria ſanguinis alti,
Nos facit Hebræos tranſitus ecce pius.
Inclita terrenis tranſitur ad æthera victis
Virtus à vitiis nos capit alma tetris.
Nequitia ſimus pueri, virtute vegeti,
Quod tenuere Patres da teneamus iter.
Degenereſque Patrum ne ſimus ab arte priorum:
Nos tua poſt illos gratia ſancta trahat
Sis pius aſcenſor, tuus & nos ſimus aſellus:
Tecum nos capiat urbs veneranda Dei.
Veſtis apoſtolica rutilo fulgore tegamur:
Te bene docta ut eis noſtra caterva vehat.
Tegmina ſive animæ, ſternamus corpora noſtra;
Quo per nos ſemper ſit via tuta tibi.
Sit pia pro palma nobis victoria ramis,
Ut tibi victrici ſorte canamus ita.
Caſtaque pro ramis ſalicis præcordia ſunto,
Noſque operum ducat prata ad amœna virorum.
Pro ramis oleæ pietas, lux, dogmaque ſancti
Flaminis in nobis ſit tibi rite placens
Arbore de legis cadamus dogmata quædam,
Queis veniendi ad nos ſit via tuta tibi.
Noſtraque ſic præſens celebret devotio feſtum
Continua ut valeant annua feſta ſequi.

Quo verſu finito, accipiunt duo diaconi deſuper altare feretrum Reliquiarum & Evangeliorum; & humeris imponentes pergunt ſuper ſtratoria, revertentes in Eccleſiam majorem; ubi miſſarum ſollemnia celebranda ſunt, cantantibus omnibus antiphonam Cœperunt omnes turbæ, *Sive alias. Antiph.* Turba multa. *Antiph.* Occurrunt turbæ. *Antiph.* Oſanna filio David. *Antiph.* Cum angelis. *Cum autem cœperint introire in Eccleſiam; primus ſchola incipit excelſa voce.* ℞. Egrediente Domino. *Et poſt hæc incipitur antiph. ad introitum, & celebratur miſſa ordine ſuo. Obſervandum eſt autem, ut ab ea Dominica, quam ſedes apoſtolica medianam vocat, in qua incipiunt cantare de paſſione Domini, non dicatur* Gloria *in Reſponſoriis, & invitatoriis uſque in Dominicam ſanctam Paſcha.*

Lectio S. Evangelii ſecundum Lucam

In illo tempore factum eſt cum appropinquaſſet Jeſus ad Bethphage & Bethaniam *&c. uſque* lapides clamabunt.

Digitized by Google

CAPUT XX.
De Dominica Palmarum.

Lectio S. Evangelii ſecundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis : Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua *&c. uſque* Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes

Paſſio Domini noſtri Jeſu-Christi ſecundum Matthæum.

Dixit Jeſus diſcipulis ſuis : Scitis quia poſt biduum paſcha fiet *&c. uſque* ſignantes lapidem cum cuſtodibus. *Finit Paſſio.* Veſpere autem ſabbati &c. *uſq. ad finem.*

Lectio S. Evangelii ſecundum Joannem.

Nonne ego vos duodecim elegi : & ex vobis unus diabolus eſt *&c. uſque* Et ibi morabitur cum diſcipulis ſuis.

ORDO II.

Ex ms. S. Victoris n. 99. 15. annorum circiter 500.

ORDO II. IN DIE PALMARUM.

Secunda hora diei mediante, Sacerdos & omnis clerus conveniant in Eccleſiam miſſalibus veſtimentis induti, & expoſitis in medio palmarum, vel olivæ, ſeu aliarum arborum ramis, primum benedicat Sacerdos ſalem & aquam, ac benedicendo commiſceat. Poſteà dicat orationem hanc
Deus quem diligere.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus Lauda & lætare filia Sion *&c. uſq.* Et erit Dominus rex ſuper omnem terram.
Antiph. Collegerunt &c. ℣. Unus autem &c.

Secundum Lucam.

In illo tempore cum appropinquaſſet Jeſus Bethphage *&c. uſq.* Lapides clamabunt.

Deinde benedictio Palmarum.

Deus cujus filius pro ſalute generis humani *&c. Alia* Deus qui olivæ ramum &c. *Alia.* Omnipotens ſempiterne Deus, flos mundi.

Exorciſmus frondium.

Caput XX. *De Dominica Palmarum.*

Exorcizo te omnis creatura foliorum vel frondium. *Oratio.* Deus qui filium tuum unigenitum &c. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda Habemus ad Dominum Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.

Præfatio.

Vere dignum. æterne Deus, mundi conditor *Deinde dicat Cantor iſtam antiphonam* Aſperges me Domine. *Deinde oratio* Deus qui filium tuum Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum pro ſalute noſtra &c.

Dicta oratione, expanduntur palmi & rami publice cum antiphona Turba multa. *Cum pſalmo* Cantate Domino *Item oratio.* Auge fidem in te ſperantium.

Tunc exeuntes de Eccleſia has imponunt antiphonas Ante ſex dies &c. *Antiph.* Cum appropinquaret &c. *Antiph.* Cum audiſſet. . . . . . . Gloria laus &c.

Quibus finitis, Presbyter progrediatur cum cruce alia ſecum clericorum comitante catervula, hanc interim ipſi cantando antiphonam Omnes conlaudent &c. *Qua cantata, ante crucem in terram proſternentes cappas, caſulaſque projicientes, cantor dicat antiphonam* Pueri Hebræorum veſtimenta. *Deinde ex alia parte fidelium laicorum cum cruce progrediente catervula* Kyrie eleiſon *honorifice cantantes, illiſque ſimiliter proſternentibus, palmaſque projicientibus, iſta dicatur antiphona.* Pueri Hebræorum tollentes &c. *Poſteà vero Epiſcopo, ſeu alio aliquo Presbytero, vel Præpoſito ververient. . . . producto Cantor hanc imponat antiphonam* Oſanna filio David &c. *Illo quoque tandiu orante hac uſque dum finiatur antiphona.* Scriptum eſt enim percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis, poſtquam autem reſurrexero præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis dicit Dominus.

Deinde tota populorum turba ramos palmarum projiciendo in terram proſternat cum antiphona. Fulgentibus palmis proſternimur adveniente Domino, huic omnes occurramus cum hymnis & canticis glorificantes, & dicentes Benedictus Dominus.

His omnibus expletis. Ad proceſſionem Dominicæ imaginis illataque undique populorum vallata multitudine cantor dicat antiphonam Occurrunt turbæ cum floribus & palmis &c. ℟. Synagoga cœperunt. *Iſta cum antiphonis aliis ſeu reſponſis uſque ad introitum cantentur civitatis. Ad ingreſſum dicatur reſponſorium* Ingrediente Domino.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Biſuntinæ

INCIPIT ORDO PROCESSIONIS IN RAMIS PALMARUM.

C*Antata Prima, & ſoluto capitulo, conveniant canonici S. Stephani de monte cum proceſſione & omni decore ad majorem Eccleſiam: conveniant & cetera congregationes, excepta S. Pauli: conveniat & omnis populus tam de urbe quam de ſuburbanis; & collecti in unum, eant ad S. Paulum. Mox ut exire cœperint ab Eccleſia incipiat major cantor* ℟. Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem eum. Dixerunt autem ei diſcipuli ejus; Domine, ſi dormit, ſalvus erit. ℣. Dixerat Jeſus de morte ejus. illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret. Domine.

Cum autem venerint ad oſtium Eccleſiæ S. Pauli, ſecundus cantor ℟. Sancte Paule &c. *Finito* ℟. *cantetur Tertia &* ℟. *ad Tertiam.* Fratres mei elongaverunt à me, & noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me. ℣. Amici mei & proximi mei. quaſi.

Interim dum cantatur Tertia, præparat ſe Domnus Archiepiſcopus, diaconus, & ſubdiaconus, & acolythi cum candelabris & thuribulis. Mox finita Tertia, veniunt ante altare; & reſidente Archiepiſcopo in ſede ſubdiaconus, incipit legere. Lectio libri Exodi. In diebus illis venerunt filii Iſraël in Helim *&c. uſq.* Et ecce gloria Domini apparuit in nube. *Finita epiſtola, incipiat cantor* Circumdederunt me viri mendaces &c. *Tunc diaconus dicat excelſa voce* Dominus vobiſcum. Secundum Marcum. Cum appropinquarent Jeroſolymis & Betaniæ ad montem olivarum *&c. uſq.* Oſanna in excelſis.

Finito evangelio, benedicat epiſcopus vel decanus palmas & flores cum ramis olivarum hoc modo: Dominus vobiſcum. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus qui in diluvii effuſione &c. *Poſteà incipiat cantor S. Joannis antiphonam* Pueri Hebræorum &c. *Tunc Cantor S. Stephani incipiat aliam antiphonam* Pueri Hebræorum veſtimenta &c. *Tunc Cantor S. Pauli incipiat tertiam antiphonam* Turba multa. *Tunc diſtribuantur palmæ cum olivis & ramis. Poſt datas palmas ſequatur oratio hæc* Omnipotens ſempiterne Deus, qui Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum die azimorum &c.

Qua finita, incipiat exire proceſſio. Primum aqua benedicta dehinc vexilla; tunc candelabra, ſicque thuribula, dehinc cruces, tunc ſubdiaconi cum evangeliorum libris, tunc feretrum cum reliquiis, ſicque duo acolythi cum candelabris, duo cum thuribulis aureis; inter hos medius Diaconus, indutus dalmatica portans brachia Domni Stephani. Poſt hos exeant ſchola cum timore Dei & reverentia; ſicque ſeniores incipientes à minoribuſque ad majores, incedentes bini & bini. Dominus autem Pontifex veniat ul-

*timus omnium, quem precedat crux * ſicut ſolito appoſito vexillo : poſt hunc turba populorum. Cantores autem non incedunt in ordine cum aliis ; ſed tenentes virgas in manibus muniant proceſſionem ex utraque parte, incedentes nunc ante, nunc retro, comprimentes tumultum, monentes clerum, & cum Dei timore cuncta fiant honeſte. Ad ordinem proceſſionis redeamus.*

* f. fine

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Poſtquam ut ſuprà diximus, proceſſio extra Eccleſiam fuerit, incipiat major cantor antiphonam. Cum appropinquaſſet &c. *Quæ ſic protendatur donec ad capitolium perveniatur. Clerici cum proceſſione monticulum aſcendant & ibi ordinent ſe honeſtè & religioſè ; turba autem in convalla ſtet. Tunc unus è cantoribus incipiat antiphonam* Occurrunt turbæ &c. *Qua finita, fiat verbum ad populum : Quo completo, diſcooperitur crux, quæ ibi fuerat præparata. Mox Domnus Archiepiſcopus proſternat ſe ad adorandam crucem, & incipiat antiphonam* Ave rex noſter &c. *Et interim dum hæc cantatur, crux ab omni populo adoratur. His finitis, ordinant ſe ſicut prius, & teneant captum iter, pſallentes antiphonam* Cum audiſſet populus &c. *Et cum venerint ad portam Martis, quæ nunc dicitur nigra ; ſtent pueri ſuper murum civitatis cantantes laudes* Gloria laus &c. Iſraël es tu &c. Cœtus in excelſis &c. Plebs Hebræa &c. *Finitis his verſibus, aperiantur portæ civitatis, & ingrediente proceſſione, incipiat unus è cantoribus* ℞. Ingrediente Domino, &c. *Et ſic aſcendant ad montem canendo* ℞. Circumdederunt me, *Et cetera reſponſoria de Paſſione, quouſque veniat in choro. Tunc incipiat Cantor antiphonam* Collegerunt &c. *Et cantetur ſtudioſè, quâ finita, eligantur vociferati qui cantent* ℣. Unus autem &c.

His omnibus finitis, induat ſe Domnus Archiepiſcopus, & procedit è ſacrario, accinctus palleo, planeta rubicunda, aut ex purpura ſanguinea. Similiter diaconus qui Paſſionem eſt lecturus : ceteri diaconi purpureas planetas ; ſimiliter & ſubdiaconi. Cætera omnia fiant, cum omni decore, ſicut decet tantum diem. Finita miſſa, revertuntur congregationes ad propria. Finit.

ORDO IV.

Ex ms. ordinario inſignis Eccleſiæ Turonenſis.

AD *Primam tempeſtivè pulſetur : quâ dicta ſtatim pulſatur ad Tertiam ; quâ pulſata, ſtatim benedicuntur rami ad majus altare per majorem vel hebdomadarium, & diſtribuuntur. Et poſt ſtatim proceſſio ad S. Lupum cum vexillis, cruce & candelabris ; & Archiepiſcopus, ſi ſit præſens, ſit ultimus ſuper* a *album equum coopertum pallio. Eundo cantatur* ℞. In die qua *cum aliis : & defertur capſa argentea in proceſſionibus de quatuor presbyteris curatis, reveſtitis in albis cum manipulis & ſtolis, videlicet rector*

a Paſchalis II. Papa ad Guidonem Papienſem epiſcopum ſcribens epiſt. 86. ipſi ac ſucceſſoribus concedit *in proceſſione palmarum & feria ſecunda poſt Paſcha equum album equitare udone coopertum.*

Digitized by Google

CAPUT XX
De Dominica Palmarum.

S. Clementis, S. Simplicii, S. Dionyſii, & B. Mariæ Divitis; & appropinquantes ad S. Petrum, cantor incipit Miſerere. *In ingreſſu Eccleſiæ S. Lupi cantor incipit.* ℟. S. Lupe *ſine verſu hebdomadarius* ℣. Gloria & honore *cum collecta* Exaudi *ſine* Benedicamus Domino. *Et ſtatim incipit Tertiam. Poſtea pro eſſio ad Crucem Buratam. Tunc canonicus diaconus ante crucem in ſuperpelliceo cum ſtola legit evangelium* Cum appropinquaſſet; *thurificatione præcedente. Qua lecta, fit Sermo ad populum. Quo finito, una pars chori ex una parte, ab oriente eſt, in illa cantor: Et altera pars ab occidente. Et dictis duabus partibus chori ſic ab invicem ſeparatis, media cruce inter eas, incipit cantor antiphonam* Cœperunt. *Qua dicta, altera pars chori eamdem antiphonam totam decantat: & ſic alternatim reincipitur donec fuerit cantata ter. Poſt hæc alia antiphona* Occurrerunt turbæ: *Quæ ſimiliter ter dicitur ab utraque parte: Et cum dicitur.* Et victori triumphanti, *Flectunt omnes genua ad terram. Quo facto, redeat proceſſio: procedentes pueri de choro, & aſcendunt ſuper muros portarum civitatis. Et tunc clauduntur portæ. Deinde incipit cantor* Gloria laus. *Reſpondent pueri* Iſraël es tu. *Item cantor* Gloria laus. *Pueri* Cœtus *Cum ceteris: ad quemlibet.* ℣. Gloria laus. *His finitis, præſul, vel major, ſive cantor pulſans ad portas cum baculo cantat* Attollite portas &c. *Pueri reſpondent.* Quis eſt iſte? *Et ſic fit tertio. Et tunc aperiuntur portæ, & in ingreſſu cantor incipit* ℟. Ingrediente Domino. *Et proceſſio vadit ad Eccleſiam.*

ORDO V.

Ex ms. ordinario inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis.

F*Initis matutinis, deferatur Corpus Domini ad locum determinatum in feretro à duobus ſacerdotibus de ſecunda ſede in albis: & ſunt 12. famuli circa feretrum portantes 12. torchias, quas debet Archiepiſcopus: & duo de prima ſede ferant duas torchias chori, & aſſocient Corpus Domini uſque ad Atrium S. Gildardi.*

Cantata Tertia, clerus & populus totius civitatis ad matrem Eccleſiam conveniant, & proceſſione ordinata cum Cruce diſcooperta & candelabris ad altare crucis, in quo benedictio Palmarum fiet, pergat; & cantor incipiat antiphonam Ante ſex dies ſolemnitatis *Sequitur alia antiphona* Ante ſex dies Paſſionis. *Finita antiphona, dicat Archiepiſcopus vel ſacerdos ſuper ramos orationem* actiones noſtras. *Finita oratione, ſubdiaconus reveſtitus verſo vultu ad populum in pulpito legat quaſi lectionem cum titulo,* Dicite filiæ. *Qua finita, cantor incipit* ℟. Circumdederunt. *Quo finito, evangelium, à diacono cum dalmatica legatur in pulpito* Cum appropinquaſſet. *Quo lecto, ſequitur benedictio ramorum. Poſteà Dominus Archiepiſcopus vel ſacerdos ſuper ramos aquam benedictam ſpergat; & hæc oratio ſequatur* Deus qui per olivæ ramos. *His ita peractis, diſtribuentur*

rami... hoc peracto, pergat proceſſio ad locum deſtinatum... Cum autem ventum fuerit ad locum ubi ſtatio debet fieri; fiat ſermo ad populum. Quo finito, quinque de ſecunda ſede cantent in albis hos verſus ante feretrum ubi Corpus Domini fuerit portatum ad illum locum privatum ante lucem illius diei. ℣. En Rex venit. *Quo finito Dominus Archiepiſcopus, vel ſacerdos, cantor, diaconus, & ſubdiaconus de ſtatione ſua flectendo genua.* Salve quem Jeſum *incenſando: Quinque clerici* Hic eſt qui de cælis venit. *Dominus Archiepiſcopus, cantor, diaconus, ſubdiaconus, & chorus* Salve lux mundi, *incenſando & flectendo genua. Quinque clerici* ℣. Hic eſt ille qui ut agnus. *Interim ſicut prius Dominus Archiepiſcopus, cantor, Diaconus, & ſubdiaconus, vertant ſe ad feretrum; & incenſent Corpus Chriſti honorifice, cantore incipiente cum Domino Archiepiſcopo & reveſtitis incenſando, & ter repetatur. Et chorus ducat ad finem* Dignus es Domine; *Alia antiphona* Oſanna filio David. *Hoc finito, proceſſio redeat... Cum autem proceſſio ad portam civitatis ornatam venerit; ſex pueri turrim aſcendant; & hos verſus feſtive cantent* Gloria laus & honor *Domnus Archiepiſcopus vel ſacerdos. Cantor cum reveſtitis incenſando incipiant* Gloria laus *Flectendo genua. Et chorus dicat ad finem. Sex pueri* Iſraël es tu rex. *Chorus flexis genibus, Domnus Archiepiſcopus cantor & alii* Gloria laus ut prius. *Item pueri* ℣. Cœtus in excelſis. *Dominus Archiepiſcopus vel ſacerdos & alii ut prius. Item pueri* Plebs Hebræa. Gloria laus *ut ſuprà. Hoc finito, Dominus Archiepiſcopus vel ſacerdos cantor cum reveſtitis incipiant antiphonam, & omnes flectant genua; & chorus finiat.* In nomine Domini Jeſu. *Qua finita, cantor incipiat* ℟. Ingrediente Domino. *Et intret proceſſio urbem... ad introitum atrii cantor incipit* ℟. Collegerunt Pontifices. *Quatuor presbyteri de majori ſede cum rubris & viridibus cappis induti ante januas Eccleſiæ cantent hunc verſum* Unus autem ex ipſis. *Chorus* ne forte. *Hoc finito, intret proceſſio Eccleſiam, & feretrum in quo Corpus Domini fuerit, ante portas Eccleſiæ à duobus presbyteris in tranſverſum ablatum teneatur, & clerus & populus ſubintret. Hoc finito, ſtatim diſcooperiatur crucifixus: & Dominus Archiepiſcopus, vel ſacerdos, cantor, diaconus, & ſubdiaconus, incipiant flectendo genua* Ave Rex noſter. *Et chorus* Ave Rex noſter. *Et totam deinceps finiant antiphonam* Fili David. *Qua finita, quatuor diaconi de ſecunda ſede nigris cappis induti in pulpito retro crucifixum verſis vultibus ad ſeipſos cantent hoc* ℟. Circundederunt *Cum* ℣. Et regreſſus. *Quo finito, ad introïtum chori, cantor incipiat antiphonam* Principes ſacerdotum. *Et cantando intret proceſſio chorum. Sequitur alia antiphona, ſi neceſſe fuerit*, Multa turba Judæorum. *Qua finita, Dominus Archiepiſcopus ſi præſens fuerit, benedicat populum: & incipiatur miſſa à duobus de ſecunda ſede.... Graduale duo de ſecunda ſede in in albis.* Tenuiſti manum. ℣. quam bonus. *Non reiteretur. Et debent habere quilibet unum galonem vini à colerario Domini Archiepiſcopi Tractum quatuor canonici ante altare, duo de majori ſede & duo de ſecunda ſede in albis* Deus Deus meus *Ad Paſſionem Domini dicatur* Dominus vobiſcum. *Sed* Gloria tibi Domine *Non reſpondeatur... Et cum venerit ad*

locum ubi dicitur Emiſit ſpiritum , *Omnes proſternant ſe ad terram.*

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

ORDO VI.

Ex mſ. ordinario Eccleſiæ Argentinæ.

P*Oſt Primam , cantor canonicus ſit præparatus in ſede ſua , & ſacerdos cappa indutus ſuper albam cum miniſtris dalmaticis & ſubſilibus indutis, & hebdomadarius cum incenſo , & pueri quinque cum una cruce & duobus vexillis ac duobus candelabris , procedat ad menſam cum panno ſerico coopertam ante altare , & ibi benedicat palmas. Et primò legatur ibidem ſuper pulpito à ſubdiacono lectio ſine titulo ſic dicendo:* In diebus illis venerunt filii Iſraël. *Deinde procedant quos cantor vocaverit ſuprà ambonem ante* altare miſſæ defunctorum , & incipiant ℟. *Collegerunt , & chorus proſequitur* Pontifices & Phariſæi *uſque* credent in eum. *Cantores ſubjungent* ℣. Unus ex ipſis. *Quo finito , chorus proſequitur.* Ne fortè veniant. *Deinde legatur evangelium à Diacono coram altari in loco ubi privatis diebus ſolet legi* Cùm appropinquaret. *Sequitur benedictio Palmarum : quâ finita , imponat cantor antiphonam* Turba multa. *Tunc vadant omnes ſericis cappis induti cum proceſſione ad locum palmarum , videlicet in ambitum tranſeundo per capellam S. Joannis , ſi tempus ſerenum eſt : Sin autem , tranſeant in monaſterium , & cantor vadat poſt præpoſitum in illa proceſſione , quem ſequuntur miniſtri altaris induti ſicut dictum eſt ſuprà , & ſtabunt ibi in ultimo loco ſtationis uſque ad ultimum verſum* Gloria laus. *Sed hebdomadarius cum thuribulo interim vadat ad crucem , & ibi ſtabit uſque ad finem officii. Sequens antiphona cantetur pergendo ad locum palmarum. Antiphona.* Ante ſex dies. *Cùm autem ſteterint in ſtatione , cantor imponet antiphonam* Cùm audiſſet populus. *Quæ cantetur à majore proceſſione , id eſt à choro præpoſiti , & ad eundem chorum verſus ſcholam vertat ſe cantor interim. Quâ finita , cantor vertens ſe ad chorum decani verſus capellam S. Gregorii & imponet antiphonam.* Cùm appropinquaret. *Quæ ab eodem choro cantetur. Quâ finita incipiant tres pueri vel plures* Gloria laus , *Et cantent quantum cantor juſſerit. Interim epiſcopus vel ſacerdos vice ejus poſitus , cum cantore accedant ad crucem ; ita tamen quod per aliquod ſpatium diſtent à cruce & proſternant ramos palmarum cantore incipiente antiphonam* Pueri Hebræorum tollentes. *Hic ſacerdos proſternat manipulum verſus crucem cum antiphona* Pueri Hebræorum veſtimenta , *Cantore incipiente & concinente. Hic flexis genibus cantet ſacerdos hunc verſum.* O crux ave ſpes unica, hoc Paſſionis tempore. *Hic ſurgat ſacerdos accedendo parum verſus crucem, & chorus interim ſupplet cantando prædictum verſum* Auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam. *Hunc verſum cantet tribus vicibus , prout ſuprà , & tertia vice finito verſu proſternat ſe in modum crucis ſacerdos coram cruce , & cantor imponet antiphonam* Scriptum eſt enim percutiam paſtorem ; *Et*

ſic

ſic cantando percutiat ſacerdotem tribus vicibus cum palma ſupra dorſum, & chorus perficiat antiphonam cantando & diſpergentur oves. *Et hæc etiam antiphona cantetur tribus vicibus, prout ſuprà & ſacerdos interim jaceat proſtratus. Hic proſternat ſe clerus & omnis populus. Antiphona* Fulgentibus palmis. *Sequens antiphona cantetur redeundo. Antiphona* Occurrunt turbæ. *In ingreſſu Eccleſiæ per capellam S. Andreæ cantetur* ℟. Ingrediente Domino. ℣. Cumque audiſſet. *In ingreſſu chori* ℟. Circumdederunt me *ſine verſu. Quo finito, cantor vadat ad cameram exuendo ſe, quia in reliquo officio ſummiſſarius poteſt ſupplere vices ejus.*

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

ORDO VII.

Ex antiquo miſſali inſignis Eccleſiæ Sariſberienſis.

Poſt aſperſionem aquæ benedictæ legatur hæc lectio ad gradum altaris, ex parte auſtrali ab acolytho alba induto ſuper flores & frondes cum ſuo titulo Lectio libri Exodi. In diebus illis venerunt filii Iſrael in Helim &c *Statimque ſequatur Evangelium: & legatur ubi leguntur evangelia in ferialibus diebus à diacono ad orientem converſo, more ſimplicis feſti poſt acceptam benedictionem.* Secundùm Joannem. In illo tempore Turba multa quæ convenerat ad diem feſtum cum audiſſent quia venit Jeſus *&c. uſque* Ecce mundus totus poſt eum abit.

Finito evangelio, ſequatur benedictio florum & frondium à ſacerdote induto cappa ſerica rubra ſuper gradum tertium altaris ad partem auſtralem converſo: poſitis priùs floribus cum Palmis ſuper altare pro clericis; pro aliis vero ſuper gradum altaris in parte auſtrali. Exorcizo te creatura florum vel frondium, &c. *Deinde dicuntur orationes ſine* Dominus vobiſcum, *Sed tantum cum* Oremus. *Oratio* Omnipotens ſempiterne Deus, qui diluvii effuſione &c. *Et dicantur omnes orationes ſub tono lectionis, & cum* Oremus. *Oratio.* Deus cujus Filius pro ſalute generis humani &c. *Oratio.* Deus qui diſperſa congregas &c. *Hic aſpergantur flores & frondes aqua benedicta, & thurificentur. Deinde dicitur* Dominus vobiſcum & Oremus. *Oratio* Domine Jeſu-Chriſte, Fili Dei vivi, mundi conditor & Redemptor &c.

His ita peractis, ſtatim diſtribuantur palmæ: & interim cantentur hæ ſequentes antiphonæ, cantore incipiente antiphonam Pueri Hebræorum tollentes. *Alia antiphona* Pueri Hebræorum veſtimenta.

Dum diſtribuuntur rami, præparetur feretrum cum reliquiis, in quo Corpus Chriſti in pixide dependeat; & ad locum primæ ſtationis à duobus clericis de ſecunda forma, non proceſſionem ſequendo; ſed ad locum primæ ſtationis obviam veniendo; habitu non mutato, lumen deferatur in laterna præcedente cum cruce denudata & duobus vexillis præcedentibus. Deinde eat proceſſio ad locum primæ ſtationis; ſintque miniſtri proceſſionis albis circumamicti abſque tunicis vel caſulis induti: ita tamen ut ſacerdos ſit in cappa ſerica rubra: Choro itaque ſequente, habitu non mutato. In

CAPUT XX. De Dominica Palmarum.

eundo autem antiphona. Prima autem. *Antiphona* Cum appropinquaret. *Si autem non ſufficiant duæ prædictæ antiphonæ uſque ad locum primæ ſtationis; tunc ſequantur hæ antiphonæ: ſcilicet antiphona* Cum audiſſet. *Antiphona* Ante ſex. *Antiphona.* Ante ſex dies Paſſionis. *Hic fiat prima ſtatio, videlicet ex parte Eccleſiæ boreali in extrema parte orientali, & legatur hoc evangelium* Cum appropinquaſſet Jeſus. *Et legatur ab ipſo diacono induto ad proceſſionem non juxta crucem, ſed ante ſacerdotem, loco parumper ſecùs ſtationem illius diaconi mutato: etiam ipſo diacono ad borealem converſo; & legatur ſicut in feſto ſimplici 9. lectionum, benedictione priùs accepta more ſolito; Finito evangelio tres clerici de ſecunda forma, habitu non mutato, converſi ad populum, ſtantes ante magnam crucem ex parte occidentali, ſimul cantent* ℣. En Rex venit. *Per ſingulos verò verſus exſequutor officii incipiat antiphonam* Salve, *converſus ad reliquias: quam proſequatur chorus cum genuflexione oſculando terram. Ab ipſo autem exſequutore officii primo cum choro fiat genuflexio. Clerici ante reliquias* ℣. En Rex. *Senior antiphonam* Salve, *quem chorus reſurgendo proſequatur* Teſtatur. *Item clerici ante reliquias loco non mutato dicant.* ℣. Hic eſt qui de Edom. *Item ſenior loco non mutato dicat* Salve lux mundi. *Chorus reſurgendo proſequatur* Rex regum. *Item clerici ante reliquias loco non mutato dicant:* ℣. Hic eſt ille. *Item ſenior loco non mutato dicat antiphonam* Salve noſtra ſalus. *Chorus reſurgendo proſequatur* Pax vera. *Deinde eat proceſſio ad locum ſecundæ ſtationis, & feretrum cum capſula reliquiarum pariter cum luce in laterna inter ſubdiaconum & thuribulum deferatur cum vexillis ex utraque parte: cantore incipiente antiphonam.* Dignus es Domine *Antiph.* Occurrunt turbæ. *Si autem non ſufficiant hæ duæ antiphonæ ad locum ſecundæ ſtationis; tunc cantentur hæc duo Reſponſoria vel unum eorum* ℟. Dominus Jeſus ℣. Convenerunt ℟. Cogitaverunt ℣. Teſtimonium. *Hic fiat ſecunda ſtatio, videlicet ex parte Eccleſiæ auſtrali, ubi ſeptem Pueri in loco eminentiori ſimul cantent* ℣. Gloria laus. *Chorus idem repetat poſt unumquemque* ℣. Iſraël es tu ℣. Cœtus in excelſis ℣. Plebs Hebræa. *Peracta hac ſtatione, eat proceſſio per medium clauſtri à dextra manu uſque ad oſtium Eccleſiæ occidentale, cantando* ℟. Collegerunt. *Hic fiat tertia ſtatio, ſcilicet ante prædictum oſtium, ubi tres clerici de ſuperiori gradu in ipſo oſtio habitu non mutato converſi ad populum cantent* ℣. Unus autem. *His finitis, intrent Eccleſiam per idem oſtium ſub feretro & capſula reliquiarum ex tranſverſo oſtii elevata cantando* ℟. Ingrediente Domino. *Hic fiat quarta ſtatio ante crucem in Eccleſia; & in ipſa ſtatione exſequutor officii incipiat antiphonam* Ave, *cruce jam diſcooperta; & reſpondeat chorus* Rex noſter, *cum genuflexione oſculando terram, & ſic incipiat ſenior antiphonam ter, ſingulis vicibus vocem exaltando una cum choro fiat genuflexio; & poſt tertiam inceptionem chorus eamdem antiphonam in ipſa ſtatione ſtando proſequatur: qua finita, intret chorum. Omnes cruces per Eccleſiam ſint diſcoopertæ uſque poſt veſperas... Et eſt notandum quod Paſſio triplici voce debet cantari aut pronunciari: ſcilicet voce alta, baſſa & media: quia omnia quæ in Paſſione continentur; aut verba ſunt Judæorum vel*

Digitized by Google

diſcipulorum, aut verba ſunt Chriſti, aut Evangeliſtæ narrantis. Quæ ſcire debes quod ubi A litteram invenies verba eſſe Judæorum vel diſcipulorum, quæ alta voce ſunt proferenda. Ubi verò B. invenies, verba ſunt Chriſti quæ baſſa voce ſunt pronuncianda. Ubi verò M. invenies verba ſunt evangeliſtæ, quæ mediocri voce ſunt legenda aut cantanda. Et hæc omnia in aliis Paſſionibus obſerva. Sic incipe M. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Matthæum *Non dicitur* Gloria tibi Domine. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis. B. ſcitis quia poſt biduum *&c. uſque* Emiſit Spiritum. *Hic inclinet ſe Diaconus, vel proſternat ſe verſus orientem, & dicit privatim* Pater noſter, Ave Maria. In manus tuas. *Deinde ſurgat, & poſt reſiduum Paſſionis legat uſque* Sedentes contra ſepulchrum. *Evangelia verò in fine omnium Paſſionum, etiam in die Paraſceves, alta voce legantur, more duplicis feſti. Omnes autem Paſſiones ſupradicto modo legantur ſecundùm uſum Sariſberienſem; ſed in die Paraſceves non dicitur* Dominus vobiſcum; *& ſine titulo incipiatur evangelium* Altera autem die quæ eſt &c.

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

ORDO VIII.

Ex miſſali Mozarabum.

DOMINICO IN RAMIS PALMARUM.

AD *benedicendos flores vel ramos.* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc. ℣. Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Domine Jeſu-Chriſte, qui ante mundi principium cum Deo Patre & Spiritu ſancto regnas, & regni tui non erit finis; qui pro mundi ſalute in plenitudine temporum veniens, ſicut per legem & prophetas fueras promiſſus; & veniente te in civitate Jeruſalem ad diem feſtum, turbæ multæ occurrerunt tibi, gaudentes acceperunt ramos Palmarum, clamantes Oſanna filio David. Ideò & nos ſupplici obſecratione depoſcimus majeſtatem tuam, ut qui pro noſtra veniſti redemptione ſolvas nos à vinculis peccatorum noſtrorum. ℟. Amen. Morbos omnes expelle ℟. Amen. Infirmitates cura ℟. Amen. Aerum temperiem præſta ℟. Amen. Securitatem temporum cum remiſſione peccatorum omnibus nobis dona ℟. Amen. Hos quoque ramos & flores palmarum quos populus tuus per manus ſervitutis noſtræ accepturus eſt hodie tua bene ✝ dictione ſanctifica ℟. Amen. Ut quicumque ex eis acceperint, tua in omnibus repleantur gratia & ſalutis conſequantur medelam. ℟. Amen. Et ſicut pro hujus diei ſolemnitate lætantur; ita eorum habitacula tua bene- ✝

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

dictione repleas, corporaque & animas ab omni contagione mundas efficias, atque ſpiritualium eis tribuas cariſmata gratiarum. ℟. Amen. Ut Paſchalia feſta te auxiliante cum omni alacritate ſuſcipere mereantur. Pater noſter qui es in cælis.

Humiliate vos benedictioni. Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum Spiritu tuo.

Benedictio

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui per legem & Prophetas veniens aſſumpſit formam filii hominis, ipſe vobis benedicat, & ſua protectione cuſtodiat. ℟. Amen. Et qui hujus diei ſolemnitatem elegit, tribuat vobis ſuam gratiam, ut numquam ſitis ſervi peccati. ℟. Amen. Corda quoque veſtra & corpora ab omni delicti mundet contagione, ut participes efficiamini cum ſanctis omnibus in regno æterno. ℟. Amen. Per miſericordiam ipſius Domini noſtri &c. Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum. Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat & maneat ſuper hos ramos & palmas ℟. *chorus* Amen.

Ramis ſic benedictis, aſpergat aquam benedictam ſuper illos & ſuper circumſtantes; & ſtatim incipiat cantor antiphonam, ſcilicet Sparſit nos Deus, *ſine* Gloria & honor Patri. *Deinde dicat antiphonam* Pueri Hebræorum tollentes ramos olivarum *duabus vicibus. Dicit & aliam antiphonam* Pueri Hebræorum veſtimenta proſternebant *ſemel. Quibus peractis, progreditur ad proceſſionem. In exitu chori antiphona* Dum appropinquaret Dominus. *Antiphona* Cum audiſſet populus. *Antiphona* Veniente Domino. *Antiphona* Cœperunt omnes. *Et debent exire ab Eccleſia per portam Olivæ ad dextram, & pervenire ad plateam ante januam veniæ: & finita antiphona, pueri ſtent ſuprà dictam portam, & cantent hunc verſum ſcilicet* Gloria laus & honor. *Quibus finitis, Pontifex vel decanus aſcendat ad januam Indulgentiarum, quæ debet eſſe clauſa, & percutiendo cum baculo vel ligno crucis, dicat altâ voce hunc verſum* Attollite portas principes veſtras & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Deinde duo canonici intra Eccleſiam reſpondeant in eodem tono* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Deinde Pontifex dicat* Dominus fortis & potens. *Iterum Pontifex vel ſacerdos percutiat portam, & dicat magis altè elevando vocem* Attollite portas. *Et reſpondeant illi qui ſunt intra Eccleſiam altiùs, ut priùs, ſcilicet* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Et tunc Pontifex vel ſacerdos dicat* Dominus potens in prælio. *Et iterùm ſacerdos percutiat portam, & magis altè elevet vocem, & dicat* Attollite portas. *Et reſpondeant illi qui ſunt intra altiùs* Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Et tunc reſpondet ſacerdos* Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ *Quo finito, aperiantur valvæ, & cantor incipiat* ℟. Ingrediente Domino. *Et ſic pervenitur propè altare B. Mariæ ad ſtationem fiendam inter choros; & ibi dicitur antiphona* Ave rex noſter *à cantore cum ſceptro in manibus ter flectendo genua, exaltando in utraque vice vocem in choro reſpondente* fili David Redemptor mundi.

In tertia reſponſione perficiatur tota antiphona, cum qua ingreditur chorus. Deinde dicitur Tertia, in qua dicitur à duobus Dominis. ℟. Circumdederunt *cum ſuo* ℣. *Et finita Tertia, diaconus petita benedictione à presbytero dicat evangelium, ſcilicet* Cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymam. *Quo finito, dicat ſacerdos hanc orationem* Alme Pater omnipotens, rerum omnium creator &c. *Hic dicatur* ingrediente Domino *Cum aliis ſequentibus; & poſteà incipiat cantor* Sparſit nos Deus. *Et ſubſequantur omnia per ordinem.*

CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Ingrediente Domino in ſanctam civitatem, ſedens ſuper pullum aſinæ, feſtinans pervenire ad Paſſionem, ut adimpleret legem aut prophetas, pueri Hebræorum cum ramis & palmis veſtimenta proſternebant, intonebile hymnum novum cantantes, Oſanna in altiſſimis Deo.

II. *Antiphona.* Cum appropinquaret Dominus Jeroſolymam miſit duos &c. *ut in Romano.*

III. *Antiphona.* Cum audiſſent turbæ quæ venerant ad diem feſtum quia venit JESUS-CHRISTUS, acceperunt ramos palmarum, & exierunt obviam ei, & clamabant. Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini.

IV. *Antiphona.* Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Oſanna filio David qui venit in nomine Domini.

Finita proceſſione, dicat presbyter hanc orationem.

Alme Pater omnipotens, rerum omnium creator Domine, cujus ſuper æthera ſedes eſt, quem nullus cernit, & omnis laudat in excelſis angelica dulci fragore poteſtas, qui ut genus humanum à diſcrimine mortis erueres, & paradiſi gaudiis participem faceres, Unicum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum ineffabili pietate plenum ad terras mittere es dignatus, ut priſcæ legis ſacramenta & prophetica adimpleres vaticinia, ſedens ſuper pullum aſinæ Jeruſalem civitatem intraret, & ab omni populo laudis concentu, conſona voce oſanna clamantibus audiret: ob hoc & nos indigni ejus in laude cum omni lætitia concinentes, te ſuplices quæſumus, te humiles flagitamus, ut nos amminiculo dextræ tuæ à cunctis malis liberare digneris. ℟. Amen.

Finita oratione, incipiat chorus ad miſſam.

Jeſu filii Sidrach, id eſt Eccleſiaſticus. ℟. Deo gratias. Judicium Patris audite filii dilecti *&c. uſque* Sicut in ſereno glacies ſolventur tua peccata ℟. Amen.

Dicat presbyter Erigite vos. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Lectio libri Deuteronomii. ℟. Deo gratias. In diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens loquere filiis Iſrael & dices ad eos ponite hæc verba mea in cordibus & in animis veſtris *&c. uſque* Ego hodie ponam in conſpectu veſtro., ut benedicat vobis Dominus Deus veſter. ℟. Amen.

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De Dominica Palmarum.

Pſallendo. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. ℟ Venite. ℣. In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur. ℟ Venite. ℣. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in unum ℟ Venite filii.

Hic fiat ſermo ad populum.

Symboli traditio in Dominica Palmarum.

Cariſſimi accipite regulam fidei, quod ſymbolum dicitur: & cum acceperitis; in corde ſcribite, & quotidiè apud voſmetipſos dicite antequam dormiatis, antequam procedatis veſtro ſymbolo vos munite. Symbolum nemo ſcribit, ut legi poſſit, ſed ad receſſendum, ne fortè deleat oblivio quod non tradidit lectio. Sit vobis quod ex veſtra memoria quod audituri eſtis, hoc credituri; & quod credituri, hoc etiam lingua reddituri: ait enim Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, oris confeſſio fit ad ſalutem. Hoc enim ſymbolum quod retenturi eſtis & credituri. Signate vos, & reſpondete.

Fides.

Credo in Deum Patrem omnipotentem & in Jeſum-Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum, natum de Spiritu ſancto ex utero Mariæ Virginis. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus & ſepultus. Tertia die reſurrexit vivus à mortuis, aſcendit in cælum, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis hujus reſurrectionem, & vitam æternam. Amen.

Submiſſa voce Ut facilius memoriæ veſtræ poſſint inhærere quæ dicta ſunt, textum ſymboli ordinemque repetamus. Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Submiſſa voce Tertio quoque textum ſymboli recenſeamus, ut quia fidem divinæ Trinitatis ſymbolum in ſe continet; ipſe numerus repetitionis cum ſacramento conveniat Trinitatis. Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Submiſſa voce. Hanc ſanctæ fidei regulam, quam vobis nunc tradidit ſancta mater Eccleſia, firmiſſima mentis veſtræ retinete ſententia: ne aliquando dubitationis ſcrupulum in corde veſtro oriatur: quia ſi, quod abſit, in hoc vel tenuiter dubitatur, omne fidei fundamentum ſubtruitur, & animæ periculum generatur. Et ideò ſi aliquem veſtrum inde quidpiam movet, reputet quia hoc intelligere non poſſit; vera tamen eſſe credat omnia quæ audivit. Deus autem omnipotens ita cor veſtrum inluminet, ut & intelligendo & credendo quod diximus, & fidem rectam cuſtodiatis, & ſanctis operibus veſtris fulgeatis, ut per hoc ad beatam vitam pervenire poſſitis. ℟. Amen. Ipſo præſtante & auxiliante qui vivit & omnia regit in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dicat presbyter. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Silentium

facite. Sequentia epiſtolæ Pauli ad Galatas ℞. Deo gratias. Fratres gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu-Chriſto *&c. uſque* neque didici, ſed per revelationem Jeſu-Chriſti. ℞. Amen. CAPUT XX. *De Dominica Palmarum.*

Lectio S. Evangelii ſecundùm Joannem. In illo tempore proximum erat Paſcha Judæorum & aſcenderunt multi *&c. uſque* Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſraël. ℞. Amen.

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu.

Lauda Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. ℣. Confitemini Deo Deorum. P̄ Quoniam in ſæculum miſericordia ejus. ℣. Confitemini Domino Dominorum. P̄ Quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Sacrificium In illo tempore proximum erat Paſcha, & aſcenderunt multi Jeroſolymis de regione ut ſanctificarent ſeipſos. P̄. clamantes oſanna benedictus qui venit in nomine Domini. ℣. Venit Jeſus Betania ante ſex dies Paſchæ cum diſcipulis ſuis;& fecerunt ibi cœnam magnam, & diſcumbentibus cum eo accepit Maria libram unguenti Nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu. Domus enim impleta eſt ex odore unguenti. P̄. Clamantes.

Miſſa.

Catholicam fidem, fratres chariſſimi, cordis integritate ſervantes, Deum Patrem, Deum Filium, Deum fateamur & Spiritum ſanctum. Nec tamen Deos plures adfirmare gentiliter audeamus; ſed in tribus unum Deum fiducialiter adoremus. Una quippe eſt Trinitatis eſſentia, nec eſt altera creatrix & æterna ſubſtantia. Nullus ergo ibi differentes poteſtates, ubi unam poteſtatem permanere cognovimus, temeraria diſputatione confingat. Nullus impares gradus, ubi ſumma æqualitas reperitur interſerat: non eſt Pater à Filio, quia generavit, antiquior; neque Filius eſt gignente poſterior. Non eſt etiam donatoris doni vel poteſtas ſeparata naturaliter vel voluntas. Simul individua Trinitas condidit tempora, ſimul pereuntia reſtauravit. Simul Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ad fideles veniunt, ſimul impios deſerunt, ſimulque ſuper humiles requieſcunt. Iſtam proindè fidem delectemur uſque ad ſanguinem vindicare, ſi volumus Dei Patris hæredes exiſtere, ut hac fidei firmitate muniti, ad cæleſte regnum perveniamus inlæſi. ℞. Amen.

Alia oratio.

Deus fidelis, qui fidelia promiſſa confirmas, dum vocatas gentes ex fide juſtificas, tu cognitionem nobis tribue Trinitatis, ut pacifici converſemur inter filios unitatis: quo iſtius ſanctæ confeſſionis ſacrificio competenter oblato viſitationem tuam mereamur obtinere ex alto. ℞. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter. &c.

Digitized by Google

CAPUT XX.
De Dominica Palmarum.

Poſt nomina oratio.

Offerentium, quæſumus Domine, vota multiplica, & omnes in commune verè crudelitatis inſtrumento perluſtra, ſicque nobis per hoc ſacrificium, quod tibi cum voto fidei dedicamus, adeſto placatus, ut & viventibus veniam, & ſepultis requiem impetremus æternam. ℟. Amen. Quia tu es vita vivorum &c.

Ad pacem oratio.

Deus qui es Unitas ſancta & Trinitas indiviſa; adauge in nobis fidei donum, & beatæ caritatis affectum: quo utroque à te ditati ex munere hæredes efficiamur promiſſionis æternæ. ℟. Amen. Quia tu es vera pax noſtra &c.

Inlatio.

Dignum & juſtum eſt omnipotens Pater, nos tibi ſemper gratias agere per JESUM-CHRISTUM filium tuum Dominum noſtrum, quem tu clementiſſime Pater ante ſæcularia ſæcula genuiſti, nec diviſionem vel mutationem generando ſenſiſti; ſed eſſentialiter totus in Filio, totus in temetipſo, ſine ulla tui diminutione manſiſti. Nihil tibi retrahens, cum condidiſſe omnia cognoſcaris, ut exiſtens Unigenitus ab ingenito Conſubſtantialis, Coæternus, æqualis tecum divinitatis plenitudinem poſſideret, una & perpetuitate gauderet, & unius dominationis æqualitate regnaret, ſimul cum Spiritu ſancto regnante, quo procedens de utroque non eſt genitus aut creatus, ſed creator univerſitatis Dominus. Ipſe etiam creavit carnem Chriſti, quando pro ſalute gentium crucem voluit pati: quem pro pignore cæleſtis hæreditatis accepimus, cujus nomen in baptiſmate confiteri ſalutiferum credimus, ut regnati ad imaginem Trinitatis computari mereamur filii Dei Patris omnipotentis, quem conlaudant omnes Angeli, ita dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Poſt Sanctus

Hoc cantant angeli, hoc reſonant cæli, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum Patris noſtri David, Oſanna in excelſis, Chriſtus Dominus ac Redemptor æternus.

Poſt Pridie

Chriſte Dei Filius, quem olim ob hodiernæ ſolemnitatis feſtum turba multiplex Hebræorum ramis & palmis orantibus animis ſuſceperunt: concede nobis, ut ſicut illi præſentia tua gaviſi ſunt: ita hæc ſacrificia pietatis tuæ obtentu ſanctificentur: quo ex his libantes, ita per veram fidem

fidem rectamque dilectionem vivam tibi preparemur in hoſtiam, ut ſecuri accedamus ad tuæ Paſſionis ſacratiſſimam cœnam. ℞. Amen.

Ad confractionem panis antiphona

Tu Domine das eſcam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam, & imple omnem animam benedictione.

Ad orationem Dominicam

Emunda, Domine, conſcientias noſtras fidei catholicæ confeſſione ſincera, & cordis contritione continua, ut ſemper à te exaudiamur è cælis cum pro noſtris delictis ad te proclamaverimus è terris Pater noſter.

Dicat presbyter Humiliate vos benedictioni. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio

Reſpiciat vos placata divinitas, & ſenſum vobis ſapientiæ ſalutaris infundat ℞. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, & ſanctis operibus vos perſeverabiles reddat. ℞. Amen. Greſſus veſtros ab errore convertat, & viam vobis pacis oſtendat. ℞. Amen. Per miſericordiam ipſius Dei noſtri &c. Dominus ſit ſemper vobiſcum ℞. Et cum Spiritu tuo.

Ad accedentes

Memento noſtri, Domine, dum veneris in regno tuo ℣. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum P̄ Memento. ℣. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis P̄ Memento. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum amen. P̄ Memento.

Communio Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Oratio

Reple Domine, cor noſtrum lætitia, qui nobis dare dignatus es ſacri corporis tui Euchariſtiam; ut quia eſcarum perceptione reficimur, ſpiritualibus beneficiis adimpleri feliciter mereamur ℞. Amen. Per miſericordiam tuam Deus &c.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI perficiamus cum pace. ℞. Deo gratias.

CAPUT XXI.

De majoris hebdomadæ ritibus, præſertim Feria ſecundæ, tertia & quarta.

CAPUT XXI. *De majoris hebdomadæ &c.*

I. PUlchrè omninò S. Joannes Chryſoſtomus homilia 30. in Geneſim monet majori hac hebdomada jejunii curſum intendendum, preces continuandas, puram diligentemque faciendam eſſe peccatorum confeſſionem; antiquam per ſacros hoſce dies quaſi ob oculos ponens Eccleſiæ diſciplinam, quæ in his tribus tota ferè conſtabat: in ſeveriori jejunio, in prolixiori officio, & in peccatorum remiſſione.

Jejunium auſterius in majori hebdomada.

II. Sanè longè auſteriorem jejunii legem in majori hebdomada indictam fuiſſe dubitare non ſinunt Conſtitutiones apoſtolicæ, quæ etiam abſtinentiæ formam & modum omnibus præſtituunt. Sic enim lib. 5. cap. 17. [Jejunate, inquiunt, diebus Paſchæ, incipientes à ſecunda feria uſque ad ſextam & ſabbatum ſex diebus, pane tantum, ſale, oleribus, & aqua menſæ adhibitis. Abſtinete hiſce diebus vino & carne: dies quippè luctus & non feſti ſunt: ſexta tamen feria & ſabbato ex toto manete jejuni, qui ita firmis viribus eſtis, ut ferre poſſitis, nihil prorsùs guſtantes uſque ad nocturnum galli cantum. Si quis verò propter imbecillitatem utrumque diem conjungere non potuerit, ſaltem ſabbatum ſervet.]His conſonat S.Epiphanius in expoſitione fidei c.29.ubi ſic loquitur: [Præthereà ſex illos Paſchatis dies Xerophagiis, hoc eſt arido victu, tranſire omnis populus ſolet, hoc eſt panem dumtaxt cum aqua ſub veſperam adhibere.] Verùm has quoque leges longè prætergrediebantur illi de quibus addit: [Jam verò nonnulli ad biduum vel triduum vel quatriduum uſque jejunia prorogant: alii totam hebdomadem ad uſque Dominicæ ſequentis gallicinium ſine cibo tranſmittunt.] Quæ quidem deſumpſiſſe videtur ex epiſtola S. Dionyſii Alexandrini ad Baſilidem, in cujus canone I. inter alia ſic lego: [Quandoquidem nec ſex jejuniorum dies æquali aut ſimili tolerantia omnes perferunt: ſed alii quidem vel omnes tranſmittunt, jejuni permanentes; alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum.]

III. Hanc jejunii ſeveritatem, quæ cibos quoſcumque præter aridos tollit, à Dominica Paſſionis incipiebat Eccleſia latina: ſaltem id colligi poſſe videtur ex Tertulliani libro de jejuniis adverſus Pſychicos, ubi hæc habet: [Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet ſabbatis & Dominicis, offerimus Deo.] Quæ planè verba, niſi de duabus ultimis quadrageſimæ hebdomadis intelligi haudquaquam poſſe, cenſent viri eruditi.

Judicia vacant.

IV. De Divinorum officiorum prolixitate non eſt quod dubitemus, quandoquidem ut iis propenſius incumberetur, ab omni rerum temporalium ſtripitu, ab omni lite & foro vacandum eſſe his diebus tam ec-

Digitized by Google

cleſiaſticæ quam civiles leges proclamant. [Enim verò , inquit S. Chryſoſtomus homilia 30. in Geneſim , & reges ipſi declarant , quàm venerabiles illos dies habeant , mandantes ut omnibus ſint induciæ & feriæ , qui civilibus funguntur negotiis , claudendo fores judiciorum , & auferendo omnes litium & contentionum ſpecies : quo magna tranquillitate ac quiete liceat ad ſpiritualia rectè perficienda feſtinare.] Servis etiam inducias relaxari præcipiunt Conſtitutiones apoſtolicæ. Nam lib. 8. cap. 33. ita definiunt : [Tota magna hebdomada & proxima ſequenti vacent ſervi : quia illa Paſſionis eſt , hæc Reſurrectionis : & opus eſt docere quis ille ſit qui mortuus eſt & reſurrexit.]

Quatuor evangelia intra tres dies ex integro lecta.

V. Quanta autem eſſet divinorum officiorum prolixitas , præſertim apud Græcos , vel ex ſolis lectionibus intelliges , in quibus integra quatuor evangelia incunctanter impendebant : idque infrà tres primos hebdomadæ dies. Audi quid ea de re præſtruat eorum Triodion. [Legitur & tetraevangelium ſecunda , tertia & quarta feria & completur & terminatur.] Et Typicum S. Sabæ de hebdomada ſancta : [Leguntur quatuor evangelia feria ſecunda , tertia , & quarta & abſolvuntur.] Ne quis verò ſuſpicetur tantum partem aliquam ex quatuor evangeliis pronunciatam fuiſſe addit ejuſdem Typici ſcriptor. [Scire oportet evangelium S.Matthæi *totum* legi; ſimiliter & S.Marci & S. Lucæ. At evangelium S.Joannis legitur uſque ad principium ſalutiferæ Paſſionis.Leguntur autem ſic evangelia tribus diebus nempe feria ſecunda,tertia & quarta,& abſolvuntur in horis. Evangelium S.Lucæ lectionibus præficitur,reliqua duobus , ut ſimul fiant lectiones & horæ novem , nihilque ampliùs.]

VI. Nec breviores fortè erant in Eccleſia latina lectiones , cùm in Mediolanenſi feria ſecunda integrum librum Job recitatum fuiſſe videatur innuere S. Ambroſius in epiſtola 20. novæ editionis ad Sororem Marcellinam , ubi exponens perſecutionem ab Arianis , duce Juſtina , ad Dominicam Palmarum Eccleſiæ intentatam , poſterà die ita ſermonem adorſus eſt : [audiſtis , filii , librum Job legi qui ſolemni munere eſt *decurſus* & tempore.] Et ſub finem ejuſdem epiſtolæ docet altera poſt die , ſcilicet feria quarta Librum Jonæ *de more* pronunciatum fuiſſe. Ita ferebant aurea illa tempora , in quibus integros ſcripturæ libros ad unam noctem , immò ad unam diurnam horam decurri , nec videbatur inſolens , nec tædio obnoxium : à quibus heu ! quantum diſtamus.

VII. [Tertium hujus hebdomadæ exercitium à Chryſoſtomo indicatum , eſt pura & ſincera peccatorum confeſſio. Verùm hic præſertim ritus ad feriam 5. pertinet qua pœnitentium fit abſolutio : obiter tantum obſervare licet chriſtianos principes Chriſti & Eccleſiæ clementiam imitatos , diebus iſtis carceres aperuiſſe , & captivos libertate donaſſe. [Habitantes in carceribus , inquit S. Chryſoſtomus loco citato , à vinculis ſolvunt , & pro humano virili Dominum ſuum imitantur ; quia gravi nos peccatorum carcere exſolvit , & innumeris bonis frui fecit.] Hinc & S. Ambroſius in ſuprà laudata epiſtola ad Marcellinam : [Itaque ſanctis illis diebus hebdomadæ ultimæ , quibus *ſolebant debitorum rela-*

CAPUT XXI. *De majoris hebdomada &c.*

xari vincula, ſtrident catenæ] &c. His quaſi generaliter de majori hebdomada, quam authenticam vocabant antiqui adnotatis : ſingulares quoſdam ritus feriæ 2. 3. & 4. brevi diſcutiamus.

VIII. De feria 2. vix aliquid notatu dignum nobis ſuggerunt libri Rituales. Nam leve eſt quod habet ordinarium Laudunenſe [Poſt primam cantantur quinquaginta pſalmi : eodem modo in tertia feria, & in quarta. Poſt ſextam fit vigilia pro defunctis : tunc campanæ inſimul pulſantur, & in vigilia novem lectiones leguntur. Poſt vigiliam cantatur miſſa pro fidelibus defunctis, & campanæ inſimul pulſantur.] Leve eſt etiam quod ex ordinario Lingonenſi ad Tertiam non legitur capitulum.

IX. Feria 3. olim non legebatur Paſſio Domini ſecundùm Marcum, ſed aliud Evangelium ex Joannis capite 12. aut 13. ut patet ex libro Comitis, in quo hac die aſſignatur evangelium *niſi granum frumenti cadens in terram :* Ex antiquo Lectionario Beatæ Mariæ Calenſis in quo legitur ex cap. 13. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens* JESUS *quia venit hora ejus* &c. uſque *Et continuo clarificabit eum.* Ex duobus vetuſtiſſimis ſacramentariis Eccleſiæ Turonenſis, in quibus idem evangelium ab his tantum verbis incipiens *Amen amen dico vobis non eſt ſervus major Domino ſuo* continetur. His adjungere poſſemus tres antiquiſſimos codices S. Remigii Remenſis annorum circiter 800. quartum monaſterii S. Theoderici propè Remos, quintum ex inclito monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis, qui poſt ſacra evangelia aureis litteris ſcripta continet ſeriem lectionum per anni circulum admiſſam recitandarum : qui codex à Ludovico Pio imperatore conceſſus creditur, ſextum ex Divionenſi S. Benigni monaſterio denique alium ex monaſterio Cormeriacenſi ante annos etiam 800. exaratum & alios quamplures, in quibus pro paſſione ſecundùm Marcum legitur brevius aliud evangelium id quod ſanè mirum videri non debet, cum illa Paſſio olim ad nocturnos Dominica Palmarum recitaretur. In mſſ. duobus miſſalibus Eccleſiæ Turonenſis annorum 600. duplex ponitur hac die evangelium, ſcilicet *Non eſt ſervus major Domino ſuo*, & Paſſio Domini ſecundùm Marcum, ad ſacerdotis, uti credimus, arbitrium legendum. Idem videre eſt in miſſali Eccleſiæ Lingonenſis anno 1507. edito. Sed Lugdunenſis, quæ antiquorum rituum ſemper tenax fuit, in miſſali anno 1524 typis mandato conſtanter retinet evangelium *ante diem feſtum Paſchæ ſciens* JESUS *quia venit hora ejus* pro paſſione ſecundùm Marcum, quam ad 9. lectionem nocturnarum vigiliarum Dominicæ Palmarum aſſignat.

Paſſio ſecundum Marcum feria 3. olim non legebatur.

X. Feriæ 4. ordinem ita deſcribit vetus Pontificale Eccleſiæ Biſuntinæ: [Ante horam tertiam ingrediatur Pontifex Eccleſiam, ubi aſſumpta ſtola, & decani congregationum ſimiliter cum ſtolis, congregato clero totius urbis & populo, cum cruce, & aqua benedicta, & incenſo, progrediuntur ad viſitandos infirmos, pſalterio ſtudioſè canendo, nudis pedibus incedendo tam epiſcopus quàm clerici, ſi tamen qualitas aëris permiſerit. Hac die exit proceſſio per poſterulam quæ eſt in angulo civitatis ſuper ripulam. Parrochianus autem presbyter id officii habet,

ut per ſeptuaginta & duas domos pauperes ordinet ; & ut per ſingulas ſinguli habeantur infirmi, ſi poterunt reperiri. Veniens ad oſtium cujuſque domus intret epiſcopus cum decanis, aqua benedicta, & thuribulo, & dicat *Pax huic Domui.* Ceteri reſpondent *Et cum ſpiritu tuo* ; & det unicuique denarium oſculando illi manum. Similiter & diaconi. Expleta ergo viſitatione, veniendum eſt ad Eccleſiam S. Mauritii, & ibi facta oratione, incipiunt letaniam ingredientes. Ubi oſtio Eccleſiæ S. Joannis proximare cœperint, pulſentur ſigna, & velo de altaris conſpectu depoſito, conveniant omnes presbyteri tam civitatis quam de ſuburbanis ; & omnis clerus cum populo in Eccleſia ſtatuta infrà urbem expectantes pontificem, qui ſemper in Eccleſia per ſe majore orationes ſolemnes ipſa die complet : qui dum veniens è ſacrario procedit ante altare ad orandum ſuper oratorium : mox ut ſurrexerit, dicat hanc orationem : *Oremus dilectiſſimi nobis*, cum ceteris aliis. Hæc omnia expleta, oſculetur epiſcopus altare, & regreditur. Presbyteri verò Eccleſiarum ſive de urbe ſive de ſuburbanis vadant per Eccleſias ſuas, ut hoc ordine feria 4. cuncta impleantur. Hoc ſcientes, ut ubi Pontifex Papam nominaverit, ipſi presbyteri epiſcopum ſuum commemorenr. Poſteà verò hora 8. ingrediuntur ad miſſam, & finitur ordine ſuo.] Solemnes illæ orationes ipſiſſimæ ſunt, quæ feria 6. Paraſceves poſt Paſſionis lectionem decantantur ab eo qui officio præeſt, quas ſi non hactenus, ſaltem diu retinuere Eccleſiæ nonnullæ Gallicanæ, Viennenſis præſertim & Lingonenſis, ut conſtat ex eorum ordinariis. Dicebantur autem non in miſſa, ſed poſt proceſſionem, in cujus reditu, inquit ordinarium Lingonenſe, [Statim ſacerdos hebdomadarius qui remanſit cum diacono & ſubdiacono in Eccleſia incipit orationes ſicut in Paraſceve, indutus caſula violacea; & diaconus ſimiliter & ſubdiaconus. Diaconus dicit per ſingulas orationes *Flectamus genua, levate*, excepta illa quæ pro Judæis dicitur, ſicut in die Paraſceves : quibus finitis ; ſacerdos cum miniſtris redit in veſtiarium.] Idem videre eſt in S. Gregorii libro Sacramentorum à Menardo edito, in ordine Romano, in ms. Pontificali Eccleſiæ Saliſburgenſis, ubi poſt imperatorem ſacerdos orare jubetur *Pro rege Francorum*. Hujus ritus meminerunt Amalarius in libro 1. de divinis officiis cap. 11. vulgatus Alcuinus, & Micrologus c. 51.

Caput XXI. *De majoris hebdomadæ &c.*

XI. In Eccleſia Remenſi integrum hac die mane recitabatur Pſalterium. Sic quippè præſcribit in ordinario : [Mox finita Prima, itur in capitulum : inde regreſſi Domini canonici incipiunt pſalterium, quaſi pro tota ſeptimana : & cantant in choro primo quinquaginta : quibus finitis, ſurgunt, & alios quinquaginta pſalmos antequam ingrediantur Eccleſiam S. Remigii in via percurrunt : & introgreſſi in orationem ſe proſternunt, ſeptem pſalmos pœnitentiales privatim & ſub ſilentio decurrentes : deinde egreſſi de Eccleſia tertios quinquaginta pſalmos, quos in choro B. Mariæ cum letania & precibus perſolvunt.] In Eccleſia quoque Catalaunenſi hac die epiſcopus cum ſuis canonicis per omnes civitatis Eccleſias procedendo pſalterium recitabat integrum.

Pſalterium decantatum.

XII. De miſſæ ritibus nihil occurrit notatu dignum Ad hæc paſſionis verba : *Velum templi ſciſſum eſt*. Cortina demittebatur, de veſperis hæc leguntur in veteri Breviario Eccleſiæ Pariſienſis ms. [Ad veſperas non dicitur *Deus in adjutorium, nec Gloria Patri*, nec hymnus , nec verſus , nec *Kyrie eleiſon* , nec *Dominus vobiſcum* ante orationem , nec poſt , nec *Benedicamus Domino* ; ſed duobus clericis chorum tenentibus , ab altero illorum incipietur ſuper pſalmos antiphona , *Beatus vir* &c. ſine *Gloria Patri*. Finitis pſalmis , ſtatim incipitur antiphona *Quotidiè* à presbytero: *Magnificat* Oratio *Reſpice* &c. De completorio vero addit. [Ad completorium non dicitur *Converte nos* , nec *Deus in adjutorium* , nec antiphona , nec *Gloria Patri* , nec hymnus , nec capitulum , nec verſus , ſed tantùm iſti quatuor pſalmi. *Cum invocarem. In te Domine. Qui habitat. Ecce nunc*. Oratio *Reſpice*] &c. Econtrariò verò Turonenſes S.Martini canonici veſperas ſolemni omninò ritu perſolvebant , quem ita deſcribunt in antiquo antiphonario : [In veſperis pulſabuntur omnia ſigna, & in craſtinum ſicut feſtum quinque candelabrorum, propter Cœnam Domini , in qua ſonatur & ſervitur ad miſſam tantummodo ſicut in feſtis quinqua candelabrorum. Deinde incipiunt veſperæ ſolemnes de cœna , cum *Deus in adjutorium* alta voce ad majus altare per ſacerdotem , prout ſi eſt præpoſitus vel unus ex prioribus , & non aliter. Alias unus ex majoribus incipit veſperas ad ſtallum ſuum de choro propter ſolemnitatem. Primam antiphonam *Beatus vir* incipit ſuccentor vel ſuppletor in ſua hebdomada ad ſtallum ſuum. Cantor in ſtallo ſuo incipit pſalmum *Niſi Dominus ædificaverit* cum ceteris ut in pſalterio , cæteræ antiphonæ incipiuntur more quinque candelabrorum, offerantur tamen per juvenem quartæ ſtationis. Capitulum *Deus autem ſpei* per hebdomadarium dicitur. Hymnum *Vexilla Regis prodeunt* , incipiunt muſicaliter ad pulpitum chori ; & eum proſequitur chorus ſuo ordine. *O crux ave* dicitur ter. ℣. *Surgentes teſtes iniqui* dicat puer in alba ſolus, Ad *Magnificat* cantor incipit antiphonam *Quotidiè* , & duplicatur. Succentor vel ſuppletor incipit *Magnificat* ſecundi toni : quæ antiphona canitur ſine cauda vel neuma , nec fiunt proceſſiones. dicatur oratio *Reſpice* per hebdomadarium in medio chori abſque cappa ſerica. *Benedicamus Domino* dicat puer ſolus. De pace ut moris eſt nulla ſuffragia fiant de cetero uſque ad paſcha.]

CAPUT XXII.

De Cœna Domini.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

FEria quinta in Cœna Domini , quam S. Eligius aliique veteres ſcriptores *natalem calicis* vocant , adeò multiplici rituum varietate gaudet , nulla ut toto in anni curriculo dies ei valeat æquiparari. Nam ut ait Amalarius libro 1. de officiis divinis , cap. 12. [In ea non canitur

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto: in ea conſecratur tribus modis oleum trium officiorum: in ea reſervatur Corpus Domini uſque in craſtinum, reficiturque in commemorationem refectionis Chriſti: lavantur pedes fratrum & pavimenta Eccleſiæ; nudantur altaria uſque in ſabbato ſancto. In ea die pœnitentes veniunt ad ſolutionem, & apud quoſdam redditur ſymbolum à catechumenis, ut in canone Concilii Laodiceni continetur.] His addi debet ignis novi benedictio: quæ omnia ut abſque confuſione & tædio tractari valeant, ad ſingula ſunt revocanda capitula, quibus inſigniorum quarumdam Eccleſiarum ritus integros ſubjiciemus.

CAPUT XXII. *De Cœnâ Domini.*

§ I.

De nocturnis vigiliis horiſque diurnis in Cœna Domini.

Vigiliæ nocturnæ qua horæ celebratæ.

I. [FEria quinta majoris hebdomadæ ſurgunt ad vigilias hora noctis octava] inquit vulgatus ordo Romanus. Eodem modo loquitur auctor libri de divinis officiis ſub nomine Alcuini, & vetus Pontificale ms. Eccleſiæ Pictavenſis. Verùm ex antiquiſſimo omnium ordine Romano ex editis à Mabillonio muſei Italici tomo 2. [media nocte ſurgendum eſt,] & ex ordinario Lucæ Archiepiſcopi Cuſentini [Tranſacta media nocte.] Sed Rotomagenſe S. Laudi omnia ſic provideri jubet, [ut ante lucem ſuo modo ſpatioſè nocturnum officium compleri valeat.] Ita volebant aurea illa ſæcula, quibus ſpretis ſomni ſolatiis, nocturnis intereſſe vigiliis ipſos etiam laïcos non pigebat: à quibus heu quàm diſtamus! Nunc verò refrigeſcente caritate & languente in dies fidelium devotione, univerſa penè omnium, præſertim qui ritus Romanos ſectantur, obtinuit conſuetudo, ut pridiè, clara adhuc die, perſolvantur vigiliæ: quæ quidem ab aliquot jam adhinc ſæculis ad praxim reduci cæpit. Nam in ordinario inſignis Eccleſiæ Narbonenſis, quod ante trecentos minimum annos ſcriptum volunt, matutinæ ſtatim poſt completorium decantari jubentur: in Lemovicenſi hora poſt meridiem quarta. Idem videre eſt apud Petrum Amelium cap. 61. decernentem, ut [in die mercurii de ſerò hora competenti Dominus Papa veniat ad officium matutinarum cum chlamyde de ſcarleto, cum capuceo extenſo ſuper fronte non replicato, & ſine mitra.] Petro Amelio præiverat Jacobus Gaëtanus in ſuo ordine Romano cap. 82. non deſunt tamen adhuc inſignes aliquot Eccleſiæ, quæ antiquorum rituum tenaciores, toto hoc triduo nocturnum hora ſolita decantant officium. Has inter non infimum locum tenere debet Rotomagenſis, cui Lingonenſem fortè adjicere poſſemus, utpote cujus in ordinario hæc lego: [Feria 5. in Cœna Domini campanæ pulſantur hora ſexta matutina, ſicut in feſtis novem lectionum, quia his tribus diebus de ſerò non cantantur matutinæ.] Eumdem uſum hactenùs retinuerunt monachorum nonnulla cœnobia: in quibus merito recenſeri debet Lætienſe Benedi-

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

ctinorum in Belgio, ubi ante annos duodecim ſecunda poſt mediam noctem hora ex Regulæ præſcripto nocturnum celebrabatur officium.

Cerei ad vigilias quot accendendi.

II. [Accenduntur in hac nocte lumina vigintiquatuor, & extinguntur per ſingulas lectiones & reſponſoria;] inquit vulgatus Alcuinus. Totidem accendentes cereos per ſingulos pſalmos & lectiones extinguendos præſcribit Joannes Abrincenſis, totidem ordinarium Rotomagenſe & Silvanectenſe. Vigintiquatuor cereis omnes Eccleſiæ lampades adjungit Lucas Cuſentinus Archiepiſcopus. Vetus Pontificale inſignis Eccleſiæ Pictavenſis lampades triginta ad nocturnum officium accendendas ſtatuit per ſingulas antiphonas lectiones Reſponſoria & verſus extinguendas, & ſeptem ad Laudes. Trigintaquatuor habet Carnotenſe S. Joannis ordinarium. In Laudunenſi verò hæc lego: [ad matutinum ponantur ante altare quindecim cerei, præter hos in dextra parte presbyterii ponuntur decem & octo, & in ſiniſtra alii decem & octo.] Quindecim tantum notat ordinarium Cabilonenſe & Uticenſe. Ubi vides varias fuiſſe diverſarum Eccleſiarum conſuetudines de cereis ſeu lampadibus ad nocturnas vigilias accendendis & extinguendis. Et ſanè Guillelmus Durandus in libro 6. Rationarii cap.72. Innuere videtur quibuſdam in locis viginti quatuor candelas accenſas fuiſſe, in aliis quindecim, in aliis quatuordecim, in nonnullis duodecim, in quibuſdam novem, alicubi verò dumtaxat ſeptem. Tandem apud alios certum fixumque nequaquam fuiſſe candelarum numerum, ſed quemlibet laïcum pro arbitrio ſuam appoſuiſſe. De earum quoque extinctione idem auctor hæc ſcribit: [Omnes candelæ non ſimul, ſed una poſt aliam extinguntur... quidam extingunt eas per ſingula cantica uſque ad plenam extinctionem...alii tribus vicibus eas extingunt. In quibuſdam quoque Eccleſiis candelæ quadam manu cerea extinguntur, quæ ſignificat manum Judæ, de qua dixit Dominus: qui intingit manum mecum &c. quæ fuit quaſi cerea & ad malum flexibilis : per quam Chriſtus Rex noſter & vera lucerna traditus fuit, & quantum in illo fuit extinctus.] Extinctionis cereorum toto hocce triduo meminit Amalarius in libro de Ordine antiphonarii cap.44. ubi ait ſe interrogaſſe [de more ſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ archidiaconum Theodorum. Qui, inquit, reſpondit: Soleo eſſe cum apoſtolico in Lateranis quando officium celebratur de cœna Domini. Nihil enim ibi obſervatur de extinctione luminum. In ſexta feria nullum lumen habetur lampadum ſive cereorum in Eccleſia in Jeruſalem, quandiù Domnus Apoſtolicus ibi orationes ſolemnes facit, aut quandiù crux ſalutatur.]

Ordo vigiliarum.

III. Ordo vigiliarum diurnorumque curſum deſcriptus habetur in antiquo Romanæ Eccleſiæ Antiphonario & in Gregoriano, à V. C. Joſepho Thomaſio nuper vulgato, qualem hactenus celebramus, vix ut ulla reperiatur in eo diſcrepantia ab aliquibus Eccleſiis ritibus Romanis addictis aliquando obſervata, ab annis ampliùs mille ducentis. Totus conſtat ex antiphonis, pſalmis, verſibus, lectionibus, & reſponſoriis; quibus ad horas diurnas additur una collecta. Incipit ab an-

tiphona

tiphona *Zelus domus tuæ*, quam *prælatus incipiat medio ri voce* inquit Rotomagenſe S. Laudi ordinarium, deinde impoſito primo pſalmo *Veniam ſuper formam omnes petant:* idque ipſum alias ad horas obſervetur. Ad exprimendam de Chriſti morte triſtitiam pſalmos voce ſuppreſſa ſeu remiſſa voce nonnullæ perſolvebant Eccleſiæ. Ita Narbonenſis, Ebroicenſis, & Cabilonenſis. Eamdem ob cauſam *Gloria Patri* in fine pſalmorum reticetur, cujus loco Galtinenſe & Carnotenſe S Joannis ordinarium ſubjici jubet *Laus tibi Chriſte* tam ad nocturnas vigilias quàm ad horas diurnas. Porrò in Rotomagenſi duo in cappis nigris cantores chorum regebant.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.* Pſalmi depreſſa voce cantati.

IV. Decurſis tribus pſalmis cum ſuis antiphonis & verſu, orationem Dominicam & ſalutationem angelicam ſubjicit Breviarium Eccleſiæ Bituricenſis [dicto autem *Pater noſter*, hebdomadarius facit ſonitum cum manu, & lector incipit lectiones,] inquit Breviarium vetus Toloſanum. Turonenſes S. Martini pro ſigno lectionis incipiendæ malleolo ter chori formas percutiebant.

V. Lectiones de Lamentione tres in primo nocturno pronunciare ſolemus, tres in ſecundo de expoſitione S. Auguſtini ſuper pſalmos, & tres in tertio de epiſtola ad Corinthios. Atque ita præſcribit primus & omnium antiquiſſimus ordo Romanus apud Mabillonium. Sed undecimus quem ſcripſit Benedictus S. Petri Canonicus, ad primum nocturnum tres de Jeremia, ad ſecundum tertiumque de expoſitione evangelii lectiones aſſignat. Similiter Gaſtinenſe ordinarium ſex poſteriores *De pſalmis & ſermone*; & Laudunenſe tres ultimas de expoſitione evangelii, id quod etiam præſcribit Joannes Abrincenſis. E contrariò Cabilonenſes ſex primas lectiones de Jeremiæ Lamentatione, tres ultimas de expoſitione evangelii *Ante diem feſtum*, ſine titulo decantabant. Apud Narbonenſes ſex priores de Lamentatione pronunciabant in primo nocturno tres pueri, in ſecundo tres clerici; in tertio de expoſitione ſuper pſalmos ſeptimam & octavam duo canonici, nonam is qui præeſſet officio.

Lectiones quales.

VI. Lectiones ex Lamentationibus ex ordinario Argentino *Voce lacrymabili* legendas his verbis terminare ſolemus *Jeruſalem, Jeruſalem, convertere ad Dominum Deum tuum*: quæ verba deſiderantur in antiquioribus Romanis ordinibus, qui *Ex verbis lectionis jubent facere finem*, elevata ſcilicet paululum voce. Eadem etiam pronunciare vetat ordinarium Uticenſe. Sed Laudunenſe ſex primas cum præfata clauſula *Jeruſalem, Jeruſalem*, terminandas eſſe conſtituit, ſex ſequentes his verbis: *Tu autem, Domine, ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.* Incipiente ſeptima lectione, inquit ordinarium Argentinum, præcedat cuſtos vel ejus vicarius, ſequente miniſtro cum novem candelis, & accendantur ante principale altare, & extinguantur omnia luminaria Eccleſiæ præter iſta novem.

VII. Quod ſpectat ad reſponſoria quæ lectiones ſubſequuntur, de his ita decernit vetus Reſponſoriale & antiphonarium Eccleſiæ Romanæ: [Omnia Reſponſoria cum verſibus per choros cantantur, non proce-

Caput XXII. De Cœna Domini.

dentes in medio chori uſque ad Paſcha, præter ad ℞. *Hoc corpus* tantum.]

VIII. Nocturnis vigiliis ſubjiciuntur matutinæ Laudes eodem planè ritu perſolvendæ, ad *Benedictus* antiphona *Traditor autem* ex Lingonenſi ordinario *Terribili & alta voce* decantari debet. Interim extraneis puerìſque de Eccleſia egreſſis, ut habet Rituale S. Martini Turonenſis, omnibus lampadibus cereiſque extinctis, uno dumtaxat ſuperſtite, qui ſtatim abſcondebatur, cuncta cæcis tenebris occupantibus nocturno finis imponebatur officio, quod inde *Tenebrarum* nomine cœpit nuncupari, qua appellatione donatur in Chronico Hugonis Flaviniacenſis. Modus autem terminandi officii ita deſcribitur in ordinario B. Mariæ Remenſis: [Interim verò omne lumen Eccleſiæ extinguitur præter unam candelam, quæ intra majus altare abſconditur, & tunc in tenebris decantatur *Benedictus* cum ſua antiphona: qua finita ſine tono, incipit altè unus puer à dextro latere altaris *Kyrie eleiſon*, & alius à ſiniſtro latere *Chriſte eleiſon.* Tunc duo presbyteri vel duo diaconi ſtantes in pulpito, ubi legitur evangelium cantant *Qui paſſurus*: duo diaconi vel duo ſubdiaconi ſtantes in pulpito quod eſt in medio choro, vel poſt majus altare diſpoſiti pariter reſpondent *Domine miſerere nobis.* Chorus verò inſimul cantat *Chriſtus Dominus factus eſt obediens uſque ad mortem.* Et poſteà à ſiniſtro altaris incipit puer *Kyrie eleiſon*: & alius à dextris *Chriſte eleiſon.* Deinde ſacerdotes vel diaconi alium verſum *Qui prophetiè.* Poſt quem reſpondent ſicut priùs qui appoſiti ſunt *Domine miſerere noſtri.* Deinde chorus *Chriſtus Dominus.* Tertiò puer à dextris incipit *Kyrie eleiſon*; alius puer à ſiniſtris ſuccinit *Chriſte eleiſon.* Tertium verſum *Qui expanſis* dicunt qui alios duos cantaverunt: Deinde more prædicto reſpondetur *Domine miſerere noſtri*: Deinde à choro *Chriſtus Dominus.* Quo finito, ſub ſilentio ſtando, & ſine precibus finitur matutinum officium ſub hac collecta *Reſpice quæſumus Domine.* Hoc modo finiuntur matutinæ in duobus diebus ſequentibus, niſi quod preces cum *Miſerere mei Deus* adjunguntur & à binis inter ſe & murmuratim dicuntur. Tunc pulſato uno de ſtallis bis vel ter offertur candela, quæ in altari erat recondita, & reſtituitur luminare per Eccleſiam ſicut ſolitum eſt.] Similia videre eſt in variis ordinariis, Eccleſiæ Turonenſis, Silvanectenſis, Laudunenſis, Argentinæ, Uticenſis, in Breviario Toloſano & aliis. Ordinarium Cuſentinum ab aliis non nihil diſcrepat, ita enim habet: [Poſt *Benedictus* imponunt duo pueri *Kyrie eleiſon*, & cantatur ab utroque choro novies, interpoſitis verſibus alternatim à duobus chorereiis. In fine ultimi verſus puer clericus voce altiori ſubjungat *Mortem autem crucis*; & tunc omnis populus flexis genibus cantet *Kyrie eleiſon* & *Domine miſerere*: ita ut alternatim viri dicant, & feminæ reſpondeant. Clerici verò ſimiliter flectentes genua dicant more ſolito orationem Dominicam, & tacita voce ſubjungant *Miſerere mei Deus*, & orationes quas volunt. Tunc cuſtos luminis deponat lanternam per feneſtram ſuper chorum, & Eccleſia illuſtrata

pronunciet martyrologium, & ſtatim tabula ex more lecta diſcedant.] Aliter in antiquo ordine Romano auctore Benedicto S. Petri Canonico, ex cujus præſcripto, completis matutinis laudibus *Non dicitur* Kyrie eleiſon, *Sed cantatur* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, *Et tacendo recedunt*, nulla facta mentione orationis: cui ſuccinit vetus ordinarium Eccleſiæ Lugdunenſis, in quo pauca hæc lego: [Non dicitur oratio, ſed proſtrati cantant cum ſilentio *Pater noſter* & *Miſerere mei Deus*. Similiter in horis diei.] In ordinario enim Argentino nulla aſſignatur oratio his in omnibus altum ubique ſilentium de fragore nocturnis abſolutis laudibus excitari ſolito, quem expreſſis verſis vetat Breviarium Bituricenſe. Sed in omnibus Ritualibus libris quos mihi percurrere licuit trina tantum decernitur ad formas chori percuſſio qua veluti ſigno Eccleſiæ cuſtodi innoteſceret candelam abſconditam ſuo loco reſtituendam & paſſim omnibus exponendam: In uno Lingonenſi ordinario legitur oratione *Reſpice* dicta, [percutitur ſupra libros;] Et apud Durandum lib. 6. c. 72. n. 27. [Poſteà fit cum manu vel alio quodammodo ſonitus ante luminis revelationem.] quæ verba an de fragore aut de trina percuſſione ad lucernam accendendam debeant intelligi aliis relinquo judicandum. Alius autem vigebat uſus in Eccleſia Rotomagenſi, cujus ms. liber officialis hæc habet: [Ex quo verò ultima candela ad *Benedictus* extinguitur, lumen in Eccleſia uſque poſt ignis benedictionem non accendatur;] quæ verba deſumpta ſunt ex libro Joannis Abrincenſis: qui auctor etiam diurnas horas alta voce, hoc eſt cum nota decantari voluit, id quod præſcribunt ſimiliter Rituale S. Martini Turonenſis, & ordinarium Rotomagenſe & Cenomanenſe &c. In ordinario Argentino præſcribitur ut ad primam [incipiente pſalmo *Deus in nomine* venia ſubſequente indirectum dicatur altè & tantum ſine nota.] Eodem modo haud dubium aliæ horæ perſolvebantur, ſed in Eccleſia Bajocenſi privatim ſub ſilentio recitabantur, qui uſus in Romana viguit. Conſtabant autem horæ diurnæ ſolitis pſalmis, Reſponſorio pſalmo miſerere & oratione, omiſſo ad Primam ſymbolo *Quicumque*, quod in ſolis Rotomagenſi & Argentino ordinariis reperitur. Quidam ut Carnotenſes S. Joannis & Gaſtinenſes ſolitas & prolixas preces addebant. Sed ordinarium horas cum verſu *Chriſtus factus eſt* abſque collecta terminat.

CAPUT XXII. *De Cæna Domini.*

§ II.

De reconciliatione pænitentium.

I. DE reconciliatione pœnitentium alias tractavimus in libri primi de antiquis Eccleſiæ Ritibus capite 6. art. 5. ubi fusè diſcuſſimus tempus, diem, & horam, quibus fieret, aliaque multa ad eam ſpectantia; adeò ut jam iis immorari diutiùs haudquaquam neceſſarium videatur: pauca dumtaxat hic adnotabimus. Atque in primis venit

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

canon XXXV. Iſaaci Lingonenſis epiſcopi hic non prætermittendus : [ſtatutum eſt in ſanctis canonibus prohibitum , ut nullus presbyter pœnitentem publicè inconſulto epiſcopo reconciliare præſumat , niſi morte fortè periclitantem , ſed omnes publicè pœnitentes 5. feria ante Paſcha , quæ eſt Cœna Domini ad civitatem in cinere & cilicio in præſentia epiſcopi proſtrato vultu conveniant ; & ibi canonicè & ordinabiliter ſicut in ſacramentario & in Romano ordine continetur reconcilientur atque dijudicentur , conſolenturque & prædicentur quid deinceps agere , quidve vitare debeant , inſtruantur atque inſuper divinis precibus per manus impoſitionem epiſcopi ſanentur.]

Reconciliatio duplex.

II. Secundò in quibuſdam Eccleſiis duplex fiebat hac die abſolutio ſeu reconciliatio : prima cleri & populi : altera pœnitentium : prima poſt nocturnos , altera ante miſſam. De his ita Cenomanenſe ordinarium poſt matutinas laudes [Cantor debet percutere formam manu , & tunc ſacriſta debet venire in choro cum candela accenſa , & reaccenſis candelis proſtrati cantantur 7. pſalmi pœnitentiales : quibus finitis , epiſcopus vel hebdomadarius ſtans juxta altare faciat abſolutionem , ut in capite jejunii... Ipſa die poſt nonam ſonantibus duobus majoribus ſignis , conveniat omnis populus ad majorem Eccleſiam , & tunc faciat epiſcopus ſermonem ad populum de myſterio præcipuo ejuſdem diei. Quo peracto , vel anteà reconcilientur pœnitentes , ſicut docet Romanus ordo : deinde cantentur ſeptem pſalmi pœnitentiales ſicut ſuperiùs , & faciat epiſcopus abſolutionem ſuper populum.] Et antiqui libri miſſales Eccleſiæ Pariſienſis ante trecentos aut quadringentos annos ſcripti : [Feria 5. in Cœna Domini. Abſolutio ſtatim poſt matutinas antiphona *Intret oratio.* Pſalmi pœnitentiales. *Intret oratio &c. Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos tuos , Mitte eis , Domine , auxilium de Sancto. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus, Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c. Præſta quæſumus &c. Omnipotens & miſericors Deus &c. Omnipotens ſempiterne Deus &c. Deus humani generis &c.* Sequitur abſolutio , quam epiſcopus ſurgens faciat manu extenta ſuper populum. Oratio. *Dominus Jeſus-Chriſtus &c. Abſolutionem &c.* Nota quod hæc eadem abſolutio ſecundò fit hora ſexta cantata ad miſſam.] Ita antiqui libri miſſales. Nam recens anno 1685. editus paulò aliter ſtatuit. [In Eccleſia Metropolitana , inquit , ante officium nocturnum feriæ 5. fit abſolutio à Domno Archiepiſcopo , aut in ejus abſentia Domino decano , aliove poſt ipſum digniore , ut ſequitur. Habita concione ex ambone verſus navem , canitur à choro ſolus pſalmus *Miſerere* ſine *Gloria Patri.* Deinde antiphona *intret &c. Cum Kyrie eleiſon Pater* ſecretò. Tum Dominus Archiepiſcopus indutus Pontificalibus rubri coloris , ſtans in medio ambonis verſus navem dicit alta voce *Et ne nos* cum reliquis precibus quæ habentur infrà poſt pſalmos pœnitentiales , dataque abſolutione , ut ibidem notatur , facit aſſuetam benedictionem.] Duplicem etiam abſolutionem præſcribit ordinarium Rotomagenſe.

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

III. Tertiò quibuſdam in locis non duplicem dumtaxat, ſed longè plures abſolutiones faciebat epiſcopus, per alias civitatis Eccleſias, præſertim religioſas ad quas eam ob cauſam ſummo manè pergebat: Hæc inter alias fuit praxis Eccleſiæ Remenſis, in cujus ordinario ms. hæc lego: [Summo manè ſurgit Domnus Archiepiſcopus; & per congregationes ambulans facit abſolutionem per ſingulas; & ſuper ſeptem pſalmos pœnitentiales, qui in abſolutione dicuntur, adhibetur *Gloria Patri.* Interim pulſatur ad Primam... In capitulo poſt Primam non accepta benedictione, legitur à puero, & dicitur à presbytero *Iſti & omnes ſancti & omnes electi Dei*: Deinde ter repetitur *Deus in adjutorium* ſine *Gloria Patri.* Sequitur *Kyrie* ter *Pater noſter. Reſpice in ſervos tuos. Oremus Dirigere &c.* Poſt hæc Domnus Archiepiſcopus reverſus ad majorem Eccleſiam, intrat capitulum, abſolutionem ibi facturus; & inde procedens ad Eccleſiam aſcendit pulpitum & facit benedictionem ſuper populum.] De eadem conſuetudine ita habet Laudunenſe ordinarium: [Poſt primam pulſatur campana, Epiſcopus & canonici in capitulum conveniunt. Epiſcopus dicit *Confiteor*, poſteà omnes alii. Epiſcopus *Miſereatur &c.* Sed antequam dicat *Abſolutionem & remiſſionem* omnes proſtrati cantant pſalmos pœnitentiales: quibus dictis, epiſcopus mitratus, ſtola poſita ſuper collum, ſurgit & dicit *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Salvos fac ſervos*, cum reliquis precibus. *Oremus.* Oratio, *Exaudi Domine preces noſtras &c.* Alia. *Præſta quæſumus his famulis &c.* Alia. *Deus humani generis &c.* Finitis orationibus, canonici dicunt pſalmum *Deus miſereatur noſtri.* Epiſcopus orationem *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* Poſteà eos à peccatis abſolvens dicit *Abſolutionem & remiſſionem &c.* His peractis, progreditur epiſcopus ad Eccleſiam S. Vincentii, deinde ad Eccleſiam S. Martini, poſt ad Eccleſiam S. Joannis in Burgo, ad ultimum in Eccleſia S. Joannis in Abbatia. Interim cantatur Tertia & Sexta... Poſt Sextam epiſcopus ſtans in ſiniſtro pulpito cum ſtola & mitra abſolvit à peccatis populum ſibi à Deo commiſſum.] Et paulò poſt in miſſa [dum cantatur offertorium epiſcopus pœnitentes in Eccleſia introducit, & ſtans ante altare imaginis populum ſibi commiſſum à peccatis abſolvit. Sed antequam dicat *Miſereatur*, diaconus & ſubdiaconus comminiſtrantes in miſſa cantant letaniam, & dicuntur orationes, quæ dictæ ſunt in capitulo.] Eamdem conſuetudinem viguiſſe etiam in Eccleſia Rotomagenſi colligimus ex ordinario canonicorum Regularium S. Laudi, cujus hæc verba: [Archiepiſcopus vel Epiſcopus loco ejus eo die abſolutionem fratribus ſolitus eſt impendere:]

IV. Quartò in congregationibus ad quas non pergebat epiſcopus, fratres ipſi à proprio prælato ſeu ſuperiore abſolvebantur ante miſſam, uti videre eſt in eodem S. Laudi ordinario, in miſſali antiquo fratrum prædicatorum, in Rituali ms. canonicorum regularium cruce ſignatorum.

V. Quintò reconciliatos pœnitentes aut ſaltem aliquam eorum partem

non parvam propria menſa hac die excipiebat epiſcopus, ut docet nos

CAPUT XXII. antiquum Pontificale Eccleſiæ Pictavienſis.

De Cœna Domini. VI. Sextò propria olim pro pœnitentibus miſſa hac die manè cantabatur, quam videre eſt in vetuſtioribus Sacramentorum libris, ante annos 900. aut circiter ſcriptis, ut in Regio, in Noviomenſi B. Mariæ, in Remenſi S. Remigii, in Gellonenſi, in Pictavenſi Pontificali, & in ordine Gelaſiano.

VII. Reliquos reconciliationis ritus, preces olim ad eam adhibitas diſces ex variis ordinibus quos dedimus in libro 1. cap. 6. quibus hic aliquos adjicere non pigebit.

ORDO I.

Ad reconciliandos pœnitentes.

Ex antiquo libro Sacramentorum B. Mariæ Noviomenſis ante annos 900. ſcripto.

ORATIONES IN V. FERIA AD RECONCILIATIONEM POENITENTIUM. SEQUITUR ORDO.

E*Greditur pœnitens de loco ubi pœnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terra. Sacerdos verò dicit has orationes.*

Omnipotens ſempiterne Deus, da quæſumus univerſis famulis tuis plenius atque perfectius omnia feſti Paſchalis introire myſteria; ut incunctanter pia corda cognoſcant, quantum debeant de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere. Per Dominum.

Concede credentibus, miſericors Deus, ſalvum nobis de Chriſti paſſione remedium, ut humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos æternæ vitæ ſuffragio plebis abſolvat. Per

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis, pro nobis Filio tuo moriente, ſalvaſti: præſta, quæſumus, ut in hac populi tui devotione fructus provehat gaudiorum. Per

Inde verò poſtulat diaconus in his verbis: Adeſt, o venerabilis Pontifex tempus acceptum &c.

Poſt hoc admonetur ab epiſcopo ſive alio ſacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet inde verò has orationes dicit ſacerdos ſuper eum.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: ut quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum, da fiduciam tui muneris exſequendi: & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt operare. Per

Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ

fructum : ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccando ; ad niſſorum veniam conſequendo, reddatur innoxius. Per

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime formator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici tui ſanguine redemiſti : vivifica itaque quem tibi nullatenùs mori deſideras : & qui non derelinquis devium, adſume correptum. Moveant pietatem tuam, quæſumus Domine, hujus famuli tui lacrymoſa ſuſpiria : tu ejus medere vulneribus : tu jacenti manum porrige ſalutarem : ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur ; ne grex tuus detrimentum ſuſtineat ; ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet ; ne renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitenti, ut in imminentes pœnas ſententiam futuri judicii, te miſerante non incidat. Neſciat quod terret in tenebris, quod ſtudet in flammis ; atque ab erroris via ad iter reverſus juſtitiæ, nequaquam ultra novis vulneribus ſaucietur ; ſed integrum ſit ei atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per

Item ad reconciliandum miſſa

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa : ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti : ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis : ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis : da indulgentiam reis, & medecinam tribue vulneratis ; ut percepta remiſſione omnium peccatorum ſincera devotione permaneant : & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice ſuper hunc famulum tuum, qui ab infeſta ſæculi tempeſtate demerſus, flebili lamentatione ſuos accuſat exceſſus : ut fletus ac gemitus ejus pie ſuſcipias, eumque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitenti & vulnerato auxilium ſanitatis indulgeas ; nec ultrà inimicus in ejus habeat anima poteſtatem ; ejuſque confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatum reſtitue, ac tuo altario repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſus, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per

Secreta

Virtutum cæleſtium Deus, de cujus gratiæ rore deſcendit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus : præſta quæſumus, ut in

corum traditione ſolemniter honorum tibi placitum deferamus obſequium. Per

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

Infra actionem

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter JESUS-CHRISTUS: ſed & memoriam.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii cœnæ Dominicæ, in qua Dominus noſter JESUS-CHRISTUS tradidit diſcipulis ſuis Corporis & Sanguinis ſui myſteria celebranda; quæſumus, Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalva & incolumis munera ſua tibi Domino mereatur offerre. Dieſque noſtros.

Item infrà actionem

Qui hac die antequam traderetur accepit panem in ſuis ſanctis manibus.

Poſt-communio

Concede, quæſumus Domine, ut percepti novi ſacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente. Per

Oratio ſuper pœnitenti poſtquam communicat

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis: da indulgentiam eis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum, in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant; & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem

Deus miſereator, Deus clemens, Deus qui ſecundùm multitudinem &c. majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo &c. Majeſtatem tuam quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens &c. Deus miſereator Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis &c.

ORDO II.

Ex ms. ordinario inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis.

M*Atutinis finitis, Dominus Archiepiſcopus vel ejus vicarius ad populum ſermonem faciat: quo finito ſeptem pſalmi pœnitentiales dicantur*

tur. Antiphona Ne reminiſcaris *Pſal.* Domine ne in furore, *Ut ceteri pſalmi* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Mitte eis Domine. ℣. Convertere Domine. ℣. Fiat miſericordia tua. ℣. Domine Deus virtutum. ℣. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. Adeſto, Domine, ſupplicationibus. *Oratio.* Deus qui hum. *Alia oratio* Domine ſancte Pater. *Poſteà Domnus Archiepiſcopus vel ejus vicarius populum abſolvat.* Abſolvimus vos vice. B. Petri. *Poſteà eos benedicat*

Finita nona, Dominus Archiepiſcopus, vel ejus vicarius, indutus alba & ſtola cum cappa rubra, vel ſacerdos ſine cappa cum diacono & ſubdiacono indutus albis & ſtola, cum cantore & proceſſione ordinata pergat ad occidentales portas Eccleſia ad reconciliandos pœnitentes; & Domno Archiepiſcopo ſedente juxta januas Eccleſiæ, proceſſione ſtante in navi Eccleſiæ, legatur à Diacono more lectionis hac lectio. Adeſt tempus venerabilis Pontifex. *Finita lectione, Domnus Archiepiſcopus vel ejus vicarius ſe erigat, & cantet hanc antiphonam* Venite. *Diaconus ex parte pœnitentium dicat:* Flectamus genua. *Item Domnus Archiepiſcopus dicat.* Venite. *Item diaconus* Flectamus genua. *Item Domnus Archiepiſcopus* Venite. *Item diaconus* Flectamus genua. *Chorus cantet* Venite *ter, & finiat antiphonam. Qua finita, cantor incipiat pſalmum* Benedicam Dominum; *Et dicatur totus pſalmus, ſi neceſſe fuerit, & ad quemlibet verſum repetatur antiphona* Venite, venite. *Et interim Domnus Archiepiſcopus vel ejus vicarius pœnitentes in Eccleſiam intromittat cum baculo: & reconciliati ardentes candelas ad altare deferant; alii extinctas vel nullas. Et Domnus Archiepiſcopus vel ejus vicarius ponat manum ſuam ſuper capita reconciliatorum, dans ſingulis pacis oſculum dicens:* Pax tecum. *His ita peractis proceſſio redeat cum ſilentio, & fiat ſermo ad populum. Quo finito, Domnus Archiepiſcopus cum diacono & ſubdiacono dicat ſeptem pſalmos pœnitentiales cum proſtratione choro reſpondente: quibus finitis, antiphona* Ne reminiſcaris. *Qua finita, Domnus Archiepiſcopus pœnitentes proſtratos abſolvat dicendo preces* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℣. Mitte eis, Domine, auxilium. ℣. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. *Oratio.* Abſolutionem & remiſſionem.

ORDO III.

Ex ms. Pontificali Eccleſiæ Aquenſis.

ORDO DE RECONCILIATIONE POENITENTIUM IN DIE COENÆ DOMINI.

Primo mane conveniant Sacerdotes, quibus id officii impoſitum eſt, & certo loco audiant pœnitentes univerſos, quos Eccleſia publicam pœnitentiam agere conſtituit, ut cum hora requiſitionis venerit, quid de ſingulis

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Pontificalis auctoritas deinceps cenſeat, requiſitum, notatum, & imbreviatum ipſi habeant, & crimina ſingulorum, & annos pœnitentiæ, & nomina eorum fideliter; ut liberius Pontifex univerſorum cauſas decernat. Hora diei ſecunda accipiat Archiepiſcopus ſtolam, & cappam, & mitram, & preparetur Sedes ejus in medio Eccleſiæ, circumſtante clero, ſedenteque Archiepiſcopo, ſint præſentes in atrio Eccleſiæ qui reconciliandi ſunt. Stetque cum illis unus Archidiaconus indutus alba & ſtola ſine dalmatica, dicatque pœnitentibus excelſa voce. State cum ſilentio audientes intente. *Facto ſilentio, dicat* Adeſto o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis &c. *Hoc finito, ſtet Archiepiſcopus in oſtio Eccleſiæ, dicit antiphonam* Venite. *Et Diaconus ex parte pœnitentium* Flectamus genua. *Deinde* Levate. *Iterum ſecundo repetat Archiepiſcopus* Venite, *Et Diaconus* Flectamus genua, *deinde* Levate. *Et iterum Archiepiſcopus incipit antiphonam* Venite filii audite me timorem Domini docebo vos. *Deinde ſubſequatur Archidiaconus* ℣. *antiphonam.* Accedite ad eum, & illuminemini, & facies veſtræ non confundentur. *Mox pœnitentes corruant ad pedes Archiepiſcopi, ſicque proſtrati jaceant uſque dum Archiepiſ. opus alteri Diacono innuat dicere* Levate. *Interim chorus proſequatur pſalmum cum antiphona diviſus per choros juxta Archiepiſcopum.* Benedicam Dominum. *Et pœnitentes offerantur Archiepiſcopo a presbyteris, ut ipſe eos matri Eccleſiæ reconciliet, & det pœnitenti pacem dicens.* Pax tecum. *Et ſic intrent Eccleſiam. Poſtquam omnes reconciliandi in Eccleſiam introducti fuerint, Archiepiſcopus ante altare proſternatur, tam ipſe quam ceteri clerici & pœnitentes, & cantetur hæc antiphona cum pſalmis.* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſal. Miſerere* mei Deus ſecundum. *Pſal.* Miſerere mei Deus quoniam. *Pſal.* Miſerere mei Deus, miſerere mei. *Quibus finitis, dicat* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Domine non ſecundum peccata noſtra ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Convertere Domine uſquequo Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Eſto eis Domine turris fortitudinis. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. Domine exaudi. Dominus vobiſcum Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam &c. Præſta quæſumus Domine famulis tuis dignum &c. Deus humani generis benigniſſime reformator &c. Deus miſericors, Deus clemens &c. Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur &c. Dominus J.C. qui diſcipulis ſuis dixit, quæcumque ligaveritis &c. Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum percipere mereamini hic & in æternum. Amen.

ORDO IV.

Ex ms. Pontificali Petri Epiſcopi Silvanctenſis qui obiit anno 1356.

INCIPIT RECONCILIATIO POENITENTIUM.

F*Eria* 5. *ante Paſcha pro foribus Eccleſiæ conſiſtens Epiſcopus dicat pœnitentibus eminus cum Archidiacono in atrio præſtolantibus antiphonam* Venite, venite, venite, filii audite me, timorem Domini docebo vos. *Et diaconus ex parte pœnitentium dicat* Flectamus genua. *Et omnibus genua flectentibus, dicat diaconus ex parte Epiſcopi* Levate. *Similiter fiat ſecundo & tertio dicente Epiſcopo* Venite, Venite, Venite. *Et diacono ſubſequente* Flectamus genua &c. *ut ſuprà. Poſtquam autem tertio Epiſcopus vocaverit dicendo* Venite. *Diacono ſubſequente* Flectamus genua. *Mox omnes pœnitentes corruant cum Epiſcopo & diacono, ad pedes Epiſcopi jacentes donec innuente Epiſcopo, alius diaconus dicat* Levate *Proſequatur clerus* Venite, filii audite me. *Pſalm.* Beati immaculati in via. *Præterea dicatur ab Archidiacono Epiſcopo* Adeſt o venerabilis Pontifex &c.

Deinde proſtratis pœnitentibus, cantentur pſalmi ſupraſcripti Pſ. Miſerere mei Deus S. *Pſ.* Deus in nomine tuo. *Pſal.* Miſerere mei Deus, miſerere mei. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri *Pſal.* Deus in adjutorium. Pater noſter. Et ne nos. Iniquitates meas ego cognoſco. Et delictum meum coram me eſt ſemper. Averte faciem tuam à peccatis meis. Et omnes. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Et Spiritu principali. *Oratio.* Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris & me qui etiam miſericordia tua &c.

Præſta, Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum &c. Deus humani generis benigniſſime conditor &c.

Poſteà ſurgant pœnitentes, & diaconus dicat Sed integra in eis, Pontifex venerande, quidquid diabolo ſuadente corruptum eſt &c.

Et moneantur ab Epiſcopo pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerunt iterando non renovent, & imponat Epiſcopus antiphonam Venite, Venite, Venite, filii audite me timorem Domini docebo vos. *Pſ.* Benedictus Dominus Deus Iſraël. *Et poſt ſingulos verſus pſalmi dicatur antiphona iterum, Archidiacono reddente manuatim pœnitentes Epiſcopo. Et ſic reſtituantur Eccleſiæ. Deinde imponat Epiſcopus hanc antiphonam.* Cor mundum crea in me Deus, Spiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *Deinde proſternat ſe Pontifex in oratorio cum pœnitentibus, clero faciente letaniam. Quâ finita, dicat* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Salvos fac ſervos tuos. Peccavimus, Domine, cum patribus noſtris. Domine, non ſecundum peccata. Ne memineris Domine iniquitatum noſtrarum. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Memor eſto congregationis. Exurge Chriſte adjuva

nos. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Oratio.

Omnipotens, ſempiterne Deus, confitentibus tibi famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam Per.

Alia oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc confeſſionem famulorum tuorum benignus aſſume, ut qui auxilium gratiæ tuæ implorant, & ſanctificationem percipiant, & quæ precantur obtineant Per.

Alia

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum delictorum culpas venia remiſſionis evacuas. Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut his famulis longuo ſqualore pœnitentiæ maceratis, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam unde ejecti fuerant valeant intrare. Per

Alia oratio

Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatoris, ſed vitam ſemper inquiris, reſpice flentes famulos tuos, attende proſtratos, eorumque planctum in gaudium tua miſeratione converte.

Alia oratio

Famulos tuos, quæſumus ab ira tua confugientes ad te paterna recipe pietate, ut qui majeſtatis tuæ flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per Dominum.

ORDO V.

Ex ms. Pontificali Ambianenſi.

FEria 5. *in cœna Domini poſt ſextam horam genibus flexis dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales cum* Gloria Patri *Poſt quemlibet pſalmum; quibus dictis, dicitur antiphona* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,

Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Peccavimus cum patribus noſtris. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Non nobis, Domine, non nobis. Ab occultis noſtris munda nos Domine. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. Exurge, Domine, adjuva nos. Domine exaudi orationem. Dominus vobiſcum.

Oratio

Adeſto ſupplicationibus noſtris ut me etiam qui miſericordia primus indigeo. *Hic dicitur* confiteor

Oremus

Præſta quæſumus Domine famulis tuis &c.

Oremus

Deus humani generis benigniſſime conditor &c.

Oremus

Deus qui mundum in peccati fovea jacentem miſericorditer &c.

Oratio

Dominus JESUS-CHRISTUS Dei hominumque mediator, qui non ſolum B. Petro Apoſtolo, ſed etiam aliis apoſtolis eorumque ſequacibus regimen paſtorale tenentibus poteſtatem ligandi atque ſolvendi tribuere dignatus eſt, ut quæcumque ligaverint ſuper terram in cœlis ligarentur, & quæcumque ab eis ſolverentur in terris, ſoluta ſemper remanerent in cœlis; ipſe ſua pietate ineffabili vos abſolvere dignetur ab omni vinculis peccatorum, quæcumque corde, lingua, & opere perpetraſtis, ut & in futuro vitam æternam cum ſanctis omnibus poſſidere valeatis. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

Benedictio ſuper reconciliatos pœnitentes.

OREMUS.

Benedic Domine hos pœnitentes tua jam pietate reconciliatos, eoſque devotos reſpice Pater. Amen.

Humilitatem eorum vide, gemitus ſuſcipe, paterna pietate jube reconciliari. Amen.

Proſtratos alleva, diſperſos congrega, adunatoſque conſerva. Amen.

Eſurientes ciba, ſitientes pota, omneſque ſimul cœleſtibus bonis irriga. Amen.

Dele in eis omnem peccati maculam, ut te gubernante ad gloriam perveniant ſempiternam. Amen.

Humiliata tibi omnium capita dexteræ tuæ benedictione ſanctifica, & benedicendo peccata relaxa, Sanctique Spiritus infunde chariſmata. Amen.

Ut ſine ulla offenſione majeſtatis tuæ præcepta adimpleant, & ad vitam æternam te auxiliante perveniant. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

ORDO VI.

Ex miſſali inſignis Eccleſiæ Sariſberienſis in Anglia.

F*Eria 5. in cœna Domini in primis fiat reconciliatio pœnitentium hoc modo, nona cantata, pergat excellentior ſacerdos ad oſtium Eccleſiæ occidentale, indutus veſtibus ſacerdotalibus, in cappa ſerica rubra, cum duobus diaconis albis cum amictibus indutis, abſque ſubdiacono, & ſine cruce per medium chori, præcedente vexillo cilicino. Simque præſentes in atrio Eccleſiæ qui reconciliandi ſunt; & ſi epiſcopus adeſt, principalis Archidiaconus ex parte pœnitentium, ſcilicet extra oſtium Eccleſiæ in cappa ſerica alba & ſtola indutus legat hanc lectionem.* Adeſt, o Venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ & ſalutis humanæ &c. *Quæ lectio non legatur epiſcopo abſente. Finita lectione, incipiat epiſcopus antiphonam* Venite, Venite. *Infrà prædictum oſtium converſus ad borealem, ſignum faciendo manu quaſi vocando. Deinde diaconus ex parte pœnitentium, ſcilicet extra oſtium dicat* Flectamus genua; *alius diaconus ex parte epiſcopi* Levate. *Et ita fiat tribus vicibus; ita tamen quod poſt tertiam repetionem antiphonæ non dicatur* Flectamus genua; *Sed chorus proſequatur totam antiphonam, cantore incipiente* Filii, audite me timorem Domini docebo vos. *Pſalmus* Benedicam, *totus pſalmus dicitur cum* Gloria Patri. *Et poſt unumquemque verſum repetatur antiphona. Dum pſalmus canitur à choro cum antiphona, ſemper manuatim pœnitentes ab aliquo presbytero de choro, habitu non mutato, reddantur ſacerdoti exſecutori officii, & ab ipſo reſtituantur Eccleſiæ gremio. Tamen ſi epiſcopus præſens fuerit, pœnitentes à presbytero reddantur archidiacono, & ab ipſo reddantur epiſcopo, & ab ipſo reſtituantur Eccleſiæ gremio. Quibus expletis, proceſſio more ſolito in chorum redeat; deinde proſternant ſe omnes, & dicant clerici in choro ſeptem pſalmos pœnitentiales cum* Gloria Patri *&* Sicut erat. *Sacerdos verò cum ſuis miniſtris dicat per ſe ſeptem pſalmos cum* Gloria Patri *&* Sicut erat. *Et antiphona* Ne reminiſcaris, *cum* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Ante altare ſicut in die cinerum prænotatum eſt. Deinde erigens ſe ſacerdos converſus ad auſtralem coram dextro cornu altaris ſine nota*

Digitized by Google

dicat. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Salvos fac ſervos tuos. Dominus vobiſcum. Oremus. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia &c. *Et dicantur omnes orationes, & terminentur ſub tono lectionis, & omnes dicantur cum* Oremus. *Non dicitur* Dominus vobiſcum *niſi ante primam orationem tantum. Alia oratio.* Deus generis humani benigniſſime conditor, &c. *alia oratio.* Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui vulnera noſtra curare &c. *Hic non dicitur* Oremus; *Sed ſacerdos ad populum converſus manu extenta, ſine nota dicat abſolutionem. Alia oratio.* Abſolvimus vos vice B. Petri Apoſtolorum principis &c. *Et ſic ſurgant omnes à proſtratione oſculantes formulas vel terram, ſacerdote dicente* qui vivit*: Et ſi Epiſcopus adeſt, dicat benedictionem: deinde incipiatur miſſa ſolemniter ſine regimine chori.*

§ III.

De benedictione Olei infirmorum, Cathecumenorum, & ſacri chriſmatis.

Hæc benedictio quam antiqua.

I. INter varios Cœnæ Dominicæ ritus primarium meritò locum ſibi vindicare debet olei infirmorum atque Cathecumenorum ſacrique chriſmatis benedictio, utpote quæ ſolemniſſimo omnium tam miniſtrorum apparatu, quàm rituum varietate peragi ſoleat. Ejus inſtitutionem ad ipſum fidei catholicæ initium revocare videtur Montanus Toletanus Epiſcopus in epiſtola ad Theoribium. Et certè S. Baſilius in libro de Spiritu ſancto cap. 27. inter alios ritus quos ex apoſtolica traditione accepit Eccleſia, [Benedicimus, inquit, aquam baptiſmatis & oleum unctionis.] Hinc colliges quàm immeritò Theodorus Lector lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aſſerat [Petrum Fullonem inſtituiſſe ut ſacrum Chriſma in Eccleſia coram omni populo conſecraretur.] Niſi fortè hæc verba non de conſecratione ipſa chriſmatis, ſed de conſecrationis publica ſolemnitate intelligas: quæ tamen in Affricana Eccleſia jam longè anteà obtinuerat, utpote quam ad altare peractam fuiſſe non ſecùs ac Euchariſtiam docent hæc S. Cypriani verba in epiſtola 70. [Porrò Euchariſtia, & unde baptizati unguuntur, oleum in altari ſanctificatur.] Et quidem invocato Chriſti nomine, ut diſcimus ex Optati Milevitani libro 7. adverſus Parmenianum: [Oleum nominant illum liquorem, qui in nomine Chriſti conditur, quod chriſma poſtquam conditum eſt nominatur.]

Benedictio chriſmatis ad ſolos pertinet epiſcopos.

II. Hujus benedictionis jus penes ſolos reſediſſe epiſcopos clamant libri Rituales tam Latini quàm Græci omnes, clamant varii Conciliorum ac Synodorum canones; tametſi illud ſibi auſu temerario uſurpare non ſemel tentaverint presbyteri: qua de re conqueſtus in Concilio Carthaginenſi II. cum fuiſſet Fortunatus epiſcopus, [ab univerſis epiſcopis dictum eſt: Chriſmatis confectio & puellarum conſecratio à presbyteris non *fiant.*] Quem canonem renovavit Concilium Carthaginen-

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

ſe III. can. XXXVI. ſtatuens, [ut presbyter inconſulto epiſcopo virgines non conſecret, chriſma verò numquam conficiat.] Eumdem abuſum gliſcentem in Hiſpania compeſcere cogitavit Concilium Toletanum I. anno 400. edito hoc canone 20. [Quamvis penè ubique cuſtodiatur, ut abſque epiſcopo chriſma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi epiſcopum Chriſma facere & per diœceſim deſtinare.] Non prævaluere tamen adverſus pravam & inolitam conſuetudinem hæc ſacrorum Conciliorum decreta: vel ſi eam aliquandiù compreſſerint; non penitùs extinxerunt adeò ut Montanus epiſcopus qui circa annum 531. Toletanam regebat Eccleſiam, duriſſimis ac graviſſimis verbis in eam invehere neceſſarium duxerit in epiſtola ad fratres territorii Palentini ſcribens hoc modo: [Nova namque præſumtio præſidentium vobis presbyterorum noſtrorum pulſavit auditus: ſi tamen nova tantùm, & non deteſtabilis dici poſſit, quæ ab initio fidei catholicæ numquam præter nunc ſubrepſiſſe probatur, ut id quod per manus Summi Pontificis trinæ divinitatis invocatio ſanctificare conſuevit, presbyter ignarus diſciplinæ conficere ſibi chriſma præſumeret.] Id quod ſub anathematis interminatione vetat & in epiſtola ad Theoribium: [Quidam, ut ad nos perlatum, presbyteri auſu temerario res ſacras non tam conſecrare, quàm violare præſumunt, & cunctis ab initio fidei catholicæ ſæculis inuſitatum ſummis ſui ordinis hominibus, niſi tantùm Pontificibus debitum, jus conſecrationis chriſmæ, neſcio quo typho, an dementia dicam, indubitanter aſſumunt: quod quàm ſacrilegum ſit, piiſſimam conſcientiam latere non credo: & ideò ſpero, ut pro enervanda hac ipſa ſuperfluitate, ſeveriſſimi ſacerdotis auctoritate utaris, & tantæ rei temeratores diſtrictiori increpatione coerceas.] Verùm omnibus his non obſtantibus decretis, invaluit tandem presbyterorum præſumptio, permittentibus aut ſaltem neceſſitatis obtentu tolerantibus epiſcopis Africanis: id quod non improbat Joannes diaconus ſæculi IX. ſcriptor pro tempore doctiſſimus, ſcribens ad Senarium in hæc verba: [Sed nec illud tangat animum, quod ſibi aliquando quædam vis neceſſitatis aſſumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur,) ut presbyteri ſanctum chriſma conficiant; quod meritò moveret, ſi iſtam pontificalis auctoritas licentiam non dediſſet. Unde conſtat etiam nunc à Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum neceſſitate, ut à presbyteris effici poſſit, ſuperior ordo conſtituit.] Hinc fortè proceſſit anno 868. illud Concilii Vvormatienſis decretum can. II. [Chriſma conficere præter epiſcopum nullum præſumat. Nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt.]

Epiſcopo chriſma benedicenti adſiſtunt presbyteri.

III. Et quidem huic præſumptioni occaſionem præbere potuit antiquiſſimus Eccleſiæ uſus presbyteros unà cum epiſcopo adhibendi ad chriſmatis conſecrationem, ſi non ut cooperatores, ſaltem ut tanti myſterii teſtes: quorum numerus primum ſtatus fixuſque non videtur fuiſſe, ſed quotquot præſentes reperiri poterant, epiſcopo benedicenti ſacris

veſtibus

veſtibus induti aſſiſtebant : ſaltem id innuunt vetuſtiſſimi omnium ſacramentorum libri, qui de presbyterorum aſſiſtentium numero nihil prorsùs definiunt. Atque hic ritus diù perſeveraſſe videtur in provincia Remenſi. Nam in inſignis illius Eccleſiæ ordinario ita lego : [Poſt hæc, ſcilicet poſt miſſam, Domnus Pontifex reſidet in ſede ſua ; & tunc Archidiaconus cantor, *Et omnes presbyteri canonici* caſulis induti, diaconi & ſubdiaconi & acolythi qui miniſtraverunt in miſſa vadunt in ſacrarium, & inde ordinatè, & cum omni decore oleum chriſmale & oleum Cathecumenorum & neophitorum uſque ante Archiepiſcopum deferant. Ibidem parati ſunt *Presbyteri parrochiales* caſulis ſolemniter induti, & cum aliis proceſſuri... teſtes & cooperatores ejuſdem ſacroſancti chriſmatis.] Et in Laudunenſi : [Dum miſſa ab epiſcopo celebratur, parati ſunt ſacerdotes eccleſiæ noſtræ & presbyteri parrochiales albis & caſulis induti,] qui eidem epiſcopo ſacrum chriſma benedicenti aſſiſtant. Denique in Noviomenſi : [Induit ſe epiſcopus veſtimentis pontificalibus ad miſſam ſolemnem celebrandam propter chriſmatis & olei ſacramentum, & cum eo ſeptem diaconi & totidem ſubdiaconi, & *totius urbis presbyteri* velut ad miſſam cantandam induti.] Poſteà presbyterorum numerus ad duodenarium redactus fuit : qui numerus in omnibus ferè pontificalibus libris ab annis circiter 800. ſcriptis aſſignatur, ut in Conſtantinopolitano, Moguntino, Silvanectenſi & aliis plurimis. Extat ea de re Concilii Rotomagenſis anno 1072. celebrati canon I. [Hoc etiam debet epiſcopus providere, ut in ipſa conſecratione (chriſmatis) duodecim ſacerdotes ſacerdotalibus veſtibus indutos vel quàm plures ſecum habeat.] Eumdem numerum adhibebat S. Udalricus Auguſtanus Epiſcopus qui anno 973. vivere deſiit, ut probat ejus vita cap. 5. Sed & Benedictus Papa VIII. cum duodecim epiſcopis aliquando conſecraſſe chriſma in eccleſia Bambergenſi legitur in vita S. Henrici cap. 23. Tandem eo uſque res devenit, ut in quibuſdam eccleſiis duos tantum presbyteros ſacræ benedictionis coadjutores & teſtes ſecum aſſumeret epiſcopus. Ita preſcribunt ms. Pontificale eccleſiæ Pariſienſis annorum circiter 300. & ordinarium Bajocenſe.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

IV. Porrò huic benedictioni nulla primum ſtata fixaque dies fuiſſe videtur ; ſed prout res exigebat ad epiſcopi arbitrium conficiebatur, id ſaltem clarè enunciat Concilium I. Toletanum can. XX. [Epiſcopo ſanè certum eſt omni tempore licere chriſma conficere.] Poſteà verò ei conſignata fuit Cœnæ Dominicæ ſolemnitas juxta illud Concilii Meldenſis decretum can. XLVI. [Nemo ſacrum chriſma niſi in quinta feria majoris hebdomadæ, in cœna quæ ſpecialiter appellatur Dominica, conficere præſumat.] qua die tam apud Latinos quàm apud Græcos conſecratur, ut fidem faciunt Pontificales & Sacramentorum libri omnes, Græcorumque Euchologium. Quare autem hac potiſſimum die benedici conſtitutum fuerit docet S. Iſidorus in lib. 2. de Divinis officiis cap. 28. de Cœna Domini his verbis : [Qua die proinde etiam ſanctum chriſma conficitur : quia ante biduum Paſchæ

Huic benedictioni quæ dies affecta.

Maria caput ac pedes Domini unguento perfudiſſe perhibetur.]

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.* Quod tempus.

V. Perficitur autem iſta benedictio ad altare, ut dicebat ſupra S. Cyprianus, idque infrà miſſarum ſolemnia. Ac primum quidem oleum infirmorum ante orationem Dominicam, chriſma verò & oleum Catechumenorum ad *agnus Dei* benedicitur: tametſi Remenſe ordinarium & Noviomenſe atque Pontificale Moguntinum chriſmatis conſecrationem poſt miſſam ſeu poſt communionem peractam rejiciant.

Chriſma unde conficiatur.

VI. Antequam benedictionem incipiat epiſcopus chriſma conſecrandum præparat, balſamum oleo puriſſimo commiſcens: nam ex duobus hiſce liquoribus conſtat latinorum chriſma, ut docet nos Beda in Canticorum caput I. hæc ſcribens [In vineis Engaddi balſamum gignitur, quod in chriſmatis confectione liquori olivæ admiſceri ac Pontificali benedictione conſecrari ſolet, quatenùs fideles omnes cum impoſitione manus ſacerdotalis, qua Spiritus Sanctus accipitur, hac unctione ſignentur.]

VII. Jam verò ſi quis reſcire deſiderat quantum balſami in ipſo oleo miſceretur; ex Pontificali Moguntino addiſcere poterit. Si quidem præſcribit, ut [epiſcopus converſus ad altare, vertens ſe ad Orientem unam moderatam particulam balſami, videlicet unam guttam vel duas ad plus ponat in ipſum oleum chriſmale, & dicat expreſſa voce: *Hac commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſeculorum Amen.*] Hæc commixtio ex Gregorii Sacramentario & ex quibuſdam antiquis pontificalibus ante miſſam fieri ab epiſcopo debuit, & poſt præfationem ſolemni miniſtrorum ac rituum apparatu è ſacrario conſecrandum oleum ad altare deferri. Græci ſuum chriſma paucis ante Cœnam Domini diebus præparant, illud ex oleo, balſamo, aliiſque liquoribus, & variis herbis odoriferis conficientes. Quorum ritus mox ex eorum Euchologio proferemus: Quonam vero ritu perageretur diſces ex ſequentibus ordinibus.

ORDO I.

Ad benedicendum oleum infirmorum, oleum catechumenorum & Sanctum Chriſma.

Ex mſſ. Pontificalibus Anglicanis duobus, uno monaſterii Gemmeticenſis, altero Eccleſiæ Rotomagenſis annorum 900.

I*Pſo die conficitur oleum infirmorum in ultimo ad miſſam antequam dicatur.* Per quem hæc omnia ſemper bona creas. *Tunc diaconus cardinalis ſumet oleum pro infirmis, portaturque ad pontificem: at ille divertens ſe paululum ab altare, ſtans in ſuo gradu, ſignans oleum in manu diaconi, orationem conſtitutam ſuprà tacite magis quam voce alta dicit:* Emitte Domine Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cœlis &c. *Hac oratione*

Digitized by Google

finita, ponetur oleum infirmorum ſuprà columnam quamdam ſeu altare; & pontifex miſſam ordine ſuo celebrans dicit Per quem hæc omnia Domine *uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum ℟. Amen. *Et Pontifex* Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, *Et Dominicam orationem uſque* Libera nos quæſumus Domine *uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum ℟. Amen. *Et pontifex tacite ſignet calicem cum oblata ſanctificata, nullo reſpondente. Diaconi cooperiant ſacramenta in altare aſcendente pontifice ad ſedem ſuam; tunc Archidiaconus accedens cum chriſmate ampullam auream cum pallio albo habens in manu ſua,& illud pallium mittens ex parte ſuprà dexteram ſcapulam, ſtanſque ante pontificem, & omnes epiſcopi, presbyteri & diaconi in circuitu ejus; & ille pontifex tribus vicibus ſufflans anhelando in ampullam in modum crucis tangens ſua manu dicit magna voce:* Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Vere dignum & juſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere. Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, Qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera &c. *Et pontifex ſignat chriſma principale in modum crucis tribus vicibus cum pollice; & inſufflat iterum tribus vicibus cum halitu in modum crucis, & ſubdiaconus ſuſcipiens de manu Archidiaconi, portanſque cunctis in presbyterio ſtantibus ad oſculandum.*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Alter verò cardinalis diaconus ſequitur cum ampulla argentea habens oleum exorcizatum, veſtitus pallio fuſco, expanſo ſuper humerum ſiniſtrum, accedens ad Pontificem. At ille oleum ſignans, oratione conſecrationis, nullo reſpondente, ſubmiſſa quaſi tacite magis voce benedicens oleum ſanctum. Deus qui virtute Sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas &c. *Finita oratione, non reſpondente ullo, ab acolythis ad ſalutandum defertur, & in ſecretario ponatur. Hoc peracto, revertitur pontifex ad altare, & communicante eo atque clero omnique populo, dicit orationem quæ in libello ſacramentario ad complendum continetur.*

ORDO II.

Ex tribus mſſ. Pontificalibus, Lyrenſis monaſterii annorum 600. Remenſi S. Remigii & Victorino annorum 500.

Feria quinta Cœnæ Domini primo mane cuſtodes Eccleſiæ ordinent omnia quæ ad conſecrationis oleorum ſunt neceſſaria, tres videlicet ampullas de oleo mundiſſimo plenas, unam de oleo infirmorum, alteram autem ad catecumenos ungendos, tertiam verò ad conſecrandum chriſma præparatam, provideatque pontifex ut chriſmatis oleum balſamo ſit compoſitum: unaquæque autem ampullarum diſcretionis titulum ſuper ſe teneat inſcriptum: hoc eſt oleum infirmorum; oleum ad baptiſmum, oleum chriſmatis, tunc una tantum ſonet campana. Conveniantque ad Eccleſiam populi gratia promerenda abſolutionis, ſive conſecrandi oleum chriſmatis, moxque ſe presbyteri

induant veſtibus ſacerdotalibus ad deducendum Pontificem ſimulque VII. Diaconi totidemque ſubdiaconi ad peragenda ſibi injuncta officia, ſtentque in ordine ſuo ſinguli praparati expectantes donec veniat Epiſcopus. Cantor vero nihilominus in medio choro veſtitus incipiat introitum Nos autem, *quem proſequantur univerſi cum pſalmo &* Gloria Patri *procedatque epiſcopus cum proceſſione feſtiva pracedentibus miniſtris cum cereis, cum Thuribulis, & Evangeliis decantato* Kyrie eleiſon, *inchoet Pontifex.* Gloria in excelſis *Sequaturque Collecta* Deus à quo; *Et tunc epiſtola, deinde graduale, procedente quoque ad evangeliſandum diacono praferantur luminaria & incenſum more ſolito.*

Pronunciatoque Evangelio, inferat epiſcopus Pax vobis, & Oremus. *Hic ſequatur offertorium*, & *offerant qui voluerint. Poſt hac ſecreta agatur & prafatio, ac* Sanctus, Sanctus, *Dum autem inchoatur* Te igitur, *Stent in choro veſtiti cantores duo altiboando, decantantes Letanias, cumque cœperint Letanias cantare, ſubito cum gravitate procedant de ſacrario miniſtri ſacris veſtibus induti, bini & bini, per ſex ordines quia per ſex atates ſeculi hodierna ſunt myſteria prafigurata.*

In primo quidem ordine diaconi duo procedentes bina efferent vexilla, quaſi ſacro quadrageſimali jejunio expiati contra verſutas diaboli inſidias. Pro redemptione primi parentis Ada Chriſti victoria triumphantes pugnaturi, vel cœlum pro lapſa legione violenter intraturi. In ſecundo quoque duo ſubſequenter ceroferarii, qui velut cœleſtem proferentes ſplendorem, ſanctam demonſtrant Eccleſiam ſuprà firmam petram ſtabilitam, ſicut archam Noë in diluvio ſalicatam vel populum gentium diei lumine nunc illuminatum uti tunc hominum natione tetra caligine abſortam.

In tertio etiam aqua aſportetur: thimiamateria ac ſi holocauſta cordis contriti & humiliati Domino thurificaturi, ſicut Abraham in typo Chriſti per oblationem Iſaac, ac ut patriarchas per fidem & devotionem Dominum in odorem ſuavitatis cognoſcimus.

In quarto etenim ex ſecrario divina ſcriptura, pares libri evangelica pacis prodeant, denunciantes arcam veteris Legis in paſſione Domini clauſam, ac Legiſlatoris Moyſi teſtamenta ſciſſo velo patuiſſe, ſimul & nova gratia ac veritatis Evangelium lucidius ſole per JESUM-CHRISTUM *ibi claruiſſe.*

In quinto ſiquidem tres quam ſpecioſi pronunciatores ſacri Evangelii comitentur, ſindonibus circumamicti ternis in nomine ſancta Trinitatis ante facies ſuas bajulantes quas ſuprà retulimus ampullas; quarum dua puriſſimi olei liquore erunt referta ſigillatim ad ſingula myſteria benedictione pontificali conſecranda, Prima ad oleum infirmorum perfecta medicina, ad defugandas quoque agritudines & ad remiſſionem peccatorum ut per apoſtolum inſtruimur: Infirmatur quis ex vobis unguatur oleo ſalutari in nomine Domini, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei *ſecunda autem ad oleum Sanctum unctio ſpiritualis ad confirmandos quoſque in pectore & inter ſcapulas antequam baptiſentur omnes in ſacramento baptiſmatis regenerandos. Tertia ſi quidem liquidum ſimiliter continebit*

oleum, quod balſami commiſtione divinis ſacramentis purificatum chriſma effi ietur ſ nctificatum ad conſecrationes Eccleſiaſticas, ad promovendas dignitates omnibus etiam ad ſpem vivam & beatæ regenerationis novitatem tranſituris ſalubre & proficuum.

In ſexto victorioſa videlicet & adoranda procedat Crux dominica quaſi myſtica præcedentium myſteriorum præfiguratrix, quam in ſexta Deus Dei filius natus & in ea paſſus, ſacri ſanguinis lavacro ſanctificavit. Cujus victoria Redemptoris noſtri vexilla prodeunt, cujus ſplendore Eccleſia ſancta illuminatur; cujus aroma corticis vitali ſpirans nectare ubique flagratur, cujus virtute pacis & gaudii chariſmata evangelizantur, cujus ſignaculo baptiſmi myſterium & ſacri chriſmatis conficitur unguentum, per quæ etiam ineffabilia univerſalis Eccleſiæ ſacramenta conſecrantur Percantatoque Te igitur *ſecundum ordinem, uſque* ſed veniæ quæſumus largitor admitte, *antequam dicatur.* Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, *appropinquat cum reverentia diaconus ampullam cum oleo infirmorum, humiliter ſubminiſtret epiſcopo; ſuper quam ter crucis ſignum faciat epiſcopus, ac ter ſufflet in eam perficiatque Exorciſmum audientibus tantum qui ſecùs altare ſtant miniſtris, minimè dicens* Dominus vobiſcum, *nec* oremus; *ſed ita diſcrete dicat.*

Exorciſmus

Exorcizo te, immundiſſime & refuga ſpiritus, omniſque incurſio ſatanæ, ac omne phantaſma nefandorum inimicorum, per Dei omnipotentis Patris majeſtatem, qui cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis continentur admirabili ſua condidit potentia, ut cum omni falſitatis tuæ veneno procul recedas, ab hujus olei creatura ad ſuperventuram benedictionem in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut fiat omnibus qui ex eo unguendi ſunt ſpiritualis unctio & perfecta medicina ad corroborandum humanæ conditionis templum * quatenùs in eo perpetualiter Spiritus Sanctus inhabitare dignetur, in nomine Dei Patris & JESU-CHRISTI filii ejuſdem Domini noſtri, quibus laus & perpetua manet jubilatio per cuncta ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio olei infirmorum, abſque Dominus vobiſcum, *&* Oremus.

Oratio

Omnipotens Deus, qui pro infirmorum neceſſitate potentiæ tuæ medicinam oſtenſurus mundum viſitaſti, & præſentia tua ſalutari omnem languorem à fidelibus tuis effugaſti reſpice benigno intuitu ad miniſterii noſtri devotionem; ut quod hodie in commemoratione ſacræ Cœnæ tuæ noſtro gerendum eſt officio tuâ ſanctâ perficiatur virtute; nec tibi

* *Lyr.* Cooperante in eo gratia & virtute Spiritus ſancti. Per JESUM-CHRISTUM Redemptorem noſtrum, cui cum Patre in unitate ejuſdem Spiritus ſancti laus & perpetua manet jubilatio per cuncta ſæcula.

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Domine, mei peccatoris diſpliceat exſecutio, in divinitatis tuæ ſacramento * quia tu ſacerdotum omnium es purificatio, & cœleſtium myſteriorum ſanctificatio. Te, Domine, qui Naaman Syrum in Jordane juxta Eliſæi prophetæ ſermonem, ſepties tinctum ita à leprâ ſanaſti, ut caro ejus ſicut caro reſtitueretur pueri: quæſumus, ut hoc benedicendo ſanctifices oleum, & omnes per hoc unguendos ab omni leprâ purifices peccatorum, fiatque omnibus ſpiritualis unctio ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Præſta etiam, quæſumus Domine, ut corpora ſancta & immaculata permaneant, qui ejuſdem olei liquore tangentur, & ſeptemplici gratia Spiritus ſancti ſemper repleantur. Per te JESU-CHRISTE Salvator & Redemptor ſæculorum qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas.

Item alia benedictio

Emitte, quæſumus ſancte Pater, omnipotens Deus, ſpiritum ſanctum tuum Paraclitum &c.

Hic removeatur ab altari dicatum oleum infirmorum à diacono, peragatur miſſa, uſquequo perveniatur ad benedictionem ſuper populum. Tunc ſecundus accedat diaconus ampullam cum oleo ad baptiſandum deferens, ſuper quam ter Crucis ſignum faciat epiſcopus, terque in ea ſufflans; exorciſmum olei ad baptiſandum perficiat qui circumſtant tantum audientibus, * Libera nos quæſumus, Domine *uſque* per omnia *& iſtud ſimiliter ſuaviter, tres cruces & ſufflet ter.*

* Quæ ſequuntur uſque ad exorciſmum deſunt in Lyrenſi.

Exorciſmus

Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis &c.

Deinde pontifex benedicat oleum, & dicat Dominus vobiſcum. Et cum.

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, cujus unigenitus, ut Deum oſtenderet ſe, cœleſtibus ſignis Deus & homo inter homines magnus & admirabilis claruit, & nos ſuæ miſerationis providentia ad præſens divinæ perſecutionis incitavit miniſterium; qui & pro nobis crucifigi voluit, ut dæmones crucifigeret, & mortuus mortuos vivificaret: per ipſum te, omnipotens quæſumus, ut hoc oleum ſanctifices, & benedicas, ut omnes qui ipſius liquore delibuti fuerint * benedictionis æternæ tua

* *Lyr. addit*: Sed quod hodie ad reparationem ſalutis humanæ ſuper hoc oleo viſibili noſtræ precationis gerendum eſt officio, inviſibili ſanctiſſimæ tuæ benedictionis perficiatur myſterio.

* *Lyr.* Catecumeni, benedictione ſanctificationis æternæ in ſacramento baptiſmatis dicentur.

Digitized by Google

gratia ditentur, omnique pinguedine terræ & rore cœli tuâ gratiâ fœcundentur. Annue etiam omnipotens Pater, ut hæc benedictio noſtra per te firma & potens omnibus ad ſalutem perſeveret, in nomine filii tui Domini JESU-CHRISTI.

Oratio

Deus qui in virtute Sancti ſpiritus imbecillarum mentium rudimenta confirmas, & beatificando vivificas, te omnus, Domine, ſanctificando benedicas hoc oleum, & venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem iſtius creaturæ purgationem mentis & corporis, & ſi quæ illis adverſantium ſpirituum adhæſere reliquiæ, ad tactum hujus ſanctificati olei tua virtute abſcedant. Nullus, Domine, hujus unctione ſpiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit nocendi facultas, nulla inſidiantibus adverſariis per hoc oleum decipiendi relinquatur licentia, ſed omnibus ad agnitionem veræ fidei convertendis, & Spiritus Sancti tui cooperatione, qui in ſacramento baptiſmatis ſunt regenerandi, ſit unctionis hujus ſanctificatio utilis & ſalubris ad percipiendam gratiam cœleſtium cariſmatum, & ad obtinendam ſupernorum civium beatæ felicitatis communionem. Per Dominum noſtrum in unitate ejuſdem Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Poſt hæc * duo Cantores dicant verſum*, O Redemptor ſumme carmen.

Hymnus

Audi judex mortuorum *alternantibus choris*

O Redemptor ſumme & *cetera. Tunc ſtet Epiſcopus ante altare & deferatur à tertio diacono ampulla cum oleo mixtum balſamo, quæ habet chriſmatis inſcriptionem ſuper quam epiſcopus ter crucis ſignum faciens terque in ea ſufflans, ita benedicat chriſma dicens*, Dominus vobiſcum.

Oratio

Oremus, fratres chariſſimi, Deum Patrem omnipotentem, cœli terræque conditorem, qui in unigenito filio ſuo, per quem delictorum omnium tribuitur remiſſio, & pax omni nunciatur ſæculo, & miſericordiſſime pereunti ſubvenit mundo; ut nobis indignis & abſque merito ſanctum nomen illius invocantibus opem cœleſtis miſericordiæ dignetur conferre, & ſeptiformis Spiritus Sancti munere corda noſtra purificare, quo nos omni ſorde vitiorum emundatos ad conficiendum ſalutare chriſma per infuſionem ſacrati olei efficiat idoneos, ſubveniat in hac celebratione nobis gratia Dei omnipotentis, & quod noſtro nunc gerendum eſt obſequio, ſuâ ſanctiſſimâ proſequatur benedictione,

* *Lyr. addit* revertente pontifice ad ſedem ſuam

atque per divinam Spiritus Sancti præſentiam hoc ſanctificatum à Deo renovetur oleum vitali ſtillicidio aromatizantis balſami, & omnibus qui ex eo ungendi ſunt fiat chriſma & propitiatio ſalutis æternæ in ſalvationem perpetuam animarum, & ad beatæ felicitatis gloriam ſine fine perfruendam, ipſo largiente qui cum Patre, ſanctoque flamine perpetualiter unus vivit & gloriatur Deus per omnia.

Item oratio

Domine Deus ſabaoth, vivida ſpes mortalium, ſalus & vita omnium piè viventium, qui per myſticam glorificationis tuæ laudem catholici ordinis & regiæ dignitatis ſtratum conſecrare diſpoſuiſti oleo exultationis & chriſmate ſalutis; tuam cernui deprecamur clementiam, ut divinæ claritatis tuæ dulcedine, ſenſus & corda noſtra purifices, & in his ſacris cæremoniis cœleſtium benedictionum nos amplitudine proſequaris ad conficienda animarum noſtrarum medicamenta in hujus ſalutiferæ unctionis ſanctificatione. Tu, Domine, uſui hominum cuncta terræ naſcentia providiſti, ſed præſertim olivarum fructum in utriuſque hominis ſalvationem decreviſti, dum conſecrati olei unctione nos à peccatis expiari per Prophetam promiſiſti, dumque eccleſiaſtici gradus honorem & ordinem Summus in æternum Pontifex hujus olei attactu conſecraſti. Adeſto, quæſumus Domine, præſentia ſpiritali & te confitentibus in una trium perſonarum natura & ſubſtantia Spiritum Sanctum de alto cœlorum emitte faſtigio, qui noſtræ operationis myſterio melliflua vitalium odorum conficiat balſama, & ea oleo ſanctificationis benedicendo perfundat, ac utriuſque clementi cooperatione ſalutari in ſalutem credentium chriſma perficiat. Sanctifica etiam, Domine, hanc confectionem cæleſti benedictione quo divinitùs chriſma ſalutis effectum in ſpem vivam renatos tibi filios adoptionis exurgere faciat in novitate cœleſtis generationis. Redoleat hoc, Domine, ſanctificatum chriſma in conſpectu tuo nectareo angelicæ dulcedinis oblectamento; ſitque medicina ſpiritualis, reparatio mentis & corporis, ſanctique ſpiritus largiflua chariſmatum infuſione omnibus gratia ſalubris, cunctique hujus ſacra unctione delibuti cœleſtibus intereſſe angelorum choris, te donante, digni efficiantur, Per eumdem Spiritum Sanctum, cui tecum à fidelibus laudum cumulamur præconia, Per omnia ſæcula ſæculorum.

Oratio

Omnipotens & incomprehenſibilis Pater, Deus qui dum unigenitum tuum ante ſæcula tibi coæternum ad terras deſtinaſti, & ampliſſimam per ipſum mundo gratiam contuliſti: quem etiam oleo ſancto, oleo regali, oleo chriſmatis, præ conſortibus ſuis dignius perunxiſti, ut in prophetis omnibus & regibus atque ſacerdotibus neminem haberet coæqualem; ſed ſolus ſanctior, ſolus perfectior præ filiis hominum perſiſteret, à quo &

Digitized by Google

huic materiei nomen indidiſti, dum à Chriſto tuo Domino noſtro chriſma conſecraſti & chriſmatis unctione cœleſti participari vita demonſtraſti per eundem JESUM-CHRISTUM Dominum noſtrum; tu, Domine, ſuper hoc chriſma benedictionem effunde cœleſtem, omneſque liquore ipſius aſſignatos Sancti Spiritus gratia perfunde, ut ab omni viſibilium & inviſibilium impugnatione defenſi, æternæ vitæ gaudiis mereantur adjungi, ipſo annuente, qui Deus & Dominus in dextera tua ſedens tibi Patri & Spiritui Sancto vivit & regnat coæqualis. *Tunc dicat altâ voce* Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſcum Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.

CAPUT XXII. *De Cæna Domini.*

Præfatio.

Qui in principio inter ceteras bonitatis & pietatis tuæ largitiones ſalutiferum fructum olivæ redolentis benignus condonaſti uſibus humanis, cujus liquoris ſtilla ſacroſanctum perficeret chriſma Spiritus Sancti cooperante gratia. Nam cum mundi crimina diluvii quondam expiaret effuſio, myſterium futuri muneris columba ad arcam reverſa demonſtrans per defectionem inundantium aquarum in ſacramento baptiſmatis remiſſionem peccatorum atque pervirentis olivæ ramum, unguentis olei præfiguravit purgationem. Inde & Moyſi famulo tuo mandatum dediſti, ut frater ſuus Aaron per infuſionem hujus unguenti fungeretur veteris teſtamenti ſacerdotio, omnis eccleſiaſtici ordinis paſtores hoc tempore hujus chriſmatis conſecrari dignans efficio. Acceſſit & hinc amplioris gratia honoris, cum filius tuus Dominus noſter à Joanne lavari exigiſſet undis Jordanicis, ut Spiritu Sancto in ſpecie columbæ cælitùs miſſo, dilectum unigenitum tuum paternæ vocis comprobares teſtimonio, & eumdem chriſmati perunctione perunguendum exultationis in gaudio hoc & in noviſſimis temporibus manifeſtis declaraſti effectibus; atque ſanctæ regenerationis lavacro mundatos ejuſdem ſacri liquoris ſtigmate Sanctæ Crucis conſignari ſignaculo, hujus tu Domine ſtillicidio ſanctitatis inviſibili claritate divinitatis unxiſti prophetas & reges, Sacerdotes & Martyres, atque prophetico ſpiritu ſacramenta gratiæ tuæ prænoſcens, David oleato chriſmate vultus noſtros cecinit exhilarandos; unde per eumdem JESUM-CHRISTUM Filium tuum te deprecamur, Sancte Pater, omnipotens, ut hujus ſancti olei & fragrantis balſami materiem ſanctifices, eamque potentia Chriſti tui conſecres, à cujus nomine ſancto ſanctum chriſma nomen accepit. Item ſupplices te rogamus, æterne Deus, ut hanc pinguedinem Spiritus Sancti virtute impingues, eamque divinæ caritatis dulcedine exuberare facias, & omni benedictione confirmes, hoc Domine, benedictum chiſma in ſanctificatione unctionis effloreat, & in odore ſuavitatis & gloriæ redoleſcat. Sit hoc, confectio ſanctitatis ſit chriſma ſalutis, ſit unctio ſpiritualis, ſit omnibus ex aqua & Spiritu Sancto renatis

De Cœna Domini.

vexillum victoriæ invincibilis, ſit unguentum exultationis, ſpes jucunditatis, expiatio iniquitatis, ſit vita vitalis, & via patriæ cœleſtis. Præſta, Domine, ut hoc ſalutari cœleſtis gratiæ medicamento omnium peccatorum per Spiritum Sanctum nobis perveniat remiſſio, ut in cœleſtis paradiſi mereamur amœnitate cum ſanctis perfrui gloria claritatis æternæ, qui in Trinitate coæternæ majeſtatis Deus omnipotens vivis & glorificaris per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Quo benedicto, reportetur eadem ampulla continens oleum ad baptiſandum ab altari, & diaconus dicat. Humiliate vos ad benedictionem, *Deinde ſequatur benedictio ad Miſſam dicendam ab epiſcopo feria quinta Cœna Domini.*

Benedictio

Benedicat vos omnipotens Pater per unigeniti ſui paſſionem, qui vetus Paſcha in novam ſalutis veſtræ tranſtulit redemptionem eoſque ad celebrandam Redemptoris noſtri cœnam qui devotâ mente conveniſtis, in æterna requie faciet edulio victimæ ſalutaris gaudere. Amen.

Convenientibuſque vobis in unum ad Cœnam Dominicam cum exultatione Deo placita ſpiritualem concedat lætitiam, qui cum diſcipulis diſcumbens ad humilitatis exemplum, deſiderio, inquit, deſideravi paſcha manducare vobiſcum. Amen.

Quatenus in Chriſto Jeſu congaudentes commemorationis ſacramento, conſecrati & oblati corporis & ſanguinis ejuſdem novo hodie communicemini teſtamento, atque per hoc vivificati & ſanctificati in ſanctorum conſortio, immortalitatis gloriæ fungamini corpore redivivo. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.

Qua finitâ, dicat epiſcopus. Pax Domini *ſicut mos eſt, & deferatur illi chriſma à diacono ad oſculandum. Antequam deoſculetur illud, cantor incipiat* Agnus Dei. *Et tunc oſculetur ab epiſcopo chriſma, & ſecedat diaconus cum chriſma propè chorum in dextram partem, & cantato ter* Agnus Dei, *accedant presbyteri unuſquiſque in ſuo ordine ad pacem; deindè ad oſculandum chriſma, deindè ſe invicem. Tunc poſt hæc communicet epiſcopus, ſimul & omnis clerus. Deindè qui in ipſa die non communicaverint, pergant ad epiſcopum communicare corpore & ſanguine Domini. Ut autem cœperint communicare, cantor incipiat communionem Dominus Jeſus* poſtquam *cum pſalmo* Beati immaculati: *alia communio.*

Hoc corpus *cum pſalmo.* Judica me Deus & diſcerne cauſam. *Chriſma autem adoretur à cunctis, & deoſculetur, ac communicent omnes clerici, & poſt hos viri ac feminæ. Et interim populo communicante prædicti tres Diaconi ampullas in ſacrarium reportent, & in loco oppertuno cum reverentia reponant. Sic demum Miſſa ordine ſuo cum oratione finiatur.*

Digitized by Google

Caput XXII. *De Cœna Domini.*

ORDO III.

Ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania.

INSTITUTIO QUO ORDINE ET DECORE OPORTEAT EPISCOPUM SANCTUM CHRISMA CONFICERE.

H*Ora tertia ſonetur ſignum, ut conveniatur ad eccleſiam, in qua Chriſma debet conſecrari, clerici verò tam presbyteri quam diaconi & ſubdiaconi induantur ſacris veſtibus, ſicut mos eſt diebus feſtis, & ſtent in choro ſolito ordine. Epiſcopo itaque ſolemniter induto, cantor incipiat introïtum* Nos autem gloriari. *Sed ſicut diximus non pronunciet* Gloria Patri. *Miſſa verò peragatur ordine ſuo. Finito vero ſymbolo, dicat epiſcopus* Oremus. *Deinde ſequatur offertorium* Dextera Domini. *Poſt hæc preparato calice cum hoſtia ſuper altare à diacono, præparet quoque ampullam ſindone coopertam cum oleo infirmorum, longè à calice poſitam in ſiniſtro altaris. Prævideat ergo epiſcopus ut antequam in canone dicatur* Per quem hæc omnia, *Benedicat coram poſitum oleum infirmorum lenta voce, ut tamen à circumſtantibus poſſit audiri, priùs exorcizando his verbis *:* Exorcizo te, immunde ſpiritus, omniſque incurſio ſatanæ &c. *ut in Pontificali Romano* Emitte Spiritum tuum Paraclitum &c. *ut ibidem* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas *& cetera. Sicque miſſa finiatur uſquequo* Pax Domini *dicatur. Tunc ſolus epiſcopus communicet, & eat ſeſſum: diaconus verò ponat calicem cum ſanguine in ora altaris è regione pontificis, corporali ſuper expanſo. Epiſcopo itaque ſedente, eant* 12. *preſbyteri ad ſacrarium cum tot clericis quod opus ſint ad deferendum cum omni honore balſamum & oleum catechumenorum, & oleum neophytorum hoc modo: Præcedant duæ cruces, inter quas duo ſubdiaconi portent unus ampullam cum balſamo, & alius oleum cathecumenorum. Subſequantur duo thuribula ex incenſo & thimiamate fumantia, inter quæ medius ſubdiaconus portet oleum neophytorum. Deinde ſubſequetur textus Evangeliorum cum duobus candelabris hinc & inde cereis accenſis. Poſt textum venient duo pueri lineis induti, concinentes hos verſus.* O Redemptor ſume carmen. *Poſt pueros ſubſequantur bini & bini duodecim presbyteri, planetis induti, cum omni reverentia reſpondentes* O Redemptor. *Interea ſint parati ad gradus altaris Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, qui gradatim ſuſcipiant à venientibus ampullas hoc modo: Primum ampulla detur oſtiario, qui dabit lectori, lector exorciſtæ, exorciſta acolytho, acolythus ſubdiacono, ſubdiaconus archidiacono, archidiaconus epiſcopo ſtanti ad altare; Epiſcopus verò ponat ſuper altare. Similiter alia ampulla gradatim aſcendant. Tunc ordinentur à dextris & à ſiniſtris pontificis eadem candelabra, & cruces & thuribula, & evangelii textus; & prædicti duodecim pretbyteri ſimiliter à dextris & à ſiniſtris ſtent. His*

* Altera manu recentiori additur *tam ipſe quam presbyteri qui aſſiſtunt.*

Digitized by Google

ita ſtatutis faciat epiſcopus ſermonem ad populum competentem ipſi ſolemnitati, aut alius cui ipſe præceperit. Finito ſermone, iterùm epiſcopus reverſus ad altare. Tunc balſami ampulla petatur alta voce à diacono, & quaſi cum graphio particula ejus extrahitur ut benedicatur. Epiſcopus verò, mitra depoſita, converſus ad orientem inchoat altiori voce, extendens manum, dicendo exorciſmum balſami, deinde benedictionem. Presbyteri verò circumſtantes epiſcopum voce remiſſiori exorciſmum & benedictionem balſami cum epiſcopo dicant; & cum epiſcopus manum extendens ſignaverit, ſignent; ſacerdote tenente balſamum; & conſecratio balſami fiat ſic.

Deus myſteriorum cœleſtium & virtutum omnium præparator &c. *ut in pontificali Romano.*

Benedictio balſami.

Creaturarum omnium Domine procreator, qui Moyſi famulo tuo &c. *ut in Pontificali Romano.*

Deinde ſuſpenſo ſic balſamo, convertit epiſcopus intentionem ad oleum chriſmale; & halat prius ſolus ter ſuper illo in modum crucis, exorcizantibus ſimiliter remiſſius ſacerdotibus ſic.

Exorciſmus chriſmalis olei.

Exorcizo te, creatura olei per Deum Patrem omnipotentem &c. *ut in Pontificali Romano.*

Benedictio ejuſdem

Adeſto, Pater altiſſime, & invocantis te peccatoris ac miſeri preces intende. Illum nobis Spiritum Deus nunc dirige, quo præ participibus ſuis Filium tuum Pater unxiſti, ut præparatum hoc chriſma unguentorum tuorum odore ſanctifices, & ſeptiformi gratia ſpirituali confirmes, quos per lavacrum ſpirituale redimis, ſic dignanter illuſtres, ut ſit eis cœleſtis unctio chriſma benedictionis, initium chriſtianitatis, tunica nuptialis, collatio perpetuitatis, peccatorum remiſſio, filiorum adoptio, virtutum ſancta collatio, & ſpiritalis gratiæ ſumma perfectio: ut quicumque hoc ſacro ſignabuntur unguento, & corporis ac ſanguinis Filii tui perceperint ſacramentum, capiant præſenti unctione cuſtodiam & vitam conſequantur æternam. Per

Duo benedicti ſingillatim liquores permiſceantur ab epiſcopo, cum ſigno crucis dicente eo cum ceteris:

Hæc commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. Amen.

Excutitur de graphio intra oleum fortiter balſamus, & cum igne cogitur diſtillare. Deinde ſequitur oratio continens benedictionem commixtorum.

Oremus Deum noſtrum omnipotentem qui incomprehenſibilem filii ſibi coæterni divinitatem &c. *ut in Pontificali Romano.*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Præfatio

Æterne Deus qui in principio inter cetera bonitatis &c. *ut in Pontificali Romano.*

Finita benedictione, domnus Pontifex ſalutet chriſma nudum, & miniſtri qui juxta eum ſunt.

Salutatio

Unctio ſalutis, pinguedo ſancta ave, ſaluto te per Chriſtum, à cujus nomine ſanctum ſumis vocabulum. Benedictus liquor ſalve, es namque ſacratus ad myſterium. Confer ergo renatis tutelæ ſalvamentum, ut Chriſtus adoretur in ſæculum, per quem tu nomen, nos autem accepimus æternæ ſalutis remedium

Et ita per ordinem deſcendat ſicut aſcendit. Et tenente ampullam acolytho, deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum per ordinem, ut à nemine videatur. Deſcendente verò ampulla cum chriſmate, ſtatim alio clamante diacono alta voce: Oleum catechumenorum, *cooperta cum oleo catechumenorum aſcendat ſicut prior ante epiſcopum; & halat in ipſam ter, ſicut in priore, ſed tacite, ordine quo ſupra. Et in primis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem.*

Exorciſmus olei cathecumenorum

Exorcizo te creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis &c. *ut in Pontificali Romano, verbis tamen nonnihil immutatis, non ſenſu.*

Benedictio ejuſdem

Deus incrementorum omnium & profectuum munerator &c. *ut in Pontificali Romano.*

Præfatio

Æternæ Deus qui myſterium creaturæ olei revelans, pacifice nemus ore columbæ geſtatum Noë oculis oſtendiſti, ut diſcerent habitatores arcæ per Spiritum Sanctum & olivæ ramum liberationis mundi cum gloria * ſumpturam per Chriſtum.

Tunc epiſcopus & qui juxta eum ſunt ſalutent eam, & deſcendat per ordinem ſicut altera, & deferatur omnibus ad ſalutandum. His ita peractis, eodem ordine & decore quo deſcenderat in eccleſia condantur ambæ in ſacrario.

* Hic videtur aliquid deeſſe.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

ORDO IV.

Ex ms. codice monaſterii S. Albini Andegavenſis ad uſum Fulconis epiſcopi qui anno 1324. Sedem Andegavenſem adeptus eſt, exarato.

ORDO AD CONSECRANDUM SANCTUM CHRISMA.

Mane primo duo Manſionarii ordinent omnia quæ ſunt neceſſaria, primo conſecrationem Chriſmatis ampullas tres de oleo mundiſſimo plenas, ponentes in ſacrario unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chriſma; tertiam verò ad oleum ad catechumenos unguendos. Maxima illa quæ ad chriſma debet fieri, de albo ſerico cooperiri. Aliæ autem de alio ſerico. Et pontifex provideat de balſamo. Hora tertia primum ſonetur ſignum, ut omnes veniant ad Eccleſiam in qua chriſma debet conſecrari. Ipſo die ſonentur campanæ ad Miſſam & ceteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, & ſileant uſque in ſabbato Sancto. Presbyteri verò & diaconi atque ſubdiaconi ornent ſe cum reliquo clero, induentes ſolemnia veſtimenta, & diaconi in dalmaticis, atque ſubdiaconi albis ſericis; & ſtent in ordine ſuo ſinguli in eccleſia expectantes uſque dum veniat dominus pontifex cum proceſſione plenaria ad miſſam, ſicut diebus ſolemnibus, cum ſeptem diaconis, & totidem ſubdiaconis, & ceroferariis, & duobus thuribulis, cum incenſo. Cantor autem & ſcola ſtatim ut viſum fuerit introitum ad Miſſam. In ipſa die non cantent Gloria Patri *ad introïtum, ſed ſemper repetant poſt pſalmum officium quo uſque veniat dominus pontifex ante altare accinctus pallio, & incipiat in excelſa voce* Gloria in excelſis Deo. *Quo finito, dicat hanc orationem* Deus à quo. *Poſteà legatur epiſtola.* Convenientibus nobis. *Sequitur* ℟. Chriſtus factus eſt *ante evangelium portentur candelæ & incenſum, ſicut mos eſt. Tunc legatur evangelium* Ante diem feſtum Paſchæ. *Perlecto evangelio, dicat pontifex.* Credo in unum Deum. *Poſteà* Dominus vobiſcum & Oremus. *Deinde offerenda* Dextera Domini *Offerentibus dictis & ceteris qui voluerint. Tunc dicatur ſecreta hæc* Ipſe tibi *Tunc dominus pontifex excelſa voce incipiat* Per omnia ſæcula &c. *Infrà* Communicantes. *Item* hanc igitur oblationem &c. *Infrà Canonem* qui pridie &c. *Sequitur.* Te igitur *uſque ad eum locum ubi dicitur* Intra quorum nos conſortium &c. *Tunc offeratur pontifici oleum ad unguendum tam infirmos quam inergumenos, & benedicat illud tam ipſe quam omnes presbyteri qui adſunt; & tunc exorcizetur oleum, ut tantum poſſit à circunſtantibus audiri exorciſmus.* Exorcizo &c. Emitte Domine ſpiritum tuum &c. *Et tunc dicat Pontifex* Per quem hæc omnia &c. *Finita* Pater noſter, & libera nos quæſumus Domine. *Antequam dicatur* Per omnia ſæcula ſæculorum, *Offerat diaconus patenam epiſcopo, & ipſe epiſcopus frangat corpus Domini suprà patenam & ſtatim cooperiatur à duobus diaconibus, utque calix & patena*

Caput XXII. De Cœna Domini.

de ſyndone munda, quam prius, præparaverunt more altaris, è regione pontificis poſt corporalem expanſum. Quo facto, dicat epiſcopus Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Tunc dominus archipræſul vadat ad ſedem ſuam cum diaconibus ſuis, & expectet. Expectante verò in ſede ſua domino archipræſule, veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri & ceteri clerici quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale & oleum catechumenorum & neophytorum uſque in eccleſia ante epiſcopum. Sint verò parati iidem presbyteri, & cum eis ceteri clerici caſulis & ſolemnibus veſtibus. Tunc duo acolythi accipientes illas duas ampullas, quæ ſtatim ad chriſma & ad oleum catechumenorum conſecrari debent, & procedant & ordinent ſe illi presbyteri & prædicti clerici ritè & ordinabiliter, ita ut primum ambulent ſeptem acolythi cum caudelabris ardentibus cereis, tunc ponatur pallium deſuper quod ſuſtentetur à presbyteris, deinde portentur duæ cruces, & inter illas medium chriſmale oleum: poſteà portentur duo thuribula cum incenſo, & inter illa medium catechumenorum oleum. Deinde portetur evangelium, ut impleatur omne bonum. Poſteà ſequantur bini & bini illi presbyteri; duo teſtes & decem cooperatores ejuſdem ſacroſancti chriſmatis. Tunc verò ſubſequantur pueri in laudem ejuſdem myſterii concinentes hos verſus* o Redemptor ſume carmen &c. *ſequitur. Venientibus autem eodem ordine in choro, & ſtantibus ad orientem verſis; verſibuſque finitis interdum ordinent ſe lectores, oſtiarii, acoliti & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundum eorum gradum ubi aſcendit. Ad altare, tamen ut ſubdiaconus ſeptimus ſit in eminentiori loco, & juxta eum archidiaconus qui legebat. Et continuò, duo acolythi involutas ampullas cum ſyndone alba, ſerico, ita ut videri poſſit à medio tenentes in brachio ſiniſtro, projectis ſyndonis ſuper ſcapulam dextram quatenùs poſſint dependeri ac retineri. Quibus ſub humero ſtantibus, venit ſubdiaconus & accipit ampullam unam commixtam cum ſyndone, & dat eam archidiacono. Ille verò involutam profert eam ante pontificem. Interim verò unus ſubdiaconus deferens vaſculum cum balſamo offerat eum archidiacono, & ille archipræſuli. Tunc ordinentur circa Archiepiſcopum hinc inde candelabra, & cruces, & thuribula, atque evangelium, necnon & prædicti duodecim presbyteri teſtes & adjutores ejuſdem myſterii. Ita ut diaconi poſt dorſum Archiepiſcopi ſtent; presbyteri verò à dextris & à ſiniſtris; cruces verò & cetera utrinque inter illos media. His itaque ſtatutis, vertat ſe archipræſul, aut ille cui præcipit tam ad clerum quam ad populum, & faciat ſermonem confectioni chriſmatis congruentem. Tunc poſt ſermonem vertat ſe ad orientem, & intret in conſecrationem principalis chriſmatis. Et primò immiſceat balſamum cum oleo; deinde anhelat ter ſuper primam ampullam, & dicat lenta voce exorciſmum chriſmatis olei. Exorciſmus.* Exorcizo te &c. *Deinde præfatio.* Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus &c. Æterne Deus qui &c. *Finita benedictione dominus archipræſul ſalutet chriſma ter nudum dicens:* Ave ſanctum Chriſma, *Et qui juxta eum ſunt. Et ita iterum per ordinem deſcendat ſicut aſcendit &, deferatur omnibus ampulla cooperta ad ſalutandum. Hoc facto, ſummo honore procuretur uſque dum altera ampulla aſcen-*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

dat, & iterùm deſcendat ut ambæ honorificè ad locum ſuum redeant. Deſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatim alia cum oleo catechumenorum cooperta aſcendat ſicut prior uſque ante dominum Archiepiſcopum & anhelat ter in ipſam ſicut in priorem, & imprimis faciat exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem. Exorcizo te &c. Dominus vobiſcum &c. Sequitur oratio Deus incrementorum &c. *Tunc dominus archipræſul dicens* Ave Sanctum oleum, *Et qui juxta eum ſunt ſalutent eum, & deſcendant per ordinem ſicut & alia & deferatur omnibus ad ſalutandum. His ita peractis eodem ordine, & decore quo aſcenderunt ad eccleſiam recedant ambæ ad ſacrarium. Tunc pontifex lavet manus, & diaconus dicat.* Humiliate vos ad benedictionem. Deo gratias *Benedictio ſuper populum.* Benedicat vos Dominus &c. *Et poſteà dicat* Et pax ejus ſit ſemper nobiſcum. *Ipſa die non cantatur* agnus Dei. *Tunc diaconi vadant ad altare, & diſcooperiant ſancta, & archipræſul veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum, & ſumat de ipſis oblatis integris ad ſervandum uſque manè diei paraſceves, de quibus communicet abſque ſanguine Domini. Sanguis verò eodem die penitus conſumatur. Clerus autem dicat communionem* Dominus Jeſus. *Fractis oblatis, communicent presbyteri, & diaconi, & omnes clerici. Poſquam communicati fuerint dicat cantor antiphonam* Calicem ſalutaris &c. *Quæ pertinent ad veſperas hujus diei. Interim dum cantantur pſalmi ſupraſcripti communicent ſeipſos. Poſteà dicatur ad complendam orationem iſtam.* Refecti &c. *Poſteà dicat archilevita* Ite miſſa eſt. ℟. Deo gratias. *Et ita perficiatur miſſa ordine ſuo, & pontifex deſcendat in ſacrarium mandans presbyteros quos voluerit. Explicit. Deo gratias opera & ſtudio Yvonis Nicolai diœceſis Leonenſis capellani perpetui in eccleſia Sancti Mauritii Andegavens. Scriptum eſt iſtud pontificale pro R. in Chriſto patre ac Domino Domino Fulcone Epiſcopo Andegavenſi.*

ORDO V.

Ex ms. Pontificali inſignis Eccleſiæ Senonenſis.

FEria quinta in Cœna Domini conficitur ſanctum chriſma. Præparentur autem ad altare S. Saviniani tres ampullæ, una ad oleum infirmorum, altera ad oleum catechumenorum, tertia ad oleum chriſmale; & etiam præparetur balſamus. Debent etiam præparari in veſtiario ſeptem pueri acolythi in albis cum cereis, necnon ſeptem ſubdiaconi in tunicis, & totidem diaconi in dalmaticis exiſtentes, cum duobus canonicis presbyteris ſacerdotalibus veſtimentis indutis, & ſ iendum quod unus canonicus ſubdiaconus de ſeptem ſubdiaconis prædictis debet deferre ampullam olei ad infirmos, cum ab archidiacono majore cappa ſerica induto exiſtente, cum ab Archiepiſcopo fuerit vocatus, & referre loco ſuo: Item quidam diaconus canonicus de ſeptem diaconis prædictis debet deferre ampullam olei ad catechumenos coopertam cum ab archidiacono vocatus fuerit, ut ſuprà & referre. Duo autem presbyteri

byteri canonici prædicti debent deferre, unus ampullam olei, & alter ampullam balſami coopertam, cum vocati fuerint ab archidiacono, ut ſuprà.

Ipſo die pulſentur campanæ ad miſſam & ad veſperas, ſicut mos eſt in feſtis quinque cereorum. Archiepiſcopus indutus pontificalibus, & rubris melioribus indumentis, cum pallio, cum diacono & ſubdiacono, & duobus aliis canonicis presbyteris veſtimentis ſacerdotalibus indutis ſolemnibus, accedat ad altare: qui presbyteri canonici ſic induti eodem modo cum prælato ad altare accedant dicendo Confiteor Deo &c. *Et omnia alia quæ prælatus; & ſtantes cum prælato ad altare dicant omnia & ſingula quæcumque prælatus dicit in miſſa, ſive vertendo ad populum aut alias, ſubmiſſa voce tamen, etiam verba conſecrationis, ſicut & prælatus, habent proferre in altari, ſigna crucis & proſtrationes ſicut prælatus facientes, non tamen Corpus Chriſti levabunt, ſed ſolus prælatus. Et eſt advertendum quod in altari coram prælato debent eſſe quatuor hoſtiæ conſecrandæ; quarum unâ prælatus ſe communicabit, & duas alias recipient à prælato dicti duo presbyteri canonici, ſibi in altari aſſiſtentes poſtquam pontifex ſe communicaverit: reliqua verò hoſtia pro craſtino ſervitio in ſacrario à pontifice deportetur. Nec eſt omittendum quod debeant conſecrari tot hoſtiæ quot ſufficiant pro infirmis uſque ad ſequens ſabbatum. Et his actis ſequitur, oleo infirmorum cum oleo ſancto & chriſmate præſentatis prælato, prout videbitur inferius, conſecrandis, cum prælato quilibet dictorum canonicorum aſſiſtentium ſingulariter, ut præfationes, conſecrationes, benedictiones, ſigna crucis & halationes, ſuper ea facient voce ſubmiſſa, ſalutatione trina excepta, quæ cum nota fiet à quolibet poſt prælatum. Hæc autem omnia ritè fiant ſuo loco. Miſſa autem cum toto officio per ordinem proſequantur. Cantor verò officium ad miſſam imponat quæ ſolemniter celebretur.*

Sequitur officium miſſæ (in quâ poſt hæc canonis verba Sed veniæ quæſumus largitor admitte per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.) *Tunc archidiaconus ſtans ante majus altare excelſa voce dicat:* Oleum ad infirmos, oleum ad infirmos, oleum ad infirmos. *Statim ſubdiaconus de prædictis ſeptem ſubdiaconis canonicis indutus alba & tunica ſolemni, accipiens oleum infirmorum, ipſum præcedentibus cum duobus pueris cum cereis, & puero portante crucem, & alio portante thuribulum, magiſtro puerorum ſequente pueros, & cantore ſequente ſubdiaconum ordinate & cum ſilentio per minorem portam à parte ſiniſtra accedat ad altare, & offerat archiepiſcopo oleum ipſum ab eodem benedicendum, quod benedicat incontinenti ipſe Archiepiſcopus ad modum orationis ſubmiſſa voce dicat: ita ut tantum poſſit à circumſtantibus audiri & ſacerdotes canonici ſecum aſſiſtentes in altari magis baſſé (ſtando & ſine mitra & ſubmiſſe.)*

Exorciſmus olei infirmorum

Exorcizo te immundiſſime Spiritus, omniſque incurſio ſatanæ, & omne phantaſma &c. *ut in Pontificali Romano.*

CAPUT XXII.
§ De Cœna Domini.

Oremus.

Emitte quæſumus Domine Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cœlis &c. *ut in Pontificali Romano.*

Hic oleum reportetur à Subdiacono cum eadem proceſſione, & in locum ſuum conſervetur, & proſequetur pontifex in miſſa Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas ſancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis. *Diſcooperiat calicem, & de hoſtia panis faciat tres cruces ſuper ipſum calicem, deinde duas inter calicem & ſeipſum dicens:* Et præſtas nobis per ipſum & cum ipſo & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria *Oſtendat populo hoſtiam de manu dextera, & repenat in loco ſuo, & cooperto calice de corporali, dicat alta voce* Per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Oremus præceptis ſalutaribus moniti &c. Sed libera nos à malo. Amen. *Accipiens patenam inter primum digitum & medium elevet ſurſum, & dicat* Libera nos quæſumus ab omnibus malis præteritis præſentibus & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis *Tangat de patena pedem calicis per medium.* Paulò, *ſuper calicem.* Et Andræa *Ac os ſuum* Cum omnibus Sanctis *Ad oculos, & ſe ſignet.* Da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. *Dimiſſa patena, & diſcooperto calice, dividat hoſtiam in tres partes, quarum una ſit multo major aliis dicens* Per eundem Dominum &c. *Statim diaconus dicat* Humiliate vos ad benedictionem. *Tunc dicat epiſcopus benedictionem ſolus ſine eo quod canoni ſacerdotes ſecum aſſiſtentes in altari aliquid dicant. Qua finita, proſequitur pontifex & ſecum aſſiſtentes miſſam; & dicat pontifex cum nota, & aſſiſtentes ſine nota:* Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum *Chorus* ℟. Et cum ſpiritu tuo. Agnus Dei *dicitur: ſed pax non datur. Non dicitur* Agnus Dei *Niſi poſt conſecrationem chriſmatis.*

Iterùm archidiaconus ante majus altare dicat: Oleum ad catechumenos, oleum ad catechumenos, oleum ad catechumenos. *Tunc diaconus indutus alba & dalmatica ſolemni accipiat ad altare S. Saviniani ampullam cum oleo catechumenorum coopertam, & præcedente proceſſione ſuperius ordinata per ſiniſtram portam à parte chori accedat ad altare, & offerat archiepiſcopo oleum ipſum ab eodem benedicendum. Et halent ter Archiepiſcopus & ſacerdotes aſſiſtentes in ipſam ampullam. In primis autem faciat exorciſmum quaſi legens lectionem: dicti ſacerdotes canonici ſecum aſſiſtentes legant ſubmiſſa voce*

Exorciſmus olei catechumenorum

Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Patris † omnipotentis &c. *ut in Pontificali Romano.*

Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Deus incrementorum omnium & profectuum ſpiritualium &c. *ut in Pontificali Romano.*

Finita benedictione, epiſcopus & qui juxta ipſum ſunt ſacerdotes in altari ſalutent ampullam dicentes: Ave ſanctum oleum. *Et tunc deoſculentur ampullam Archiepiſcopus & ſacerdotes aſſiſtentes delatam eiſdem per archidiaconum: quo facto, reportetur in locum ſuum ſecum à diacono cum proceſſione ipſa*

Tunc dicat archidiaconus ter Oleum cum balſamo, oleum cum balſamo, oleum cum balſamo. *Statim duo presbyteri canonici induti albis & caſulis ſolemnibus eant ad altare B. Saviniani, quorum unus deportabit ampullam olei, & alter ampullam balſami. Similiter ſeptem acolythi, totidem ſubdiaconi, & totidem diaconi tunicis & dalmaticis, & duodecim decani chriſtianitatum, & duodecim cardinales presbyteri induti albis & ſtolis eant ad altare S. Saviniani; & ordinata proceſſione ſolemni incipiant duo pueri* O Redemptor *deportando uſque ad verſum* Et novetur, *& in regreſſu finiant.*

Et procedant verſus theſaurum per circuitum extra chorum ad portam quæ eſt in introitu chori, juxta ſtallum archidiaconi; & fiat ſtatio ad ſingulos verſus dum pueri eos decantant: Dum verò alii repetunt O Redemptor *incedere debent. Et ita progrediantur uſque ad altare ante conſpectum epiſcopi. Et ordinatis in modum coronæ omnibus ſupradictis, duo presbyteri accedant ad epiſcopum exiſtentes ſub pallio extenſo, offerentes ei oleum & balſamum.*

Benedictio balſami & commixtio. Oremus.

Deus myſteriorum cœleſtium & virtutum omnium præparator. &c. *ut in Pontificali Romano*

Deinde miſceat, & conficiat ſuper patenam vel in aliquo parvo vaſculo balſamum ad modicum olei de ampulla ſumpti dicens in ipſa commixtione.

Oremus Deum Patrem omnipotentem, qui incomprehenſibilem Filii ſui &c. *ut in Pontificali Romano*

Quando verò qui prius in parvo vaſculo commixta fuerint commiſceantur cum oleo quod eſt in ampulla ad chriſma præparatum dicente pontifice: Hæc commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et epiſcopus ſolus miſceat balſamum cum oleo chriſmali: deinde halet ter ſuper ipſam ampullam dictis canonicis ſacerdotibus ſecum aſſiſtentibus in altari ſubmiſſa voce dicentibus, ter halentibus. Et dicat lenta voce exorciſmum olei chriſmalis, ſtans ſine mitra alta voce.

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem &c. *ut in Pontificali Romano. In fine* Per omnia ſæcula ſæculorum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Verè dignum & juſtum eſt &c. Deus qui in principio inter cetera bonitatis &c. *ut in Pontificali Romano.*

Tunc Pontifex ſalutet chriſma nudum, & dicat inclinato capite. Ave

Digitized by Google

Sanctum chriſma, ave Sanctum chriſma, ave Sanctum chriſma. *Similiter qui juxta eum ſunt in altari aſſiſtentes ſalutent illud, & deoſculentur ut ſuprà. Quo facto, redeat proceſſio cum ſacro chriſmate per medium chori ad altare Sancti Saviniani ab altera parte Eccleſiæ cantando verſum.* Ut novetur, *ut ſupradictum eſt. Deinde pontifex lavet manus ſuas, & ſtatim ponat tertiam partem Euchariſtiæ in calicem dicens: (canonici etiam ſacerdotes ſecum in altari aſſiſtentes nihil ponant, ſed dicant)* Hæc ſacro-ſancta commixtio corporis & Sanguinis Domini noſtri Jesu-Christi fiat mihi & omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & ad vitam æternam promerendam præparatio ſalutaris. Per eundem Chriſtum.

Deinde dicat orationes quæ ſequuntur & communicet; & ſanguis penitùs conſumatur. Corpus verò Domini uſque in diem paraſceves ſervetur. Ipſo vero communicato, communicet illos qui ſecum aſſiſtunt in altari, & poſt reponat corpus Domini in loco ſuo ſervadum uſque in craſtinum.

ORDO VI.

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Pariſienſis annorum. 300.

Feria quinta in Coena Domini.

Feria quinta in Cœna Domini conficiatur ab Epiſcopo Sanctum chriſma, præparantur autem in ſacrario tres ampullæ ſcilicet una ad Oleum infirmorum, altera ad oleum catechumenorum, tertia vero ad oleum chriſmale. Ipſo die pulſantur campanæ ad miſſam ſolemniter & ad ceteras horas ſicut mos eſt in feſtivis diebus, & ſciendum eſt quod ea die aſſiſtere debent Epiſcopo in miſſa duo ſacerdotes induti ſolemnibus indumentis cum ſeptem diaconis, & totidem ſubdiaconis exiſtentibus in dalmaticis & tunicis. Hora autem debita incipiat cantor officium ad miſſam, & ſolemniter celebretur miſſa ab epiſcopo ſolemniter præparato, & ornato cum pace. Si Epiſcopus eam cantaverit, Gloria in excelſis, & Credo *dicentur. Aliter non.* Flectamus genua *non dicitur. Lecto autem evangelio, præparabuntur in veſtiario qui ad deferendas ampullas ſecundam ordinem fuerint deputati, & adportabunt eas de loco ſuo epiſcopo ad altare ſicut ordinata ſunt in proceſſione, cum ab Archidiacono qui legit Evangelium alta voce fuerint evocati.*

Sequitur officium ad miſſam, in qua poſt hæc verba non æſtimator meriti ſed veniæ quæſumus largitor admitte.

Tunc archidiaconus converſus ad chorum dicat ter alta voce Oleum ad infirmos. *Statimque ſubdiaconus canonicus exeat de ſacrario indutus alba & tunica ſolemni accipiens oleum ipſum præcedentibus eum duobus pueris cum cereis, & puero portante crucem, & alio portante thuribulum, magiſtro puerorum precedente pueros, & archipresbytero ſequente ſubdiaconum ordinatè cum ſilentio, per minorem portam à parte ſacrarii accedat ad altare, & offerat archidiacono oleum ipſum Pontifici præſentandum, quod oblatum benedicat Pontifex tam ipſe quàm duo presbyteri aſſiſtentes ei, voce tamen*

Digitized by Google

tali ut tantum poſſit à circunſtantibus audiri: Alius vero voce ſubmiſſa.

Sequitur exorciſmus olei. Exorcizo te immundiſſime ſpiritus &c. *Benedictio ejuſdem.* Oremus. Emitte Domine Spiritum tuum &c. *Hic oleum reportetur à ſubdiacono eadem proceſſione & in locum ſuum conſervetur.*

Caput XXII. De Cœna Domini.

Per quem hæc omnia domine ſemper bona creas &c. Per omnia ſæcula ſæculorum &c. Pater noſter &c. Libera nos quæſumus Domine &c. *Statimque diaconus qui legit evangelium in miſſa converſus ad populum dicat,* Humiliate vos ad benedictionem. *Cum epiſcopus ſolvat debitam benedictionem ſequitur benedicendo*; Benedicat vos Deus &c.

Quâ finitâ dicat, Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum. Agnus Dei, *ſemel, quo dicto, iterum dicat archidiaconus ter excluſâ voce.* Oleum ad catechumenos. *Tunc diaconus canonicus indutus alba & dalmatica ſolemni, accipiat in ſacrario ampullam cum oleo catechumenorum coopertam, & procedente proceſſione ſicut ſuperiùs dictum eſt ordinata per eamdem portam quam & ſubdiaconus prius intravit, intret cum ſilentio accedens ad altare, & tradat archidiacono: archidiaconus verò offerat ipſum oleum epiſcopo ſtatim ab ipſo benedicendum, & in primis anhelet ter epiſcopus, in ipſam ampullam. Deinde faciat exorciſmum quaſi lectionem legens. Exorciſmus olei.* Exorcizo te creatura olei &c. Oremus. Deus incrementorum &c. *Finita benedictione, epiſcopus ſalutet ampullam dicens mediocri voce*; Ave Sanctum oleum, *ter. Et qui juxta eum ſunt duo ſacerdotes ſalutent eam, ſed voce ſuppreſſa. Quo facto, reportetur in ſacrarium oleum à diacono cum proceſſione ipſa, & in locum ſuum conſervetur. Tunc diaconus converſus ad ſacrarium dicat ter*; Oleum cum Balſamo. *Statimque duo canonici presbyteri induti albis & caſulis ſolemnibus præparentur in ſacrario quorum unus deportabit ampullam olei & alter ampullam balſami, exiſtentes ſub pallio extento in quatuor haſtibus ligato, quod duo ſubdiaconi præcedentes & duo diaconi ſubſequentes ſecundùm ordinem ſuum decenter ornati deportabunt. Similiter omnes diaconi & ſubdiaconi aſſiſtentes epiſcopo in miſſa præter majorem diaconum & ſubdiaconum veniant ad ſacrarium, & ordinata una proceſſione ſolemni, ſicut alibi ſcriptum eſt, in anteriori parte, altera verò in poſteriori duobus thuribulis hinc inde à latere ſacerdotum fumum boni odoris emittentibus incipiant duo pueri ſequentes verſus, quorum primum alii pueri poſt ipſos repetent & poſt alios verſus ſingulos; & ſic cantantibus pueris & jubilantibus paulatim omnes procedant per circuitum extra chorum ad portam quæ eſt in introitu chori juxta ſtallum decani; & fiat ſtatio ad ſingulos verſus & ita in primi verſus tantum repetitione progrediatur uſque ad altare ante conſpectum epiſcopi cantando verſus prænominatos.* O Redemptor ſume carmen &c. *Finitis autem verſibus, & omnibus ad altare ante conſpectum epiſcopi aſſiſtentibus, ordinatis in modum coronæ diaconibus, & ſubdiaconibus, duo presbyteri accedant ad epiſcopum, exiſtentem, ut prediximus, ſub pallio extenſo, offerentes ei oleum & balſamum*

Digitized by Google

Caput XXII. De Cœna Domini.

& epiſcopus primo miſceat balſamum cum oleo chriſmali, & dicat, Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum, amen. *Deinde anhelet ter ſuper ipſam ampullam & dicat lenta voce quaſi lectionem legens exorciſmum olei chriſmalis.* Exorcizo te creatura olei &c. Per omnia ſæcula ſæculorum &c. *Hic mutet epiſcopus vocem ſuam, & dicat alta voce*, Dominus vobiſcum &c. *Sequitur præfatio &c. Quâ finitâ, epiſcopus ſalutet nudum, & dicat ter inclinato capite*; Ave Sanctum chriſma. *Similiter qui juxta eum ſunt ſalutent illud ſacerdotes, ſed ſuppreſſa voce. Quo facto redeat proceſſio cum ſacro chriſmate per medium chori ad ſacrarium cum ſilentio ab altera parte Eccleſiæ ibique reponatur. Deinde pontifex lavet manus ſuas. Iterùm cantor incipiat*; Agnus Dei. *Et ſchola dicat bis.*

ORDO VII.

Ex Græcorum Euchologio.

De magni unguenti compositione in magna ecclesia Constantinopolitana.

Componentium quæque ſpecies infrà quadrageſimam magnam coacervantur, & à feria ſecunda hebdomadis Palmarum incipiunt tundi & cribrari. Lazari verò ſabbato, cum [Lazari legitur evangelium, ad præſtitutum,] in quo unguentum excoquendum eſt, locum, Dominica Palmarum deportatur. Et oleum quidem in vas infunditur, & quantum ſit ejus pondus exploretur. Vini autem in alio cacabo quaſi menſuræ decem deferuntur: immittuntur verò & ex plantis ſequentes. Myrti folia, lauri, roris marini, majoranæ, coſti, balſami; & cum illis decoquuntur. Cum verò ſufficiens fuerit per fervorem decoctio, immittitur vinum. & colantur hæc, & in majori cacabo, ubi dictum eſt eſſe oleum, injiciuntur.

Magna porrò feria ſecunda manè à miniſtris ſub cacabo præparantur ſarmenta, igni concipiendo idonea, & laudibus completis, cum clericis & populo advenit Patriarcha. Auſpicatur ille à benedictione, & dicitur uſque tertio Sanctus Deus, & Sanctiſſima Trinitas *una cum* Pater noſter, *Et diei modulus proprius, & Breviculum, & fit dimiſſio.*

Hiis cantatis, cacabum in crucis modum ſuffumigat Patriarcha: mox cereo accenſo arrepto, ſarmentis cacabo ſubjectis apponit ignem; atque ita tum ipſe, tum populus omnis egreditur. Miniſtri verò ad hoc præfecti pyram quantum oleo coquendo ſufficiat, accendunt. Excoquitur autem & alius cum vino & plantis cacabus: & tunc vinum modice id eſt ſtillatim & fluxim in magnum cacabum adjicitur. Ita verò debet attentè circumſpici oleum, nequando decocto & evaneſcente reliquo humido, ipſum in cacabi fundo ſubſideat. Quinque ſiquidem digitis dicto liquori oleum ſemper ſupernatare neceſſe eſt. Excoquendum eſt verò feria ſecunda, tertia, & quarta.

Quarta porrò coquuntur hæ ſpecies , thuris , ladani , maſticis , potiti , gumma , ac ſtyrax in alio minori cacabo cum oleo præparatur , & ſimul mixta coquuntur & colantur : eorumque liquor majori cacabo infunditur. Deinde in eundem majorem cacabum ceteræ ſpecies inferuntur , & ſtudioſè commiſcentur ; & ſtant ſimul uſque ad tres & ampliùs horas. Incipiunt tandem miniſtri ad hoc deputati , & unguentum è cacabo educunt , colantque illud ; transfunduntque , & ordinata ad ſuſpiciendum illud vaſa implent , deferuntque ad Patriarchæ domum ; & in aliud vas non conſecratum , ſed ad medicinalem uſum ſervatum , nardumque vocatum effundunt. Implent quoque vas in quo unguentum deportandum eſt : atque ita feria quarta magna elabitur.

Caput XXII. De Cœna Domini.

S. Unguenti officium

Sancta & magna feria quinta , hymni churubici vice dicimus ; Cœnæ tuæ myſticæ. *Cum videlicet à propoſitionis menſa ad medium altare myſteria ſacra deportantur. Defert autem archipresbyter ſacra myſteria præcedens, unguentum in alabaſtro, calicis velo tectum : ſubſequentibus retro hinc & inde diaconis , Flabellorum paria ſeptem deferentibus, præcedentibus autem domeſtico & diaconis aliis , cum cereis accenſis , & ad ſacras fores cunctis advertantibus: duo quidem flabella pro more recepto , intùs ſacrum tribunal penetrant : alia verò , à ſacris foribus uſque ad altare ſtant hinc & inde combinata. Archipresbyter autem unguentum deferens , Patriarcham præſtolatur ad ſacras fores. Et occurrens Patriarcha , recipit ab eo alabaſtrum , & in ſacra menſa ſiniſtro latere , infrà ſecundùm calicem deponit : atque ita de reliquo ſancta ingrediuntur ordine ſuo. Mox diaconus in ambone ſtans , exclamat.* Orationem noſtram compleamus. *Poſtquam verò Patriarcha dixerit ,* Et concede nobis uno ore. Et erunt miſericordiæ magni Dei. *Diaconus quidem in ambone ſiat tacitus. Patriarcha verò conſcenſa ſacræ menſæ crepidine , ſanctum unguentum detegit ; & ter illud ſignat , ſubjiciens ſecreto orationem hujuſmodi.*

Domine miſericordiarum , & Pater luminum , à quo munus omne bonum , & donum omne perfectum provenit , præbe etiam nobis indignis gratiam , in miniſterium magni hujus & vivifici myſterii , quam Moyſi fideli tuo famulo , & Samueli ſervo tuo , & ſanctis tuis apoſtolis elargitus es ; & in Unguentum hoc ſanctiſſimum Spiritum tuum emitte. Fac illud regale Unguentum , ſpiritale Unguentum , vitæ præſidium , animarum & corporum ſanctificativum , oleum exultationis , quod in lege quidem præceſſit , effulſit autem in novo teſtamento : quo reges , & pontifices , prophetas , & omnes ab eis deinceps & ſubſequentibus epiſcopis & presbyteris periteratæ nativitatis lavacrum , uſque hodie regeneratos unxerunt. Ita , Domine Deus omnipotens , fac illud adventu Sancti & adorandi tui Spiritus eſſe incorruptionis indumentum , ſignaculum perfectivum , lavacro tuo inſignitis divinam tuam & unigeniti Filii tui & Sancti Spiritus appellationem imprimens , ut per ſanctam hanc obſignationem germani , familiares ,

CAPUT XXII. *De Cœnâ Domini.*

cives, ſervi, & ancillæ, anima corporeque ſanctificati, ab omni nequitia alieni, omni peccato exempti, illibatæ gloriæ tuæ, cum veſtimenti amictu coram te à ſanctis angelis & archangelis, & ab omni cœleſti virtute agnoſcantur malignis autem & impuris dæmonibus formidandi appareant: ut ſint acquiſitus & peculiaris populus, regale ſacerdotium, gens ſancta, & illibato hoc myſterio ſignati Chriſtum in cordibus ſuis in habitaculum tuum Dei & Patris in Spiritu Sancto ferant: quia Sanctus es, Deus noſter, & in Sanctis requieſcis; & tibi gloriam referimus Patri & Filio & Sancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde Pontifex ait Pax omnibus. *Diaconus* Capita veſtra Domino inclinate. *Subjungit orationem Patriarcha.*

Tibi omnium Deo & Regi cordis cervicem gratias agentes inclinavimus, eo quod nos dignos divinorum iſtorum myſteriorum fieri miniſtros voluiſti; miſericordiam idcircò prædicamus, quam abundè ſuper nos effudiſti, & ut ſanctificationem recipiat & operetur, ſicut unguentum capiti ſupereffuſum precamur, quia Unguentum effuſum eſt nomen unigenito filio tuo Chriſto Deo noſtro, in quo mundus omnis viſibilis & inviſibilis bono repletur odore. Tu enim adorandus ubique es & glorificatus, & tibi gloriam & cultum referimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui: nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Illud deinde cruce ſignatum operit: & converſus, qui in ambone ſtat diaconus, ait: Omnium Sanctorum memoriam recolentes. *Stant autem flabella donec dicatur.* Repleatur. *Cum verò ſancta proferri debent, ſtante coram ſacris ſcribus archipresbytero, aſſumit Patriarcha Unguentum, delatumque archipresbytero tradit. Et tunc moventur flabella. Et in altum tolluntur: proceduntque diaconi eo quo venerunt cum flabellis ordine. Atque ita contentum alabaſtro Unguentum, in vas ubi Nardus aſſervatur ab archipresbytero reponitur.*

Species verò Unguentum componentes ſunt iſtæ, Caryophillæ, juncus aromaticus, cynnamomum, cynnamomi flos, piper, piper longum, Indicum folium, macer, zintziber, herba lactaria, ſtachys, crocus, roris marini majus & minus ſemen, piper album, aſarum, aloës lignum, muſcatæ nuces, maſtix, thus, ladanum, potiles, ſtyrax, maſchus, ambar, balſami oleum, myrthus, laurus, majorana, ros marinus, coſtus, & balſamum.

OLIM PRÆTER ſolemnem miſſam quæ veſpere de Cœna Dominica & eam quæ manè pro pœnitentibus cantabatur, alia inter utramque pro ſacri chriſmatis benedictione *chriſmalis* dicta celebrabatur. Hujuſmodi miſſam videre eſt in antiquiſſimis Sacramentorum libris, ut in Remenſi S. Remigii tempore Caroli magni ſcripto in Gellonenſi, in Regio, & Noviomenſi ab annis 900. minimum ſcriptis ex quibus hic eam deſcribere haud erit fortaſſis lectoribus ingratum.

ITEM

Digitized by Google

ITEM IN FERIA QUINTA MISSA CHRISMALE.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Eodem die non pſallitur, nec ſalutatur, ideſt non dicitur Dominus vobiſcum *Ad alias miſſas niſi ad chriſma conficiendum. Primum enim dicit* Oremus; *& dicit diaconus* Flectamus genua, *Et poſtmodum* Levate, *& dat orationem.*

Domine Deus, qui in regenerandis plebibus tuis, miniſterio uteris ſacerdotum; tribue nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum: ut dono gratiæ tuæ in diebus noſtris & merito & numero ſacratus tibi populus augeatur. Per

Secreta

Hujus ſacrificii potentia, Domine quæſumus, & vetuſtatem noſtram clementer abſtergat, & novitatem nobis augeat ſalutarem. Per.

Præfatio

Verè dignum & juſtum eſt clementiam tuam ſuppliciter obſecrare, ut ſpiritalis lavacri baptiſmo renovandis, creaturam chriſmatis in ſacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes. Ut ſanctificatione unctionis infuſa, corruptione primæ nativitatis abſorpta, ſanctum uniuſcujuſque templum acceptabilis vitæ innocens odore redoleſcat: ut ſecundùm conſtitutionis tuæ ſacramentum regio, & ſacerdotali, propheticoque honore perfuſi, veſtimento incorrupti muneris induantur. Per.

Infra actionem

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, ſed & memoriam.

Item infra actionem

Hanc igitur oblationem &c. *ut ſuprà in miſſa pro pœnitentibus.*

Item infra canone

Ubi dicimus Qui pridiè quam pateretur, *in hujus diei proceſſione dicimus*, Qui hac die antequam tradatur, accepit panem in ſuis manibus, elevatis oculis

Ut autem veneris nobis quoque peccatoribus famulis tuis &c. *uſque ad* Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Et intras. benedices oleum pro infirmis ſive pro populo his verbis* Emitte, quæſumus Domine, Spiritum Sanctum tuum paraclitum, qui hanc pinguedinem olei &c.

Expleto enim canone, dicit Oremus præceptis ſalutaribus *Oratio* Libera

Digitized by Google

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

nos quæſumus Domine ab omnibus malis. *Ipſa expleta, confrangis, tegis de ſindone altaris munera, & aſcendis ad ſedem; ibique oblato à diacono alio oleo ad benedicendum, & dicis* Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Dicit* Oremus. *Et intras.* Deus incrementorum &c.

Poſt hoc miſcis balſamum cum alio oleo, & benedicis chriſma his verbis & dices: Dominus vobiſcum ℟. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. Verè dignum & juſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera &c.

Et iterum venies ante altare: ponis in ore calicis de ipſa hoſtia non dicis Pax Domine, *nec faciunt pacem, ſed communicant, & reſervant de ipſo ſacrificio in craſtinum unde communicent.*

§. IV.

De chriſmatis diſtributione.

De veteri chriſmate quid fieret.

I. FActa novi chriſmatis conſecratione, quod ſupererat ex veteri aut cum recens benedicto miſcebatur, ut præſcribitur in Pontificali Conſtantinopolitano, in Bellovacenſi, & in Silvanectenſi. Vel comburendum in Eccleſiæ lampades immittebatur, ex Pontificalibus Apamienſi in Syria, Auguſtini Patricii ad Innocentium VIII. & Guillelmi Durandi quod uſui fuit Joanni *Sairebruche* epiſcopo Catalaunenſi. Deinde per parrochias diſtribuebatur.

Novi diſtributio quo ritu facta.

II. Quanam ratione id fieret, explicat Concilium Rotomagenſe anni 1072. can. III. his verbis: [Chriſmatis & olei diſtributio à decanis ſumma diligentia & honeſtate fiat: ita ut interim dum diſtribuerint, albis ſint induti: & talibus vaſculis diſtribuatur ut nihil inde aliqua negligentia pereat.]

Ad abſentes per quos deferretur.

III. Abſentes verò parochi aut per ſe ipſos, aut ſaltem per diaconos, aut ſubdiaconos, numquam per ſimplices clericos, multo minùs per laïcos requirere debebant. Extant ea de re quàm plures Conciliorum canones, ex quibus hic nonnullos ſubjicere libet: Can. XXXVI. Concilii IV. Carthaginenſis: [Presbyteri, qui per diœceſes eccleſias regunt, non à quibuſlibet epiſcopis ſed à ſuis; nec per juniorem clericum ſed aut per ipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet ante paſchæ ſolemnitatem chriſma petant.] Canon XX. Concilii I Toletani: [*De ſingulis Eccleſiis ad epiſcopum ante diem Paſchæ diaconi deſtinentur aut ſubdiaconi, ut confectum chriſma ab epiſcopo deſtinatum ad diem Paſchæ poſſit occurrere.*] Canon III. Concilii Vaſenſis: [Per ſingula territoria presbyteri vel miniſtri ab epiſcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis propriis per annos ſingulos chriſma petant appropinquante ſolemnitate paſchali, nec per quemcumque eccleſiaſticum; ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtro-

rum occupatio eſt, per ſubdiaconum: quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum eſt ut ipſe ſuſcipiat qui in tradendo uſurus eſt.] Hunc canonem renovat Concilium Vvormatienſe anno 868. celebratum, addens, ut [& ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent, ita deportet] chriſma. Canon V. Martini Bracarenſis epiſcopi. [omni tempore epiſcopis liceat chriſma conficere & per ſuas diœceſes deſtinare: ita ut ad dirigendum chriſma diaconus aut ſubdiaconus ante diem Paſchæ de ſingulis eccleſiis ad epiſcopum deſtinentur.] Canon VI. Concilii Autiſſiodorenſis: [Ut à media quadrageſima presbyteri chriſma petant, & ſi quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad archidiaconum ſuum, vel archiſubdiaconum ſuum tranſmittat; ſed cum chriſmario & linteo ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent.] Hæc omnia confirmat Montanus epiſcopus Toletanus in epiſtola ad fratres territorii Palentini: [An forſan Sanctorum Patrum regulas & Conſtitutiones Synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parrochienſes presbyteri, non per viliores perſonas, ſed aut per ſemetipſos, aut per rectores ſacrariorum annuis vicibus chriſma à præſidente ſibi epiſcopo, petant.] Et Capitula verò Regum Francorum lib. 5. cap. 219. & apud Regionnem lib. 1. c. 76. [de presbyteris qui accipiendi gratia chriſmatis ad civitates in cœna Domini venire ſoliti erant, ſancitum eſt, ut de his qui longè poſiti ſunt de octo vel decem unus ab epiſcopo eligatur, qui acceptum chriſma ſibi & ſociis diligenter perferat. Hi verò qui non longius à civitate quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more ſolito ad accipiendum chriſma per ſe veniant.] Hic præterire non debeo antiquum morem canonicorum Turonenſium S. Martini, quorum hebdomatius ipſe cum ſolemni pompa & religione chriſma requirebat, qui ritus ita deſcribitur in eorum veteri Rituali: [Et nota quod circa Primam vadit unus ex ſeptimanariis & unus ex matriculariis ante eum cum equis & veſtibus chori; & ita vadunt ad Sanctum Mauritium nemini loquentes; & ante eos vadit ſerviens matriculariorum cum virga, ſed non cum equo, & portat butam cum urceolis ad chriſma & oleum; & eis deſcenſis ad portam eccleſiæ, tradit butam ſeptimanario, & ille portat eam ſuper altare S. Gatiani, matriculario præeunte cum virga, & poſt recedit ſicut venit,] peracta nimirùm conſecratione.

IV. In cathedralibus eccleſiis in quibus abſente aut aliàs impedito epiſcopo chriſma minimè benedicebatur, à viciniori ſolebat requiri; & tunc cum ſolemni recipiebatur proceſſione, quam ita deſcribit vetus Proceſſionale Sueſſionenſe tempore Nivelonis exaratum.

ORDO AD REQUIRENDUM SACRO-SANCTUM CHRISMA CÙM AB ALIQUA VICINARUM CIVITATUM AFFERTUR PROPTER NOSTRI PONTIFICIS ABSENTIAM.

Decanus enim chriſtianitatis ex precepto majoris archidiaconi affert illud uſque ad aliquam parrochiarum noſtrarum, extra muros tamen civitatis;

Caput XXII. De Cœna Domini.

repoſitumque illud ſuper altare honorificè ſervatur, donec prædictus decanus decano noſtro hoc ſignaverit. Quo facto, veniet decanus ad eccleſiam, facietque clerum convocari, & hoc ſine ſigni ſono. Et tunc induant ſe albis tam duo acolythi quàm ſubdiaconus hebdomadarius, & deſuper palliolis. His paratis, itur pompaticè ad parrochiam; quibus introgreſſis, ſalutatur à quibuſlibet dicentibus Ave Sacroſanctum chriſma: *& deoſculatur. Similiter & reliquæ ampullæ, & ſic recedatur. Clericulus primum cum laterna igne intùs accenſo. Deinde acolythus cum oleo infirmorum. Poſt hæc alter cum oleo catechumenorum: quem ſubdiaconus cum chriſmate ſacroſancto ſequatur, & ſic uſque ad ſacrarium ſequente clero chriſma ſæpedictum honorificè cum reliquis ampullis deferatur.*

In Eccleſia Catalaunenſi prima poſt Paſcha Dominica huic faciendæ proceſſioni aſſignatur.

Chriſma gratis diſtribuendum.

V. Porrò ne quis à requirendo novo chriſmate remoretur; gratis ab omnibus dari debet: [Placuit ut quiſquis ab epiſcopo ſanctum in poteſtate presbyteris ad diſtribuendum tempore opportuno acceperit chriſma, nihil ab eis beneficii cauſa tollere aut petere præſumat] inquit Concilium Emeritenſe can. IX. Et Concilium Cabilonenſe anno 813. celebratum can. XVI. [Quidam fratres dixerunt, conſuetudinis antiquæ fuiſſe in eorum eccleſiis, ut pro balſamo emendo ad chriſma faciendum, ſive pro luminaribus eccleſiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios epiſcopis darent. Unde omnes uno conſenſu ſtatuimus, ut ſicut pro dedicandis baſilicis & dandis ordinibus, nihil accipiendum eſt; ita etiam pro balſamo ſive luminaribus emendis, nihil presbyteri chriſma accepturi dent. Epiſcopi itaque facultatibus eccleſiæ balſamum emant, & luminaria ſinguli in eccleſiis ſuis concinnanda provideant.] Similiter Concilium Meldenſe can. XLV. [Nemo epiſcoporum vel quilibet miniſter propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuſcula, quæ per miniſtros epiſcoporum inordinabiliter exiguntur] Et anteà Concilium Barcinonenſe anni 599. can. II. [Cum chriſma presbyteris diœceſanis pro confirmandis neophytis datur; nihil pro liquoris pretio accipiatur, ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, ſimoniacum interitum ementibus vendentibuſque aſſociet.] Et Bracarenſe II. can. IV. [Placuit ut modicum balſami, quod benedictum pro baptiſmi ſacramento per Eccleſias datur, quia ſinguli tremiſſes pro ipſo exigi ſolent, nihil ulterius exigatur; ne fortè quod pro ſalute animarum per invocationem Sancti Spiritus conſecratur, ſicut Simon Magus donum Dei pecunia emere, ita nos venumdare damnabiliter videamur.] Atque ex prava illa conſuetudine aliquid exigendi pro chriſmate fortè ortus eſt alius abuſus, cui mederi conatur Concilium Rotomagenſe anni 1072. can. II. his verbis: [In quibuſdam provinciis mos deteſtabilis inolevit, quod quidam archidiaconi paſtore carentes ab aliquo epiſcopo particulas olei & chriſmatis accipiunt; & ita oleo ſuo commiſcent: quod & damnatum eſt: ſed unuſquiſque archidiaconus chriſma & oleum ſuum totum epiſcopo à

quo conſecrabitur, ut proprio epiſcopo præſentet.] Vide Concilium Toletanum XI. can. VIII. Privilegium monaſterii Corbeienſis Conciliorum tomo VI.

§. V.

De benedictione ignis novi.

I. IN libro 3. de antiquis monachorum ritibus demonſtravimus ignis novi benedictionem in triduo ante Paſcha quotidiè peractam fuiſſe. Is ritus monachis haudquaquam extitit peculiaris, ſed ipſis etiam clericorum eccleſiis, à quibus illum deſumere potuerunt, communis. Nam & in antiquo ordine Romano his præſcribitur verbis: [Eadem verò die Cœnæ Domini hora nona, quando dies longiores ſunt, ſeu hora quinta, quando breviores, faciunt excuti ignem de lapide in loco foris baſilicam. Si ibidem oratorium habuerint in porta, ibi excutiunt: ſin verò, in loco quo conſideraverit prior, ita ut ex eo poſſit candela accendi, & benedicitur ignis.] In vetuſto quoque miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante annos 600. ſcripto reperitur *Benedictio ignis novi in cœna Domini quæ fit ex ſole & criſtallo & aqua frigida*, cum unica oratione Domine Deus Pater omnipotens, lumen indeficiens &c. Et in alio codice ejuſdem eccleſiæ *benedictio ignis novelli* cum tribus orationibus, atque etiam in Carnotenſi S. Petri annorum circiter 700. cum unica. Ejuſdem ritus meminit vulgatus Alcuinus in libro de Divinis officiis cap. de Cœna Domini. Et Amalarius in libro de ordine antiphonarii cap. 44. ubi obſervat ex illo igne benedicto cibos decoctos fuiſſe, & ad nocturnos candelas ſeu lampades accenſas: Et apud Joannem Abrincenſem, qui etiam docet ignem ita benedictum ex eccleſia *per ceteras domos chriſtianorum* diſtributum ad communem uſum cujuſque familiæ. Præter ignis benedictionem miſſale Toloſanum aliam incenſi præſcribit.

Benedictio ignis novi monachis & clericis communis.

II. Ritus autem hujus benedictionis ita deſcribit antiquus codex Remenſis Sancti Remigii annorum 400.

Quo ritu fieret.

Benedictio ignis novi.

Poſt nonam tribus diebus priores mutantur verſus altare, atque ſine aliqua ſigni expectatione, ſacerdote induto alba vel Domno abbate, ceteriſque ad miſſam ſervituris & infantibus, à Domno abbate vel priore incepto quinquageſimo pſalmo, fit proceſſio ad novum ignem conſecrandum. Ante ipſam portatur aqua benedicta, thuribulum ſine igne & crux: ut novus ignis poſtquam conſecratus fuerit, & aſpergatur & incenſetur. Portaturque pertica ſuperquam ferendus eſt ignis ab illo à quo portandus eſt. Primo die fertur à magiſtro cuſtode eccleſiæ, in craſtino à priore, in ſabbato ab abbate vel ſacerdote. Ad benedicendum dicitur hæc oratio.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

FERIA V.

Dominus vobiſcum. Domine Deus, Pater omnipotens, exaudi nos lumen indeficiens: tu es ſancte conditor omnium luminum: Benedic, Domine hoc lumen quod à te ſanctificatum atque benedictum eſt. Tu illuminaſti omnem mundum, ut ab eo lumine accendamur & illuminemur igne claritatis tuæ, ſicut igne illuminaſti Moïſem: tu illumina corda noſtra, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per Dominum.

FERIA VI.

Dominus vobiſcum. Domine Deus omnipotens, lumen indeficiens & conditor omnium luminum, exaudi nos famulos tuos, & benedicere digneris hujus novi ignis lumen, quod à te verò lumine nobis donatum eſt, ut & tui amoris accendamur ſplendore, ita corda & ſenſus noſtros illuminare digneris, ut expiati peccatorum labe, ad te qui vita æterna es pervenire mereamur. Qui cum Patre & Sancto Spiritu.

SABBATO.

Dominus vobiſcum. Domine Deus omnipotens, conditor omnium luminum, te invocamus, ut benedicas & conſecres hunc novum ignem, ſicut benedixiſti rubuum in quo apparuiſti Moyſi, & ſicut illuminaſti cor ejus per lumen viſibile, majeſtate tua inviſibili: ita corda noſtra potentia divinitatis tuæ inviſibiliter per hunc viſibilem ignem illuminare digneris. Per

§. VI.

De miſſa ſolemni & veſperis.

Plures olim miſſæ ſolemnes in Cœna Domini.

I. NOn una olim miſſa ſolemnis hac die cantabatur: duas jam vidimus celebratas; primam præ pœnitentibus, alteram pro ſacri chriſmatis confectione: tertiam nobis cum ordine Gelaſiano exhibent antiqui codices annorum 900. Noviomenſis B. Mariæ Remenſis S. Remigii, & Gellonenſis *ad veſteram* dicendam: quartam addunt Pontificale Pictavenſe annorum 800. & codex Siculus apud Morinum de pœnitentia, & Regius n. 3865. pro baptizandis, quibus forſan nonnullis in locis ultimum hac die ſcrutinium fiebat. Et hæc ſecundum ordine locum obtinebat. Tempore S. Auguſtini duas nonnullæ celebrabant eccleſiæ: unam manè à jejunis, alteram ſerò poſt cœnam, uti ipſe docet in epiſtola 54. novæ editionis ad Januarium: id quod nec improbat. De miſſa poſt cœnam habemus Concilii Carthaginenſis III. decretum can. 29. [Ut ſacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus cele-

Digitized by Google

brentur; excepto uno die anniverſario, quo Cœna Dominica celebratur:] quem canonem approbat quidem Synodus in Trullo pro populis Africanis: quorum præſertim gratia conditus eſt: at ne deinceps obſervari poſſit ſummopere vetat can. 29. Unica nunc ex illis omnibus reſtat poſt pœnitentium reconciliationem celebranda, in qua & chriſma ſolemniter conſecratur: quæ ſola in edito S. Gregorii Sacramentario & multis aliis mſſ. notatur. Hujus jam ſingulares ritus brevi inveſtigamus.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

II. In primis obſervandus venit numeroſus miniſtrorum apparatus: quo per totum anni circulum nullus aliquando majori cum pompa procedit. Nam præter cruces & thuribula, ſeptem primum cum candelabris incedunt acolythi: deinde ſubdiaconi ſeptem tunicis, totidemque diaconi dalmaticis induti: his addunt eccleſiæ nonnullæ ſeptem etiam presbyteros ſacerdotalibus ornamentis decoratos, quibus poſt præfationem pro chriſmatis benedictione alii quinque iiſdem veſtimentis ornatos ſeſe adjungunt. Ita præſcribit Pontificale ms. Guillelmi Durandi, quod Joanni *Sairebruche* epiſcopo Catalaunenſi uſui fuit. At ex ordinario Cuſentino, Ebroicenſi & Lingonenſi duodecim ab ipſo miſſæ initio presbyteri cum epiſcopo procedere debent.

Numeroſus miniſtrorum apparatus.

III. Secundò propter ſolemnitatem chriſmatis conſecrandi *Gloria Patri* ad introïtum, Hymnus angelicus *Gloria in excelſis*, & Symbolum decantari debent. Secùs ſi minime celebret epiſcopus. Audi Nicolaum Papam I. epiſt. 19. appendicis 1. ad Rodulfum Bituricenſem ita reſcribentem: [Porrò *Gloria in excelſis Deo* ab epiſcopis in Cœna Domini inter miſſarum ſolemnia more noſtro dicenda eſt.]

Singularia in miſſa ſolemni.

IV. Tertiò niſi epiſcopus chriſma conſecraturus miſſam cantet, prætermittitur ſolita plebis ſalutatio, ſtatimque ſacerdos dicit *Oremus*, diacono ſubjungente *Flectamus genua*, & poſt modicum temporis ſpatium *Levate*. Ita cum ordine Gelaſiano antiquiſſimi codices, Regius, Noviomenſis, Remenſis & Gellonenſis.

V. Quartò juxta Pontificale Egberti Eboracenſis epiſcopi, & Tirpini Remenſis archiepiſcopi oratio prætermitti debet, quæ etiam deſideratur in ordine Gelaſiano & præfatis ſacramentorum libris in tertia miſſa.

VI. Quintò [poſt evangelium fit ſermo ad populum,] inquit Lucas Cuſentinus Archiepiſcopus. Addit Benedictus S. Petri canonicus: [Eo die dum Dominus pontifex prædicat, cardinales levant menſam de altari, & denudant altare, & ponunt eam in ſecuro loco. Peracta prædicatione, facit remiſſionem, populo benedicit, & deſcendit ad ſedem ubi nunciat *Credo in unum Deum.* offerenda non dicitur, ſed ſolus pontifex intrat ad altare ad ſacrificium.] Remiſſionis ſeu indulgentiæ, de qua hic mentionem facit Joannes diaconus in libro de eccleſia Lateranenſi.

VII. Sextò. Ex ordinario Rotomagenſi, Bajocenſi, Lingonenſi, Uticenſi, & Miſſali Autiſſiodorenſi præfatio communis debet decantari.

Caput XXII. De Cœna Domini.

Hoſtiæ tres conſecrandæ.

VIII. Septimò. In quibuſdam eccleſiis tres ſolent conſecrari hoſtiæ, unam qua celebrans hac die communicat, duas in ſequentem diem reſervandas, ut ex una poſſit ſacerdos communicare, alteram verò ſepulcro cum cruce recondere. Ita præſcribunt antiquum Rituale Sueſſionenſe, Pontificale Moguntinum, Ordinarium Bajocenſe, & Miſſale Sariſberienſe: niſi quod Rituale Sueſſionenſe tertiam ad proceſſionem in die Paſchæ deferendam jubeat conſervari.

Pax an data.

IX. Octavò, ſolitum pacis oſculum hac die ſolet in miſſa omitti: cujus rei rationem reddit vulgatus Alcuinus his verbis: [A pacis oſculo ſive ſalutatione abſtinetur, non quod malum ſit, ubi ex caritate profertur: ſed ad vitandam ſalutationem peſtiferam, qualem Judas proditor exercuit, ut demonſtretur quam injuriam paſſus eſt Chriſtus à ſuo diſcipulo, & nos vitemus eadem ratione injuriam fratribus facere.] ſuperſcribunt Alcuino libri Pontificales & miſſales penè omnes, qui propter fraudulentum Judæ oſculum pacem in miſſa dari prohibent: Singularis eſt ergo ritus eccleſiæ Pariſienſis, in cujus antiquis miſſalibus quatuor hæc lego: [More eccleſiæ Pariſienſis Pax datur, alibi autem, quod bonum eſt, omnia dicuntur; ſed Pax non datur.] Concinit ordinarium Cabilonenſe his verbis [ad miſſam agnus. Pax datur.] Et Rituale S. Martini Turonenſis [Hodie ſumitur Pax.] Idem conceditur, ſi modo celebret epiſcopus, in Cuſentino & Laudunenſi ordinario. Miſſale verò Sariſberienſe ea de re ſic ſcribit: [Hac die non dicitur *Agnus Dei*, nec Pax datur, niſi epiſcopus celebraverit: tunc enim dicatur *Agnus Dei* ſolemniter more duplicis feſti: & ſacri chriſmatis ampulla pro Pace deoſculetur.] Agnus Dei etiam in miſſa decantari vetant ordinarium Rotomagenſe, Remenſe, & Lingonenſe, atque miſſale Autiſſiodorenſe. Illud quidem cantari ſolemniter permittit ordinarium Argentinum, ſed ne in tertio *Agnus Dei* addatur *dona nobis pacem* vetat

Communio generalis.

X. Nonò peracta chriſmatis benedictione, Pontifex ſe primum, deinde clerum & populum communicabat. Generalem hancce communionem abſolutè præſcribunt Theodulphi Aurelianenſis epiſcopi capitulare, Vualterius item epiſcopus in Anglia qui ſæculo X. florebat, Joannes Abrincenſis, & libri pontificales & miſſales antiqui omnes. Unde miror planè quod in Caſſanenſi ordinario anno 1587. renovato hæc legantur. [Feria quinta majoris hebdomadæ propter multitudinem pauperum & hoſpitum non communicant canonici neque fratres; ſed feria ſexta in Paraſceve & Sabbato Sancto & Paſcha fiat communio generalis: & communio quæ fiebat olim in hac die Cœnæ Domini debet fieri in Dominica prima quadrageſimæ. Communicet tamen qui ex devotione voluerit.] Recentiores etiam libri nonnulli ab annis trecentis aut quadringentis ſcripti hanc ad libitum communionem permittere videntur. Ita Cuſanum ordinarium: [Solus Pontifex ſolito more communicat, & repoſito priùs in craſtinum Dominico corpore, communicat, ſacerdotes & miniſtros & alios qui communicare volunt.] Simili ferè modo loquitur Cenomanenſe ordinarium & miſſale Tholonienſe. Ex ordinario

Digitized by Google

ordinario Argentino dum veſperæ cantabantur populi fiebat communio.

De Cœna Domini.

XI. Circa hanc communionem illud in primis obſervare licet, quod Romanus Pontifex qui aliis diebus pretioſum ſanguinem ex calamo haurire ſolebat; hac tantum die ex ipſo calice bibebat. Uti docet Pontificale Apamienſe in Syria. Secundò, poſt ſacrorum miniſtrorum ac cleri communionem primi ante alios omnes ad ſanctam ſynaxim accedebant reconciliati pœnitentes. Ita præſcribit vetus Pontificale Pictavienſe. Tertiò Græci olim communionem ad proprias domos deferre permittebantur, uti conſtat ex Joannis Moſchi prato ſpirituali cap. 79. ubi de quodam chriſtiano hæc habet: [Hic ſecundùm morem Provinciæ die ſancto Cœnæ Dominicæ ſumptam communionem involvit in linteo mundiſſimo & armario repoſuit.] Quartò communionis hujus conſuetum morem hactenùs retinuerunt Græci, teſtante Allatio in libro 3. de conſenſu utriuſque eccleſiæ c. 17. n. 7. his verbis: [Eo ſcilicet die omnes, qui tamen alia cauſa præpediti non ſunt, frequenti concurſu quemadmodum die Paſchatis poſt miſſarum ſolemnia communicant. Quibus communio interdicitur, ii cochleari ex aqua benedicta, magna benedictione feſto Epiphaniæ ſubacta, modicum hauriunt.]

Euchariſtia in craſtinum reſervanda.

XII. Quod ſupererat Euchariſtiæ ad ſequentis diei communionem in ſacrario magna cum reverentia & religione recondebatur: Quanam verò ratione id fieret ita explicat ordinarium inſignis Eccleſiæ Remenſis: [Poſt acceptionem Euchariſtiæ chorus cantat communionem *Dominus Jeſus.* Tunc unus ex diaconis Corpus Domini quod reſervandum eſt uſque in diem Paraſceves accipit in ſyndone munda: de cujus manibus recipit illud Pontifex, & converſus ad populum, incipit alta voce, *Hoc Corpus quod pro vobis tradetur:* choro eamdem communionem cantante, & uſque ad finem proſequente. Diaconus verò idem Corpus Domini involutum, altè deportat, & in ſacro ac mundiſſimo loco deponitur, & uſque in craſtinum reſervat: ſanguis non reſervatur, ſed eo die totus hauritur.] Rituale vetus S. Martini Turonenſis: [Hodie ſumitur Pax; & poſt *Pater noſter* vadit Sacerdos, communicat ſe de parte ſacrificii, & poſt reponit aliam partem ſub altari, diacono & ſubdiacono portantibus cereos ante illum, quos cum ſacrificio derelinquunt. Poſt rediens dicit collectam.] ordinarium Eccleſiæ Rotomagenſis; [Dum veſperæ cantantur, hoſtiæ quæ remanſerant deferantur à Domino archiepiſcopo cum cereis & torcheis in ſacrarium quod eſt retro altare; & ibi ſit cereus continuè ardens uſque in craſtinum poſt adorationem crucis.] Denique miſſale Toloſanum: [Dicta communione, dum chorus veſperas dixerit, Corpus Domini reverenter deportetur ad locum ubi ſervari debet à Diacono, & hoc ſine ſanguine. Thuribulo & luminaribus præcedentibus, ſex miniſtris linteamen mundiſſimum portantibus uſque dum reponatur ubi reponendum eſt. Dum verò portatur, cantatur à diacono & reliquis miniſtris hæc communio: *Hoc Corpus quod pro vobis tradetur, hic cálix novi Teſtamenti eſt in meo ſanguine,*

dicit Dominus. Hoc facite in meam commemorationem. Locus verò in quo Corpus reponitur, numquam ſine lumine debet remanere. Deinde revertatur ad altare dicendo ſubmiſſa voce veſperas.]

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

XIII. Obiter hic obſervabis quàm ſimplices fuerint veterum ritus in recondenda ſacra Euchariſtia. Noſtris verò temporibus pia fidelium devotio ad reſarciendas aliquo modo illatas à nefandiſſimis hæreticis ſanctiſſimo Sacramento injurias, cum ſumma rituum pompa ad præparatum quàm ornatè fieri poteſt oratorium illud deducit: ita variant pro diverſis rationibus eccleſiaſtici ritus.

XIV. Solum in craſtinum diem Corpus Domini reſervari præcipiunt antiqui libri miſſales ad unum ferè omnes, ſanguine in miſſa hujus diei penitùs abſumpto. Verum hæc praxis licet ubique paſſim uſu recepta, ſuas aliquando exceptiones habebat. Nam in veteri codice Sacramentorum Carnotenſi monaſterii S. Petri, cujus character annos circiter ſeptingentos refert, reperio Sanguinem etiam cum Corpore Domini reſervatum fuiſſe: quippè deſcribens ſequentis diei ritus poſt adoratam crucem, inquit, [ingrediuntur duo diaconi in ſacrario, & procedunt cum Corpore & Sanguine Domini, quod ante diem remanſit, & ponunt ſuper altare] &c.

Sanguis cum corpore reſervatus.

XV. Reconditam autem in ſacratio ſeu ſepulcro euchariſtiam clave obſerari jubet miſſale Auguſtodunenſe; Miſſale Mozarabum addit ut cum cera duobus ſigillis obſignetur ad ſimilitudinem haud dubium ſepulcri Dominici, quod Pilatus ſignari juſſit cum cuſtodibus.

XVI. Græci etiam hac die reſervant Euchariſtiam non ſolùm in ſequentem diem, ſed ad communicandos per totum anni curriculum infirmos. Eorum ritus ita deſcribit Cardinalis Bona in libro 2. Rerum Liturgicarum cap. 18. [Singulis annis feria quinta majoris hebdomadæ panem recentem ſolito majorem præparant & conſecrant, cujus quartam partem ſacerdos abſumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas* & communiori vocabulo *Margaritas* vocant. Sed anteà conſecratum panem Chriſti ſanguine leviter humectant, tum ſacro diſco ignem ſubjicientes, cunctum humorem exprimunt, & ſic adeò indureſcit, ut per totum annum à corruptione immunis ſervari poſſit.] Sed de hoc ritu aliàs à nobis dictum eſt.

XVII. Peracta communione, veſperæ ſolemni ritu cum nota ſub una miſſæ oratione ad complendum cantabantur quæ praxis paſſim ubique vigebat, excepta una eccleſia Romana, quæ poſt abſolutam miſſam veſpertinum decurrebat officium. Non vacat hic Rituales omnium eccleſiarum ea de re libros exhibere, cum ad unum ferè omnes inter ſe conveniant: Turonenſe dumtaxat hic ordinarium deſcribo: [Non datur Pax: Communio *Dominus Jeſus.* Tunc vadit cantor cum ſtola ſua juxta altare, & injungit præſuli vel presbytero miniſtranti antiphonam ad veſperas *Calicem* Pſ. *Credidi.* Sequitur in choro antiphona *Cum his.* Pſal. *Ad Dominum.* Tunc ſubdiaconus reveſtitus incipit antiphonam *Ab hominibus.* Pſal. *Eripe me.* Sequitur in choro antiphona

De veſperis

Cuſtodi me Domine. Pſal. *Domine clamavi.* Poſt hæc diaconus reveſtitus incipit antiphonam *De manu filiorum*, Pſal. *Benedictus.* Quibus finitis, injungit cantor præſuli vel miniſtranti antiphonam *Canantibus.* Pſal. *Magnificat.* Tunc præſul vel miniſtrans cum *Dominus vobiſcum* dicit collectam, diaconus *Ite miſſa eſt.*] Si nimirum epiſcopus celebraverit, alias *Benedicamus Domino.* In eccleſia Cabilonenſi diaconus dicebat *Ite requieſcite in pace.* In quibuſdam eccleſiis ſacerdos celebrans veſperas incepturus *Calicem* manu accipiebat decantans *Calicem ſalutaris.* Hunc ritum videre eſt apud Joannem Abrincenſem & in Præmonſtratenſium ordinario. In argentino non ſacerdos, ſed diaconus accepto calice cum patena, verſus ad populum veſperas incipiebat dicens: *Calicem ſalutaris.*

CAP. XXII. *De Cœna Domini.*

§. VII.

De altarium denudatione & lotione.

I. QUi ſuperſunt hujus diei ritus ita in Cuſentino deſcribuntur Ordinario. [Miſſa completa, omnia ſtatim denudantur altaria. Poſt refectionem conveniunt omnes clerici feſtinanter in chorum, à cujus ingreſſu tunc penitus laïci ſunt arcendi. Epiſcopus veniens in toga ſua lavat primò altaria cum aqua, deinde cum vino; & poſt facit mandatum. Epiſcopus lavat pedes duodecim tantùm canonicis: duo ſacerdotes lavant pedes omnibus clericis. Poſt epiſcopus & miniſtri mandati ablutis manibus recipiunt cappas ſuas, & ſedent, & potus omnibus offertur: quo ſumpto, diaconus legit evangelium *Amen amen dico vobis* uſque ad illum locum, *Surgite eamus hinc.* Tunc epiſcopus ſurgens dicit preces & orationes, & data benedictione diſcedunt.] Quibus in verbis duas comprehendit lotiones altarium, & pedum. Utraque ſigillatim examinanda eſt.

II. Denudationis altarium meminit quidem primus & omnium antiquiſſimus ordo Romanus; at de lotione penitus tacet. [A veſpera, inquit; hujus diei nuda ſint altaria uſque in mane ſabbati.] nihil inſuper addens, ſed ſtatim ritus feriæ ſextæ ſubjungit. De lotione etiam altarium altum planè ſilentium in ordine Gelaſiano & in edito S. Gregorii ſacramentario. Illius tamen mentionem facit S. Iſidorus in libro 2. de eccleſiaſticis officiis cap. 28. his verbis [Hinc eſt, quod eodem die (Cœnæ Dominicæ) altaria, templi parietes & pavimenta lavantur, vaſaque purificantur quæ ſunt Domino conſecrata.] Iſidorum deſcribit Rabanus in libro 3. de inſtitutione clericorum cap. 36. Sed de altaris denudatione nihil penitus uterque; cujus tamen meminit Concilium Toletanum XVII. Can. II. ubi baptiſterii oſtia initio quadrageſimæ ſigillo epiſcopi obſignata in Cœna Domini reſerari jubet; [quando more ſolito altaria debent deveſtiri.] Hanc altarium denudationem ſtatim poſt veſperas fieri præſcribunt noſtri libri Rituales, lotione poſt refectionem rejecta: è contrariò vulgatus Alcuinus denu-

Altarium lotio quam antiqua.

dationem altarium mandato ſubjicit & ad noctem uſque differt. [His finitis, inquit, ſcilicet mandato completo, nudantur altaria jam circa noctem, & ſic permanent uſque ad Sabbatum Sanctum.] At in monaſteriis alius videtur uſus fuiſſe. Nam in veteri miſſali fratrum Prædicatorum ante annos 400. ſcripto, ..a lego: [Hac die inter Tertiam & Sextam ſacriſta debet omnia altaria detegere præter magnum altare, quod dum veſperæ cantantur detegetur. Et unum ſolum linteamen ſuper ipſum uſque ad finem miſſæ relinquitur.] Et in Ordinario ms. Canonicorum Regularium cruce ſignatorum: [Sacriſta verò ante nonam omnia altaria detegat præter majus, quod dum veſperæ cantantur detegatur: Una ſola mappa ſuper ipſum uſque ad finem miſſæ relicta, quæ finita miſſa removeatur, & uſque ad tertiam horam ſabbati ſequentis detecta remaneant, præter majus, quod in craſtino hora officii cooperiatur.

CAP. XXII. *De Cœna Domini.*

Quo ritu fieret.

II. Venio ad lotionem altarium quæ ita deſcribitur in Ordinario inſignis eccleſiæ Bajocenſis: [Tempore veſpertino ex cuſtodis vocatione conveniant omnes perſonæ & canonici ad eccleſiam. Tunc pontifex & ſacerdotes duo in albis, ſtolis & manipulis induti, albis omnibus & manutergiis à pueris ſuccincti: epiſcopus etiam alba, mitra, & baculo paſtorali inſignitus, abluunt altaria, præcedentibus ceroferariis, quæ poſt miſſam diei iſtius debent penitùs denudari. Quædam lavantur primò aqua, deinde vino cum buſſo; quæ omnia tenetur cuſtos de ſuo proprio miniſtrare. Concinit chorus ſedens hiſtoriam *in monte oliveti*, cantore omnia reſponſoria inchoante; quibus peractis, fit proceſſio in capitulum.] Eumdem ritum paulò fuſiùs exponit Ordinarium Silvanectenſe hoc modo: [Poſt veſperas pulſatur magna cloca parumper, & ex tunc non pulſatur aliqua donec in vigilia Paſchæ. Poſt pulſationem clocæ conveniunt omnes clerici ad eccleſiam ad lavandum altaria, quæ duo presbyri canonici, albis non paratis induti, & nudi pedes debent lavare. Primum infundunt aquam pelvibus ſuprà & circa altaria, & presbyteri cum linteis ea fricant. Poſt effunditur vinum ſuper altare B. Mariæ: ſuper alia verò altaria, unus presbyterorum, qui ea lavant, & debet fieri proceſſio: & dum ibit de uno altari ad aliud, cantabitur unum ℟. de hiſtoria *In monte oliveti* cum ſuo verſu; & finita repetitione, cantor vel ſuccentor incipiet antiphonam de ſancto cujus altare lavabitur. Cuſtos magni chori dicet verſum, & decanus vel antiquior canonicus ſacerdos orationem de Sancto. Ad majus altare antiphona *Sancta Maria ſuccurre.* ℣. *Poſt partum.* Oratio. *Concede nos.* Ad altare obituum antiphona *Dilexit Dominus Andream.* Oratio *Majeſtatem tuam.* Ad altare apoſtolorum Petri & Pauli *Glorioſi principes.* ℣. *In omnem terram.* Oratio. *Protege Domine.* Ad altare SS. Stephani & Vincentii antiphona *Sanctus Vincentius.* ℣. *Gloria & honore.* Oratio. *Adeſto Domine.* Ad altare S. Joannis antiphona *Perpetuis* ℣. *fuit homo.* Oratio. *Præſta quæſumus.* Ad altare SS. Gervaſii & Protaſii. *Iſti ſunt angelica.* ℣. *Lætamini.* Oratio. *Deus qui nos ſanctorum tuorum Gervaſii.* Ad altare par-

rochiæ. *O Martine* ℣. *Ora pro nobis.* Oratio. *Deus qui nos conſpicis.* Ad altare S. Mariæ Magdalenæ antiphona. *Maria ergo.* ℣. *Optimam partem* Oratio *Largire.* Ad altare B. Mariæ propè Petram antiphona *Sub tua.* ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.* Oratio *Famulorum.* Ad altare SS. Trinitatis antiphona *Libera nos.* ℣. *Benedicamus Patrem.* Oratiō *Omnipotens ſempiterne Deus.* Ad altare B. Catharinæ antiphona *Virgo Sancta.* ℣. *Specie tua.* Oratio. *Deus qui dediſti legem.* Ad altare B. Annæ antiphona. *Cæleſte beneficium.* ℣. *Ora pro nobis.* Oratio. *Deus qui Beatæ Annæ.* Ad altare S. Michaëlis ℟. ℣. *In conſpectu Angelorum* Oratio *Perpetuis nobis Domine.* Poſteà redit proceſſio in chorum per oſtium quod eſt juxta ſtallum epiſcopi, cantando ℟. *Stirps Jeſſe:* & in choro ℣. *Poſt partum* cum oratione *Concede quæſumus miſericors Deus fragilitati noſtræ.*] Brevius ordinarium Laudunenſe. [Poſt prandium canonici in eccleſiam ad lavanda altaria conveniunt. Laïci cuſtodes tabulas altaris aperiunt. Sacerdotes eccleſiæ & cuſtodes clerici & cuſtos ſacrarii & ſubtheſaurarius, omnes albis induti & nudis pedibus lavant primò majus altare, deinde alia: clericulis aquam deferentibus. Laïci verò cuſtodes pavimentum lavant. Interim canonici cantant in choro *In monte oliveti* & alia reſponſoria quæ ſequuntur.] Similia habes in aliis ordinariis, puta in Remenſi, in Cenomanenſi, in miſſali Pariſienſi, Melodunenſi, Sariſberienſi, in Rituali S. Martini: quorum ſi textus hic deſcribere aggredere in longius abiret oratio.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

III. Obiter tantum hic obſervabo ex Sariſberienſi miſſali aquam unde altaria ſunt lavanda. Priùs eſſe ſacris precibus expiandam & benedicendam: ex Remenſi ordinario præter aquam & vinum adhibitum fuiſſe Pigmentum: ex miſſali Pariſienſi & quibuſdam aliis vinum ſuper altare in modum crucis eſſe fundendum. ex Cenomanenſi ordinario eaſdem antiphonas & Reſponſoria fuiſſe decantata quæ ad mandatum. Hic prætereunda non videtur praxis eccleſiæ Narbonenſis, quam ita exprimit illius ordinarium: [Poſt comeſtionem circa horam nonam ſint parati diaconus & ſubdiaconus cum dalmaticis violatis & duo pueri cum Flocquetis violatis in veſtiario, & in continenti intrent honeſtè domum capituli ad legendum teſtamentum Domini noſtri Jesu-Christi, ubi conſuetum eſt & ordinatum ipſum legi. In quo loco congregati ſint Domini canonici & totus clerus eccleſiæ Narbonenſis ad eum devotè audiendum; & dum legitur, denudantur altaria omnibus pannis ac etiam aliis ornamentis: & lecto Teſtamento, intret omnis clerus eccleſiam ad dicendum completorium.]

§. VIII.

De lotione pedum.

I. Lotionem altarium ſequitur in antiquis Ritualibus libris lotio pedum, mandati nomine vulgò nuncupata, quam Concilium

Lotionis pedum antiquitas.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Toletanum XVII. anno 694. celebratum canone III. queritur [partim deſidia, partim conſuetudine in quibuſdam eccleſiis in Cœna Domini] prætermitti; ſtatuitque [ut deinceps non aliter per totius Hiſpaniæ & Galliarum eccleſias eadem ſolemnitas celebretur, niſi pedes unuſquiſque Pontificum ſeu ſacerdotum, ſecundùm hoc ſacroſanctum exemplum (Domini) ſuorum lavare ſtudeat ſubditorum.] Additque; [quod ſi quiſquam ſacerdotum hoc noſtrum diſtulerit adimplere decretum, duorum menſium ſpatiis ſeſe noverit à ſanctæ communionis perceptione fruſtratum.]

Quo ritu fieret.

II. Quod ſpectat ad ritus in ipſa pedum lotione obſervari ſolitos, in ordinario Remenſi ita deſcribuntur: [Poſt prandium pontifex vadit in capitulum noſtrum ad faciendum mandatum. Ibi cantor incipit alta voce *Mandatum novum &c.* Veniunt duo acolythi in albis, nudiſque pedibus, & cantant hymnum iſtum in medio capituli *Tellus & æthera jubilent*: & poſt ſingulos verſus chorus primum verſum repetit. Diaconus interim paratur ad legendum evangelium nudis pedibus dalmatica indutus, ſicut in feſtivis diebus, præcedentibus duobus acolythis cum candelabris & duobus aliis cum thuribulis: & veniens petit benedictionem ab Archiepiſcopo, & legit evangelium in modum lectionis, ſcilicet *Ante diem feſtum Paſchæ*, uſque ad illum locum *Et dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego.* Illud prænotandum eſt quod mox ut incepta fuerit à cantore prima antiphona, ſcilicet *Mandatum novum*; ſurgit Dominus Archiepiſcopus à ſede ſua, & præcinctus linteo lavat pedes archidiaconi & præpoſiti & decani & perſonarum. Poſteà reſidens in ſede ſua præbet pedes ſuos decano ad lavandum. Decanus autem & ceteri ſacerdotes lavant pedes aliorum canonicorum in ordine: & interim canuntur quæ ſuprà diximus; & legitur lectio poſt ablutionem pedum. Cum verò ventum fuerit ad illum locum lectionis *Surgite eamus hinc*; ſurgunt dapiferi noſtri cum aliquot de ſubdiaconibus, & vinum præparatum extra capitulum de cellario Domini Archiepiſcopi deferunt Domino Archiepiſcopo primum, & poſteà omnibus qui in capitulo ſunt. Dominus autem Archiepiſcopus ex caritate, & tamen ex conſuetudine facit diſtribui unicuique perſonarum, ſacerdotum, & lectori duos ſolidos; diaconis octodecim denarios, ſubdiaconis duodecim denarios, acolythis octo denarios. Poſt finem lectionis Dominus Archiepiſcopus aut decanus aut aliquis ex ſacerdotibus dicit preces.] Et in ordinario Silvanectenſi: [Poſt hæc vadit proceſſio in domum epiſcopi cum ſilentio, & diaconus pariter qui debet legere evangelium indutus alba parata & dalmatica, & portans textum, quem debet præcedere ſubdiaconus indutus alba & tunica, & portans pulvinar, & pueri cum candelabris & cruce & thuribulo. Et ipſe diaconus accepta benedictione ab epiſcopo, legit evangelium *Ante diem feſtum.* Lecto evangelio, reſident omnes: Diaconus verò ſtans cum miniſtris ſuis iterum incipit legere de evangelio Joannis in modum lectionis, incipiens ab eo loco *Non eſt ſervus major Domino ſuo*: Et cùm venerit ad *Surgite eamus hinc*,

tunc dicit *Tu autem*; vel etiam ante, ſi ei ſignificatum fuerit: & tunc revertitur ad eccleſiam cum proceſſione ſua. Deinde fit ſermo, quo finito, ſuccentor debet incipere antiphonam *Mandatum novum*: & illi presbyteri qui laverunt altaria, debent lavare pedes primò epiſcopi; poſt aliorum ſecundùm ordinem. Et cum pedes aliorum laverint, poſteà & ipſorum pedes ab aliis lavantur. Interim cantatur antiphona *Mandatum novum*, antiphona *Si ego Dominus*, antiphona *In diebus illis*, antiphona *Poſtquam ſurrexit*, antiphona *Diligamus nos*, antiphona *Ubi caritas. Tellus & æthera jubilent.* His peractis, afferuntur à miniſtris epiſcopi nebulæ, & ſingulis dantur, & poſteà vinum. Deinde debent ire ad eccleſiam, & privatim dicere completorium.] In antiquo etiam Rituali S. Martini Turonenſis de mandato canonicorum hæc lego: [Poſt prandium diſcooperiuntur crucifixi, & poſt vadit Seneſchallus ad domos priorum in ordine,& ante portam remota cappa chori,quam unus ex matriculariis tenet, cum malleo percutit in tabella; & tunc conveniunt tam priores quàm canonici in capitulo, & clauduntur portæ eccleſiæ, & legit juvenis quartæ ſtationis ſine *Jube domne* vel *Tu autem* expoſitionem evangelii, ſcilicet *Ante diem feſtum.* Hoc facto, fit ſermo, ſi ſit qui prædicare velit. Poſt Seneſchallus in ſupelliceo affert baculum pictum & cymbalum auratum, cellerarioque parumper ſonante, venit Seneſchallus & juvenes cum eo aquam & mappas offerentes ad pedes presbyterorum & clericorum abluendos; & interim cantatur antiphona *Poſtquam ſurrexit Dominus*, Et aliæ quæ ſequuntur, & alii ſicut dicitur lavant pedes; & poſt dicit hebdomadarius *Pater noſter*, & capitulum, & orationes ſicut ſequitur. Quo facto, Seneſchallus & juvenes vinum in ſciphis afferentes ante decanum & majeſtatem cantant alta voce *Benedicite.* Et facta benedictione, bibunt canonici in ordine ſicut ſedent. Poſt accepto vino, vadunt ad altare, & dant bibere clericis de altari. Item ſumentes vinum veniunt ante majeſtatem in capitulo, & cantant in cicadis antiphonam *Hymnum dicite.* Et hoc facto, bibunt juvenes & Seneſchallus. Rurſus afferunt canonicis vinum ad bibendum, ſicut prius *Benedicite* decantantes. Hoc facto, vadunt ad completorium, quod cantatur ſubmiſſa voce, non in ſtallo, nec dicitur *Nunc dimittis.* De tela groſſa emuntur ad pedes tergendos 8. ulnæ, quarum medietas eſt Seneſchalli, & alia medietas & baculus pictus eſt cellerarii.] Iidem ferè erant aliarum eccleſiarum ritus, quos proinde hic ſigillatim deſcribere haudquaquam videtur neceſſarium. Obiter hic tantum obſervabo ſermonem ex Turonenſi Lingonenſique ordinariis latina lingua fuiſſe pronunciatum, & quidem à Decano, ut præſcribit Turonenſe. In miſſali Lugdunenſi ſingularis habetur poſt mandatum benedictio panis. Ex Pariſienſi quoque [ita fit benedictio ſuper panem & vinum in hunc modum: Primo dicitur.] *Oculi omnium in te ſperant Domine; & tu das eſcam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Oremus. Benedic Domine dona tua, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

Per. Additque [*Tunc dicit lector*] *Jube Domne benedicere.* Sacerdos, *Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos rex æternæ gloriæ.* Sequitur lectio *Amen dico vobis non eſt ſervus major &c.* Denique in ordinario B. Mariæ Noviomenſis præſcribitur ut peracto mandato, omnes præter canonici recedant, & tunc [epiſcopus cum decano & majoribus de capitulo, ſi quos fratrum diſcordes invenerint, per oſculum pacis concordet humiliter, & benignè facere, & poſt data benedictione ab epiſcopo, in pace recedere.]

De mandato pauperum à Regibus & Imperatoribus exhibito.

III. Præter iſtud canonicorum mandatum, in quibuſdam eccleſiis fiebat & aliud pauperum manè poſt primam: quod quidem ad imitandum Chriſti Regis regum humilitatis exemplum in ſe ſuſcipere non horruere reges ipſi & imperatores: qua in re laudandus in primis venit Robertus rex Francorum, de quo Helgaldus monachus Floriacenſis hæc ſcribit in ejus vita: [Quotidiè in ſancta quadrageſima centum aut ducentis jubebat pauperibus dari panis, piſcium & vini cibaria. In die autem Cœnæ Domini non videntibus incredibile, videntibus verò & ſervientibus in tali negotio ſatis admirabile, cùm non minùs quàm trecenti ipſa die ſua providentia congregati de ejus ſancta manu flexo poplite in terram, unuſquiſque tegumen, piſcem, panem, denarium unum ſumebat in manibus: Et hora diei tertia, hora itidem ſexta. Itidem centum clericis pauperibus præbendam panis & vini concedebat, duodecim unumquemque illorum honorans denariis, corde & ore davidicos ſemper decantans pſalmos. Poſt menſam verò præparans ſe ad Dei ſervitium Rex humilis ponebat veſtimenta ſua, indutus ad carnem cilicio, adjunctoque clericorum collegio centum ſexaginta & eo ampliùs numero ad exemplum Domini eorum pedes lavans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans, clero præſidente, & diacono aſtante qui lectionem legeret ſecundùm Joannem in Cœna Domini dictam & factam. Talibus ſtudiis occupabat ſe Rex meritis glorioſus, loca Sanctorum perluſtrando toto die Sancto Paraſceves, & crucem Domini adorando uſque in vigilia Sanctæ Reſurrectionis, in qua aſſumebat ſtatim ſacrificium laudis quæ non defuit in ore ejus in omnibus ſæculis.] Non minor fortè fuerit pietas imperatorum Conſtantinopolitanorum, quorum antiquam agendi conſuetudinem ita deſcribit Codinus in libro de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ: [Feria quinta ante liturgiam inſtituitur pedum lotio hunc in modum. Conſtituunt duodecim pauperes, eoſque ſubuculis ſive tunicis curtis, braccis, ſeu caligis, & calceis veſtiunt; & poſita pelvi in imperatoris conclavi, protopapa ad januam conſiſtens recitat illud, *Benedictus Deus noſter* cum triſagio. Deinde lecto per illum evangelio, quando proceſſit ad illa verba *Mittit aquam in pelvim*; infundit imperator aquam in pelvim. Poſteà adducunt jam anteà præparatos pauperes ſigillatim, quorum quivis manu cereum ardentem geſtat: & hoc quidem ſedente, protopapa autem evangelium legente, illudque pronunciante, *Cœpit Jeſus lavare pedes diſcipulorum*, idque ſæpius donec ſcilicet

omnium

omnium pedes abluuntur; lavat imperator dextrum cujuſque pedem, lotumque ſindone, qua præcinctus eſt abſtergit & oſculatur. Quo peracto, terminat officium lotionis, dantur quilibet pauperi tria aurea numiſmata. Poſtmodum inchoatur liturgia ſeu miſſa.]

Caput XXII. *De Cœna Domini.*

IV. Tandem ut ea quæ mihi de conſuetudinibus antiquis in Cœna Domini olim obſervatis dicenda propoſui, abſolvam; docet Sanctus Auguſtinus in epiſtola 54. ad Januarium, quibuſdam in locis hac die jejunium relaxatum fuiſſe, id quod nec ipſe improbat: ſed cum illud perverſa intentione violarent Priſcillianiſtæ hæretici; impiam eorum agendi rationem anathemate perculit Concilium Bracarenſe II. canone XVI. his verbis. [Si quis quinta feria Paſchali, quæ eſt Cœna Domini hora legitima poſt nonam jejunus in eccleſia miſſas non tenet, ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius diei ab hora tertia per miſſas defunctorum, ſoluto jejunio colit, anathema ſit.]

Jejunium in Cœna Domini ſolutum.

V. Ut autem ea quæ de ritibus feriæ quintæ in Cœna Domini hactenus digeſſimus, ampliùs eluceſcant, operæ precium duximus integros inſigniorum quarumdam eccleſiarum ritus uno tenore hic referre, & ex optimæ notæ codicibus manuſcriptis deſcribere.

ANTIQUI RITUS

Eccleſiæ Romanæ in Cœna Domini ante annos 950. obſervati

Ex duobus vetuſtiſſimis codicibus mſſ. Pontificali ſcilicet Egberti Eboracenſis epiſcopi litteris Saxonicis exarato, & Pontificali Tirpini Remenſis Archiepiſcopi litteris Longobardicis ſcripto.

Feria quinta in Cœna Domini hora ſexta celebretur miſſa ad Lateranis ſic incipiens. Pontifex dicet Oremus. [a] Deus à quo. *Tunc ponuntur in altare Sancta. Et altare eſt cavum. Omnibus ritè in altari compoſitis, oblata & libamina, paucaque per eccleſiam luminaria accenſa, diaconi dalmaticis veſtiti, ceroſtata novem ante altare poſita. Stante ante altare pontifice, & elevata dicente voce* Surſum corda. *Reſpondet* [b] *populus* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Reſpondet populus* Dignum & juſtum eſt. *Et pontifex finito* Verè dignum. *Dicit omnis clerus & populus* Sanctus, Sanctus, Sanctus. *Sic intrat in miſſam uſque.* Sed veniæ quæſumus largitor admitte. Per Chriſtum. *Tunc diaconus cardinalis ſumet oleum pro infirmis, portet uſque ad pontificem, & ille paululum divertens ſe ab altare, ſtans in ſuo gradu, ſignans oleum in manu diaconi, & orationem inſtitutam ſuprà tacite dicens:* Emitte Domine Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cœlis &c.

a Deeſt in Egberti Pontif. Deus à quo.

b Tirp. deeſt populus.

Oratione finita, ponatur oleum ſuper columnam quamdam, & ſacerdos miſſam ordine ſuo celebrans dicit Per quem hæc omnia Domine, *uſque.*

Digitized by Google

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

Per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſpondet populus* amen. *Et ille* Præceptis ſalutaribus moniti *Et orationem Dominicam. Poſt* Pater noſter, *& poſteà dicit* Libera nos quæſumus Domine, *uſque* ſæcula ſæculorum. *Reſpondet populus* amen.

Et pontifex tacite ſignat calicem cum oblata ſanctificata, nemine reſpondente. Diaconi cooperiant ſacramenta. Facta miſſa, iterum in altare aſcendente Pontifice ad ſedem ſuam: tunc archidiaconus aſcendens cum chriſma, ampullam auream cum pallio albo habens in manu ſua, & illud pallium mittens ex parte ſuper dexteram ſcapulam, ſtauſque ante pontificem, & omnes epiſcopi & presbyteri & diaconi in circuitu ejus. Et ille pontifex tribus vicibus ſufflans in ampullam, & tangens ſua manu dicit magna voce Surſum corda *Reſpondet populus* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Reſpondet populus* Dignum & juſtum eſt. *Et ſacerdos* Verè dignum & juſtum eſt &c. Omnipotens æterne Deus qui in principio inter cetera bonitatis &c.

Et pontifex ſignat in modum crucis tribus vicibus cum pollice, & inſufflat iterùm tribus vicibus, cum halitu ſignat in modum crucis. Et ſubdiaconus ſuſcipiens de manu archidiaconi portans cunctis in presbyterio ſtantibus ad oſculandum, alter verò cardinalis diaconus ſequitur cum ampulla, habens oleum exorcizatum, argenteo veſtitus pallio fuſco expanſo ſuprà humerum ſiniſtrum ſuum a *accedens ad pontificem. Et ille oleum ſignans, oratione conſecrationis, nullo reſpondente ſubmiſſa, quaſi tacita magis voce benedicens.*

a Egbert. aſcendens.

Deus qui virtute Sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas &c.

Finita oratione conſecrationis, ab acolythis ad ſalutandum proferatur, & in ſecretario ponatur. Communicante clero omnique populo, dicit Pontifex omnibus communicantibus ad communionem Accepit Jeſus panem. Oremus. *Data oratione, reſpondet omnis populus* Amen.

Tunc presbyteri pergentes ad omnes titulos ſibi adſignatos, miſſam celebrare, alii primam orationem dicebant, alii nullam, niſi tantum quod præfati fuimus, unuſquiſque ſicut ei viſum fuit vel hora permiſit. Veſperam dicebant monachi hora nona in Sancto Petro, pſalmo quam dicimus CXXXIX. *cum antiphona adjicientes, ideſt* Eripe me Domine. *Pontifex ſuis cubicularius pedes lavat; & unuſquiſque clericorum in domo ſua. Ipſo quoque die presbyteris diaconis omnique clero donum erogat unicuique ſecundum ſuam militiam.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ PICTAVIENSIS.

Ex ms. Pontificali annorum circiter 800.

F*Eria quinta qua eſt Cœna Domini octava hora noctis ad vigilias ſurgendum eſt. Nec more ſolito à Presbytero* Deus in adjutorium meum *dicitur nec* Gloria Patri *ſubſequitur; ſed ſimpliciter antiphona à cantore*

Caput XXII. De Cœna Domini.

imponitur ; ſed neque melos muſicum terminata antiphona in ultima ſyllaba protelatur juxta rationem autenticorum ſonorum verſus quoque ſingularum nocturnarum à puero perniciter & ſuccinctè breviando potiùs quam producendo profertur, gravata tantum penultima & ultima ſyllaba. Ubi verò aut dactylus, aut amphymacrus, ſive quilibet ex triſyllabis in fine verſus habetur, antepenultima etiam inſtar ſupradictarum enunciatur. Qui tenor ipſo modo tam in paraſceve quam in ſabbato Sancto obſervatur. [*Ordo quoque lucernarum ita ſtatuendus eſt, ut his tribus noctibus. Triginta in nocturno officio accendantur lampades, quę ęquo ſpatio, trino ordine aptandę ſunt, & ſingulatim à cuſtode Eccleſię per ſingulas lectiones, antiphonas & reſponſoria, ſed & verſus trium nocturnarum qui ante lectiones, cum arundine latenter quaſi raptando extinguntur. Qui cuſtos ſummopere obſervare debet, quatenus mox ut pręcentoris vox elata in antiphona, reſponſorio, ſeu verſu, necnon & lectoris in lectione fuerit continuo aut in prima aut in ſecunda ſyllaba lucerna cujuſque ordinis uno, ſi poteſt fieri, extinguatur flatu. Sed & hoc obſervandum, ut unicuique nocturnę tertia tantum pars earumdem deputetur lucernarum, quę ab occidentali parte eccleſię incipiantur extingui. In matutinis verò laudibus ſeptem lampades accenduntur, quarum quinque in inchoatione quinque antiphonarum aſpirandę ſunt ; ſexta vero in inchoatione pſalmi* Deus miſereatur noſtri, *ſeptima autem in impoſitione antiphonę evangelici cantici, cum qua completa oratione quę ſingulatim & ſilenter agenda eſt, ſubito ac improviſè de occulto idem lumen altè ſublatum oſtendatur.*

Hoc etiam die ad omnes curſus canonicarum horarum uſque ad veſperos ſigna pulſantur. Ad veſperos verò jam tabulę percutiantur, & exindè uſque in noctem ſanctam ad miſſas quando pariter omnes campanę ſolemniter & productè pulſantur. Sed & hoc ſummopere provideatur, ut ipſo die eccleſia tam in luminaribus, quam in reliquis ornamentis omni decore ſit exornata, quę ipſo quoque die ab omnibus generaliter fratribus verritur, emundatur, atque reverenter levatur, concinnentibus choris tam reſponſoria quam antiphonas de paſſione Domini. Hic autem modus obſervandus eſt in nocturno officio tam in paraſceve, quam in Sabbato ſancto, in quibus ſicut nec in Cœna Domini benedictiones vel terminationes lectionum à priore perſolvuntur aut pręcipiuntur, ſed ſimpliciter lector legere incipiens de ipſa lectione finem facit gravatis tractim ultimis vel antepenultimis ſyllabis.

Altaria quoque & vaſa ſancta in diverſis utenſilibus ipſo die Cœnę Domini à presbyteris purificantur. Ipſo quoque die Cœnę Domini ignis de criſtallo ſive de amula ſumitur, vel etiam de cote, ſi neutrum horum fuerit, excutitur, & à Presbyteris in noviſſima ſive in forenſi loci eccleſia benedicitur. Ante verò quam ingrediantur ad miſſas, omnes ſimul ex ſacro clero induti ſacris veſtimentis pergunt ad eamdem eccleſiam, & tunc manſionarius eccleſię de eodem igne illuminat candelam, quę in modum colubri ad hoc ipſum pręparata eſt, & imponens eam arundini pręcedit clerum, revertentibus omnibus in eccleſiam majorem cum ſilentio. Summitas verò ipſius candelę quę illuminatur, debet reſpicere illam eccleſiam quam ſunt ingreſſuri, quę tamen priùs abſque lumine debet eſſe. Pręparatur ante altare ſeptem

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

lampadibus ita compoſitè, ut abſque impedimento cujuſcumque retardationis manu manſionarii cum eadem candela poſſint accendi, ac deinceps præparatis cuſtodibus omni lumine ac decore præparetur eccleſia. Poſt hæc pulſantur ſigna, & ingrediuntur ad miſſas, ſicut in Sacramentorum & antiphonario continetur, procedentibus diaconibus cum dalmaticis & omni ſolemni apparatu. Miſſa expleta communicant omnes ordine conſtituto & eccleſia illuminata uſque ad vigilias permanet, ut ſicut in iſto die taxavimus, ſic & ſexta feria faciendum eſt, ſimiliter & ſabbato ea tantum ratione, ut ad horam nonam excutiant ignem de lapide, ſicut diximus, & manſionario quinta feria portetur, ſexta feria ab archidiacono, in ſabbato ſancto ab epiſcopo juniore portetur. Si verò hic ordo in monaſterio agitur, quinta feria ipſe ignis à cuſtode eccleſiæ portetur, ſexta feria à præpoſito, Sabbato verò Sancto ab abbate portetur.

Nota.

Ipſo quoque die Gloria Patri *in antiphona ad introitum non canitur, ſed verſus ad repetendum dicitur.* Gloria *etiam* in excelſis Deo *ſecundum decretum Nicolai Papæ, ſi epiſcopus adeſt canitur. Nam ipſe Sanctus Pontifex ſciſcitante Rodulfo Bituricenſi Epiſcopo utrum hoc fieri conveniret, apoſtolica B. Petri auctoritate & ſua irrefragabili ſanctione Metropolitis tantum epiſcopis hoc agere permiſit. Poſt refectionem verò præparata domo extenſione cortinarum, & opertis ſedilibus apparatu mundorum linteaminum, locato etiam in medio pulpito, & decenter candidiſſimis compto opertoriis, ingreditur diaconus cum dalmatica præcedentibus eum duobus thuribulis & duobus ceroferariis, ſubdiacono quoque cum codice evangelii, & aſcendens in ambonem legit evangelicam lectionem, quæ eo die in capitulari titulata eſt, ſtantibus omnibus cum reverentia; qua perlecta, celebrant mandatum cum omni honore, cantantibus ſurſum in pulpito duobus indutis albis verſum Flavii de Cœna Domini, ſed & reliqua antiphona de ipſo officio cum pſalmis ſibi pertinentibus. Poſt expletionem verſus decantantur. De igne vero qui ſexta feria excuſſus fuerit reſervatur à cuſtodibus unde illuminetur cereus, qui in ſabbato Sancto benedicendus eſt. Sed & de ſacrificio ejuſdem diei reſervatur in craſtinum de quo peragantur ea quæ ipſo die ſpecialiter, utpote annuatim ſolemniter celebranda ſunt. Sane hoc eodem die reconciliatio pœnitentium tali ordine ſecunda hora diei incipitur; cujus perfectio in ſolemni officio percompletur. Hora ſecunda ingreditur Archidiaconus ubi Pontifex ſedet indutus ſacris cum electis cleri, & inclinans ſe deoſculatur genua Pontificis, & adnuntiat dicens:* Apoſtolice Pontifex turba pœnitentium pro foribus baſilicæ conſiſtens reconciliari ſe Deo per veſtrum miniſterium, contrito & humili corde ac lamentabili voce implorat. *Et mox Pontifex ſurgens cum præcedentium, & ſubſequentium ordine clericorum, pergit in veſtibulum eccleſiæ & compoſita ſede reſidet, adſtante retrò & ex utraque parte clero. Et audita ratione ſingulorum, qualiter vel quomodo quiſque pro admiſſis pœnituit, diſcernit ſubtiliter culparum modum, & eos qui reconciliandi ſunt facit ſtare in parte ſeorſum pro loci opportunitate. Et poſt hæc ingreditur eccleſiam, remanentibus pœnitentibus foris oſtium. Mox verò ut Pontifex ad altare aſcenderit, vertit vultum ad oſtium baſilicæ ubi pœnitentes remanſerunt, & illicò annuente eo, quatuor can-*

*ſ. quinta

tores ad hoc ipſum deputati foris juxtà pœnitentes ſtantes cantant vice eorumdem pœnitentium hanc antiphonam. Antiphona. Domine ſi iratus fueris nobis, quem adjutorium petemus? aut quis miſerebitur infirmitatibus noſtris, qui Chananæam & publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem, Domine, ſuſcepiſti, & noſtram pœnitentiam ſuſcipe miſericors, & ſalva nos ſalvator mundi.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Hac finita, totidem cantores retrò altare cantant quaſi voce Redemptoris illis reſpondentes hanc antiphonam. Antiphona. Sicut paſtor portat ovem perditam ad gregem ſuum, ſic porto & complector vos, dicit Dominus, ego feci, & ego feram, ego creavi, ego ſuſtinui, ego redemi vos, ego dimittam peccata veſtra, Sanctus, Sanctus, Sanctus Iſraël.

Et poſt hæc clamat diaconus: Redite reconciliandi ad ſinum matris veſtræ, æternæ ſapientiæ, ſugite larga ubera pietatis Dei, intrate portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis confeſſionum. Tranſacta plangite, imminentia vitate. *Et poſt hæc ingrediuntur eccleſiam, & proſtrati in terram, orant diutiùs, cantantibus choris excelsè offerendam:* Laudate Dominum quia benignus eſt, *Cum verſibus ſuis quibus expletis, incipit chorus pro ipſis hoc officium*, Deus in adjutorium meum intende, *cum* gloria *&* laus tibi Domine. *Antiphona in invitatorio* adoremus Dominum. *In primo nocturno antiphona.* Reſpice & exaudi me Domine Deus meus illumina oculos meos. *Pſalmus* uſquequo Domine. *Antiphona.* Inclina Domine aurem tuam mihi & exaudi verba mea. *Pſalmus* Exaudi, Domine juſtitiam meam. *Antiphona.* Deus meus es tu, in te confido non erubeſcam. Pſalmus. Ad te Domine levavi animam. Verſus Delicta juventutis meæ.

Lectio Eſayæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus, levamini mundi eſtote. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis &c. *Uſque ad illa verba*, bona terræ comedetis, dicit Dominus omnipotens. *Reſponſorium.* Adjutor meus eſto Deus verſus, neque deſpiciens me.

Lectio Eſayæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus juſtus, & ſalvator, non eſt præter me convertimni ad me & ſalvi eritis &c. *Uſque ad illa verba*, de terra longinqua virum voluntatis meæ. *Verſus.* Vide Domine humilitatem meam & laborem uſque peccata mea. *Reſponſorium.* Auribus percipe Domine lacrymas meas.

Lectio Eſayæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus, veniat pax, requieſcat in cubili ſuo. Qui ambulavit in directione ſua. *Uſque ad illa verba*, dixit Dominus, & ſanavit eum. *Reſponſorium.* Ego dixi Domine. *Verſus.* Tu autem, Domine,

miſerere mei, & reſſuſcita me.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

In ſecundo nocturno antiphona. In tua juſtitia. *Pſalmus.* In te Domine ſperavi. *Antiphona.* Expugna. *Pſalmus* Judica Domine. *Antiphona.* Sana Domine animam. *Pſalmus.* Beatus qui intelligit. *Verſus.* Propter nomen tuum, Domine.

Lectio Ezechielis prophetæ

Hæc dicit Dominus: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. &c. *Uſque ad illa verba*, & dixiſtis non eſt æqua via Domini. *Reſponſorium.* Peccata mea Domine. *Verſus.* Iniquitates meæ Domine ſupergreſſæ ſunt caput meum &c.

Lectio Ezechielis prophetæ

Audite Domus Iſraël, numquid via mea non eſt æqua *Uſque ad illa verba.* Vita vivet & non morietur, dicit Dominus omnipotens. *Reſponſorium.* Ne perdideris me. *Verſus* Miſerere mei Deus, miſerere mei.

Lectio Ezechielis prophetæ

In diebus illis, factus eſt ſermo Domini ad me dicens: fili hominis, die ad domum Iſraël, &c. *uſque illa verba*, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. *Reſponſorium.* Tribularer. *Verſus* ſecundùm multitudinem dolorum meorum.

In tertio nocturno. Antiphona. Quærite Dominum & vivetis. *Pſalmus.* Salvum me fac Deus. *Antiphona* Domine Deus in adjutorium. *Pſalmus.* Domine ad adjuvandum. *Antiphona.* Eſto mihi in Deum. *Pſalmus.* In te Domine ſperavi. *Verſus.* Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium.

Lectio epiſtolæ beati Joannis apoſtoli

Cariſſimi hæc eſt adnuntiatio, quam audivimus ab eo, & adnuntiamus vobis. *Uſque ad illa verba*, & verbum ejus non eſt in nobis. *Reſponſorium.* Emendemus in melius. *Verſus* Peccavimus cum patribus noſtris.

Lectio Epiſtolæ beati Joannis apoſtoli

Filioli, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, *uſque ad illa verba*, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. *Reſponſorium.* Afflicti pro peccatis. *Verſus.* Domine Deus Iſraël exaudi preces noſtras, auribus percipe dolorem cordis noſtri.

Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Coloſſenſes

Fratres, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornica-

Digitized by Google

tionem, immunditiem, &c. *uſque ad illa verba*, caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. *Reſponſorium.* Scindite corda veſtra. *Verſus* Revertimini unuſquiſque. CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Ad matutinum. Antiphona. Cor mundum crea in me Deus. *Pſalmus.* Miſerere mei Deus. *Antiphona.* O Domine ſalvum me fac. *Pſalmus.* Confitemini Domino. *Antiphona.* Sic benedicam te. *Pſalmus* Deus Deus meus. *Antiphona.* In ſpiritu humilitatis. *Pſalmus.* Benedite. *Antiphona.* Domine Deus rex omnipotens libera nos. *Pſalmus.* Laudate Dominum. *Verſus.* Exurge Domine adjuva nos. *In evangelio, antiphona.* Derelinquat impius.

His expletis, canitur miſſa ſpecialis ſive unùs, ſive plures fuerint reconciliandi, ſicut in ſacramentario continetur. Si unus fuerit, ita jubente epiſcopo peragitur hæc miſſa à presbytero. Antiphona ad introitum. Redime me Domine & miſerere mei. *Pſalmus.* Judica me, Domine. *Reſponſorium* Benedicam Dominum. *Verſus.* In Domino laudabitur. *Tractus.* Commoviſti Domine. *Offertorium* Benedicam Dominum. *Communio.* Dominus firmamentum meum.

Oratio

Omnipotens & miſericors Deus, da nobis regnum tuum, juſtitiamque tuam ſemper inquirere, & hunc famulum tuum, qui ad ſacramentum reconciliationis admittitur, remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem propitiatus exaudi, & quem humiliavit tranſgreſſio admiſſorum tuorum, attollat largitas invicta donorum. Per Dominum noſtrum &c.

Lectio epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Romanos

Fratres, juſtificati nunc in ſanguine Chriſti ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, *uſque ad illa verba*, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.

Secundum Lucam

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Homo quidam habuit duo filios, & dixit adoleſcentior &c. *uſque ad illa verba*, perierat & inventus eſt.

Super oblata

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non ſacrificiorum ambitione placaris, ſed ſtudia piæ devotionis intendis, da famulo tuo ſpiritum rectum, & habere cor mundum, quatenùs ſacris myſteriis reſtitutus fidelium, gregibus filiorum ſociatus, & fidei ejus confeſſio hæc tibi dona accepta reddat, & humilitas oblata commendat. Per Dominum noſtrum &c.

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Præfatio

Vere dignum per Chriſtum Dominum. Qui factus eſt homo pro mundo, expiavit effuſione ſanguinis ſui peccata omnium per eum igitur te deprecor, omnipotens Deus, ut hæc oblatio famuli tui quam tibi offerimus, ſit in oculis tuis ſemper accepta; & ſicut Sanctorum tuorum fides recta pervenit ad coronam, ita cum ſua devotio te jubente perducat ad veniam ut mereatur per hoc ſacrificium à cunctis emundari reatibus delictorum: & reconciliatum tibi cum ſereno vultu reſpicias, & omnia peccata ei dimittas. Severitatem quoque judicii tui ab eo ſuſpendas, & miſerationis tuæ largitatem ſuper eum clementer infundas. Per eundem Dominum. &c.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes quo traditus eſt Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, ſed & memoriam venerantes.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ, tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ, in qua Dominus noſter JESUS-CHRISTUS tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda, quæſumus Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalva & incolumis munera ſua tibi Domino mereatur offerre: & ut huic famulo tuo concedas propitius amare deflere quod iniquè geſſit, quatenùs fructuoſus in conſpectu pietatis tuæ, ipſius petitionis perveniat affectus, atque per eum illi veniam ſperare liceat, qui in hac die traditus eſt pro delictis noſtris, ut redimeret nos in ſanguine ſuo Chriſtus Salvator noſter, dieſque noſtros.

Item

Qui hac die antequam traderetur, accepit panem in ſuis Sanctis manibus elevatis, *& reliqua.*

Poſt-communionem

Deus, qui miſericordia prævenis etiam non petentes, famulum tuum ad te toto corde clamantem miſeratus exaudi, & eum à terrenis deſideriis, & cupiditate carnali defende, ut nullo in eo deinceps regnante peccato, tibi ſoli Domino liberis mentibus ſervire mereatur. Per Dominum noſtrum.

Alia

Super hunc famulum tuum, quæſumus Domine, benedictio copioſa deſcendat,

deſcendat, indulgentia veniat, conſolatio tribuatur, fides ſancta ſuccreſcat, redemptio ſempiterna firmetur. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA EODEM DIE SI PLURES AD RECONCILIANDUM VENERINT.

Ad introitum antiphona

Omnia quæ feciſti. *Pſalmus*. Domine ne memineris iniquitatum. *Antiphona*. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. *Reſponſorium* Protector noſter: *Verſus* Domine Deus virtutum. *Tractus* ad te levavi oculos. *Offertorium*. Sperent in te. *Verſus* ſuper tronum. *Verſus* cognoſcet Dominus. *Communio* lætabimur in ſalutari.

Oratio

Deus omnium miſericordiarum ac totius bonitatis auctor, qui per Verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris, dum peccatorum indulgentiam confeſſione celeri, & pœnitentiæ remedio promereri declaraſti; concede propitiùs, ut mentes famulorum tuorum ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenùs ab omnibus poſſint ſemper abſtinere peccatis. Per Dominum.

Alia

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice ſuper hos famulos tuos qui ab infeſta ſæculi tempeſtate demerſi, flebili lamentatione ſuos accuſant exceſſus, ut fletum ac gemitus eorum piè ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen revoces, & medellam confitentibus largiaris ſalutis, quatenùs eorum confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatos eos reſtituas, ac tuo altari repræſentes, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſi, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per Dominum.

Lectio epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Fratres, ſi unus pro nobis mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, *&c. uſque ad illa verba.* ecce nunc dies ſalutis in Chriſto Jeſu Dño noſtro.

Secundum Lucam.

In illo tempore rogabat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo *&c, uſque ad illa verba*, dixit autem ad mulierem, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.

Super oblata

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut hujus ſacrificii munus

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœnâ Domini.*

oblatum hos famulos tuos ab omni malo ſemper purget & muniat. Per Dominum.

Alia

Hæc ſacrificia omnipotens Deus famulos tuos potenti virtute mandatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per Dominum.

Alia ſuper oblata

Reſpice Domine, quæſumus in hanc humilitatis noſtræ confeſſionem, ut famulos tuos hæc ipſa majeſtati tuæ commendet oblatio, qui per Filium tuum reconciliavit inimicos, ut qui inclinantur conſcientia ſua, tua ſemper miſericordia erigantur. Per eundem.

Præfatio, ut ſuprà, communicantes *ut ſuprà* hanc igitur, *ut ſuprà*, qui hac die *ut ſuprà.*

Ad complendum

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut hos famulos tuos quos per reconciliationem, viam feciſti ſalutis perpetuæ turſum intrare, nullis jam permittas errorum laqueis implicari. Per.

Alia

Implorantes, Domine, miſericordiam tuam hos famulos tuos propitius intuere; ut qui præter te alium non noverunt, & tuis ſemper beneficiis glorientur, & te largiente ad cæleſte regnum pervenire mereantur. Per Dominum noſtrum.

Hos famulos tuos quæſumus Domine benedictio deſiderata confirmet, quæ eos & à tua voluntate nunquam faciat diſcrepare, & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum.

Sanè obſervandum eſt ut cum lecta evangelica lectio fuerit, ſive in hac miſſa, ſive in præcedenti presbyter conſcenſo pulpito tractet exponendo tam hiſtoriæ ſeriem, quam ineſtimabilem clementiſſimi Dei miſericordiam, quæ prorogata eſt generi humano, tam in filio prodigo, quam in muliere peccatrice. Quod ubi expleverit, legat diaconus, non tamen ille qui evangelicam lectionem recitavit, ſed unus quilibet ex proceſſoribus hunc ſermonem qui inferius ſcriptus eſt, exponente presbytero per ſingulas periodos quæ leguntur, ſtantibus propter ambonem pœnitentibus.

INCIPIT SERMO LEGENDUS.

Perpendite fratres, & ſollicito corde vobiſcum agite, ne ea quæ fletibus & lamentis punitis, deinceps repetentes majorem & ſeveriorem erga vos iram Dei provocetis. Nam auctoritate ſacri Eloquii etiam de propitiato peccato ſecuri eſſe prohibemur. Unde non ſufficit unicuique

Caput XXII. De Cœna Domini.

ad veram ſalutem à malo declinare niſi faciat bonum. Utrumque enim præceptum eſt, quapropter mecum vos admoneo, ut ſalubribus remediis pœnitentiæ, omni tempore vigilanter inſiſtentes, ſalutem animarum noſtrarum Deo auxiliante reportare poſſimus. Quod tunc obtinere promerebimur ſi fructus dignos pœnitentiæ, juxta B. Joannis Baptiſtæ vocem non ſegniter operemur, qui ait. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis notandum eſt, quod amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ admonet eſſe faciendos. Aliud namque eſt fructus facere, aliud fructus dignos pœnitentiæ facere. Ut enim ſecundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur, ut licitis jure utatur: Sicque pietatis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe quod eſt gravius, in adulterium lapſus, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet ejus qui minùs, & ejus qui ampliùs deliquit, aut ejus qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis lapſus eſt. Per hoc ergo quod dicitur facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuſcujuſque conſcientia convenitur; ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. Dicebat ergo Joannes turbis, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Per hoc quod tunica eſt plus neceſſaria uſui noſtro quam pallium; ad fructum pœnitentiæ pertinet, ut non ſolùm exteriora quæque; & minùs neceſſaria, ſed ipſa valdè nobis neceſſaria dividere cum proximis debeamus: ſcilicet vel eſcam qua carnaliter vivimus, vel tunicam qua veſtimur. Unde ſciendum quantum miſericordiæ opera valeant, cum ad fructus dignos pœnitentiæ ipſa præ ceteris percipiuntur. Hinc etiam per ſemetipſam Veritas dicit: Date, & dabitur vobis. Hinc ſcriptum eſt, ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Hinc iterum dicitur: conclude Eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit. Hinc bonus pater innocentem filium admonet dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribues. Si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter ſtude impertiri. Quia verò ad magna nos opera Joannes admonet, dicens; facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: Et rurſus: qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas, ſimiliter faciat: jam patenter datur intelligi quid eſt quod Dominus dicit: à diebus Joannis uſque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Cum enim lex dicat, ſi quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur, cunctis legentibus liquet, quia peccatores quoſque pœna ſuæ ſeveritatis perculit, non autem per pœnitentiam ad vitam reduxit. Quia verò Joannes Redemptoris gratiam præcurrens, pœnitentiam prædicat, ut peccator qui ex culpa eſt mortuus, per converſionem vivat; profectò à diebus Joannis regnum cælorum vim patitur. Cælorum autem regnum locus proprius eſt juſtorum, ſolis enim juſtis cæleſtis patriæ præmia debentur, ut humiles,

caſti, mites, atque miſericordes ad gaudia ſuperna perveniant.

CAPUT XXII.
De Cœna Domini.

Cum verò quis vel ſuperbia tumidus vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accenſus, vel crudelitate impius poſt culpas ad pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit quaſi in locum peccator intrat alienum. Recogitemus ergo, fratres cariſſimi, mala quæ fecimus, noſmetipſos aſſiduis lamentis atteramus, hæreditatem juſtorum quam non tenuimus per vitam rapiamus per pœnitentiam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cœlorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis non debetur. Ab ſpei ergo certitudine nulla nos malorum noſtrorum qualitas nulla quantitas frangat.

Præſtat magnam veniæ fiduciam latro venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Cogitate rogo, cogitate quam ſint incomprehenſibilia in omnipotenti Deo miſericordiæ viſcera. Latro iſte cruentis manibus abſtractus à fauce itineris ſuſpenſus eſt in patibulo crucis. Ibi confeſſus, ibi ſanatus, ibi audire meruit; Hodie mecum eris in paradiſo. Avidè ipſa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Idcircò autem omnipotens Deus Electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, ut aliis in culpa jacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet, & eis per lamenta pœnitentiæ viam pietatis aperiret. Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus & dignis pœnitentiæ fructibus culpas. Tempora indulta non pereant: quia qui multos à ſuis iniquitatibus jam ſanatos aſpicimus, quid aliud quam ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus? Voce autem noſtri Redemptoris ad beatum Job dicitur: Nunquid capies Leviatham homo? Cujus vocabulo cetus ille devorator humani generis deſignatur, in hamo autem eſca oſtenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo devoratorem Deus Pater hamo cœpit, quia ad mortem illius Unigenitum Filium incarnatum miſit, in quo caro paſſibilis videri poſſet, & divinitas impaſſibilis videri non poſſet. Cumque in eo ſerpens per manus perſequentium eſcam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quaſi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo eſca carnis patuit, quam devorator appeteret, & divinitas paſſionis tempore latuit quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus eſt, quia dum in illo appetiit eſcam corporis, transfixus eſt aculeo divinitatis. Ibi quippè inerat humanitas, quæ ad ſe devoratorem duceret, ibi divinitas quæ perforaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus eſt, quia inde interiit, unde momordit, & quos jure tenebat mortales, perdidit, quia in eum in quo jus non habuit morte appetere immortalem præſumpſit.

Hinc eſt quod quotidiè nos ad vitam poſt culpas revertimur, quia ad pœnam noſtram ſine culpa deſcendit. Quotidiè peccatores ad vitam redeunt, quotidiè de ejus faucibus Redemptoris manu rapiuntur. Unde rurſum illi voce Dominica dicitur: Aut armilla perforabis maxillam

Digitized by Google

ejus. Armilla ubi ponitur, ambiendo conſtringit: per armillam verò circumplectens nos divina miſericordia deſignatur, quæ Leviathan iſtius maxillam perforat, dum nobis poſt perpetrata quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium oſtendit. Armilla Dominus maxillam Leviathan perforat, quia ineffabili miſericordiæ ſuæ potentia, ſic malitiæ antiqui hoſtis obviat, ut aliquando eos etiam quos cœpit jam amittat; & quaſi ab ore illius cadunt, qui poſt perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius ſemper raptus maxillam ejus evaderet, ſi perforata non eſſet? an non in ore David tenuit, cum in tantam ſe luxuriæ voraginem merſit? an non in ore Petrum tenuit cum negavit? Sed dum ad vitam uterque per pœnitentiam rediit, leviathan iſte eos aliquo modo quaſi per maxillæ ſuæ foramen amiſit. Per foramen igitur maxillæ ab ejus ore ſubtracti ſunt, qui poſt perpetrationem tantæ nequitiæ pœnitendo redierunt. Quis autem hominum leviathan iſtius os evadet, ut illicita nulla committat? Sed hinc cognoſcimus quantum Redemptori humani generis debitores ſumus, qui non ſolùm nos in leviathan ire prohibuit, ſed ab ore etiam redire conceſſit: qui ſpem peccatori non abſtulit, quia maxillam ejus, ut evadendi viam tribueret, perforavit, ut ſaltem poſt morſum fugiat, qui incautus prius cavere noluit ne morderetur.

Ubique ergo occurrit nobis ſuperna medicina, quia dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia ne deſperet: unde cavendum ſummopere eſt, ne quis delectatione peccati leviathan iſtius ore rapiatur, & tamen ſi raptus fuerit, ne deſperet. Quia ſi peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla ejus invenit per quod evadat. Quid itaque, fratres, quid in hac re debemus aſpicere, niſi immenſam miſericordiam conditoris noſtri, qui nobis velut in ſigno ad exemplum pœnitentiæ poſuit eos quos per pœnitentiam vivere poſt lapſum fecit: Perpendo etenim Petrum, conſidero Latronem, aſpicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil in iis aliud video niſi ante oculos noſtros poſita ſpei & pœnitentiæ exempla. Fortaſsè etenim in fide lapſus eſt aliquis? aſpiciat Petrum, quia amarè flevit, quod timidè negaverat. Alius contrà proximum ſuum in malitia crudelitatis exarſit? Aſpiciat latronem, qui & in ipſo mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æſtibus anhelans, aliena diripuit? Aſpiciat Zachæum, qui ſi aliquid alicui abſtulit quadruplum reddidit. Alius libidinis igne ſuccenſus carnis munditiem perdidit? Aſpiciat Mariam, quæ in ſe amorem carnis igne divini amoris excoxit.

Ecce omnipotens Deus ubique oculis noſtris quos imitari debeamus, objicit: Ubique exempla ſuæ miſericordiæ opponit. Mala ergo jam diſpliceant, vel experta libenter obliviſcitur omnipotens Deus quod nocentes fuimus. Paratus eſt pœnitentiam noſtram nobis ad innocentiam deputare. Siquidem largiente Domino duodecim modis remiſſionem & indulgentiam peccatorum promereri ab eo veraciter credimus. Primus eorum eſt quo ut originali peccati careamus noxa, aqua baptizamur, ut

Caput XXII. De Cœna Domini.

Dominus ait : Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt intrare in regnum Dei. Secundus caritatis affectus , ut eſt illud , Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum. Tertius eleemoſynarum largitio ſecundùm hoc legitur : Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Quartus profuſio lacrymarum , Domino dicente;quia flevit in conſpectu meo & ambulavit triſtis coram me , non inducam mala in diebus ejus. Quintus criminum confeſſio , ut Pſalmiſta ait : dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino , & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sextus afflictio cordis & corporis qua præcepit Apoſtolus enormiter peccantem tradere ſatanæ in interitum carnis , ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Septimus abrenuntiatio vitiorum , dicente Domino ad languidum ; Ecce ſanus factus es , jam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. Octavus interceſſio Sanctorum , ut ait Apoſtolus ; infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros , & orent pro eo : & multum valet deprecatio juſti aſſidua. Nonus miſericordiæ & fidei meritum : Beati enim , ait miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Decimus converſio & ſalus aliorum. Ait enim Apoſtolus : qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ , ſalvabit animam ſuam à morte & operiet multitudinem peccatorum. Undecimus indulgentia & remiſſio qua peccantibus in nos dimittimus , dicente Domino : Dimittite , & dimittetur vobis. Duodecimus. Paſſio martyrii ſecundùm quod Dominus ait : Qui perdiderit animam ſuam propter me , in vitam æternam cuſtodit eam. Proinde , fratres mei , in conditione mortalitatis veſtræ mentis oculos figite , venienti ad vos judici per fletus & lamenta præparate. Terrenarum rerum vos cura non aggravet. Quantiſlibet enim auri & argenti monilibus circundetur : quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro, quid aliud quam caro ? nolite ergo attendere quod habetis , ſed quid eſtis. Vultis audire quid eſtis ? Propheta indicat dicens ; vere fœnum eſt populus. Si enim fœnum populus non eſt , ubi eſt multitudo generis humani , quæ ab exordio hunc mundum incoluit ? quæ de præſentis vitæ cogitans proviſione , ſurripiente mortis articulo , repentè in his quæ prævidere nolebat inventa eſt & cuncta ſimul temporalia amiſit, quæ tractata quaſi ſtabiliter teneri videbantur. Si ergo tranſacta multitudo generis humani per nativitatem , viruit in carne , per mortem aruit in pulvere , videlicet fœnum fuit.

Quia igitur momentis ſuis horæ fugiunt , agite , fratres cariſſimi , ut in boni operis mercede teneamur. Audite quid ſapiens Salomon dicat , quodcumque poteſt manus tua facere , inſtanter operare : quia nec opus, nec ratio , nec ſcientia,nec ſapientia erit apud inferos quo tu properas. Quia ergo eventuræ mortis tempus ignoramus , & poſt mortem operari jam non poſſumus , ſupereſt ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim , ſic mors ipſa cum venerit vincetur , ſi priuſquam veniat ſemper timeatur. diſtrictionem quippè venturi Judicis Paulus conſiderans , ait , horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.

Digitized by Google

Caput XXII. *De Cœna Domini.*

Illum ergo diem, fratres cariſſimi, quando judex ad judicium properat, illum ante oculos ponite, & quidquid modo grave creditur, in ejus comparatione levigatur. Hinc enim Pſalmiſta dicit: Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis ante ipſum ardebit, & in circuitu ejus tempeſtas valida. Tantæ quippè juſtitiæ diſtrictionem tempeſtas igniſque comitantur: quia tempeſtas examinat, quos ignis exurat. De illo enim die per prophetam dicitur: Juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur juſtus ibi & fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Penſare ergo, fratres cariſſimi, extremi diem judicii, ſuper corda reproborum, quia aſperitate propheta vidit amareſcere, quem tot appellationibus non valer explere. De hac die Dominus iterum per prophetam dicit: Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolùm terram ſed & cœlum, qui ut frequenter perſpeximus, & experi ſumus aërem movit, & terra non ſubſiſtir. Quis ergo ferat cum cœlum moverit, ad cujus examen omne humanum genus deducitur? venit etenim ille qui adventu ſuo elementa concutit: in cujus conſpectu cœlum cum terra contremiſcit, cui ad victimam malorum remunerationemque bonorum, angeli, archangeli, throni, principatus, & dominationes obſequuntur.

Conſiderate, fratres cariſſimi, ante conſpectum tanti judicis, quantus in illo die terror erit, quando jam in pœna remedium non erit, quæ illi confuſio, cui reatu ſuo exigente continget in conventum hominum angelorumque erubeſcere. Illum ergo diem, fratres cariſſimi, tota intentione cogitate: vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia reſiſtendo vincite, perpetrata autem fletibus punite, adventum namque æterni Judicis tantò ſecuriores quandoque videbitis, quantò nunc diſtrictionem illius timendo prævenitis. Ipſe etenim qui eſt advocatus noſter; fieri dignatus eſt Judex noſter qui hac nocte traditus eſt pro peccatis noſtris ut redimeret nos in ſanguine ſuo Chriſtus Salvator noſter, qui vivit & regnat cum Deo patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Hoc ſermone poſt lectionem evangelicam finito, peragitur miſſa pro ipſis ſicut ſuperius pleniter eſt deſcripta. Qua expleta, pontifex cum eccleſiaſtico ordine pergit ad eccleſiam, ad quam ſecundum morem conveniunt populi ad ſtationem celebrandæ miſſa pro baptizandis, quæ tali ordine ante horam tertiam à Pontifice ſolemniter exhibenda eſt.

Ad introitum Sitientes venite ad aquas. *Pſ.* Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. *Ad* ℟. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite & vivet anima veſtra ℟. Venite filii audite me ℣. accedite ad eum. *Tractus* Jubilate Domino. *Offert.* Benedicite gentes. *Communio,* Deus virtutum.

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, da quæſumus univerſis tuis plenius atque perfectius ad omnia feſti Paſchalis introire myſteria, ut incunctanter pia corda cognoſcant quantum debeant de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere. Per

Lectio Iſaïæ Prophetæ

Hæc dicit Dominus noli timere ſerve meus Jacob &c. *uſque* in nomine Iſraël aſſimilabitur.

Secundum Joannem

In illo tempore dixit Nicodemus ad Jeſum: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter *&c. uſque* quod natum eſt de Spiritu Spiritus eſt.

Super oblata

Concede credentibus miſericors Deus, perfectum nobis de Chriſti paſſione remedium, ut humana fragilitas præteritæ culpæ laqueos evadat Per

Alia

Virtutum cœleſtium Deus, de cujus gratiæ rore deſcendit ut ad miniſteria tua purgatis ſenſibus accedamus; præſta, quæſumus, ut in eorum tractatione ſolemni honore tibi placitum deferamus obſequium Per.

Communicantes *ut ſuprà.* Hanc igitur *ut ſuprà uſque* mereatur offerre. Qui hac die *ut ſuprà.*

Poſtcommunionem

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis pro nobis, Filio tuo moriente, ſalvaſti, præſta, quæſumus, ut in hanc populi tui devotionem fructus proveniat gaudiorum. Per Dominum.

Alia

Concede, quæſumus Domine, ut perceptum novi ſacramenti myſterium, & corpore ſentiamus & mente. Per

Hac miſſa expleta pergunt ad ſecundam ſtationem, ubi miſſa chriſmalis à Pontifice ordine ſuo celebranda eſt, ſicut hic inferius ſcripta habetur.

Antiphona

Antiphona ad introitum. Confeſſio & pulchritudo. *Pſal.* Cantate Domino. *Ad* ℟. Quam magnus Dominus ℟. Timebunt gentes. ℟. Quoniam ædificav. *Tractus.* Laudate Dominum omnes gentes. *Offert.* Confeſſio ℣. Cantate Domino ℣. Cantate *Commun.* Domine Deus noſter. CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Oratio

Domine Deus qui in recreandis plebibus tuis miniſterio uteris ſacerdotum, tribue nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut dono gratiæ tuæ in diebus noſtris & merito & numero ſacratus tibi populus augeatur. Per

Alia

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, remedia conditionis humanæ, & ſinceto tractare ſervitio, & cum profectu ſalutis implere. Per

Lectio epiſtolæ Beati Joannis apoſtoli

Cariſſimi vos unctionem quam accepiſtis à Deo *&c. uſque* Et non confundamur ab eo in adventu ejus.

Sequentia S. Evangelii ſecundum Joannem

In illo tempore verbum caro factum eſt *&c. uſque* Qui eſt in ſinu Patris.

Super oblata

Hujus ſacrificii potentia, Domine quæſumus, ut & vetuſtatem noſtram clementer abſtergat, & novitatem nobis augeat & ſalutem. Per

Præfatio

Vere dignum. æterne Deus. Et clementiam tuam ſuppliciter exorare, ut ſpiritalis lavacri baptiſmo renovandis creaturam chriſmatis in ſacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes; ut ſanctificatione unctionis infuſa, corruptione primæ nativitatis abſorpta, Sanctum uniuſcujuſque templum acceptabilis vitæ innocens odor redoleſcat; ut ſecundùm conſtitutionis tuæ ſacramentum regio & ſacerdotali prophetìcoque honore perfuſi, veſtimento incorrupti muneris induantur. Per Chriſtum.

Communicantes *ut ſuprà.* Hanc igitur *ut ſuprà uſque* mereatur offerre. Qui hac die *ut ſuprà*

Poſt-communionem

Præſta quæſumus Domine, ut ſicut de præteritis ad nova tranſimus,

Digitized by Google

ita vetuſtate depoſita ſanctificatis mentibus innovemur. Per Dominum.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Igitur hoc officio ab epiſcopo ſolemniter adimpleto, revertuntur tam pontifex cum clero, quam populi cum pœnitentibus, jam quidem eccleſiam introductis; ſed adhuc in ſolemniori offi io miſſæ ipſius diei reconciliationem ſuam præſtolantibus ad eccleſiam majorem ſtationis ejuſdem celebritatis, quæ in ſede quidem apoſtolica ad Sanctum Joannem in Lateranis agitur; in ceteris verò urbibus ſeu monaſteriis pro opportunitate & congruentia uniuſcujuſque loci. Hora congruenti ingrediuntur in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis ſacris, & conveniunt presbyteri & diaconi ubi pontifex ſedet, & oſculatis manibus ejus, ſtant propter illum; presbyteri quidem à dextris, diaconi verò à ſiniſtris. Tunc archidiaconus defert vas argenteum & ampullam vitream majorem plenam oleo, & jubente pontifice fundit totum oleum in vas. Deinde diaconus lector ipſius diei offert pontifici ampullulam olovitream cum balſamo involutam in mapola alba ſerica. Porrò duo ſubdiaconi accedentes ad pontificem ex utraque parte, ſicut in ſede reſidet indutus ſacris, operiunt cum ſindone mundiſſima à pectore uſque ad pedes, elatis primum ſurſum brachiis à pontifice componente ipſam ſindonem ſub aſcellis ſuis; & tunc fundit balſamum in vas illud ubi dudum oleum fuſum fuerat, & accepto cocleare in hos ipſos uſus ſacrato, miſcitat diutiùs balſamum cum oleo. Et poſt hæc jubente pontifice archidiaconus implet ampullam de ipſo vaſe; & tunc Subdiaconus recipit eam, & tradit acolytho, qui ſuper lineam indutus planeta rotunda atque mundiſſima deſuper amicitur ſindone; & rurſum ſuper hac alia longa involvitur ſindone alba ſerica ſubtus quam eamdem ampullam tenet in brachio ſiniſtro reflexis ſummitatibus involutionum ipſius ſindonis ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita dumtaxat ut collum & guttur ora quinquies ſive ſexies duplicata tangant. Similiter alii duo acolythi inſtar iſtius in omnibus amicti tenent alias duas ampullas cum oleo in ſiniſtris brachiis ſub ſindonibus ſuperioribus; ita per omnia ſuper illos compoſitis reflexis & duplicatis, ſicut de primo taxatum eſt. Quod ubi peractum fuerit, ipſi quidem acolythi in loco apto & conſuetudinario expectant donec poſt præfationem miſſæ ante inchoationem canonis Sanctus, Sanctus, Sanctus, *decantare incipiant. Et poſt hæc ingrediuntur ad miſſas, ordinata omni decore & plenitudine proceſſione.*

Sanè obſervandum eſt, ut in his tribus ſtationibus, quæ de hac die peragenda ſunt, taliter proceſſiones ordinentur, ut in prima tres quidem diaconi cum ſubjecto ſibi ordine & numero induti dalmaticis cum epiſcopo procedant: in ſecunda autem quinque; in tertia autem ſeptem ceterùm in miſſa pœnitentium quæ præſente epiſcopo, & eo jubente à presbytero celebratur, tres diaconi planetis induti procedant.

Statio ad Sanctum Joannem Lateranenſem. Ad introitum. Antiphona. Nos autem gloriari. *Pſalmus.* Cantate Domino. *Additur* Confeſſio. *Reſponſorium.* Chriſtus factus eſt. *Verſus* Propter quod Deus. *Tractus.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus. Fundatur exultatione univerſa terra, montes Sion, latera

aquilonis, civitatis regis magni. Deus in gradibus ejus dignoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Quoniam ecce reges congregati ſunt, convenerunt in unum. Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum. Deus fundavit eam in æternum. Suſcepimus Domine miſericordiam tuam in medio templi tui. Lætetur mons Sion: exultent filiæ Judæ propter judicia tua Domine. Circundate Sion & complectimini eam. Narrate in turribus ejus. Ponite corda veſtra in virtute ejus, ut enarretis in progenie altera. Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula. *Offertorium.* Dextera. Domini *Verſus* In tribulatione. *Verſus* Impulſus. *Communio* Dominus Jeſus. *Pſalmus.* Beati immaculati. *Alia.* Hoc eſt corpus. *Pſalmus.* Credidi. *Additur.* Calicem ſalutaris. *Item additur* Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis. *Oratio ad miſſam.* Deus à quo Judas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ Latro præmium ſumſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicut in paſſione ſua JESUS-CHRISTUS Dominus noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum: ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum &c.

CAPUT XXII. *De Cana Domini.*

Lectio epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios

Fratres convenientibus vobis in unum, *uſque ad illa verba*, ut non cum hoc mundo damnemur.

Evangelium ſecundum Joannem.

Ante diem feſtum paſchæ ſciens, *uſque*, & vos faciatis. *Evangelio finito, illicò pontifex conſcendit ambonem, & pœnitentes adducuntur deorſum propter illum, & proſtrati in terram, praſtolantur divinæ miſericordiæ reconciliationem per miniſterium pontificale. Tunc diaconus propè epiſcopum ſtans pronunciat his verbis:*

Adeſt ô venerabilis Pontifex tempus acceptum, dies propitiationis Divinæ & ſalutis humanæ, &c. *Ut in editis, uſque ad illa verba* devicto mortis ſuæ autore gratulemur. *Poſt hæc pontifex proſequitur dicens*, Qua dilectiſſimi hos de quorum periculo formidabamus, & pro inſpectione negligentioris vitæ de ſalute dubitabamus, per pœnitentiæ lamenta, & deſideria corrigendorum præteritorum actuum tranſgreſſionis, ad Deum ex toto corde, teſte cœtu & frequentia hujus Eccleſiæ converſos audivimus: ſupereſt nunc ut pro illis & pro nobis Domini miſericordiam deprecemur, quatenùs & nobis illis facultatem bonam operandi ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ largiri dignetur, atque de vetuſtate prioris converſationis, & ignorantiæ, nos transferre, & ad perpetuitatis ſuæ regnum clementer admittere.

Indè facto parumper intervallo, jubente pontifice, inclamat diaconus: Contrito corde & mente devota letaniarum ſolemnia pro pœnitentibus

& reconciliandis noſtris, ac pro omni Eccleſia ſancta Dei ſenſualiter alternando modulemus. *Et mox incipiunt litaniam, ſicut hic inferius habetur denotata. Pontifex verò deſcendens de ambone cum electis cleri qui eo die in omni ſacro ordine ipſi miniſtraturi proceſſionis illius officia explere debent, proſternit ſe ante ſanctum altare ſuper ſtratoria dudum illic ad hoc ipſum aptata, & jacent orantes uſque dum in litania dicatur.* Agnus Dei, *Et tunc ſurgentes finem litaniæ omnes cum choro conſummant.*

Litania finita, dicit Pontifex. Oremus, *& diaconus clamat*, Flectamus genua. *Poſtquam oraverint, proſequitur pontifex hanc orationem excelſa voce.*

Oratio

Deus qui Eccleſiam tuam, & nova ſemper prole renaſcentium fœcundas, & reſipiſcentium à peccatis, atque ad te revertentium reparatione reſtauras. Auge ſuper nos famulos tuos Spiritus Sancti dona propitius, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ virtutis eſt operare per Dominum, in unitate ejuſdem.

Poſt hæc iterùm pontifex conſcendit ambonem: & pœnitentes veniunt ante illum & mox ut diaconus clamaverit, Orate pœnitentes, *proſtrati in terram, expectantes divinæ miſericordiæ reconciliationem per miniſterium pontificale jactant ſe in terram. Tunc pontifex dicit ſuper eos has orationes ad reconciliandum, ſtantibus duobus aut quatuor, vel ſi neceſſe fuerit pluribus presbyteris altrinſecùs juxta eos, & ubicumque in precibus orationum mentionem illorum facit pontifex dicendo* hos famulos tuos *vel* his famulis tuis, *ſeu* horum famulorum, *vel aliquolibet caſu, ipſi presbyteri tangunt dextris manibus indeſinenter ipſos pœnitentes vice pontificis.*

Orationes ad reconciliandos pœnitentes.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c.

Alia

Precor Domine clementiam tuæ majeſtatis ac nominis, &c.

Alia

Præſta Domine quæſumus his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum &c.

Alia

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator. &c.

Alia

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ. &c.

Alia

Deus ſub cujus oculis omne cor trepidat omneſque conſcientiæ contremiſcunt &c.

Alia

Deus cujus indulgentia nemo non indiget. &c.

Orationibus expletis, dicit Diaconus: Surgite de terra reconciliati Deo, expectantes contrito & humili corde horam, quando ad percipiendum corporis & ſanguinis ejus myſterium admittamini. *Quibus ſurgentibus, paululùm interjectâ mora, clamat Diaconus:* Pſallite chori unanimiter, voce conſona Domino jubilantes, eia. *Et mox incipiunt omnes offerendam.* Dextera Domini fecit virtutem *Cum verſibus ſuis. Offerunt populi & pœnitentes. Dicitur oratio ſuper oblata.*

Super oblata.

Ipſe tibi quæſumus Domine Sancte pater omnipotens Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in commemerationem ſui hoc fieri hodierna traditione monſtravit JESUS-CHRISTUS Dominus noſter, qui tecum &c.

Canitur præfatio. Verè dignum. Per Dominum noſtrum. Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem mens ſibi conſcia traditoris ferre non potuit, ſed Apoſtolorum relicto conſortio, ſanguinis pretium à Judæis accepit, ut vitam perderet quam diſtraxit. Cænavit igitur hodiè proditor mortem ſuam, & cruentis manibus panem de manu Salvatoris exiturus accepit, ut ſaginatum cibo major pœna conſtringeret, quem nec ſacrati cibi collatio ab ſcelere revocaret. Patitur itaque Dominus noſter JESUS-CHRISTUS filius tuus cum hoſte noviſſimum participare convivium, à quo ſe noverat continuò eſſe tradendum, ut & exemplum innocentiæ mundo relinqueret & paſſionem ſuam pro ſæculi redemptione ſuppleret. Paſcit igitur mitis Dominus immitem Judam, & ſuſtinet ipſius crudelem convivam, qui meritò laqueo ſuo erat periturus, quia de magiſtri ſanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem! ô Agnum in ſuas epulas mitem! cibum ejus Judas in ore ferebat, & quibus eum traderet, perſecutores advocabat. Sed filius tuus Dominus noſter tanquam hoſtia pia & immolari ſe tibi pro nobis patienter permiſit, & peccatum quod mundus commiſerat, relaxavit, & ideò &c. *Cum itaque* Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Poſt præfationem antequam inchoationem canonis canere cæperint, tres

acolythi cum tribus ampullis tam lineis quam ſericis ſindonibus ordine ſuprà ſcripto amicti veniunt pariter & ſtant poſt dorſum diaconorum, qui poſt pontificem in loco ſuo inclinati ſecundùm morem conſiſtunt. Archipresbyter verò librum ſacramentorum ſuper altare, ante pontificem ſuſtentans, ad eum locum ubi Pontifex dicere debet in canone, Communicantes, *tangit reverenter cum manu paginam apertam in qua ipſa illatio ſcripta eſt, & tunc reſpiciente Pontifice ad eum levat ipſum librum, & legit Pontifex eandem illationem ita ſe habentem.*

Infra actionem

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, pro nobis eſt traditus; ſed & memoriam. venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis ejuſdem Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI, ſed & Beatorum Apoſtolorum.

Similiter archipresbyter facit, ut in ante ad ſecundam illationem quæ taliter ſe habet.

Item infra actionem

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ, tuæ, quam tibi offerimus ob diem in qua Dominus noſter JESUS CHRISTUS tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui celebranda myſteria, quæſumus Domine, ut placatus accipias, dieſque noſtros

Similiter facit & in tertio loco archipresbyter ubi eo dic in canone additur.

Item infra actionem.

Qui pridie quam pro noſtra omnium ſalute pateretur, hoc eſt hodie, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.

Quod dum pontifex dicere cœperit, mox archipresbyter annuit ſiniſtræ partis primo ſubdiacono, & ille elevans ſe ab oratione, ceteris in ſuo loco retro altare inclinatis permanentibus, pergit ad acolythum ſuæ partis, & accipiens ſummitatem ſindonis ſericæ de ſcapula ejus ponit ſuper ſcapulam ſuam, & mox accipit ampullam olei ab eo, & tenent eam ſuper ipſam ſindonem in ſiniſtro brachio girando ſe altrinſecùs, alter contra alterum, ſubdiaconus quidem involvitur, acolythus verò diſvolvitur. Quod ubi perfectum fuerit, diaconus primus de ſiniſtra parte erigens ſe ab oratione, accipit de ſcapula ſubdiaconi ſummitatem ſindonis ſericæ, & ponens ſuper ſcapulam ſuam ſumit ab eo ampullam olei, & tenens eam in ſiniſtro brachio girando altrinſecùs, ipſe quidem involvitur, & ſubdiaconus diſvolvitur, & defert ipſam ampullam ad altare, & tenens eam ante pontificem coopertam expectat horam quando annuente pontifice propius ad conſecrationem ipſius accedat, quæ taliter adimpletur in ultima parte canonis antequam dicatur. Per quem

hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, *diſcooperit pontifex os ipſius ampullæ, & aſpirat in eam ter, & tenente eam diacono, benedicit tam pontifex quam omnes presbyteri in circuitu altaris ſtantes.*

Benedictio & conſecratio olei ad infirmos.

Emitte Domine &c. *ut in Sacram. S. Gregor.*

Iſta benedictione expleta, Subdiaconus accedens ad diaconum recipit ab eo tam ampullam, quam ſindonem ſericam, alterutrum diſvolvendo, & involvendo ordine ſuprà taxato. Et poſt hæc ſimiliter recipit eam acolythus à Subdiacono, & inclinans ſe primum ad altare deinde in gyro abſque mora defert eam in ſacrarium. Deinde peragitur expletio canonis, & cetera uſque Perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum Jesum Christum filium tuum qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Et clamat diaconus*: Humiliate vos ad benedictionem, *Et reſpondent* Deo gratias. *Et dat benedictionem, his verbis pontifex.*

Benedicat vos Deus qui per unigeniti &c. *ut in libro Sacram. S. Gregorii Papæ*

Hic non canunt Agnus Dei, *ſed primus diaconus lector ipſius diei ſuſcepta ampulla chriſmatis cum ſindone ſerica à Subdiacono primo cum ordine involutionis & diſvolutionis, quam eadem ratione idem Subdiaconus dudùm à primo acolytho ſuſeeperat, defert illam ante pontificem, tenens illam in brachio ſiniſtro ita involutam de eadem ſindone, ut poſſit videri à medio projecta ſindone ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingat ad ſcapulam dextram, quatenus poſſint dependentia retineri; & tunc pontifex reſpiciens ad orientem diſcooperiens os ampullæ aſpirat ter in eam, & poſt hæc intrat in conſecratione chriſmatis principalis, primum dicens excelſa voce,* Dominus vobiſcum. *Sanè quod ſupra prætermiſſum eſt, illico ut pontifex dixerit*, Et pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *communicat ipſe ſolus ante altare, & diaconus confirmat eum cum calice illa tantummodò die. Poſtquam communicaverit, ponit calicem ſuper altare; deinde accepta à Subdiacono patena, ponit juxta calicem de latere ſiniſtro, & ſtatim operitur à duobus diaconibus utrumque de ſindone munda, quam prius præparaverant in ore altaris è regione Pontificis poſt corporale expanſum.*

Incipit benedictio Chriſmatis principalis

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Verè dignum eſt. Qui in principio inter cetera bonitatis &c. *ut apud S. Greg.*

Iſta benedictione completa, benedicit ampullam tertiam olei ad baptizandos tacite, quam Subdiaconus ſecundus dextræ partis ſuſcipit cum ſindone ab acolytho ordinis ſui, & tradit ſecundo diacono partis ſuæ, qui eam ordine ſupra diſpoſito defert ante epiſcopum, & ille tertio in eam aſpirans conſecrationis illius complet tenorem.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Exorciſmus olei ad baptizandos.

Deus qui virtute S. Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum &c. *ut apud S. Gregorium.*

Poſt hæc ordine ſupra ſcripto involvendo & diſvolvendo redditur ſubdiacono à diacono, & acolytho à ſubdiacono, à quo ſine mora defertur in ſacrarium. Ampullam verò in qua chriſma eſt, ſtatim ut benedicta fuerit, epiſcopus & diaconi nudam ſalutant, & ſtatim operitur, ut à nemine nuda videatur; ſed tenente eam acolytho in dextra parte altaris, qui eam à ſubdiacono diacono illi reddente cum ordine involutionis & diſvolutionis receperat omnes eam per ordinem ſalutant. Et poſt hæc incipiunt Agnus Dei, *non tamen ſe oſculantur. Et ſic pontifex lotis manibus venit ante altare & communicat, primumquidem clerum ſecundùm ordinem, deinde pœnitentes, poſtremò omnem populum loco & gradu ſuo, cantantibus choris communiones* Dominus Jeſus poſtquam cœnavit, *cum pſalmo* Deus ſtetit in ſynagoga *Et* Hoc corpus *cum verſibus pſalmi* Calicem ſalutaris. Vota mea Domino reddam in. *Poſt hæc pontifex mittit unum de presbyteris, qui vice ſua dicat hanc orationem ſuper pœnitentes poſtquam communicaverint, antequam dicatur oratio ad complendum.*

Oratio poſtquam communicaverint

Deus qui confitentium, tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum damnationis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per Dominum

Poſt hæc dicitur oratio ad complendum

Refecti vitalibus alimentis quæſumus Domine Deus noſter, ut quod tempore noſtræ mortalitatis exſequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per Dominum

Hac peracta, clamat diaconus, ite miſſa eſt. *Tunc pontifex revertitur in ſacrarium cum ordine miniſtrorum ſibi obſequentium, præcedente eum acolytho cum chriſmate; & tunc ſi hora permiſerit datur ipſum chriſma per manum archidiaconi tam legatis monaſteriorum ad hoc ipſum recipiendum miſſis, quam presbyteris oppidanis atque vicanis; ſin autem, reſervatur in craſtinum. Similiter agitur de oleo ad baptizandos & ad infirmos. Porrò autem miſſa finita, invitantur per vicedominum ad prandium pontificis honoratiores quique, qui ad ſtationem convenerunt, quam omnes, ſi fieri poteſt, pœnitentes; ſin autem pars illorum, & peracta ſunt omnia.*

ANTIQUI

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ EBROICENSIS

Ad calcem Pontificalis Egberti archiepiſcopi Eboracenſis ab annis circiter 800. ſcripti.

Ex ms. codice inſignis eccleſiæ Ebroïcenſis

INCIPIT ORDO IN COENA DOMINI.

I*N Cœna Domini veniens in ſacrarium Epiſcopus, & induens ſe ſacris veſtibus, excepto planeta, miſceat balſamum cum oleo unde chriſma confici debet; & pulſatis ſignis canatur ad miſſam antiphona cum pſalmo &* Gloria *& verſum ad repetendum* Nos autem gloriari. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri ℟. Chriſtus factus eſt. ℣. Propter quod *Offert.* Dextera Domini fecit. *Communio.* Hoc corpus quod pro vobis *Pſal.* Judica me *Communio* Dominus Jeſus poſtquam *Pſal.* Beati immaculati.

Et procedat Epiſcopus de ſacrario ſine pallio cum diaconibus ſeptem qui omnes ſint dalmaticis induti, & totidem ſubdiaconi, & acolythi cum thuribulis, ac ceroferariis; & ſalutato altari, non aſcendat ipſa die ad ſedem, ſed juxta altare uſque ad horam ſeſſionis ſtet. Poſtquam canatur Kyrie eleiſon. *Qua expleta, dicit Epiſcopus* Gloria in excelſis Deo, *& poſteà* Pax vobiſcum *etiamſi non ſoleat dicere Epiſcopus niſi tantummodo diebus feſtis. Deinde ſequitur oratio* Deus à quo & Judas. Ad Corinthios. Fratres, convenientibus. *Poſteà ſedeat in ſede juxta altare, & non dicat* Dominus vobiſcum; *ſed archidiaconus legat coram eo & populo rotulam in qua continentur quadam indita * de pœnitentium reconciliatione, poſt hoc oret Epiſcopus ante ſanctum altare. Hoc expleto, pergat ad ambonem, & aſcendat in eum, faciatque ſermonem tam populis quam pœnitentibus, ſicut Ordo pracipit Romanus. Tunc redeat ante altare, & proſternens ſe tam ille, quam omnis populus, etiam pœnitentes, tam illi qui intùs ſunt, quam extra; & cantent ſeptem pſalmos. Finitis pſalmis, ſurgat ſolus & dicat has orationes, tam pro ſe, quam pro populo. & cetera* quæ retulimus in libri 1. de antiquis eccleſiæ Ritibus cap. 6.

NOTA
* ſ. Judicia.

Tunc convertat ſe Epiſcopus ad altare, & ſalutet populum, & dicit Dominus vobiſcum, Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Et tunc canatur offert. cum verſis, ac offerant presbyteri ſacram ill. oblationem. Quibus expletis, incipiatur miſſa ſolito ordine offert.* Dextera Domini fecit virtutem *Super oblata*: Ipſe tibi quæſumus Domine *Præfatio* Communicantes Hanc igitur oblationem.

Deinde tres acolythi procedant de ſacrario induti ſindonis cum ampullis tribus, & unaquaque habeat breviculum, id eſt Chriſma Sancta in uno; in alio ad baptizandum; in tertio oleo ad infirmum, & canatur ſecreto ſecundùm ordinem uſque Sed veniæ quæſumus largitor admitte. *Et tunc ſubdiaconus accipiens ſindonem ab acolytho, ubi eſt oleo ad infirmum, &*

Digitized by Google

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

convertens ad diaconum, & offerat diacono: diaconus autem accipiens iterùm ſindonem, & involvens ſe accipienſque ampullam de manu Subdiaconi, & humillime ſubminiſtrat Epiſcopo. Epiſcopus autem deoſculetur ampullam, & ſufflet in ea ter, & benedicat ut ipſi circumſtantes audire poſſint Emitte Spiritum tuum paraclitum de cœlis. *Tollitur jam dictum oleum à diacono ab altari, quod accipiat ſubdiaconus ab eodem diacono, & alter diaconus accipiat calicem; & tunc ad ultimum peragatur ſecreta miſſa in ordine ſuo uſque* Pax Domini *dicatur; dicat diaconus* Humiliate vos ad benedictionem. *Et faciet Epiſcopus benedictionem* Benedicat vos qui unigeniti. *Et tunc dicit* Pax Domini. *Deinde ſecedat parumper juxta altare Pontifex; & diaconus accipiat partem aliquam ſuprà altare de Domini Corpore cum patena, & tradat eam acolytho, qui deferat illam ante Epiſcopum, & diaconus cum calice cum pretioſo ſanguine. Quibus adportatis, communicet ipſe Epiſcopus ſolus tantummodo de eo ſimul cum ſanguine pretioſo. Ac poſteà reportetur ſub altare, id eſt ſacrum Sanctum Corpus Sanguiſque pretioſiſſimus; & ponatur calix in quo continetur Sanguis Domini in dextra parte altaris, & patena cum corpore Domini in medio; & deferatur alius calix vacuus qui ponatur ex ſiniſtra altaris parte; & tunc cooperiatur Corpus jam dictum ac Sanguis Domini de ſindone munda ab Epiſcopo & diaconus.* Stetque iterum Epiſcopus ante altare ut antea, & oret. Et diaconi ſtent erecti ſimul cum ſubdiaconibus retrò terga illius. Quibus adſtantibus, ita veluti ſteterant in ordine, accipiat Subdiaconus ab acolytho ampullam ubi mixtum fuerat balſamum cum oleo, quæ habet breviculum chriſmatis, de eadem ſindone ſe involvens, & iterum diaconus à ſubdiacono ſimiliter reinvolvens, & deferatur ab eodem diacono eadem ampulla ante altare. Qua allata, faciat ſuper eam ter ſignum crucis, ſuffletque in ea ter & tunc benedicat chriſma ſicuti mos eſt.*

* *Videtur hic aliquid deeſſe.*

Conſecratio chriſmatis

Oremus, fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc myſterium corporis filii ſui Domini JESU-CHRISTI gerulum benedictione ſanctificationis, tutamine defenſionis & donationis implere dignetur orantibus nobis. Per eumdem. *Alia.*

Omnipotens Sancta Trinitas DEUS manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, & corporis Chriſti novum ſepulcrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per

Incipit benedictio chriſma principali

Surſum corda. ℟. Habemus ad DOMINUM. Gratias agamus DOMINO DEO noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt. *Præfatio*

VD Æterne DEUS, qui in principio inter cetera.

Quo benedicto, removeatur ab altari à jam ſæpè dicto diacono, ac tradatur ſubdiacono, ſubdiaconus quoque acolytho tradat, & pergat ſtare

in dexteram partem altaris, habens eamdem ampullam coopertam de ſindone ex quo eſt involutus. Caput XXII.

Deinde accipiat ſubdiaconus ab alio acolytho oleum ad baptizandum de eadem ſindone ſe involuens. Et quod accepit diaconus ſimiliter involutus, & deferat illud ante altare. Ipſoque apportato, faciet ſuper illud ter crucis ſignum, ſuffletque in eo ter, ac tunc benedicat illud tacite Epiſcopus. De Cœna Domini.

Oratio

Deus qui virtute Sancti Spiritus tui imbecillarum mentium.

Quo benedicto, reportetur à diacono ab altari, & tradat ſubdiacono, & rurſus ſubdiaconus acolytho tradat. Quibus omnibus patratis, ſtet Epiſcopus in dexteram partem altaris cornu, & deferatur chriſma ab acolytho illi ad oſculandum. Antequam autem deoſculetur, innuat cantori, incipit Agnus Dei. *Deoſculatoque ab Epiſcopo chriſmate, ſecedat acolythus cum chriſmate propè chorum in dexteram partem & cantato ter* Agnus Dei, *accedet primum presbyter unuſquiſque in ordine ſuo ad deoſculandum ſanctum chriſma; & tunc pergant ad Epiſcopum communicare de ſacro Corpore Domini quo tradente illis Epiſcopo, deoſculari debet unuſquiſque presbyterorum, ut pergat ad calicem Sanguinis, qui in ſiniſtra teneatur. Ut autem presbyteri inceperint communicare, incipit cantor communionem* Hoc corpus quod pro vobis. *Pſal.* Judica me *al.* Dominus Jeſus poſtquam *Pſal.* Beati immaculati. *Et ſic demum ſequens ordo. Chriſma autem adoretur à cunctis & deoſculetur, ac communicent omnes clerici. Et poſt hos viri ac feminæ, & interim donec populus communicet, pulſantur ſignis veſpertina canatur. Et Cantor incipit antiphonam* Calicem ſalutaris. *Pſal.* Credidi. *Antiphona* Cum his qui oderunt. *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer. *Antiphona* Ab hominibus iniquis. *Pſal.* Eripe me Domine. *Antiphona* Cuſtodi me Domine à labiis *Pſal.* Domine clamavi. *Antiphona* Conſiderabam *Pſal.* Voce mea. *Antiphona* De manu filiorum. *Pſal.* Benedictus Dominus. ℣. Chriſtus factus eſt pro nobis. *In evangelium antiphona* cænantibus autem. *Al.* Accepto pane. *Al.* Si male locutus ſum. *Ad complendum.* Refecti vitalibus alimentis *Dicat Epiſcopus:* Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Et diaconus* Ite miſſa eſt. ℟. Deo gratias. *Et eat unuſquiſque ad menſam. Deinde poſt refectionem prandii lavantur pedes. Et dum hæc aguntur canatur hæc antiphona cum reciprocis pſalmis.* Mandatum novum do vobis. *Pſal.* Beati immaculati. *Antiphona* In diebus illis *Pſal.* Magnus Dominus. *Antiph.* Poſtquam ſurrexit. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. *Antiphona* Ante diem feſtum Paſchæ. *Antiphona* Vos vocatis me magiſter *Antiphona* Si ego Dominus & magiſter. *Pſal.* Beati immaculati. *Antiphona* Diligamus nos invicem. *Pſal.* Ecce quam bonum. *Antiphona* In hoc cognoſcent omnes. *Pſal.* Magnus Dominus *Antiphona* Ecce quam bona eſt. *Antiphona* Fratres confortamini in gratia Dei. *Antiphona* Fratres exiſtimo enim quod non ſunt condignæ. *Hac expleta, oſculetur Epiſcopus evangelium, & omnes qui circum eo ſtant. Deinde dicant Dominicam orationem tacite. Finita dicit Epiſcopus* Et ne nos inducas in tenta-

Digitized by Google

tionem. Ecce quam bonum, & quam. Suſcepimus Deus miſericordiam *ter* Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Tu lavaſti pedes diſcipulorum tuorum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

Caput XXII. De Cœna Domini.

Adeſto, Domine, officiis noſtræ ſervitutis, qui dignatus es lavare pedes tuis diſcipulis, ne deſpicias opera manuum noſtrarum, quæ nobis retinenda mandaſti; ut ſicut hic exteriora abluuntur inquinamenta, ſic à te omnium noſtrorum interiora laventur peccata. Per

---

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ BISUNTINÆ.

Ex ms. pontificali annorum circiter 600.

POſt ordinem ad reconciliandos pœnitentes à nobis libro 1. c. 6. deſcriptum hæc ſubjiciuntur.

MANE PRIMO manſionarii ordinent omnia quæ ſunt neceſſaria ad conſecrationem chriſmatis, ſcilicet ampullas tres de oleo mundiſſimo plenas, ponentes in ſacrario unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chriſma, tertiam verò ad oleum ad catechumenos ungendos. Maximam illam, quæ ad chriſma debet fieri, de albo ſerico oportet cooperiri: alia autem de alio ſerico, & pontifex provideat de balſamo. Hora quarta ſonetur ſignum, ut omnes veniant ad eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari. Ipſo die pulſentur campanæ ad miſſam & ceteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, & ſileant uſque in ſabbato Sancto. Presbyteri verò & diaconi & ſubdiaconi ornent ſe cum reliquo clero, induentes ſolemnia veſtimenta, & diaconi in dalmaticis atque ſubdiaconi in albis ſericis, & ſtent in ordine ſuo ſinguli, expectantes uſque dum veniat Domnus epiſcopus cum proceſſione plenaria ad miſſam ſicut in diebus ſolemnibus, cum ſeptem diaconibus, & totidem ſubdiaconis, & ceroferariis, & duobus thuribulis cum incenſo. Cantor autem & ſchola ſtatim ut juſſum fuerit, incipiant introitum ad miſſam Nos autem gloriari. *In ipſa die non cantent* Gloria *ad introitum, ſed ſemper poſt pſalmum repetunt officium quouſque veniat Domnus archiepiſcopus ante altare accinctus palleo, & incipiat alta voce* Gloria in excelſis. *Quo finito, dicat orationem* Deus à quo & Judas &c. *Deinde* Ad Corinthios. Fratres, convenientibus vobis in unum. *&c. uſque.* Cum hoc mundo damnemur. *Sequitur* Chriſtus factus eſt &c. *Ante evangelium portentur candelæ & incenſum ſicut mos eſt. Tunc legetur evangelium ſecundum Joannem.* Ante diem feſtum Paſchæ *&c. uſque* ita & vos faciatis. *Lecto evangelio, dicat Pontifex* Credo &c. *Poſteà* Dominus vobiſcum. *Et* Oremus. *Deinde offertorium* Protege Domine &c. *Offerentibus clericis & ceteris qui voluerint; tunc dicatur ſecreta.* Ipſe tibi quæſumus Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus ſacrificium &c. *Præfatio* Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem &c. *Poſteà ſequitur canon, in quo poſt hæc verba ſequitur.* Quæſumus largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum *Deinde offeratur Pontifici oleum ad ungendos tam infirmos, quam*

Digitized by Google

energumenos, & benedicat illud tam ipſe quam omnes presbyteri qui adſunt. Et tunc exorcizetur oleum, ut tantum poſſit à circumſtantibus audiri Exorcizo te immundiſſime Spiritus &c. *Oratio* Emitte, Domine, Spiritum tuum paraclitum &c. *Et tunc dicet Pontifex* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c. *Antequam dicatur,* Per omnia ſæcula *Hic offerat diaconus patenam epiſcopo, & ipſe epiſcopus frangat Corpus Domini ſuper patenam, & ſtatim cooperitur à duobus diaconibus, utrumque calix & patena de ſindone munda, quæ prius paraverunt in ore altaris è regione pontificis poſt corporalem expanſam. Tunc D. archipræſul vadet ad ſedem ſuam cum diaconibus ſuis, & expectet. Expectante verò in ſede ſua Domno archipræſule, veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri & ceteri clerici quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale & oleum catechumenorum & neophitorum uſque in eccleſiam ante epiſcopum. Sint verò parati iidem presbyteri, & cum eis ceteri clerici caſulis & ſolemnibus veſtibus.* * *Tunc duo acolythi accipientes illas duas ampullas, quæ ad chriſma & oleum catechumenorum conſecrari debent, procedant, & ordinent ſe illi presbyteri & prædicti clerici ritè & ordinabiliter: ita ut primum ambulent ſeptem acolythi cum candelabris ardentibus cereis. Tunc ponatur pallium deſuper quod ſuſtentetur à presbyteris; deinde portentur duæ cruces, & inter illas medium chriſmale oleum. Poſteà portentur duo thuribula cum incenſo, & inter illa medium catechumenorum oleum: deinde portetur evangelium, ut impleatur omne bonum. Poſteà ſequantur bini & bini illi presbyteri 12. teſtes & cooperatores ejuſdem ſacroſancti chriſmatis. Tunc verò ſubſequantur pueri in laudem ejuſdem myſterii concinentes hos verſus.*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

* In margine recentiori manu. *Duo archidiaconi induti de albis cum ſtolis & manipulis & cappa de pallio portent.*

O Redemptor ſume carmen
Temet concinentium
Audi Judex mortuorum
Una ſpes mortalium.
Audi voces proferentum
Donum pacis perditum. &c.

Venientibus autem eodem ordine in choro, & ſtantibus ad orientem verſis, verſibuſque finitis, interdum ordinent ſe lectores, oſtiarii, acolythi, & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundùm eorum gradum ubi aſcenditur ad altare; tantum ut ſubdiaconus ſeptimus ſit in eminentiori, & juxta eum archidiaconus, qui legebat. Et continuò duo acolythi involutas ampullas cum ſindone alba & ſerico, ita ut videri poſſint à medio tenent in brachio ſiniſtro, pro rectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram: ita ut perſtringant ſcapulam dexteram, quatenùs poſſint dependentia * *peniteri. Quibus ſub humero ſtantibus, venit ſubdiaconus, & accipit ampullam commiſtam una cum ſindone, & dat eam archidiacono: ille verò involutam perferat eam ante pontificem. Interim autem unus ſubdiaconus deferens vaſculum cum balſamo, offerat illum archidiacono, & ille archipræſuli. Tunc ordinentur circa archiepiſcopum hinc & inde candelabra, & cruces, & thuribula, atque*

* Locus corruptus.

Digitized by Google

CAPUT XXII. De Cœnâ Domini.

evangelium, necnon & prædicti 12. *presbyteri, teſtes & adjutores ejuſdem myſterii. Ita ut diaconi poſt dorſum archiepiſcopi ſtent, presbyteri vero à dextris & à ſiniſtris: Cruces verò & cetera utrumque inter illos media.*

His ita ſtatutis, vertat ſe archipræſul, aut cui ille præceperit, tam ad clerum quam ad populum; & faciat ſermonem principalis chriſmatis. Et primo miſceat balſamum cum oleo: deinde halat ter ſuper ipſam ampullam, & dicat lenta voce exorciſmum chriſmatis olei Exorcizo te, creatura olei per Deum Patrem qui fecit cælum & terram &c. *Præfatio* Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. Vere dignum &c. æterne Deus qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera &c.

Finita benedictione, Dominus archipræſul ſalutat chriſma nudum dicens: Ave chriſma Sanctum; *Et qui juxta eum ſunt; & ita iterum per ordinem deſcendat ſicut aſcendit, & deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum. Hoc facto, ſummo honore percurretur uſque dum altera ampulla aſcendat, & iterum deſcendat, ut ambæ honorificè ad locum ſuum redeant. Deſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatim alia cum oleo catechumenorum cooperta aſcendat, ſicut prior, uſque ante D. Archiepiſcopum, & halat ter, ſicut in priorem, in ipſam. Et in primis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem:* Exorcizo te creatura olei &c. *Sequitur benedictio* Deus incrementorum & profectuum &c.

Tunc Dominus archiepiſcopus, & quicumque juxta eum ſunt, ſalutent eam, & deſcendat per ordinem ſicut & alia, & deferatur omnibus ad ſalutandum. His ita peractis eodem ordine & decore quo aſcenderunt ad eccleſiam recedunt ambæ ad ſacrarium: Tunc pontifex lavet manus, & faciat benedictionem ad populum, & poſteà dicat Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum. *In ipſa die non cantatur* Agnus Dei. *Tunc diaconi vadant ad altare, diſcooperiant Sancta, & archipræſul veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum; & ſumat de illis oblatis integras ad ſervandum uſque mane diei paraſceves, de quibus communicent abſque Sanguine Domini. Sanguis verò eadem die penitùs conſumatur. Clerus autem dicat communionem* Dominus Jeſus &c. *Fractis oblatis, communicent presbyteri & diaconi & omnes clerici. Poſtquam omnes communicati fuerint dicat: cantor* Calicem ſalutaris. *Pſal.* Credidi &c. *Ut in Breviario Romano. Poſt expletionem miſſæ, deſcendat pontifex in ſacrarium mandans presbyteris quos voluerit. Cum autem venerint canonici clauſtrum, ſint ibi parati ſexaginta pauperes, ut abluantur eorum pedes; & detur unicuique denarius, & panis, & metrem vini: & poſtea ſeniores eant refectorium. Interim ut comederint, denudentur altaria, & præparetur aqua ad abluenda altaria ſive vinum vel pigmentum. Cum autem ſurrexerint ſeniores à refectione, præcingat ſe epiſcopus vel ipſi ſacerdotes quibus ipſe juſſerit, ut abluantur altaria; & interim cantant ſeniores communiter in choro.* ℟. Circumdederunt me. *Tractus.* Qui habitat in adjutorio. *Tractus* De neceſſitatibus meis. *Tractus* Domine non ſecundum. *Et dum iſta ſunt præparetur capitulum cortinis palleis ceteriſque ornamentis. Diaconus autem præparat ſe ſicut in*

diebus feſtis, tam ipſe quam ceteri proceſſores cum candelabris & thuribulis, & veniens capitulum legat evangelium ante diem feſtum paſchæ *uſque* ut dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit & ego in ipſis. *Interim dum legitur evangelium preparentur luteus, & manutergia, & præcinctoria, & cetera vaſa quæ neceſſaria ſunt ad abluendos pedes. Finito evangelio, præcingat ſe diaconus vel decanus, & ipſi quibus ipſe juſſerit, & ipſemet pontifex, & incipiat cantor* Dominus Jeſus. Mandatum novum. *Pſal.* Beati immaculati. Ante diem feſtum &c. Poſtquam ſurrexit &c. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. *Antiph.* Domine tu mihi lavas &c. *Antiphona* Domine non tantum pedes. *Antiphona* Si ego Dominus. *Antiphona* Diligamus nos invicem *Pſal.* Quam dilecta. *Antiphona* In diebus illis &c. ℟. Felix Maria. ℟. Pectore ſincero &c. ℟. O felix. *Antiphona* Ubi caritas &c. *Antiphona* Chriſtus deſcendit. *Completa lavatione pedum, defertur aqua ad abluendas manus & manutergia: & interim dum cœna fit, dicant pueri hymnum, & ſeniores repetant ſemper primum verſum. Interim dum cantatur hymnus, deferantur panes azymi & nebulæ & oblatæ, & benedicantur ab epiſcopo vel decano hoc modo:* Benedic Domine hanc creaturam, panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut ex ea guſtantes, accipiant tam corporis, quam animæ ſanitatem Per. *Tunc diſtribuat epiſcopus vel decanus ſingulis dicens:* accipite, & ſumite in commemoratione Dominicæ Cœnæ. *Et ſic cœnent cum ſobrietate, bibentes etiam ſobriè, & cantantes honeſtè.* Hymnus Tellus ac æthera jubilent &c. *Poſt hæc dicatur ab epiſcopo vel decano hæc oratio.* Adeſto Domine officio ſervitutis noſtræ &c. *Si epiſcopus adeſt dicit Diaconus:* Humiliate vos ad benedictionem benedicat vos Dominus, qui per Unigeniti ſui paſſionem &c. *His ita ritè peractis, ſurgant cum reverentia, & vadant ad completorium, cantantes cum ſilentio bini & bini. Hoc finito, petant cum ſilentio dormitorium. Fratres autem de congregationibus, iſtis ad completorium pergentibus, ad ſua loca cantantes in ſuis eccleſiis ſimul cum ſilentio bini & bini.*

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ BELLOVACENSIS

Ex ms. Pontificali monaſterii S. Luciani Bellovacenſis annorum circiter 700. &, ex collectione V. C. Godefridi Herman doctoris Sorbonici & canonici Bellovacenſis.

INCIPIT ORDO IN DIE COENÆ DOMINI.

Feria quinta majoris hebdomadæ, ideſt in Cœna Domini, manè primo manſionarii ordinent omnia quæ ſunt neceſſaria ad conſecrationem chriſmatis. Ampullas tres de oleo mundiſſimo plenas ponentes in ſacrario: unam

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

ad oleum pro infirmis, alteram ad chriſma, tertiam verò ad oleum ad catechumenos ungendos. Maximam illam, quæ ad chriſma debet fieri, de albo ſerico, alias autem de alio ſerico coopertas. Et pontifex provideat de balſamo. Hora tertia ſonatur ſignum, ut omnes veniant in eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari. Ipſo die ſonentur campanæ ad miſſam, & ad ceteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, & ſic ſileant uſque in ſabbato Sancto. Presbyteri verò & cleri induant ſe veſtimentis ſolemnibus, & diaconi dalmaticis, atque ſubdiaconi albis ſericis, & ſtent in ordine ſuo ſinguli in eccleſiam expectantes donec veniat pontifex cum proceſſione plenaria ad miſſam, ſicut diebus ſolemnibus ſolet, cum ſeptem diaconibus totidemque ſubdiaconibus & ceroferariis & duobus thuribulis cum incenſo.

Cantor autem & ſchola ſtatim ut viſum fuerit, imponant introitum ad miſſam cum pſalmo & Gloria *& verſu & pontifex* Gloria in excelſis Deo. *Quo finito, dicitur collecta, & ſic ſuperagatur miſſa uſque ad eum locum ubi dicitur* intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte per Chriſtum Dominum noſtrum. *Tunc offeratur pontifici oleum ad ungendos tam infirmos quam energumenos; & benedicit illud tam ipſe quam omnes presbyteri qui adſunt.*

De auctoritate apostolica quam habemus de oleo infirmorum.

De oleo quo unguntur infirmi, auctoritatem habemus apoſtolicam, dicente Jacobo apoſtolo: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Unde patet ab ipſis apoſtolis hunc morem Sanctæ eccleſiæ eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti unguantur oleo, pontificali benedictione conſecrato. Conſecratur enim in ipſo officio conſecrationis Corporis & Sanguinis Domini. Non enim habet proprium officium: ideſt non in capite verba ſalutationis, hoc eſt* Dominus vobiſcum, *nec* Oremus, *nec in fine concluditur ut cetera orationes, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſed tantum, in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti. In eo vero loco ubi ſolemus uvas benedicere, conſecratur oleum pro infirmis, concluditurque concluſione* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c. *Unde intelligimus embolim eſſe ſupradicti officii.*

De eodem oleo continetur in ſacramentario: Antequam dicatur Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, *levantur de ampullis quas offerunt populi, & benedicat tam Dominus Papa, quam omnes presbyteri. Mos eſt Romana eccleſia, ut in confectione Corporis & Sanguinis Domini, aſſint presbyteri, & ſimul cum pontifice verbis & manibus conficiant. Oportet ut ſimili modo, ſimul cum pontifice oleum presbyteri conficiant.*

Exorciſmus olei pro infirmis & pro populo.

Antequam dicatur Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas,

Google

creas, *exorcizetur oleum, ut tantum poſſit à circumſtantibus audiri ita* Exorcizo te immundiſſime Spiritus &c. *Item benedictio ejuſdem* Oremus. Emitte Domine &c. *Tunc oleum reportetur, & in loco ſuo honorificè reſervetur Pontifex autem & presbyteri proſequantur*, Per quem hæc omnia, Domine, &c. Per omnia &c. Libera nos, Domine, &c. Per omnia ſæcula ſæculorum &c. *Et oleum reportetur, & in loco ſuo conſervetur. Miſſa vero ordine ſuo agatur, uſque dum benedictiones pontificales ſolvantur. Et Pax Domini. Tunc communicet ſolus epiſcopus, & diaconus offerat ei calicem, & non frangat oblatas, niſi tantum eam ſolam, unde ille communicat. Illo tantum die poſtquam communicaverit Epiſcopus, ponat diaconus calicem in latere ſiniſtro; & ſtatim à duobus diaconibus utrumque cooperiatur de ſindone munda, quam priùs præparaverant in ora altaris è regione Epiſcopi poſt corporalem expanſam. Tunc Epiſcopus vadat ad ſedem ſuam cum diaconibus & expectet. Expectante vero eo in ſede ſua veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri & ceteri clerici quantum opus ſit, ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale, & etiam oleum catechumenorum & neophytorum uſque ad eccleſiam ante Epiſcopum. Sint enim parati iidem presbyteri, & cum eis ceteri clerici, caſulis & ſolemnibus veſtimentis induti. Tunc duo acolythi accipientes duas illas ampullas, quæ ad chriſma & ad oleum catechumenorum conſecrari debent, & procedant, & ordinent ſe illi presbyteri & prædicti clerici ritè & ordinabiliter, ita ut primum ambulent duo acolythi cum candelabris & ardentibus cereis. Deindè portentur duæ cruces, & inter illas medium chriſmale oleum. Poſt eas portentur duo thuribula cum incenſo, & inter illa medium oleum catechumenorum. Deindè portetur evangelium ut impleatur omne donum. Poſteà ſequantur bini & bini duodecim illi presbyteri teſtes & cooperatores ejuſdem ſacroſancti chriſmalis myſterii. Tunc ſubſequantur pueri induti concinentes * hos verſus:* O Redemptor ſume carmen &c. *Venientibus autem eodem ordine in chorum, & ſtantibus, verſiſque ad orientem. Finitiſque ſupradictis verſibus, interdum ordinent ſe lectores, oſtiarii, acolythi, & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundum eorum gradum ubi aſcenditur ad altare, tanti ut ſubdiaconus ſit ſextus in eminentiori loco, & juxta eum archidiaconus, qui legat, & ita involutam ampullam ante pontificem perferat. Interim unus ſubdiaconus deferens vaſculum cum balſamo alii diacono offerat, & ille pontifici. Tunc ordinentur circa Epiſcopum hinc & inde eadem candelabra, & cruces & thuribula, atque evangelium, necnon & prædicti duodecim presbyteri teſtes & adjutores ejuſdem myſterii; ita ut diaconi poſt dorsùm Epiſcopi ſtent. Presbyteri vero à dextris & à ſiniſtris; cruces vero & cetera utrimque inter illos media. His ita ſtatutis, convertat ſe epiſcopus, aut cui ille præcepit tam ad clerum quam ad populum, & faciat ſermonem conſecrationi chriſmatis congruentem.*

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

* *al.* tres verſus ad hoc congruentes.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

SERMO GENERALIS DE CONFECTIONE CHRISMATIS

Magnum divinæ bonitatis indicium eſt, fratres mei, o vos ſacerdotes Domini, & ceteri clerici, necnon & laici, quod nos pius conditor & redemptor noſter incolumes in hunc locum congregare dignatus eſt, ut credimus, ad noſtram æternam ſalutem, & eccleſiæ catholicæ ſublimitatem: quia hodiè exemplo Domini Salvatoris & apoſtolorum ſuorum operandum eſt myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis ſæculorum. Quapropter opus eſt non ſolùm mihi indigno, ſed etiam vobis omnibus, ut levemus corda cum manibus ad Deum in cælum, quatenùs inde ſperemus auxilium, quo ritè poſſit adimpleri quod agendum eſt myſterium. Nemo enim ſatis idoneus, nemo prorsùs eſt dignus, qui pro ſe ſine divino auxilio & ceterorum adjutorio hoc ipſum valeat peragere. Quanto magis ego indignus? Hoc enim myſterium tale eſt, ut & noſtris peccatis pollui non poſſit, quia ut in epiſtola Anaſtaſii legimus capitulo 8. mali bona miniſtrando ſibi tantum nocent non eccleſiæ ſacramenta commaculant. Et tale eſt quia quamvis presbyteris ſicut epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei conceſſa ſit, & quamvis in confectione Divini Corporis & Sanguinis conſortes cum epiſcopis ſint; hoc tamen nulli præter ſummo pontifici conceſſum eſt. Ideò ſumma veneratione honorandum & humiliter eſt tractandum. Quia enim tam ſanctum & altum eſt, ideò divino auxilio & veſtro plurimum indigeo devoto adjutorio. Hæc enim dies Cœna Domini dicitur, quia in ea Salvator noſter Paſcha & convivium fecit, ubi & Judas & miſer fuerat, qui eum eadem nocte traditurus erat. Qualiter illud convivium celebratum ſit, Joannis evangelium narrat. Hodie namque in forma ſervi quam propter nos accepit, pedes diſcipulorum lavit, & nobis humilitatis exemplum dedit. Hodie finitum eſt vetus teſtamentum & inchoatum eſt novum. Hodie multa ad noſtram ſalutem facta ſunt, quæ vobis enumerare perlongum eſt quia ad alia tranſire neceſſe eſt. Hodie in ſancta eccleſia reſervatur Corpus Domini uſque in craſtinum, lavantur pedes fratrum in exemplum Domini & diſcipulorum, nudantur altaria uſque in ſabbato Sancto, & pœnitentes veniunt ad abſolutionem. Hodie tribus modis conſecratur oleum: oleum pro infirmis & pro populo, oleum principalis chriſmatis, & oleum ad unguendos catechumenos. Poteſt enim Deus ſine oleo ſanare infirmos ſanctificareque ſuos & dæmones effugare. Sed propter fragiles & animales aguntur hæc viſibilia, ut ſpiritualia & inviſibilia capiantur facilius. Oleum verò quod offertur pontifici ſimplex liquor eſt, & ſpeciem habet corporalem. Sed per benedictionem ſacerdotum transfertur in ſacramentum. Conſecratio verò hujus chriſmalis olei dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis tribuitur Spiritus, ideſt ſeptiformis paraclitus. Habet enim officium per ſe. Primò exorcizatur. Deinde à *Dominus vobiſcum*, & *Surſum corda* ejus benedictio inchoatur, finiturque *Per Do-*

Digitized by Google

minum qui tecum vivit. Conſecratur enim in eo loco, ubi pacem ſolemus dare inter nos, & hoc eſt opus gratiæ divinæ, ut pax & concordia regnet in nobis, ut Iſidorus ait, olea eſt arbor pacis inſignis. Hic enim non ſolùm oleum, ſed & balſamum conſecratur. Balzami arbor eſt una aromatum, quæ ſunt odoriferæ, & odor balzami in oleo demonſtrat opinionem ſacrarum virtutum, ab his qui eodem oleo perunguendi ſunt, late diſperſam operante gratia Spiritus Sancti. Oleum verò ſacri chriſmatis conficitur aquæ baptiſmatis; & efficitur fons gratiæ cæleſtis. Baptiſma enim eſt aqua, quæ tempore Paſſionis de latere Chriſti profluxit, nullumque, ut Iſidorus, ait, aliud elementum eſt, quod in hoc mundo purget univerſa, vivificet cuncta. Fons autem baptiſmi eſt origo omnium gloriæ vel virtutum. Nam videtur quidem baptizandus in fontem deſcendere; videtur aquis extingui, videtur de aquis aſcendere. Quid autem in illo lavacro regenerationis egerit, minimè videtur. Sola hæc fidelium pietas novit, quia peccator in fontem deſcendit, ſed purificatus aſcendit. Generatus per culpam deſcendit, regeneratus ad gloriam aſcendit. Filius diaboli deſcendit, ſed filius Dei aſcendit. Sola eccleſia mater quæ generat hæc novit. Ceterum oculis inſipientium videtur talis exire de fonte, qualis intravit; ſed qui ex aqua & ſpiritu regeneratur; inviſibiliter in novum hominem mutatur, & de carnali efficitur ſpiritualis; quia ſicut ſpiritus inviſibilis eſt noſtris aſpectibus: ita is qui per gratiam Dei renovatur inviſibiliter fit ſpiritualis & filius Dei. Magnum utique eſt baptiſmi ſacramentum, ubi aliud videtur, & aliud intelligitur. Videtur ſimplex aqua, & intelligitur lavacrum cæleſte: videtur ſpecies corporalis, & intelligitur in ea plenitudo Trinitatis: quia in ea, ut Iſidorus ait, plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter. Cautè & ſollicitè, o vos ſacerdotes Domini, miniſtrandum eſt myſterium quod nobis & vobis commiſſum eſt, cum ibi adeſſe ſanctam Trinitatem nulli licet dubitare catholico. Unde nequaquam baptiſmi ſanctificatur officio, niſi qui ſub Trinitatis tinguitur ſacramento. Et ipſe Dominus diſcipulis ſuis ait, *Ite baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Chriſmate unguendum primum Moyſes in Exodo jubente Domino commiſit, quo primum Aaron & filii ejus peruncti ſunt. Eratque eo tempore tantum in regibus & ſacerdotibus myſtica unctio, qua Chriſtus figurabatur: unde & ipſum nomen ejus à chriſmate dicitur: Sed poſtquam Dominus noſter verus rex & ſacerdos æternus à Deo Patre cæleſti ac myſtico unguento eſt delibutus. Jam non ſoli pontifices & reges, ſed omnis eccleſia unctione chriſmatis per * unctionem manuum conſecratur. Quod ſolis debetur epiſcopis, ut conſignent & Spiritum Paraclitum tradant; quod non ſolùm conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat. Verum & illa lectio actuum apoſtolorum, quæ aſſerit quibuſdam in nomine Jeſu baptizatis per impoſitionem manus apoſtoli Pauli datum eſſe Spiritum Sanctum, ut ubi legitur, & cum impoſuiſſet illis manum Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos & reliqua. Item in alio loco quod apo-

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

* *Lege* impoſitionem.

Caput XXII. De Cœna Domini.

ſtoli ab Jeroſolymis Petrum & Joannem miſerunt Samariam, ut jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum, prout dicitur: *Tunc imponebant illis manus & accipiebant Spiritum ſanctum.* Spiritum autem Sanctum accipere poſſumus, ſed ut detur Dominum invocamus. Ibi apertè datur intelligi ſolis pontificibus apoſtolorum vicariis deberi ut conſignent & paraclitum tradant. In Geſtis pontificalibus legitur quod Silveſter Papa conſtituit, ut baptizatum liniat presbyter chriſmate levatum, de qua propter occaſionem tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrarent: quia ſi quis ſine * obierit, periculoſum iter arripit. Timendum eſt ne illa differentia ſit inter eum qui manus impoſitionem accipit, & eum qui non accipit; quæ eſt inter ſtellarum claritudinem: hoc eſt quamvis non excludantur à regno Dei propter bona opera, tamen non habeant locum quem haberent ſi illam acciperent. Penſandum eſt de his qui per negligentiam omittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem. Hæc prævidens Papa Silveſter, quantum potuit ſubvenit, & conſtituit, ut propter abſentiam Epiſcopi à presbytero unguerentur: unde dicit Beda in Tractatu ſuper actus apoſtolorum: Nam presbyteris ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo, cum baptizant chriſmate baptizatos unguere licet. Nam forte cogitat aliquis fide fragilis quod non liceat. Quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis, myſterium confirmationis? Nam ſi poſt fontem adjectione novi generis indigemus; quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus. Non ita intelligendum eſt dilectiſſimi. Nam quid prodeſt ſi quiſquam parentum magnam parvulo conferat utilitatem, ſi non habeat tutorem Spiritum conſolatorem? In hoc enim mundo tota ætate victurus inter pericula & inviſibiles hoſtes gradiendum eſt velut inter ſerpentes & ſcorpiones. Quapropter conſolator eſt neceſſarius Spiritus Paraclitus. In Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur contra hoſtes ad pugnam. In baptiſmo abluimur; poſt baptiſmum ſcutum fidei, galeam ſalutis & gladium ſpiritus contra hoſtes aſſumimus, ut undique armati ſtemus. De Spiritu Sancto accepimus, ut ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, juſta diligere, injuſta reſpuere, ut malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diverſis illecebris è fœdis injuſtiſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu Sancto accipimus vitæ amore æternæ flagrare, & mentem à terrenis erigere & ad cæleſtia ſublevare, qui nos per donum ejuſdem Spiritus Paracliti pervenire concedat Jesus-Christus Dominus noſter, qui cum eodem Patre & eodem Spiritu Sancto vivit & regnat & gloriatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

* *Hic deeſt aliquod verbum*

Tunc Epiſcopus convertat ſe, & intret in conſecrationem principalis chriſmatis, & miſceat balſamum cum oleo. Deinde halat ter ſuper ipſam ampullam, & deinde dicat lenta voce exorciſmum chriſmalis olei.

Digitized by Google

Exorciſmus ſacri olei

Exorcizo te &c. *Tunc dicat Epiſcopus cum presbyteris alta voce* Per omnia ſæcula ſæculorum &c. Vere dignum &c. Qui in principio inter cetera &c. *Finita autem benedictione, Dominus Epiſcopus ſalutat chriſma nudum, & qui juxta eum ſunt dicendo* Ave Sanctum chriſma *: Et iterum per ordinem deſcendit ſicut aſcendit, & deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum. Hoc facto, ſummo honore procuretur, uſque dum altera ampulla aſcendat, & iterum deſcendat; ut ambæ honorificè ad locum ſuum redeant. De eo quod ampulla quibuſdam nuda, quibuſdam verò cooperta ad ſalutandum defertur, dicit libellus Romani ordinis in conſecratione chriſmatis: continuo duo acolythi involutas duas ampullas cum ſindone albo deſerico teneant in brachio ſiniſtro, ita ut videri poſſint à medio. Ampulla antequam veniat ad Epiſcopum ad altare, media pars ejus eſt cooperta & media nuda. Ampulla cum chriſmate quodam modo ſignificat Corpus Domini ſumptum de Virgine, quod antequam tranſiret ad altare Crucis aliquo tempore erat coopertum, aliquo nudum. Primo tempore erat coopertum quando ita fugit in Ægyptum, quaſi non eſſet Rex regum, & quando ita portatus eſt in templum, quaſi non eſſet omnipotens, & quando ita erat ſubditus parentibus, quaſi auctor non eſſet parentum. In his & ſimilibus coopertum latebat. Nudum erat poſtquam miracula capit facere, ſimulque prædicare, & ſe Deum demonſtrare, ut inquit*, Ego & Pater unum ſumus. *In his & aliis nudum erat. Ampulla verò poſtquam benedicta fuerit ab altari redit, quæ à pontifice & miniſtris altaris viſibilis & nuda ſalutatur. Hoc ſignificat, quod Chriſtus poſtquam ab altari Crucis exivit, præſentiam corporalem eis præbuit, quos teſtes ſuæ reſurrectionis eſſe voluit. Quod ceteris inviſibilis & cooperta ad ſalutandum defertur, ſignificat quod Chriſtus rediens in cœlum inviſibilis hominibus factus eſt, ut ipſe teſtatur :* Exivi à Patre & veni in mundum : iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Nos verò quamvis præſentiam ejus corporalem non videamus; tamen venerando quotidiè eum ſalutamus.*

Incipit exorciſmus olei quo unguendi ſunt catechumeni

Deſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatim alia cum oleo catechumenorum aſcendat, ſicut prior, uſque ante epiſcopum, & halet in ipſam ſicut in priorem : & in primis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem. Exorciſmus græcè, latinè conjuratio ſeu ſermo increpationis eſt adverſus diabolum ut diſcedat; & concluditur per Dñum noſtrum JESUM-CHRISTUM *Filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. In illo oleo unguuntur catechumeni : ut ſi quæ maculæ adhæſerunt corpori aut menti, poſtquam ad ſcrutinium acceſſerunt, recedant, & deinceps munimentum habeant per hanc unctionem : ut non poſſit diabolus repedare, ut hæc verba orationis demonſtrant dicendo :* Ut ſi quæ illis adverſantium ſpirituum inhæſerunt maculæ, ad tactum ſancti olei hujus omnes abſcedant.

Digitized by Google

Exorciſmus ejuſdem olei

Exorcizo te, creatura olei &c. *Tunc dicatur* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus Deus incrementorum, &c. *Tunc Dominus pontifex & qui juxta eum ſunt, ſalutent prædictam ampullam, dicendo* Ave Sanctum oleum. *Et deſcendat per ordinem ſicut altera, & deferatur omnibus ad ſalutandum. His ita peractis, eodem ordine & ductore, quo aſcenderunt in eccleſiam redeant ambæ ad ſacrarium. Tunc pontifex lavet manus, & diaconi vadant ad altare, & diſcooperiant Sancta, & pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum: & ſumat de ipſis oblatas integras ad reſervandum mane die paraſceves de quibus communicent abſque ſanguine Domini. Sanguis verò eadem die penitùs conſummatur. Et ſchola dicat communionem* Dominus Jeſus &c. *Fractis oblatis communicent presbyteri & diaconi & ceteri omnes; & ita perficiatur miſſa in ordine ſuo.* a *Tunc dicantur veſpera. Antiphona* Calicem &c. *pſ.* Credidi. *Antiphona* Cum his. *pſ.* Ad Dominum. *Antiph.* Ab hominibus iniquis. *pſal.* Eripe me. *Antiphona* Cuſtodi. *pſal.* Domine clamavi. *Antiph.* Conſiderabam. *Pſal.* Voce mea. *Antiphona.* Cœnantibus. *pſ.* Magnificat. *Tunc vertat. ſe pontifex, & dicat* Dominus vobiſcum. Oremus. *Poſt communionem.* Refecti vitalibus &c. *Alia poſt comm.* Oremus. Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut perceptum novi ſacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente. Per. Dominus vobiſcum. *Diaconus.* Ite miſſa eſt. Deo gratias. *Oratio poſt miſſam ante altare.* Placeat tibi, Domine Deus ſancta Trinitas &c. *Tunc pontifex depoſitis pontificalibus indumentis; deſcendat in ſacrarium, mandans presbyteris quod voluerit. Tunc chriſma novum miſceatur cum veteri, ſi quid reſiduum ſit. Similiter & oleum, & ita dividat presbyteris. Et ſic expletur ordo chriſmalis. Deo gratias.*

a Quæ ſequuntur uſque ad hæc verba *Deſcendat in ſacrarium mandans presbyteris &c.* deſiderantur in pontificali S. Luciani, in quo ſubjicitur reconciliatio pœnitentium, ſed quæ nihil ſingulare continet quod alibi non reperiatur. Potiò quæ hic ex codicibus eccleſiæ Bellovacenſis tetulimus, reperiuntur etiam in ms. pontificali eccleſiæ Senonenſis annorum 500. & in ms. Pontificali B. Mariæ Noviomenſis annorum ſaltem 400. excepto ſermone dicendo ante chriſmatis benedictionem, qui deeſt.

RITUS ANTIQUI INSIGNIS ECCLES. APAMIENSIS IN SYRIA.

Ex ms. Pontificali anno 1214. ſcripto.

Feria quinta majoris hebdomadæ dies ſolemnis eſt, id eſt Cœna Domini. Hac enim die ſacrificium ſacri Corporis & Sanguinis ab ipſo Domino celebrationis ſumſit initium. Hac die in toto orbe Sanctum chriſma conficitur. Hac die etiam pœnitentibus per indulgentiam ſubvenitur. Mane igitur hujus diei primo manſionarii ordinent omnia, quæ neceſſaria ſunt ad confe-

CAP. XXI. De Cœna Domini.

crationem chriſmatis : ampullas tres oleo mundiſſimo plenas ponendo in ſacrario : unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chriſma, tertiam verò ad oleum pro cathumenis. Ampullam verò quæ ad chriſma, debet parari de panno ſerico albo, alias vero de panno alio ſerico coopertas. Sit autem pannus adeo ſubtilis quod ampullæ poſſint videri per eum. Hora tertia vel ſexta ſonetur campana, ut veniant omnes ad eccleſiam, in qua debet chriſma conſecrari. Tunc ingrediantur pœnitentes de loco in quo pœnitentiam fecerunt, ut gremio eccleſiæ præſentemtur a pontifice, qui ſedere debet præforibus eccleſiæ; & præſentet eos cum antiphonis & orationibus : quibus finitis ſonentur campanæ ad miſſam, ſicut mos eſt in diebus ſolemnibus; & ex tunc ſileant campanæ uſque in diem Sanctum ſabbati. Tunc igitur pulſatis campanis tam pontifex quam presbyteri, & diaconi & ceteri ordines ingrediantur ſacrarium, & pontifex & presbyteri induantur omni ornamento ſui ordinis, & diaconi dalmaticis, & ſubdiaconi tunicis. Pontifex autem indutus dalmatica antequam induatur planeta, ſedeat in ſede ſua, cui repræſentetur una de ampullis quæ melior eſt cum oleo; & in ea balſamum ipſe miſceat cum oleo : alias vero duas ampullas teneant alii miniſtri. Poſt modum autem pontifex iterum lotis manibus induat planetam, & procedat ſimul cum presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, acolythis, à ſacrario ad cantandam miſſam; & habeat tunc in proceſſione & in miſſa ſeptem ceroſtata ſive candelabra. Hac autem die non cantatur Gloria in excelſis Deo : *In quibuſdam eccleſiis nec* Credo in unum Deum, *niſi tantum in illis, in quibus conficitur chriſma, ibique in introitu dicitur* Gloria Patri. *In aliis vero ſtatim finito verſu pſalmi repetitur introitus. Ante evangelium portentur candela, & incenſum, ſicut mos eſt in diebus ſolemnibus. Lecto evangelio, factoque ſermone ad populum, proſequatur ad miſſam. Interim autem dum dicuntur ſecreta, per manum diaconorum & ſubdiaconorum reverenter cum cruce incenſo & cereis deportentur a ſacrario tam illa ampulla in qua balſamum poſitum fuit, quam aliæ ampullæ in quibus eſt oleum pro catechumenis & infirmis benedicendum; & tunc cum veniunt cum ampullis proceſſionaliter juxta morem quarumdam eccleſiarum cantantur hi verſus* : Audi judex mortuorum. *Juxta morem vero Romanæ eccleſiæ procedunt cum ſilentio. Ubi verò dicere debet pontifex* Per quem hæc omnia, *repræſentetur ſibi à latere dextro oleum pro infirmis benedicendum; & tunc verſus oleum aliquantulum converſus, dicat plena voce exorciſmum* Exorcizo te immundiſſime Spiritus &c. *Benedictio olei infirmorum* Emitte quæſumus Domine &c. *Poſt illa verba* In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, Per quem hæc omnia, Domine, bona. *Hic remota ampulla, Epiſcopus cetera proſequatur, ſicut in aliis miſſis. Poſtquam vero dixerit* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *dicatur à choro* Agnus Dei, *ſicut ſolet, tamen ſine oſculo; & pontifex communicet ſuper altare. Et hoc die confirmet ſe Romanus pontifex non cum calamo, ſicut ſolet in aliis diebus, ſed tantum cum calice. Conſequenter communicato diacono & ſubdiacono, ſicut mos eſt Romani Pontificis, ponatur ſuper altare calix ubi ſit aliquantulum de Sanguine Domini, & juxta eum patena cum Corpore Domini pro his*

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

qui communicari voluerint ; & cooperiatur utrumque de corporali expanſo. Tunc vadat pontifex ad ſedem, quæ jam parata eſt ei : ita quod inde faciem habeat verſus orientem : & ſi ſiquidem de illis qui eum eo induti ſunt ad miſſam aliqui communicare voluerint, ibi pontifex communicat eos. Quo facto, repræſentet ſibi diaconus à parte dextra ipſius pontificis ampullam in qua eſt balſamum, cujus diſcooperto orificio, ter halet in eam pontifex : deinde cum duodecim presbyteris ad minus incipiat benedictionem media voce ſic dicens : Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem &c. *Deinde dicat excelſiori voce in modum præfationis* Per omnia ſæcula ſæculorum &c. Verè dignum &c. Deus qui in principio &c. *Sic igitur benedicta ampulla, & aliquantulum amota repræſentetur ſibi alia ampulla in qua eſt oleum pro catechumenis benedicendum ; & diſcooperto ſimiliter orificio, halet ter in eam, & plana voce dicat*, Exorcizo te creatura olei &c. Dominus vobiſcum. Oremus Deus incrementorum &c.

Facta benedictione, primum pontifex, deinde presbyteri, diaconi, & ceteri omnes juxta ordinem ſuum ſalutent tertio ampullam in qua eſt chriſma ſic dicendo. Ave Sanctum chriſma. *Et deoſculentur eam, cujus orificium poſt factam benedictionem debet eſſe coopertum. Simili quoque modo conſequenter ſalutetur, & deoſculetur ampulla in qua eſt oleum pro catechumenis. His itaque omnibus expletis, reportentur ampullæ ad ſacrarium eodem ordine & decore quo fuerant inde delatæ, & pontifex revertatur ad altare, & communicet illos qui communicare voluerint clericos ſive laicos in ordine ſuo. Reſerventur autem de Corpore Domini oblatæ integræ, de quibus communiatur in die paraſceves. Sanguis verò Domini penitùs abſumatur. Poſteà dicatur communio* Dominus Jeſus

His igitur ſolemniter peractis, in omnibus aliis eccleſiis, præter in eccleſia Romana, antequam dicatur hæc poſt communio Refecti vitalibus, *abſque* Deus in adjutorium meum intende *incipitur in choro hæc antiphona* Calicem ſalutaris *Pſ.* Dilexi. *Antiphona* Cum his. *Pſal.* Ad Dominum. *Antiph.* Ab hominibus. *Pſal.* Eripe me. *Antiphona* Cuſtodi me Domine. *Pſal.* Domine clamavi. *Antiph.* Conſiderabam. *Pſal.* Voce mea. *Lectio non dicitur, nec verſus, ſed ſtatim incipitur hæc antiphona* Cœnantibus autem illis. *Pſal.* Magnificat. *Nec in his omnibus pſalmis dicitur* Gloria Patri. *His finitis, dicitur à pontifice prænotata oratio* Refecti vitalibus *cum* Dominus vobiſcum. *Ante & poſt orationem. Et ſiquidem eſt cantata ibi* Gloria in excelſis Deo. *dicetur* Ite miſſa eſt. *Sin autem dicatur* Benedicamus Domino. *In eccleſia verò Romana cantata communione prænotata,* Dominus Jeſus. *Romanus pontifex ſolemniter perficit miſſam ; & poſteà indutus cum cardinalibus aſcendit ad capellam ſuam, ubi dum ipſe lavat pedes duodecim ſubdiaconorum, capellani ſui cantant prædictos pſalmos & antiphonas ad veſperam : poſt quos ipſe Pontifex dicit hanc orationem* Reſpice Domine ſuper hanc familiam. *A veſpere hujus diei nuda ſint altaria uſque in mane ſabbati. Hoc die ſecundum quoſdam parietes & pavimenta eccleſiæ lavantur. Chriſma annotinum & oleum ponantur in lampadibus ut ibi comburantur.*

ANTIQUI

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ ARELATENSIS

Ex ms. Pontificali annorum circiter 400.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

ORDO DE RECONCILIATIONE POENITENTIUM IN DIE COENÆ DOMINI

PRimo mane conveniant ſacerdotes quibus id officium impoſitum eſt ; & certo loco audiant pœnitentes univerſos , quos eccleſia publicam pœnitentiam agere conſtituit , ut cum hora requiſitionis venerit , quid de ſingulis pontificalis auctoritas deinceps cenſeat , requiſitum , notatum , & imbreviatum ipſi habeant , & crimina ſingulorum , & annos pœnitentiæ , & nomina eorum fideliter , ut liberius pontifex univerſorum cauſas decernat. Hora diei ſecunda aſſumat Archiepiſcopus ſtolam & cappam & mitram , & preparetur ſedes ejus in medio eccleſia , circumſtante clero ; ſedenteque Archiepiſcopo , ſint præſentes in atrio eccleſiæ qui reconciliandi ſunt , ſtetque cum illis unus archidiaconus indutus alba & ſtola ſine dalmatica , dicatque pœnitentibus excelſa voce. State cum ſilentio audientes intente. *Facto ſilentio , dicat*, adeſt, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ &c. *Hoc finito , ſtet Archiepiſcopus in oſtio eccleſiæ , dicens antiphonam* Venite ; *Et diaconus ex parte pœnitentium.* Flectamus genua ; *deinde* Levate. *Iterùm ſecundo repetat Archiepiſcopus* Venite ; *& diaconus* Flectamus genua : *deinde* Levate. *Et iterum Archiepiſcopus incipit antiphonam* Venite , filii , audite me. *Deinde ſubſequatur archidiaconus* ℣. *antiphona* Accedite ad eum & illuminamini &c. *Mox pœnitentes corruant ad pedes Archiepiſcopi , ſicque proſtrati jaceant uſque dum Archiepiſcopus alteri diacono innuat dicere* Levate. *Interim clerus proſequatur pſalmum cum antiphona , diviſus per choros juxta Archiepiſcopum* : Benedicam Dominum : *Et pœnitentes offerantur Archiepiſcopo , & ſic intrent eccleſiam. Poſtquam omnes reconciliandi in eccleſiam introducti fuerint ; Archiepiſcopus ante altare proſternatur tam ipſe quam ceteri clerici & pœnitentes , & cantetur hæc antiphona cum pſalmis* : Cor mundum crea &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus ſecundum &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus quoniam &c. *Pſal.* Miſerere mei Deus , miſerere mei &c. *Quibus finitis , dicat* Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon. Pater noſter. Domine non ſecundum. Ne memineris iniquitatum. Convertere , Domine , uſquequo. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Eſto eis Domine turris. Mitte eis Domine. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. *Oratio* Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c. *Alia.* Præſta quæſumus Domine famulis &c. *Alia.* Deus humani generis benigniſſime reformator &c. *Alia* Deus miſerator , Deus clemens &c. Miſericordiam tuam ſupplices deprecamur &c. *Oratio* Dominus JESUS-CHRISTUS qui diſcipulis ſuis dixit &c. Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum percipere mereamini hic & in æternum. Amen. *Hic ſit Sermo Fabiani papæ cap.* 58.

S ſ

Digitized by Google

Caput XXII.
De Cœna Domini.

Incipit ordo chriſmatis

Quod omni anno in Cœna Domini chriſma conficiatur : in illa enim die Dominus Jesus-Christus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & pedes eorum lavit, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, chriſma conficere docuit. Ipſa enim lavatio pedum noſtrorum ſignificat baptiſmum, quod Sancti chriſmatis unctione perficitur atque confirmatur. Nam ſicut ipſius diei ſolemnitas per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renovanda, & fidelibus tradenda ; ita quod novum ſacramentum eſt per ſingulos in jam dicta die renovandum & vetus in eccleſia concremandum. Ita à Sanctis Apoſtolis accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Hæc Sancta Romana eccleſia, & antiochena à tempore Apoſtolorum cuſtodit, & Jeroſolymorum & Epheſianorum tenet.

Mane primo pulſato ſigno ad Primam, ingrediuntur chorum : proſtrati faciunt orationem ſicuti per omnes horas illius diei. Facta oratione, incipiunt pſalmos, & dicunt Primam ſine Quicumque vult, Gloria Patri, Kyrie eleiſon, *Preces non dicimus ; ſed proſtrati* Pater noſter *&* Credo *continuate dicimus : dehinc ſicut mos eſt confeſſionem dicunt &* Miſerere mei Deus*: Et ſic capitulum intretur poſt Primam. Ingreſſi capitulum, pronunciatur luna, ipſius Paraſcevem & ſabbati Sancti : deinde natale Sanctorum*, Et aliorum plurimorum Sanctorum. Pretioſa *Non dicitur, ſed ſtatim ſine* Jube domne *Legit lectionem de Regula ſine* Tu autem.... *Deinde pronunciantur defuncti, & ſacerdos dicit* Requieſcant in pace. *Et chorus reſpondet* Amen. *Poſteà hebdomadarius dicit* Benedicite. *Et chorus reſpondeat* Dominus. *Tractatis quæ tractanda ſunt in capitulo, exeant capitulum nihil dicentes, & videant tabulam. Cantata tertia, Domnus Archiepiſcopus præparat ſe ad reconciliandos pœnitentes, & reconciliat eos ſicut antea continetur. Reconciliatis pœnitentibus, cantatur ſexta, & dum cantatur introducuntur pauperes in clauſtro, & diſcalcient ſe. Cum autem cantor antiphonam inceperit* Mandatum novum do vobis ; *laici fratres vel alii priùs ſingulis pauperibus lavant pedes, ut poſteà ad ferendam aquam & cetera quæ neceſſaria fuerint expedite ſerviant ſtantibus clericis. Interim autem dum antiphonæ in officio ſatis congruè tractim & ſpacioſè dicuntur, duo ex fratribus ſunt in ordine primi, cappis depoſitis, & nudis pedibus, accepto linteo ad inſtar Domini Jeſu ſe præcingunt ; & exemplo illius humiliter & devotè pauperibus pedes lavent, linteo tergant, capillis etiam ſicut illa mulier peccatrix iterùm atque iterùm detergant, & oſculentur : & ſit ibi frater paratus qui denarios ſingulos ſingulis fratribus præbeat, quos ſuis pauperibus oſculando manum ſinguli offerant, ſicque diſponantur, ut qui ſimul venerint, ſimul redeant, ſimul in lavatorio manus abluant, ſimul tergant, ſimul ante capitulum ſedeant. His & aliis ſuccedant ; qui hoc idem ſimiliter faciant : poſt hæc duobus laicis vel aliis fratribus injungatur, ut aquam pauperibus ad abluendas manus deferant, aliique duo*

fratres mappullas ad extergendum teneant. Quo peracto, unicuique canonico datur libra una, cum plena ſcutella fabarum, & eam diſtribuit ut ſibi videtur. Quo facto, ſacerdos proſternit ſe, & alii canonici coram pauperibus dicentes tertio Kyrie eleiſon. Pater noſter. Tu mandaſti. Dominus vobiſcum. *Oratio* Adeſto Domine officiis ſervitutis noſtræ. *Finita oratione tredecim pauperes introducuntur in refectorium, & reficiuntur.*

His peractis, hora congrua exornent ſe veſtibus ſacris univerſi ordines miniſtrorum: presbyteri 7. ſex in albis, ſtolis, caſulis; unus verò in alba, ſtola & cappa, qui cum Archiepiſcopo proceſſurus eſt ad miſſam cum ordine Archiepiſcopali & mappulla. Diaconi 7. in dalmaticis, ſubdiaconus qui legit epiſtolam, acolythus ad ferendum thuribulum, ambo in tunicis: ceroferarii duo in albis. Intereà ſonetur ſignum, ut omnes conveniant ad eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari, & cantetur nona. Interim induat ſe Dominus Archiepiſcopus ſolemnioribus indumentis cantata nona, & præparato Archiepiſcopo cum prædictis miniſtrorum ordinibus, pulſentur ſigna more ſolemnium dierum, poſteà vero, ut prædiximus, ſileant in ſabbato.

Poſt hæc cantores in choro cappis induti, uno tenente arundinem in qua candela eſt poſita in modum ſerpentis, altero virgam, introitum incipiant: Nos autem &c. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri. Gloria Patri *Non dicitur, ſed cum verſibus pſalmus repetitur quouſque dum pontifex procedentibus miniſtris ſolemniter ad altare perveniat. Poſt introitum finito* Kyrie eleiſon, *dicatur* Gloria in excelſis. Pax vobis. *Sequitur oratio* Deus à quo &c. *Lectio ad Corinthios* Convenientibus &c. ℞. Chriſtus factus eſt &c. *Ante evangelium portentur candela & incenſum, ſicut mos eſt: tum legatur evangelium ſecundum Joannem.* Ante diem feſtum &c. *Quo peracto dicat Archiepiſcopus* Credo, *Poſteà* Dominus vobiſcum. Oremus. *Offertorium* Dextera Domini &c. *Antequam dicatur* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. *Offeratur Archiepiſcopo oleum ad unguendos tam infirmos quam energumenos, & exorcizet, & benedicat illud tam ipſe quam omnes presbyteri qui aſſunt, ut poſſit à circumſtantibus audiri, ita dicens:* Exorcizo te immunde Spiritus &c. *Non peragatur concluſio. Benedictio olei infirmorum* Emitte Domine Spiritum &c. *Et oleum eodem ordine quo aſcendit reportetur, & in loco Sancto conſervetur: miſſa vero ordine ſuo agatur uſque benedictiones epiſcopales ſolvantur. Tunc dicatur* Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c. Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti &c. Pater noſter. Libera nos quæſumus &c. *uſque* Da propitius pacem Per omnia. *Et diaconus dicat:* Humiliate vos ad benedictionem; *Et Archiepiſcopus det benedictionem ſuper populum* Benedicat vos &c. *Benedictione expleta, dicat.* Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum. *Hic non dicitur* Agnus Dei, *Neque communio donec conſecratio chriſmatis finiatur. Tunc communicet ſolus Archiepiſcopus, & diaconi cooperiant ſancta de ſindone ſuper altare. Deinde Dominus Archiepiſ-*

CAPUT XXII. *De Cœnâ Domini.*

copus eat ad ſedem ſuam cum archidiacono & capellano, & expectet. Eo vero expectante, ſint induti alii quinque presbyteri ad inſtar priorum, ut inſimul ad proceſſionem chriſmatis ſint 12. *& alii duo ſubdiaconi in tunicis ad ferendas cruces, & alius acolythus ſimiliter in tunica ad ferendum thuribulum. Deinde* 12. *illi presbyteri pergant ad ſacrarium cum diaconibus & ceteris miniſtris quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale ac oleum catechumenorum & neophytorum uſque in eccleſiam ante Archiepiſcopum : & primum ordinent ſe ita : Duo diaconi accipientes ampullas quæ ad chriſma & ad oleum catechumenorum conſecrari debent, involutas cum ſindonibus de albo ſerico, ita ut videri poſſint à medio teneant in brachio ſiniſtro, projectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingant ad dexteram, quatenùs poſſint dependentia retineri, & precedant ita, Primum ambulent duo acolythi cum candelabris & ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces, & inter illas medium chriſmale oleum. Poſteà portentur duo thuribula cum incenſo, & inter illa ſicut prædiximus medium oleum catechumenorum : deinde portetur evangelium, poſteà ſequuntur bini & bini illi* 12.*presbyteri teſtes & cooperatores ejuſdem ſacroſancti chriſmatis miniſterii. Tunc vero ſubſequantur duo pueri in laudem ejuſdem miniſterii concinentes hos verſus.* O Redemptor ſume carmen temet concinentium &c. *Venientibus autem eodem ordine in chorum, & ſtantibus ad orientem verſis vultibus, verſibuſque finitis, intereà ordinent ſe prædicti ordines miniſtrorum, & ſtent in ordine ſuo ſecundùm eos gradus ubi aſcenditur ad altare, tantum ut ſubdiaconus ſit ſextus in eminentiori loco, & juxta archidiaconus qui legebat ita involutam ſuſcipientes per ordinem ampullam, & dum venerit ad archidiaconum, ille perferat eam ita involutam una cum ſindone ante archiepiſcopum. Interim autem unus ſubdiaconus deferat vaſculum cum balſamo alii diacono, & ille Archiepiſcopo ante altare. Tunc ordinentur circa Archiepiſcopum hinc & inde candelabra & cruces & thuribula atque evangelium, nec non &* 12. *presbyteri prædicti teſtes & ajutores ejuſdem miniſterii, & diaconi poſt dorſum ejus ſtent. Presbyteri verò à dextris & à ſiniſtris, cruces verò & cetera utrimque inter illos media. His ita ſtatutis, convertat ſe Archiepiſcopus, aut cui ille præcepit tam ad clerum quam ad populum faciat ſermonem de confectione chriſmatis congruentem. Tunc reverſus ante altare Archiepiſcopus ad orientem, & intret in conſecrationem principalis chriſmatis, archidiacono tenente ante illum ampullam in ſiniſtro brachio involutam in ſindone ut ſuprà diximus. Et primo ante benedictionem miſceat balſamum cum oleo de ampulla in aliquo vaſculo puriſſimo mixturus poſt modum mixturam iſtam in majore ampulla ad chriſma poſt benedictionem, ubi dicitur* Hæc commixtio.

Digitized by Google

Benedictio in commixtione olei & balſami

Caput XXII. *De Cœna Domini.*

Oremus Deum noſtrum omnipotentem, qui incomprehenſibilem Filii ſui communem divinitatem inviſibili diſpoſitione veræ humanitati inſeparabiliter conjunxit, & gratia cooperante Spiritus Sancti oleo exultationis præ participibus ſuis linivit, ut homo fraude diaboli præditus, gemina & ſingulari conſtans materia perenni redderetur, de qua exciderat, hereditati: quatenùs hos ex diviſis creaturarum ſpeciebus liquores creatos Sanctæ Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo ſanctificet, concedatque ut ſimul permixti unum fiant, & quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius lineatur, quo omnibus ſordibus corporalis materiæ carens, ſe participem regni cæleſtis effici gratuletur. Per eundem. In nomine ejuſdem.

Hic commiſceantur quæ priùs commiſta ſunt in parvo vaſculo cum oleo quod eſt in majori ampulla parata ad chriſma, dicente pontifice: Hæc commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. *Deinde antequam benedicatur halet ter ſuper ipſam ampullam in modum crucis. Pariter omnes ſacerdotes. Et deinde epiſcopus dicat lenta voce exorciſmum chriſmale.* Exorcizo te creatura olei &c. *Tunc dicat alta voce* Per omnia ſæcula Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus. *Præfatio* Æterne Deus, qui in principio &c. *Finita benedictione, Dominus Archiepiſcopus ſalutet ter chriſma nudum, dicens:* Ave Sanctum chriſma. *Similiter & miniſtri qui juxta illum ſunt, & ita iterùm per ordinem deſcendat ſicut aſcendit, & tenente ampullam acolytho, deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum per ordinem, ita ut à nemine nuda videatur. Deſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatim alia cum oleo catechumenorum cooperta aſcendat ſicut prior ante Archiepiſcopum, & halet in ipſam ter ſicut in priorem, ſed tacite ordine quo ſupra delatam, & in primis faciat eis exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem.* Exorcizo te creatura olei &c. *Tunc dicatur* Dominus vobiſcum. Oremus. *Oratio* Deus incrementorum &c. *Tunc Domnus Archiepiſcopus & qui juxta illum ſunt ſalutent eam, ſic dicendo:* Ave Sanctum oleum, *& deſcendat per ordinem ſicut altera, & deferatur omnibus ad ſalutandum. Vetus chriſma & oleum in lampadibus eccleſiæ comburantur. His peractis, eodem ordine & decore quo aſcenderant in eccleſiam recedant ambæ ad ſacrarium. Tunc Archiepiſcopus lavet manus, & diaconi vadant ad altare, & diſcooperiunt Sancta: & Archiepiſcopus veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine ſuo: & ſumat de ipſis oblatis integris ad ſervandum uſque manè die paraſceve de quibus communicent abſque Sanguine Domini. Sanguis verò Domini eadem die penitùs conſumatur. Deinde dicitur* Agnus Dei *& communio* Dominus Jeſus poſtquam cœnavit &c. *Abſque oſculo: nam quia proditoris ſignum fuit oſculum; his tribus diebus ab oſculo pacis abſtinetur. Poſteà inchoet cantor ad veſperas antiphonam* Calicem &c. *Interim dum cantatur pſalmus,*

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

communicet clerus & populus. Corpus verò Domini ubi reſervari debet veneranter deportetur, & numquam ſine lumine remaneat. Sequitur oratio ad complendum. Refecti vitalibus &c. *Tunc archidiaconus dicat* Ite miſſa eſt, *Si cantata fuit* Gloria in excelſis *: Sin autem dicatur* Benedicamus Domino *: Et ſic finiantur veſpera cum miſſa. Deinde Archiepiſcopus deſcendat in ſacrarium mandans presbyteris ut juxta canones chriſma ſub ſigillo cuſtodiant : & nulli ſub pratextu medicinæ vel maleficii tradere præſumant : quod ſi fecerint, honore priventur.*

Dum conventus in clauſtro venerit, facto parvo intervallo, eant in refectorium cum ſonitu cymbali ſeu tabulæ. Interim dum comederint, denudantur altaria, ſed minimè lavantur.

Eadem die poſt cœnam ultimo tabula percutitur, & omnes in capitulum conveniunt, & Domnus Archiepiſcopus vel alius loco ejus linteo præcinctus, & diſcalceatus fratribus canonicis lavet pedes. In ipſius autem ingreſſu, Cantor incipit Mandatum novum, *& alias quæ ſequuntur, & ſtatim incipit lavare pedes. Diaconus qui debet legere evangelium ſtatim ut pedes abluerit vadit ſe induere ad evangelium legendum. Tunc præpoſitus lavat pedes Domino Archiepiſcopo, & ſtatim Domnus Archiepiſcopus calciet ſe & alii omnes, quo facto, induit ſe... ſtola, cappa.... & ante eum veniunt duo pueri cappis ſericis induti, qui præcedunt crucem. Cantor finem facit antiphonis, & dicitur tertio* Kyrie eleiſon, Pater noſter. Tu mandaſti. Oremus. Adeſto, Domine, officiis ſervitutis &c. *Finita oratione, & accepta benedictione, diaconus ſtans ad pulpitum in medio clauſtri, incipit legere evangelium* Ante diem Sanctum Paſchæ, *ad modum lectionis, & mox ut vel tres vel quatuor legerit verſus, ſedeant fratres uſque ad illum locum ubi dicitur* Surgite eamus hinc. *Tunc Archiepiſcopus cum prædicta proceſſione, & totus conventus intrant refectorium ad caritatis poculum recipiendum, ubi evangelium legitur uſque ad locum ubi dicitur*, ut dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit & ego in eis. *Et interim dum legitur evangelium, ſervitores apponunt vinum ſuper menſam, & Dominus Archiepiſcopus, innuit diacono ut taceat, & ipſe dicit :* Potum caritatis benedicat dextera Dei Patris. *Et cum reſponſum fuerit* Amen, *bibant cum ſobrietate. Finito vero evangelio ſine* Tu autem, *præcedentibus ceroferariis eccleſiam intrent, & proſtrati accepta confeſſione, completorium cantent incipiendo pſalmos* Cum invocarem *Et alios ſine* Gloria Patri, *Et ſine verſu & hymno ſtatim.* Nunc dimittis *ſine antiphona dicitur. Quibus dictis proſtrati.* Pater noſter & Credo in Deum *dicant, &* Miſerere mei Deus *inter ſe finiant &* Deus miſereatur noſtri, *accipientes aquam benedictam : quo dicto ſine* Gloria Patri, *Et ſine precibus & ſine* Dominus vobiſcum, *dicitur oratio* Viſita quæſumus &c.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ SUESSIONENSIS

Ex Rituali ejuſdem tempore Nivelonis Epiſcopi ſcripto.

ORDO IN COENA DOMINI

M*Ane ſummo mane ordinent cuſtodes eccleſiæ quæ ſunt neceſſaria ad conſecrationem chriſmatis : ſcilicet tres ampullas cum oleo mundiſſimo ponentes in capitulo : unam ad oleum infirmorum , alteram ad Sanctum chriſma , tertiam ad oleum catechumenorum , maximam verò illam unde Sanctum chriſma debet fieri oportet albo ſerico cooperiri. Alia autem quolibet ſerico. Pontifex autem provideat de balſamo.*

Horæ ſonantur ſicut aliis diebus novem lectionum , Prima & Tertia & Sexta. Hora 7. pulſatur ter ſignum quod Glorioſa *dicitur ut veniant omnes ad eccleſiam , & dum nona cantatur , induant ſe 12. presbyteri cardinales veſtimentis ſuis melioribus , Similiter & 7. diaconi , & 7. ypodiaconi , cum totidem acolythis : quibus indutis , expectent donec reconciliatio pœnitentium peragatur.*

Epiſcopus ante fores eccleſiæ ſtans eum cappa de pallio pœnitentibus cum archidiacono expectantibus dicat 1. Venite 2. Venite 3. Venite filii , audite me , timorem Domini docebo vos. *Tunc diaconus dicat* Flectamus genua. *Et pœnitentes flectant genua , & diaconus* Levate. *Epiſcopus iterum* Venite filii. *Et diaconus ſecundo* Flectamus genua. *Et ſic ad medium pavimentum pœnitentes procedant. Poſtquam autem tertio annuntiaverit epiſcopus* , Venite filii , *proſequatur diaconus* Flectamus genua , *moxque pœnitentes cum diacono ad pedes epiſcopi corruentes , proſtrati jaceant , donec epiſcopus innuat alteri diacono ut dicat* Levate , *Et clerus* Venite filii. *Pſalmus* Beati immaculati. *Poſteà archidiaconus* Adeſt o venerabilis Pontifex &c. *Poſteà epiſcopus cum clero cantet hos pſalmos , pœnitentibus in terram proſtratis.* Miſerere mei Deus. Deus in nomine. Miſerere mei Deus , miſerere mei. Deus miſereatur noſtri. Deus in adjutorium. *Poſt pſalmos* Pater noſter *& iſti verſus dicantur* : Iniquitates meas Domine ego coguoſco. Averte faciem tuam à peccatis meis. Cor mundum crea in me Deus. Ne projicias me à facie tua. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Oremus. Adeſto , Domine , ſupplicationibus noſtris &c. Præſta quæſumus his famulis tuis &c. Deus humani generis &c. *Poſteà ſurgant pœnitentes , & diaconus dicat* Redintegra in eis apoſtolice pontifex &c. *Et monentur ab epiſcopo pœnitentes , ut quod pœnitendo diluerunt , iterando non revocent. Et incipiat epiſcopus & clerus ſimul cum epiſcopo* Venite filii audite me timorem Domini docebo vos. *Pſal.* Benedicam Dominum. *Iterùm pœnitentes manuatim ab archidiacono reddantur epiſcopo, ſicque reſtituentur eccleſiæ. Deinde incipiat epiſcopus* Cor mundum crea in me Deus. Spiritum rectum innova in viſceribus meis *cum pſalmo. Quo finito , proſternat ſe pontifex una cum pœnitentibus in oratorio clero*

CAPUT XXII *De Cœna Domini.*

faciente letaniam. Poſt letaniam Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Et prec* 3 Salvos fac ſervos tuos. Convertere Domine uſquequo. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervos tuos. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus confitentibus tibi famulis tuis &c. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris &c. Deus miſericors, Deus clemens &c. Majeſtatem tuam &c. Famulos tuos Domine &c.

His dictis, induat ſe pontifex ſolemnibus indumentis, quo induente, pulſantur campanæ pro miſſa ſicut in Dominicis diebus. Deinde ſolus cantor incipit cum cappa de pallio Nos autem, *Pſal.* Deus miſereatur. Gloria Patri *dicitur.* Kyrie eleiſon Pater cuncta. *Interea exeat epiſcopus de ſacrario ſic: Ceroferarii duo cum duobus cereis de libra: deinde duo clericuli cum thuribulis, poſt hos duo cum crucibus: deinde ſubdiaconi bini & bini, poſt iſtos diaconi bini & bini: Deinde Cardinales* 12. *bini & bini: ad ultimum epiſcopus cum ſuo capellano, & tunc ordinent ſe omnes circa altare. Præſul autem incipiat alta voce* Gloria in excelſis Deo. *Deinde* pax vobis *Oratio* Deus à quo & Judas. *Epiſtola* Convenientibus vobis. *Legitur autem & cantatur in loco ubi legitur & cantatur in die 9. lectionum.* ℟. *duo majores clericuli* Chriſtus factus eſt *Ante evangelium portantur cerei, thuribula, cruces. Poſt evangelium* Credo in unum. *Deinde* Dominus vobiſcum *Offertorium* Dextera Domini *Verſus non dicuntur.* Sanctus. *Quo dicto, eat major ſubdiaconus cum uno ceroferario, & thuribulo uno, & una cruce ad capitulum, majorque clericulus cum illo, qui indutus palliolo uſque ad altare deferat ordinate ampullam olei infirmorum. Et cum Epiſcopus pervenerit in canone ad hæc* Per quem hæc omnia, *Antequam ultra dicat, offeratur ei oleum prædictum ad benedicendum; quo benedicto, epiſcopus dicit* Per quem hæc omnia &c. *Dicto autem* Per omnia *&* Pater noſter, *Et oratione iſta* Libera nos quæſumus &c. *Antequam dicat ultimum* Per omnia, *Offerat ei diaconus patenam. Epiſcopus autem facto ſigno crucis, frangat hoſtiam ſuper patenam, & ſtatim cooperitur à duobus diaconis utrumque, calix & hoſtia, & patena à ſindone munda: quæ prius præparata erat in ora altaris è regione poſt corporalem expenſam. Sciendum autem quod die iſta tres hoſtiæ proponuntur in altari, una pro præſenti miſſa, altera pro craſtina, tertia reſervetur uſque ad diem reſurrectionis, quæ deferantur à diacono ad ſacrarium in vaſculo quod dependet ſuper altare, ut ibi reſerventur, cereo ante accenſo. Quo facto, epiſcopus eat ad ſedem ſuam, & cum illo remaneant archidiaconus, capellanus, & ſeptimus ſubdiaconus: ceteri vero ſic eant ad capitulum.*

Primum duo cerei, duo thuribula, duæ cruces, ſubdiaconi 6. Unus autem ex illis ferat evangelium: diaconi 6. 12. cardinales, omnes bini & bini, ſeptimus quoque acolythus indutus palliolo, poſt cruces ſolus incedat; & cum pervenerint ad capitulum, ſic ſe debent omnes ordinare: acolythus ſeptimus & ſextus ſubdiaconus accipiant ampullas quæ ad Sanctum chriſma & oleum catechumenorum pertinent. Alii omnes ſic ſe habeant: Primum

duo

Digitized by Google

duo ceroferarii, deinde duæ cruces, inter quas media portatur ampulla ſacroſancti chriſmatis, ſuper quod defertur à quatuor ſubdiaconis album velamen ſericum in quatuor virgis. Poſteà procedunt thuribula, & inter illa medium oleum catechumenorum: deinde portatur evangelium à ſubdiacono quinto, ut per evangelium omne bonum impleatur: deinde ſubſequantur duo pueruli in laudem tanti myſterii cantantes iſtos verſus. O Redemptor ſume carmen &c. *Tunc Diaconi 6. & 12. Cardinales ad ultimum ordinatè venientes, bini & bini, ejuſdem ſacroſancti chriſmatis teſtes & adjutores conſervatoreſque deputati repetant.* O Redemptor &c.

Caput XXII. De Cœna Domini.

Finitis prædictis verſibus, ordinent ſe verſus orientem in ordine ſuo ante primum gradum ubi aſcenditur ad altare. Subdiaconus quoque ſeptimus ſtet in eminentem locum juxta archidiaconum qui legit evangelium. Tenentibus autem ibi duabus ampullis ita ut videri poſſint ab omnibus, vertat ſe ſeptimus ſubdiaconus ad ampullam ſacroſancti chriſmatis, & accipiat eam cum ſindone alba ex ſerico unde cooperta eſt, & eam involutam proferat archidiacono. Archidiaconus autem præſentet eam involutam pontifici. Interim aliquis de circunſtantibus miniſtris afferat vaſculum cum balſamo, offerens archidiacono, & ille epiſcopo. Tunc ordinentur circa epiſcopum hinc inde thuribula, cruces, evangelium, necnon & ſæpedicti 12. presbyteri teſtes & adjutores ejuſdem ſacroſancti myſterii. Diaconi à dorſo epiſcopi adſtent à dextris & à ſiniſtris: cruces verò cum cereis & thuribulis in medio omnium: Subdiaconi vero extra omnes. His ita ſtatutis, convertat ſe epiſcopus ad populum, faciens ſermonem de confectione chriſmatis ſacroſancti. Quo finito, iterum vertat ſe epiſcopus ad orientem, miſceatque balſamum cum oleo incipiens excelſa voce Veni creator Spiritus. *Et dum iſte hymnus cantatur à choro, Domnus præſul intret in conſecrationem chriſmatis ſacroſancti: & primo halat ter ſuper ipſam ampullam, & dicat lenta voce exorciſmum* Exorcizo te creatura olei &c. *Finito exorciſmo, dicat præfationem; qua finita, ſalutet ipſe præſul primus ſacroſanctum chriſma, dicens* Ave Sanctum chriſma. *Et qui cum epiſcopo ſunt in miniſterio ſimiliter faciant. Quo facto, ponatur ſuper altare B. M. Magdalenæ, & eat chorus ad eum ſalutandum.*

Intereà defertur alia ampulla ad oleum catechumenorum ſicut prior cooperta ante Dominum pontificem, & halat ter in ipſam ſicut in priori, & faciat exorciſmum & benedictionem. Poſteà ſalutet eum epiſcopus cum oſculo. Quo facto, reportetur ad altare prædictum, ut ibi ſalutetur ab omnibus. Poſt ſalutationem reportentur cum ſummo honore omnes ampullæ ad locum in quo per totum annum reſervantur. Intereà lavet epiſcopus manus ſuas, & archidiaconus dicat Humiliate vos ad benedictionem. *Et tunc fit benedictio ſuper populum ab epiſcopo.* Agnus Dei *non cantatur, nec Pax datur. In fractione autem panis cantor incipiat alta voce communionem* Dominus Jeſus poſtquam. *Et cum acceperit epiſcopus calicem, incipiat alta voce antiphonam* Calicem. *Cantor pſalmum* Credidi. *Pneuma non dicitur in fine antiphonarum ad veſperas iſtas. Finitis pſalmis &* Magnificat *cum ſuis antiphonis, dicitur collecta pro fine miſſæ & veſperarum. Notandum*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

prætereà quod in hora qua Domnus præſul incipit Veni Creator Spiritus ; *quando ſacroſanctum chriſma debet confici , debent omnia ſigna eccleſiæ pulſari , & tandiu quod omnis conſecratio ſepedicti chriſmatis compleatur. Poſt glaſſum autem iſtum nemo præſumat in tota civitate ſignum aliquod pulſare : quia jam incipit ſancta mater eccleſia ſupradictum diabolum & ejus miniſtros ceſſare , Judæos videlicet , qui Chriſtum occiderunt. Cui caput infirmum eſt , cetera membra dolent. Ceſſante etenim matre eccleſia pro capite ſuo , quod eſt Chriſtus Jeſus , debent & ejus filiæ ceſſare. Ad miſſam* Benedicamus Domino.

His peractis , exuat ſe præſul veſtimentis quibus uſus eſt ad miſſam , induatque iterum albam candidam , & cum eo decanus. Intereà diſcooperitur magnum altare , & parantur pelves cum aqua ad ipſius altaris ablutionem ; & tunc exeat præſul de ſacrario mitratus , mundoque linteamine præcinctus , & cum eo decanus ſimiliter paratus ceteri quoque canonici cum clero & populo circa altare : ſuccentor incipiat ℟. Circumdederunt me , *quod cantatur à cunctis cum* ℣. Quoniam tribulor : Gloria Patri *non dicitur : & ideò hic & alibi his diebus prætermittitur , ut vitemus illam peſtiferam ſalutationem quam diabolus per Judam exercuit. In effuſione vini antiphona* Sancta Maria. ℣. Poſt Partum , *Epiſcopus* Concede nos. *Poſt orationem bibant omnes de vino ſicque recedant.*

Poſt prandium redeant omnes ad eccleſiam , cuſtodes quoque eccleſiæ habeant omnia parata , quæ neceſſaria ſunt ad ablutionem altarium & chori. Servientes verò canonicorum antiquo more debent chorum diſcalceati lavare : qui dum lavatur , cantantur omnia ℟. *de hiſtoria noctis tranſacta cum* ℣. *& repreſiis* In monte oliveti &c. *Intereà parantur in capitulo à ſervientibus eccleſiæ vaſa cum aqua calida pro pedum ablutione , ſcyphi cum vino à famulis epiſcopi. Dum iſta parantur , induant ſe albis ſimplicibus tam epiſcopus quam præpoſitus & decanus & hebdomadarius ; ſubpræpoſitus quoque cum illis qui domui eleemoſynæ provident , & de aliis ſacerdotibus quatuor vel tres.... ſuccincti linteaminibus. Et tunc exeant ſacerdotes illi de ſacrario , & clericuli cum illis induti albis , incipiantque abluere omnia altaria eccleſiæ : quæ dum lavantur , cantatur per unumquodque altarium privatim* Circumdederunt *cum antiphona & verſu & collecta de Sancto illo in cujus honore fuit dedicatum. Quo facto , finito* ℟. *ſupradicto , conveniant omnes in capitulo , incipiatque Domnus præſul pedum ablutionem , ceterique cum ipſo , qui in ejus adjutorio fuerint præparati. Succentor autem ceteris ſedentibus in ordine ſuo canonicis cum reliquis clericis incipiat alta voce hanc antiphonam* Mandatum novum &c. *Pſal.*Beati immaculati. *Et iterum repetitur* Si ego Dominus &c. Beati immaculati. Si ego. Poſtquam ſurrexit &c. Deus miſereatur. Si ego. Diligamus &c. Ecce quam bonum. *Et iterum repetatur* Diligamus &c. In diebus illis. *Et* Magnus Dominus. *Et iterum repetitur* In diebus illis. In hoc cognoſcent &c. Magnus Dominus. *Et iterum repetitur* In hoc cognoſcent. Vos vocatis &c. *Intereà induant ſe diaconus & ſubdiaconus hebdomadarii ſolemnibus veſtimentis , afferantque evangelium in capitulum , exeuntes pompaticè de ſacrario cum*

clericulis præferentibus cereos, thuribula, cruces, legaturque lectionis more evangelium iſtud ſine Dominus vobiſcum *: Sine titulo pronunciatur; auditores quoque evangelii tandiu ſtent, quod diaconus legens innuat eis, ut ſedeant. Intereà dividantur ſingulis quatuor denarii de burſa epiſcopi; vinum quoque à ſervientibus eccleſiæ & epiſcopi omnibus ibi adſiſtentibus in ordine deportetur.* Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus *&c. uſque* Ita & vos faciatis. *Hic innuat diaconus cunctis ut ſedeant. Clericuli verò tenentes candelabra, thuribula, cruces, uſque in finem lectionis ſtent.* Amen amen dico vobis non eſt ſervus major Domino ſuo *&c. uſque* Ut dilectio, qua dilexiſti me in ipſis ſit & ego in ipſis. *Finita lectione, ſurgant duo diacones in medio capituli, quibus ſuccentor injunxerit, antequam præcedens lectio finiatur, incipiant alta voce* ℟. Circumdederunt. *Chorus* Viri mendaces. *Diaconi* ℣. Quoniam *Chorus* Sed tu. *Diaconi iterum* Circumdederunt. *Dum cantatur* ℟. *Debent omnes ſtare: dum autem cantatur* ℣. *Sedeant omnes, exceptis illis duobus, à quibus cantatur: in repreſia iterum ſurgant, & ſtent quo uſque* ℟. *iterum finiatur. Intereà diſcedat diaconus cum evangelio pompaticè, ſicuti venit, ad ultimum verò omnibus his ordine completis, ſedentibus cunctis, incipiat ſuccentor hanc antiphonam* Cœna facta &c. *Poſt antiphonam iſtam ſurgant omnes: epiſcopus verò vertat ſe ad orientem, & dicat tunc verſiculum iſtum,* Tu mandaſti mandata tua. *Chorus* Cuſtodiri nimis. Dominus vobiſcum. *Collecta* Oremus. Deus qui diſcipulis tuis dignatus es &c. *Poſt hæc exeant omnes præter epiſcopum & canonicos: Quod ſi diſcordia inter aliquos fuerit, ibi ab epiſcopo inter illos pax cum oſculo pacis reformetur, & ſic recedant.*

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Ipſo die adveſperaſcente presbyterii & chori pavimentum ſabulo aſpergatur, ut per ſabulum pavimentum totum deſicetur antequam ad matutinas veniamus.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ MOGUNTINÆ

Ex ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Moguntinæ annorum circiter 400.

ORDO AD FACIENDUM OFFICIUM IN COENA DOMINI ET PRIMO DE INTRODUCTIONE POENITENTIUM.

E*Piſcopus indutus dalmatica & ſubtili, vel tantum alba ſi volet, & deſuper pluviali, ideſt cappa pro choro cum debito & decenti ordine miniſtrorum, præcedente cruce & portatis thuribulo & aqua benedicta, dicens ſeptem pſalmos pœnitentiales, ſi tempus patitur, ad fores eccleſiæ, ubi pœnitentes ſunt proſtrati, procedat; & archidiaconus vel alter clericus ad juſſum epiſcopi alta voce per modum lectionis legat.* Adeſt, venerabilis pontifex

Hoc lecto, in terram pœnitentes cadant provoluti, & epiſcopus ſuper

Digitized by Google

ſedem ſuam dicat iſtas preces. Iniquitates meas ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam à peccatis meis Domine, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Caput XXII. *De Cœna Domini.*

Archidiaconus vel clericus ille iis dictis ab epiſcopo, ſubjungat Redintegra in eis &c. *Ut in Pontif. Rom. Poſt hæc epiſcopus humili voce cantet*, Venite. *Hoc per epiſcopum cantato, dicat diaconus* Flectamus genua. *Pœnitentes corruant in terram, & epiſcopus innuat alteri diacono, ut dicat* Levate. *Surgant pœnitentes, & epiſcopus vocem exaltando, iterum dicat eis.* Venite, Venite. *Hoc per epiſcopum cantato, dicat diaconus* Flectamus genua, *pœnitentes iterum corruant in terram; & epiſcopus innuat alteri diacono ut dicat* Levate. *Surgant pœnitentes, & epiſcopus vocem magis exaltando dicat eis* Venite, Venite, Venite. *Et diaconus dicat* Flectamus genua, *Et pœnitentes iterum corruant in terram; & epiſcopus innuat alteri diacono, ut dicat* Levate. *Surgant pœnitentes, & iterum epiſcopus cantet clero proſequente antiphonam* Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Venite, filii. *Ad quemlibet verſum pſalmi repetitur* Venite, *donec omnes pœnitentes fuerint per epiſcopum manuatim introducti. Et cum introierunt, proſternant ſe in longum ſuper pavimentum, & clerus interea cantet antiphonam* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſal.* Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Cor mundum. *Si tempus aut etiam multitudo pœnitentium hoc fieri permittat, cantetur totus pſalmus* Miſerere mei Deus, *& ad quemlibet verſum repetatur antiphona* Cor mundum *Hoc facto, proſternat ſe epiſcopus, & cantetur letania, in qua loco ſuo confecto ſurgat epiſcopus, & dicat*, Et pœnitentes iſtos benedi † cere & recon † ciliare digneris. Te rogamus audi nos. *Ter iſtud repetatur, & poſtea reponat ſe epiſcopus, & continuetur letania ad finem.* Ut pontifex &c. *Completa letania, epiſcopus proſtratus dicat* Pater noſter, Et ne nos *Epiſcopus.* Salvos fac ſervos & ancillas tuas, Deus meus ſperantes in te. Convertere Domine uſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos. Mitte eis auxilium de ſancto, Et de ſion tuere eos. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervos tuos, Salvos fac eos in miſericordia tua. Salvos eos fac Domine ne confundantur, Quoniam invocaverunt te. Domine vide humilitatem & laborem eorum, & dimitte univerſa delicta eorum. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, Secundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ quia pauperes facti ſumus nimis. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen ſanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum, Et cum Spiritu tuo.

Digitized by Google

Hic ſurgat epiſcopus, & ſtando dicat

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ pietatis eſt operare.

Præſta, quæſumus Domine, his famulis tuis ſecundum piiſſimam miſericordiam tuam juxta libitum eorum abſolutionem peccaminum ſuorum, fructum ut tibi dignum habitationis tuæ templum eſſe mereantur, deinceps cum juſtis atque ſanctis in conſpectu tuo adſtantibus abſoluti manere ab omni criminum labe. Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat Per

Præveniat hos famulos tuos, quæſumus Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur Per

Deus infinitæ miſericordiæ veritatiſque immenſæ propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, ut miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur Per

Deus ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ paveſcunt, propitiare omnium gemitibus & cunctorum medere languoribus, ut ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa, ita nemo ſit alienus à venia Per

Præſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ Sanctæ à cujus integritate deviarant peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddantur innoxii. Per

Omnipotens ſempiterne Deus, confitentibus tibi his famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam Per

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat Per

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos qui ab infeſta hujus ſæculi tempeſtate demerſi, fideli lamentatione ſuos accuſant exceſſus, tu fletus ac gemitus eorum piè ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus, ſalutem pœnitentibus, & vulneratis auxilium ſanitatis indulgeas, ne ultra inimicus in eorum animabus habeat poteſtatem, eorumque confeſſionem libenter admittens, eccleſiæ purificatos reſtitue, ac tuo altari repræſenta, ut ad ſacramenta reconciliationis admiſſi,

una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur.

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas; majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut his famulis tuis longo ſqualore pœnitentiæ maceratis, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam unde ejecti fuerant mereantur introire Per.

Famulos tuos, quæſumus, Domine, ab ira tua confugientes paterna recipe pietate, ut qui tuæ majeſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniqnitatis abſolvis, da indulgentiam reis, & medecinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum, in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per

Deus qui mundum in peccati fovea jacentem miſericorditer evexiſti, Deus qui leproſis & aliis contagiis irretitos Sacerdotum judicio mundari præcepiſti, Deus qui per manus tuæ impoſitionem animarum & corporum valetudines effugaſti, idemque opus diſcipulis tuis eorumque ſucceſſoribus agere præcepiſti, exaudi preces noſtras pro his famulis & famulabus tuis morbo criminum hactenùs tabeſcentibus, & manum pietatis tuæ manui noſtræ ſuppone, ut per manus noſtræ impoſitionem te cooperante, infundatur eis Spiritus Sancti gratia, deſcendat ſuper eos cæleſtis benedictio, tribuaturque eis peccatorum remiſſio, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum cariſmatum munera affluentius conferantur. Per

Abſolutio

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo, de quorum numero quamvis indignum, & peccatorum vinculis adſtrictum me eſſe ſua dignatione voluit, ipſe vos largifluo pietatis ſuæ dono, & meæ ſimul parvitatis miniſterio abſolvere dignetur ab omnibus fragilitatis veſtræ exceſſibus interiùs exteriùſque contractis. Amen.

Et ſicut peccata totius mundi ſua traditione, atque immaculati ſanguinis effuſione dignatus eſt expurgare, ita quoque veſtrorum peccaminum maculas miſericorditer non dedignetur emundare ejuſdem ſancti ſanguinis interventione, qui fuſus eſt in peccatorum remiſſionem amen.

Devotionem noſtram quoque ita deinceps adjutorio gratiæ ſuæ non dedignetur corroborare, quatenùs & in hoc ſæculo ſurrepentium laqueos delictorum valeatis evadere, & in futuro vitam æternam Chriſti ſanguine comparatam ſine fine poſſidere. Amen

Digitized by Google

Adjuvante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui nos fecit cum non eſſemus, & redemit cum perditi eſſemus, ad laudem & gloriam ſancti nominis ſui. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Nos etiam ſecundùm auctoritatem nobis à Deo conceſſam abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam Per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Abſolutio

Fratres Dominus JESUS-CHRISTUS qui diſcipulis ſuis dixit quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo; de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluerit, ipſe vos abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis veſtris, quæcumque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egiſtis, & à nexibus peccatorum abſolutos perducere dignetur ad regna cœlorum. Amen.

Fratres, abſolutionem & remiſſionem peccatorum veſtrorum per invocationem Sancti nominis Dei, & per miniſterium noſtrum percipere mereamini hic & in æternum. Amen.

Poſt hæc epiſcopus aſpergat pœnitentes, & thurificet, & deinde per ſingulos tranſeat, & tangendo eos cum baculo dicat Exurge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. *Tacti ab epiſcopo ſurgant, & recedant. Et cum hora fuerit, induat ſe epiſcopus plenis pontificalibus, & ad officium miſſæ procedat, & inchoatur miſſa.*

Antequam dicat epiſcopus Per quem hæc omnia &c. *Epiſcopus innuat diacono, ut cum miniſtris & cereis accenſis afferant oleum pro oleo infirmorum benedicendum quod cum coram epiſcopo ſuper altare oblatum fuerit, vertens ſe epiſcopus verſus dextram partem altaris lenta voce dicat:* Exorcizo te immundiſſime ſpiritus &c. *Non peragatur concluſio. Item alia benedictio.* Emitte Domine Spiritum tuum paraclitum de cœlis &c.

Item benedictio Ambroſiana ejuſdem olei

In tuo nomine Deus Pater omnipotens, & JESU-CHRISTI filii tui Domini noſtri ſigno, & in virtute Spiritus Sancti &c.

Item ſubjungatur iſta etiam oratio Ambroſiana.

Domine qui ſtudio ſalutis humanæ creaturis tuis &c.

His dictis, epiſcopus perficiat canonem dicens Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas ſanctificas vivificas, benedicis, & præſtas nobis, per ipſum & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria *Et ſigna quæ epiſcopus facit ſuper ſacramentum altaris dicendo verba prædicta protendat etiam &*

Digitized by Google

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

faciat illa ſigna ſuper oleum benedictum. Quo facto, dicat epiſcopus Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Hic ponatur oleum ſeorſum ſuper altare, donec cum ſacro chriſmate, & cum oleo catechumenorum infra benedicendis ad armarium reportetur.*

Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere Pater noſter &c. *Antequam dicatur* Et pax ejus, *diaconus converſus ad populum dicat.* Humiliate vos ad benedictionem. *Clerus.* Deo gratias. *Epiſcopus ſuperpoſita mitra, baculum tenens in manu converſus ad populum dicat.*

Benedicat vos Deus, qui per unigeniti ſui paſſionem vetus Paſcha in novum voluit converti, concedatque vobis, ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perſeveret conſperſio. Amen.

Et qui ad celebrandam Redemptoris noſtri cœnam mente devota conveniſtis, æternarum dapium vobiſcum epulas reportetis. Amen.

Ipſius quoque opitulante clementia mundemini à ſordibus peccatorum qui ad inſinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare diſcipulorum. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum, & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper vos & maneat. Amen.

Remotis ab epiſcopo mitra & baculo, & reverſus ad altare dicat Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum. Et cum Spiritu tuo. Fiat hæc commixtio Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI remedium ſempiternum omnibus accipientibus nobis, & ad vitam æternam obtinendam ſalutaris præparatio. Amen.

Cantetur Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem. *Quo dicto, epiſcopus ſumat ſacramentum, & alias duas hoſtias conſecratas faciat pro craſtino officio cuſtodiri; & ſumpto ſacramento reponat ſe ſuper ſedem ſuam donec ſibi oleum pro ſacro chriſmate & pro oleo catechumenorum conſecrandum reportetur.*

ORDO DE CONSECRATIONE PRINCIPALIS CHRISMATIS

Expectante verò, ut jam dictum eſt, epiſcopo in ſede ſua, ſint in ſede ſua, duodecim presbyteri, decentibus ornamentis induti, & deſuper caſulis cum ceteris clericis diaconibus & ſubdiaconibus ſacris etiam veſtibus indutis, quantum opus eſt, & copia clericorum patitur. Tunc duo acolythi vel alii duo clerici accipiant illas ampullas quæ ad chriſmarium & ad oleum catechumenorum conſecrari debent involutas in ſindone munda, ita ut videri poſſint à medio, teneant in brachio ſiniſtro projectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingat ad ſcapulam dextram, quatenus poſſint dependentia retineri, & ſic procedant, & ordinent ſe illi presbyteri, & prædicti clerici rite & ordinabiliter, ita ut prævium ambulent duo acolythi cum candelabris

Digitized by Google

candelabris & ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces & inter medium chriſma & oleum catechumenorum portentur ſub uno decenti tentorio ad hoc aptato. Deinde portetur textus evangeliorum, poſteà ſequuntur bini & bini illi duodecim ſacerdotes teſtes & cooperatores hujus ſancti officii, & poſt hunc ordinem ſacerdotum ſequantur duo pueri ſcolares in hujus ſacri myſterii laudem verſus ſubſcriptos concinentes & clero ipſis totiens reſpondente. Verſus puerorum. Audi judex mortuorum, *cum ceteris. Sequitur verſus quem clerus poſt quemlibet verſum repetit* O Redempror ſume carmen temet concinentium. *Ante ultimum verſum ceſſant pueri, & clerus à cantu, & ordinent ſe coram epiſcopo ordinabiliter per circuitum. Primo oſtiarii, deinde acolythi, ſubdiaconi, & diaconi, juxta gradum ſuum, & poſteà ſacerdotes immediatius ſtent circa epiſcopum, ita ut benedicente epiſcopo faciant ſigna quæ facit epiſcopus, & oſcultant ad verba quæ dicit. Sint etiam ibidem ordinata candelabra cum cereis ardentibus, crux, thuribulum, & textus evangeliorum. His ita ordinatis, ſi tempus patitur, & populi ſeu clerici devotio hoc requirat, epiſcopus vel alter clericus, cui per epiſcopum injunctum fuerit, faciat ſermonem de reverentia & inſtitutione ſacri chriſmatis. Quo facto, ſurgat epiſcopus, & præſententur ſibi ampulla cum oleo; & primo ampulla pro ſacro chriſmate conſecranda, & epiſcopus converſus ad altare vertens ſe ad orientem unam moderatam particulam balſami, videlicet unam guttam vel duas ad plus ponat in ipſum oleum chriſmale & dicat expreſſa voce.* Hæc commixtio liquorum fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum amen. *Facta commixtione iſta, halet ter epiſcopus inſuper ipſam ampullam & poſteà deferatur per capellanum epiſcopi per circuitum illorum duodecim presbyterorum, & quilibet presbyterorum etiam ter halet ſuper ipſam ampullam. Quo facto, reportetur ampulla ſuper altare ante epiſcopum, & epiſcopus alta voce, ſine nota; ut ab omnibus circumſtantibus bene & planè audiri poſſit quid dicat*

CAPUT XXII. De Cœna Domini.

In margine recenti manu additur Hic mos non ſervatur in eccleſia noſtra Spirenſi ſcilicet *facere ſermonem.*

Oremus Dominum noſtrum omnipotentem, qui incomprehenſibilem &c. *Item ſub eadem voce dicat epiſcopus*

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem qui fecit cœlum & terram. &c. *Epiſcopus dicat cum nota in modum præfationis* Per omnia ſæcula. Dominus vobiſcum. Surſum corda Gratias agamus. Qui in principio inter cetera bonitatis &c.

Dicta præfatione iſta, epiſcopus ſalutet ſacrum chriſma humiliato capite ter ita dicens: Ave ſacrum chriſma, ave ſacrum chriſma, ave ſacrum chriſma. *Hoc facto, deportetur ſacrum chriſma per circuitum duodecim presbyterorum, & quilibet ſalutet ipſum chriſma ſigillatim dicens*: Ave ſacrum chriſma, ave ſacrum chriſma, ave ſacrum chriſma. *Completo circuitu iſto, reportetur ſacrum chriſma ſuper altare. Et poſteà afferatur epiſcopo ampulla cum oleo olivæ pro oleo catechumenorum benedicendo, & epiſcopus ter in eam halet. Quo facto, deferatur per circuitum presbyterorum, & quilibet in eam halet ter, & poſteà coram epiſcopo ſuper altare reportetur, & epiſcopus alta voce & plana ſine nota, ſic tamen*

Vu

Digitized by Google

quod à circumſtantibus audiri poſſit, & intelligi dicat: Exorcizo te creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu-Christi, & Spiritus Sancti in hac invocatione &c. *Item epiſcopus dicat ſub eadem voce.* Dominus vobiſcum Oremus Deus incrementorum omnium &c.

Poſt hæc humiliato capite ſalutet ſanctum oleum ter ita dicens: Ave Sanctum oleum, Ave Sanctum oleum, Ave Sanctum oleum. *Deinde portetur per circuitum duodecim presbyterorum, & quilibet ſalutet Sanctum oleum humiliato capite ita dicens:* Ave Sanctum oleum, Ave Sanctum oleum, Ave Sanctum oleum. *Hoc circuitu completo, reportetur oleum ſuper altare, & ordinent ſe oſtiarii, acolythi, ſubdiaconi, diaconi & presbyteri prædicti, cum luminaribus, cruce, thuribulo, & textu evangeliorum, & reportent ad ſacrarium tres iſtas ampullas, videlicet oleum infirmorum, & ſacrum chriſma, & ſanctum oleum catechumenorum, & reſument illi duo pueri ultimum verſum:* Sit dies hæc feſta nobis ſæculorum O Redemptor ſume. *His ita peractis, cantetur communio* Dominus Jeſus poſtquam &c. *Dicta communione, incipiatur ad veſperas antiphona* Calicem ſalutaris. *Pſal.* Credidi *Antiphona* Cum his qui oderunt. *Pſal.* Ad Dominum *Antiph.* Ab hominibus. *Pſal.* Eripe me. *Antiph.* Cuſtodi me. *Pſal.* Domine clamavi. *Antiphona* Conſiderabam *Pſal.* Voce mea. *Ad* Magnificat *Antiphona* Cænantibus. *Complet.* Refecti vitalibus alimentis &c; *Et ſic compleatur miſſa more conſueto, videlicet ut cantetur* Benedicamus Domino *propter veſperas cantatas.*

Poſt hæc denudentur altaria; & facta refectione ante horam completorii, facto ſigno cum tabula, conveniat epiſcopus vel Sacerdos mandatum celebraturus cum clero in eccleſia, quem ſtatim præcedant duo acolythi cum candelis, tertius cum thuribulo, ſubdiaconus cum plenario, & diaconus ſubſequens uſque ad locum ubi mandatum eſt agendum, & ſtatim diaconus ſolemniter inponat evangelium Ante diem feſtum *ſicut hodie ad miſſam. Quo lecto, dicit epiſcopus vel ſacerdos hanc orationem.*

Deus cujus cœnam ſacratiſſimam veneramur, ut ea digni inveniamur, munda nos quæſumus à ſordibus peccatorum, qui ad inſinuandum nobis humilitatis exemplum, pedes tuorum dignatus es hodie lavare diſcipulorum, qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivis.

Expleta oratione, incipit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, & deoſculari; clero interim cantante antiphonas ſequentes Mandatum novum do vobis &c. *Finitis antiphonis, veniant miniſtri expedientes diſcumbentes ad mandatum, & edentibus eis incipiat lector ſub tono lectionis diſtinctè evangelium Joannis ſequens,* Amen, amen dico vobis &c. *Statim ſurgant diſcumbentes de mandato dicente epiſcopo vel ſacerdote media voce* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam. Tu mandaſti mandata tua. Tu lavaſti pedes diſcipulorum.

Adeſto Domine officiis noſtræ ſervitutis &c.

Annue miſericors Deus, ut qui divina præcepta violando, à paradiſi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus

acceſſum per tuorum cuſtodiam mandatorum Per

His peractis, revertantur ad eccleſiam, & dicant completorium ordine conſueto.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ TOLETANÆ.

Ex miſſali. Mozarabum.

Feria quinta in Coena Domini

AD *miſſam* Sapientiæ Salomonis. ℟. Deo gratias. Fili Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum *&c. uſque* reſpectus in electos ipſius. ℟. Amen.

Lectio libri Jeremiæ prophetæ ℟. Deo gratias. Hæc dicit Dominus. Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa &c. *uſque* non eſt pax univerſæ carni dicit Dominus omnipotens ℟. amen.

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Pſallendo* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, & in luco paſcuæ ibi me collocavit. ℣. Super aquam refectionis educavit me, animam meam ibi convertit. ℣. Deduxit me ſuper ſemitam juſtitiæ propter nomen ſuum. ℣. Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es. ℣. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. ℣. Paraſti in conſpectu tuo menſam adverſus eos qui tribulant me. ℣. Impinguaſti in oleo caput meum & calix tuus inebrians quam præclarus eſt. ℣. Et miſericordia tua ſubſequatur me omnibus diebus vitæ meæ. ℣. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

Dicat presbyter Silentium facite: Sequentia epiſtolæ B. Pauli apoſtoli ad Corinthios. ℟. Deo gratias. Fratres convenientibus ergo vobis in unum &c. *uſque* Cetera cum venero diſponam vobis ℟. amen.

Lectio evangelii ſecundùm Lucam. In diebus illis venit dies Paſchæ, in quo oportebat immolari Paſcha. &c. *Legitur de paſſione Domini conflata ex variis evangeliſtis, cujus textus à noſtra vulgata plurimum diſcrepat, incipitque à ℣. 7. capitis 22. evangelii ſecundùm Lucam & deſinit ad Petri fletum & pœnitentiam. In fine reſpondetur.* Amen

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Lauda* Deus laudem meam ne tacueris, quia os impii & os doloſi contra me apertum eſt. 2. Locutus fuit de me verba mendacii, verbis odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. 3. Pro eo quia eos diligebam adverſabantur: Ego autem orabam pro eis. 4. Poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. 5. Conſtitue ſuper eum diabolum, & Satan ſtet à dextris ejus. 6. Cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiet in peccatum. 7. Tu autem, Domine, fac mecum miſericordiam propter nomen tuum; quia ſuavis eſt miſericordia tua, libera me.

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

Et ſtatim ſacerdos miſſam celebrans accipiat duas hoſtias; unam de qua communicet, & aliam ad reſervandum in monumento in craſtinum; & accipiat vinum & aquam, & offerat ſicut mos eſt. Deinde faciat alias cerimonias fieri quæ fieri ſolent in aliis diebus. Quibus factis, inclinet ſe ſacerdos junctis manibus, & dicat: Adjuvate me fratres in orationibus veſtris, & orate pro me ad Deum. *Chorus reſpondeat*: Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Poſteà dicat chorus ſacrificium* Ædificavit Moyſes &c. *Miſſa* Diligamus & ſequamur, fratres chariſſimi, &c. *Alia oratio* Occurrentes Domine cum cœtu totius populi &c. *Poſt nomina* Pietatis tuæ Chriſte &c. *Ad pacem oratio.* Pax noſtra omnipotens Chriſte &c ℟. amen. Quia tu es vera pax noſtra &c. *Et ſacerdos dicat omnia ut aliis diebus uſque ad* gratia Dei Patris omnipotentis*: Et chorus reſpondeat* Pacem meam do vobis. *Et non detur pax, nec presbyter accipiat. Inlatio* Dignum & juſtum eſt nos tibi Domine &c. *Poſt Sanctus* Verè Sanctus, verè benedictus &c. *Poſt* pridiè Oratio Prædicamus Domine &c. *Ad confractionem panis antiphona* Dominus Jeſus miſit diſcipulos ſuos, & dixit ad eos: euntes parate vobis paſcha, ut manducemus: quia deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. 1. Cœnantibus autem illis accepit JESUS panem, & benedixit, deditque diſcipulis ſuis, & dixit: accipite & comedite. ℟. quia deſiderio. ℣. Accepit & calicem poſtquam cœnavit, deditque diſcipulis ſuis, & dixit: accipite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Non bibam à modo cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei. ℟. quia deſiderio deſideravi.. *Ad orationem Dominicam* Cogitationes & delicta &c· *Benedictio* Chriſtus Dominus &c. *Ad accedentes antiphona* Memor eſto noſtri, Chriſte, in regno tuo, & dignos fac nos de reſurrectione tua. ℣. Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. ℣. Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus. ℟. antequam patiar. ℣. Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum in quam introierit, & ingreſſi januam dicite Patrifamilias domus. ℟. quia deſiderio ℣. Dicit tibi magiſter: Tempus meum in proximo eſt, ubi eſt ergo diverſorium ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? ℟. antequam patiar. ℣. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratum; ibi parate nobis. ℟. antequam patiar. ℣. Euntes autem diſcipuli venerunt in civitatem, & invenerunt ſicut dixerat illis JESUS, & paraverunt Paſcha. ℟. Deſiderio deſideravi. ℣. Veſpere autem facto diſcubuit JESUS & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis: ℟. Deſiderio deſideravi. ℣. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. ℟. Deſiderio. ℣. Accepit panem. & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait illis. ℟. Deſiderio. ℣. accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. ℟. Deſiderio. ℣. Similiter & calicem poſtquam cœnavit dicens accipite, & gratias egit, deditque illis dicens ℟. Deſiderio. ℣. Bibite

ex hoc omnes, Hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. ℟. Deſiderio. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟. Deſiderio

Communio. Repletum eſt &c. *Dicat presbyter poſt communionem Oratio* Corpus Domini noſtri JESU-CHRISTI &c.

Et poſtquam ſacerdos communicaverit, accipiat calicem bene mundatum, & ponat intùs in calice filiolam cum qua calix cooperitur; & reverenter accipiat Corpus Chriſti ſacerdos, & ponat intùs in calicem ſupradictam filiolam. Deinde accipiat aliam filiolam cum qua cooperiat calicem, & deſuper ponat patenam calicis, & ſuprà dictam patenam & calicem ponat implam & pulchram, quæ quidem impla cooperiat totum calicem: & ponat eam ſuper humeros; & ſic honorificè deferat euchariſtiam ad monumentum cantando Hoc corpus. *Totus chorus humiliter & devotè, præcedentibus cereis & incenſo coram euchariſtia; & unus puer deferat eſquilam pulſando, & velum ſeu pallium ſuper Corpus Domini honorificè deportetur à quatuor vel à ſex Dominis de nobilioribus civitatis, qui deferunt pallium vel velum; & ſit unus de operariis eccleſiæ, qui continue ab exitu chori projiciat annovam viridem ſubtus pedes portantium ſeu deferentium Corpus Domini, & ſic fiat alia die in reverſione Corporis Domini de monumento ad altare. Et cum perventum fuerit ad monumentum; aſcendant pontifex ſeu presbyter in ſuperpelliciis, decanus, vel ejus locum tenens, theſaurarius, vel in ejus abſentia alia dignitas, vel antiquior canonicus ipſius chori. Et poſita euchariſtia in monumento, pontifex vel presbyter debet diſcooperire calicem, & humiliter monſtrare iſtis duobus Dominis hoſtiam conſecratam, & cooperto calice, ut priùs, & poſitis in dicto monumento cruce, & miſſali mixto, vel biblia, & thuribulo ſine prunis, & naveta cum incenſu, & campanella: & incenſet cum alio thuribulo monumentum reverenter, & cum ſumma diligentia claudatur cum duobus clavibus, & cum cera rubra ſigilletur cum duobus ſigillis: quæ ſigilla & claves ſervent dicti duo Domini. Et debet eſſe lumen ſemper coram ſepulcro. Sepulto Domino, clauſoque monumento, dum ſacerdos cum miniſtris revertitur ad altare, pulſetur ad veſperas cum matratis ligneis, & reverſis ad altare, ab archidiacono clara voce dicetur:* Pro hymno audiendo locis veſtris accedite. *Ac deinde ſtante epiſcopo vel ſacerdote juxta cancellum altaris, vadunt ad præparatorium, & acceptis duodecim cereis cum canolis argenteis fixis, modicam moram facientes, progrediuntur ſex levites præcedentes ante crucem, & alii ſex poſt crucem properantes ad altare. Dum verò circumdatum fuerit altare ab omnibus presbyteris, ingrediuntur levitæ cum cereis à parte ſiniſtra uſque ad dextram venientes. Prius ab archidiacono crux ponenda eſt ſuper menſam altaris. Deinde ſex levitæ pariter; & ſtans in medio epiſcopus, imponunt hanc antiphonam:* Quomodo ad latronem cum gladiis & fuſtibus veniſtis comprehendere me? vobiſcum fui docens, & non tenuiſtis me: unus ex vobis traditurus eſt me. ℟. Reſponderunt diſcipuli dicentes: numquid ego ſum, Domine? Qui mecum, ait, manum mit-

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

tit in paropſide, ille me traditurus eſt hodie. *Pſal.* Deus laudem meam ne tacueris *uſque ubi dicit* Et ejiciantur de habitationibus ſuis. *Reiteretur antiphona* Reſponderunt diſcipuli. *Iteràm* ℣. Scrutetur fœnerator *uſque ubi dicit* Et compuncti corde morti tradidit. *Reiteratur antiphona* Reſponderunt diſcipuli. *Iteràm* ℣. Et dilexit maledictionem *uſque ubi dicit* Et tu Domine feciſti. *Iteràm* ℣. Maledicent illi & tu benedices *Totum uſque in finem. Reiteratur antiphona* Reſponderunt diſcipuli, *Sicque hic pſalmus in quatuor clauſis & quinta* Gloria *ab utriſque omnibus recitatur, & caput iterum repetitur. Et poſt hac dicit epiſcopus vel ſacerdos orationem tantum ſine patena.*

Oratio

Quas tibi Domine JESU-CHRISTE pro cruce lacrymas, quæ pro ſanguinis effuſione ſuſpiria vel lamenta reſpondimus? Quæ præmia, quæ vota reddamus? Ecce nunc caperis pro nobis, pœnis cruciandus indebitis: excaperis expuendus, expueris flagellandus, flagellaris crucifigendus, crucifigeris deridendus, derideris aceto propinandus, propinaris conſummandus, conſummaris mirabiliter ſurrecturus. Parce nobis, Chriſte Domine; parce rogamus per admirabilem ſanctæ Paſſionis ac reſurrectionis tuæ virtutem; & ſicut paradiſi civem reddidiſti latronem; ita per crucis tuæ victoriam omnem à malo liberes mundum, atque univerſam redimas creaturam: ut nos quos conſcientiarum obſcuritas proſtravit in lutum, reſurrectionis claritas extollat in gaudium. ℟. Amen.

Alia oratio

Expia, quæſumus Domine noſtrorum cunctas facinorum culpas, ut depoſito veteris hominis indumento, per magnificentiſſimæ tuæ paſſionis exemplum, divinæ reſurrectionis tuæ innovati lætitia, cœleſtibus nos ſentiamus operibus inluſtrari. ℟. Amen. *Poſteà dicit diaconus* Eamus cum pace ℟. Amen.

Ad lavandos pedes

Peracta hæc omnia, vadit epiſcopus cum presbyteris & diaconibus vel omni clero ad atrium, & ſedilia juxta conſuetudinem poſita, clauſis oſtiis, & laicis omnibus foris projectis; ſuccingit ſe epiſcopus linteo, & imponit albam. Presbyteri autem quibus pedes lavantur cantant hanc antiphonam: Bone magiſter, lava me ab injuſtitia mea, ita peccato meo munda me. ℣. Si enim ego lavi pedes veſtros Magiſter & Dominus; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego facio, & vos ſimiliter faciatis. P̄. Bone magiſter lava. *Pro verſibus autem littera dicantur in ordine, id eſt pſalmus* Beati immaculati in via *totum cum* Gloria Patri*: Et locis competentibus antiphona replicatur. Cui verò pedes lavantur, mox ille epiſ-*

copus cum pedes aqua laverit, oſculatur ille cui pedes lavantur. Similiter in caput ipſi epiſcopi vel oſculatur. Poſteà verò archipresbyter ſuccinctus anteo extergit pedes eorum, & ita ipſi alterutros ſibi faciunt: qua expleta, bbates, presbyteri, & levita, vel qui non occurrerunt, aut pedibus infirmi ſunt, aquam manibus tantum ab epiſcopo accipiunt, & ab utriſque ſimiliter vel manus deoſculantur. Poſt hæc expletis, dicit epiſcopus hanc orationem

Oratio

Unigenite Dei Patris, qui pro mundi ſalute noſtræ humilitatis aſſumere dignatus es carnem: qui miſericorditer hominem quem formaveras deceptum à perſuaſione diaboli per humilitatis tuæ gratiam ad paradiſi iterùm feciſti revocare januam: qui diſcipulorum tuorum pedes non dedignaſti lavare, ut nos imitando exemplum ſalutare, tecum faceres conregnare; petimus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut noſtrorum deleas facinora peccatorum; quatenùs abluti delictis, mereamur ſancti effici participes in regno cœlorum. ℟. Amen.

Deinde proſtrati omnes cum epiſcopo in terram, plorant modicum omnes: & illi ſimiliter plorantes cum eo, ſicque conſurgentes poſteà ad cœnam conveniunt conſumtis autem omnibus eſcis vel potis, accedant presbyteri vel diacones ad epiſcopum, & accipiant ab eo cerea incenſa, & præcedunt eum uſque ad cellam: & ipſe manu ſua presbyteris & diaconibus vinum ad bibendum tribuit; ac poſteà ſimul omnes propriis domibus revertuntur. Eadem verò nocte nullo jam lumine perluſtratur niſi coram ſepulcro.

RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

Ex miſſali Ambroſiano anno 1560. *edito.*

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

P*Oſt tertiam cantatam Dominus archiepiſcopus poſt altare dicat* ℣. Dominus vobiſcum*: Et minor diaconus rubra dalmatica indutus ſuper pulpitum legat lectionem ſequentem in majori tono evangeliorum.* Lectio Danielis prophetæ. In diebus illis erat vir habitans in Babilone, & nomen ejus Joachim &c. *uſque* in conſpectu populi à die illa deinceps. ℟. Aſſurgentes &c.

Alius diaconus rubra dalmatica indutus legat in majori tono ſequentem lectionem Lectio libri Sapientiæ. In diebus illis dixerunt impii Judæi ad ſemetipſos, circumveniamus virum juſtum. &c. *uſque* Et regnabit Dominus illorum. *Canticum* Qui edebat &c.

Alter diaconus rubra dalmatica indutus legat ſequens evangelium in tono quotidiano, ſecundùm Matthæum. In illo tempore abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas *&c. uſque* Exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. ℣. Dominus vobiſcum *Oratio* Concede &c. *Sequitur*

Digitized by Google

CAPUT XXII. *De Cœna Domini.*

—— *ter* Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon. ℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. ℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Chriſti. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Poſteà cantentur Sexta & Nona conſequenter veſpera. Cantato autem ℟. in choro, hebdomadarius lector pulpitum aſcendat, & legat lectionem ſequentem Lectio Jonæ prophetæ. In diebus illis factum eſt verbum Domini, ad Jonam filium Amathi dicens: Surge & vade in Ninivem. *&c. uſque.* Et ſiniſtram ſuam & jumenta multa. ℟. Vigilate &c.

Poſteà pontifex in ſacrarium revertatur cum ſacerdotibus & diaconis, & ſubdiaconis, & induant ſe ſacris veſtibus ſolemni modo, & exeant. Pontifex autem accedat ad altare, & dicat confeſſionem. Deinde vadat poſt altare, & dicat ℣. Dominus vobiſcum *Et orationem ſequentem voce ſubmiſſa, ut à circumſtantibus audiatur.*

Ad miſſam oratio ſuper populum

Deus à quo & Judas &c. Ad Corinthios. Fratres, convenientibus vobis in unum &c. *uſque* cetera autem cum venero diſponam. *Cantus* Tamquam ad latronem &c.

Paſſio Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſecundùm Matthæum.

Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad JESUM dicentes ubi vis paremus tibi comedere Paſcha. *&c. uſque* Et egreſſus foras flevit amare.

Finita paſſione ſine Dñus vobiſcum, *dicatur ſtatim poſt evangelium* Cœnæ tuæ &c. *Quo finito dicitur* ℣. Dominus vobiſcum, *& non dicitur*, Kyrie eleiſon, *nec* Pacem habete; *Sed ſequitur oratio ſuper ſindonem.... offerenda... oratio ſuper oblata... præfatio... canon*

Infra actionem

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter JESUS-CHRISTUS. Tu nos, Domine, participes Filii tui, tu conſortes regni tui, tu incolas paradiſi, tu angelorum comites eſſe juſſiſti; ſi tamen illæſa & intemerata fide cœleſtis militiæ ſacramenta ſervemus. At quid deſperare de tua miſericordia poſſumus, qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hoſtiam offerre mereamur, Corpus ſcilicet & Sanguinem Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui ſe pro mundi redemptione piæ illi ac venerandæ tradidit paſſioni', qui formam ſacrificii ſalutis perennis inſtituens, hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri: ſed & memoriam venerantes in primis &c.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus ob diem Cœnæ Dominicæ, in

Caput XXII De Cœna Domini.

in qua Dominus noſter Jesus Christus Filius tuus in novo teſtamento ſacrificandi ritum inſtituit, dum panem & vinum quod Melchiſedech in præfiguratione myſterii futuri ſacerdos obtulerat in ſacramentum ſui Corporis & Sanguinis transformavit celebrandum: quæſumus, Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalvi & incolumes munera noſtra tibi Domino mereamur offerre, dieſque noſtros in tua pace diſponas &c.

Qui pridie quam pro noſtra & omnium ſalute pateretur, hoc eſt hodierna die, diſcumbens in medio diſcipulorum ſuorum, & accipiens panem elevavit &c.

Nobis quoque minimis peccatoribus &c. quæſumus largitor admitte, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hæc facimus, hæc celebramus, tua Domine præcepta ſervantes, & ad communionem inviolabilem hoc ipſum quod Corpus Domini ſumimus, mortem Dominicam annunciamus. Tuum verò eſt, omnipotens Pater; mittere nunc nobis unigenitum Filium tuum, quem non quærentibus ſponte miſiſti: qui cum ſis ipſe immenſus & ineſtimabilis, Deum quoque ex te immenſum & ineſtimabilem genuiſti, ut cujus paſſione redemptionem humano generi tribuiſti ejus nunc corpus tribuas ad ſalutem Per eumdem.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas &c. *Sequitur loco Præceptis ſalutaribus* Oremus. Ipſius præceptum eſt Domine quod agimus, in cujus nunc te præſentia poſtulamus. Da ſacrificio auctorem ſuum ut impleatur fides rei in ſublimitate myſterii, ut ſicut veritatem cæleſtis ſacrificii exſequimur, ſic veritatem Dominici Corporis & Sanguinis hauriamus Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum, dicentes Pater noſter &c.

Non dicitur offerte vobis pacem, *nec datur miniſtris.*

In missali Ambroſiano anno 1669. edito habentur ſequentes Rubricæ *Hæc miſſa celebratur ab uno tantum ſacerdote in cathedrali, & in unaquaque collegiata parrochiali, vel alia ejuſdem generis eccleſia; non autem in oratoriis privatis; & in eccleſia quidem cathedrali collegiatave præmiſſis lectionibus orationibuſque cum pſalmellis contentis in fine miſſalis, & deinceps dum cantatur noviſſimus pſalmellus, archiepiſcopus ſeu dignior ſacerdos cum miniſtris accedit ad altare, & facit confeſſionem, qua abſoluta ſequentem orationem ſubdit ſubmiſſa voce, ita tamen ut a circumſtantibus audiri poſſit.* Dominus vobiſcum *Oratio ſuper populum* Deus à quo & Judas &c.

Finita miſſa accenduntur intorſitia & cerei, & fit proceſſio more ſolito ad reſervationem SS. Sacramenti pro infirmis & pro ſepultura Domini repræſentanda. Celebrans indutus imponit incenſum in duo thuribula ſine benedictione, genuflectit ante altare, & cum altero incenſet ter SS. Sacramentum. Deinde de manu diaconi accepta pixide cum ſacramento, & cooperta extremitatibus veli quo ejus humeri teguntur. Procedit medius inter diaconum & ſubdiaconum ſub baldachino: duobus acolythis ante SS. Sacramentum

continuè incenſantibus uſque ad locum ubi ſervandum eſt. Interim dum ſit proceſſio, cantatur hymnus Pange lingua glorioſi. *Repoſito ſacramento, & rursùs ut ſupra incenſato, veſperæ in choro abſolvuntur. Finitis veſperis, ſi adſit Archiepiſcopus ſit mandatum.*

ANTIQUI RITUS ROMANI S. PAULI MONASTERII

Ex ms. conſuetudinibus ejuſdem monaſterii ſæculo XI. exaratis.

Qualiter agantur in Cœna Domini.

C*Oena Domini quinta feria ante nocturnos 15. in inſtrumento lignorum ante majus altare, totidemque ſint accenſæ candelæ quot pſalmi ſunt imponendi: & remanentibus 30. pſalmis, ante nocturnas dicantur 15. ſub ſilentio.* Pater noſter. *Oratione finita, ſigna ſonet ſecretarius ſicut ſolitus eſt; quibus dictis ſonantibus ſignis, poſtquam dimiſſi fuerint, hebdomadarius incipiat antiphonam* Zelus domus tuæ, *& ſtatim extinguatur una candela hinc, alia inde; ſicque fiat omnibus pſalmis incipientibus; ad obſequium namque ipſum matutinale ſive pro hora diei, antiphonæ quas dicunt ad finem, tonum non faciant quemadmodum ſoliti ſunt. Infantes pronuncient pſalmos, ſine benedictione lectiones incipiantur, & metro ſive melodia finiantur. Prima tres lectiones de lamentationibus Jeremiæ leguntur.* Et factum eſt poſtquam in captivitatem ductus eſt Iſraël. *Apud nos legitur ſine cantu, ſicuti aliæ lectiones. Deinde tres aliæ de Sermone S. Auguſtini ſuper pſalmum* Exaudi Deus orationem *Poſteà de epiſtola ad Corinthios* Primum quidem convenientibus nobis, *quando pſalmus imponitur* Laudate Dominum de cœlis, *omnes extinguantur candelæ præter unam; & magiſtri propter cuſtodiam inter infantes teneant, unus ex magiſtris accendat candelam lanternæ, & cum cantor inchoaverit antiphonam* Traditor autem, *extinguatur illa quæ ſola remanſit candela. Finito cantico & antiphona, proſternantur, & orationem, preces, pſalmum & collectam dicant ſub ſilentio. Cum verò prior fecerit ſignum, ſurgentes fratres revertantur in dormitorium. Cum cœperit illuceſcere, ſonetur ſquilla modice: cantent Primam, hymnum & pſalmos cum antiphona communiter. Preces autem ſeparatim ſub ſilentio; ſed & 7. pſalmos, cum letania generaliter ſicut nocturnæ laudis. Matutinæ ſine verſu* Deus in adjutorium meum *recitentur, ſeu & aliæ regulares omnes horæ poſt hymnum ſine* Gloria *pronuntiantur.....*

Ad horas hymnum ſicuti dixerunt præterito tempore quadrageſimæ, ita perſolvant, & pſalmos regulares imponant. Gloria tibi Trinitas. Gloria Patri & Deus in adjutorium meum intende *Iſtis tribus diebus dimittantur. Hora finita, ſi aliquis frater venerit ex itinere, accipiat benedictionem ſicut ſolitus eſt. Quando ſignum pulſatur ad Tertiam, more ſolito præparentur, & interim dum Tertia dicitur, calceamenta quæ danda ſunt fratribus in*

Digitized by Google

capitulo per ordinem ſuſpendantur in medio in quatuor perticas & totidem columnis affixis ſuſtentates eas; ſtatimque poſt Tertiam veniant in capitulum; & ſimiliter ſicut in eccleſia ſine benedictione petita lectione recitata; ſed & verſu & oratione conſuetudinaria ſub ſilentio dicta, lectaque de Regula lectione, denuntiet puer brevem; & tunc hebdomadarios coquinæ nominatim; & ſint pluſquam aliis temporibus. Poſt ſermonem factum ſurgant camerarii unus hinc & alius inde, & calceamenta fratribus diſtribuantur, ſicut conſcripta ſunt. Aliis rebus neceſſariis ordinatis, abbas debet jubere præter illos qui in ipſa ſeptimana ſunt ad 6. fratres nominatim qui cum ipſo abluant pedes ſenioribus. Poſt hebdomadariis exeuntibus à capitulo, 5. pſalmos ſecundùm conſuetudinem, ſi anniverſarius fuerit, dicant in altum, orationem Dominicam, & preces ſub ſilentio. Si qui indigent, nocturnales à camerario accipiant, reddentes veteranos, quia diurnales jam ſimul in præfato loco ſuſceperunt.

CAPUT XXII. De Cæna Domini.

Poſt capitulum aliquantulo intervallo facto, ſonetur ſignum ad matutinalem miſſam pro adunatione pauperum; & ſacerdos qui alia hebdomada majorem miſſam cantaverat, miſſam peregrinorum dicat, & oblatam tribuat. Oſtiarii eccleſiæ ſerviant ipſis ſacerdotibus dum ſignum pulſatum fuerit ſicut ſuperius taxavimus. Alii verò ſacerdotes, qui miſſam agere volunt, abſque igne faciant tandiu quouſque major ſacrata incboata fuerit: poſteà illi qui dictam non habuerint, accepta licentia ignem habeant.

Hora competente agant Nonam, & tunc veſtiant ſe qui miſſæ ſervitia complere debent; & qui cantilenæ, & tres ſervitores, & infantes omnes. Venientibus autem illis in choro, incipiat abbas pſalmum Miſerere mei Deus; *& tunc veniant ordinati ad ignem benedicendum: in primis aquam ſanctam atque incenſum, denique crucem portantes, ſacerdos & ſecretarius qui perticam portare debet in hac die, deinde infantes, & pôſtmodum Domnus abbas, & alii ſicut ſunt priores, & converſi eos imitantes, in noviſſimis locis duo & duo. Ubi pervenientes, dicat ſacerdos* Dominus vobiſcum; *& benedicat focum novum: & tunc aſpergat aquam benedictam in eo, atque accendat candelam pertica, & aliam quam infans portare debet in lanterna. Tunc veniant canendo hos pſalmos* Deus in nomine tuo ſalvum me fac. Miſerere mei Deus, miſerere mei. Deus miſereatur noſtri. Deus in adjutorium meum. *Intrantibus januam majoris templi: pſalmodia verò protendatur quouſque veniatur in chorum. His tribus æqualiter proceſſio celebratur diebus. Tunc vertantur formulæ, ſed & omnia ſigna pulſentur, poſteà verò vel in eccleſia vel in clauſtro nullum ſonet æramentum; ſed quidquid debent facere fratres tabulæ ſonitu nuntietur uſque ad miſſam in ſabbato ſancto. Deinde miſſa feſtivè celebretur. Cantor in choro cappa, diaconus dalmatica, ſubdiaconus tunica ſit veſtitus. Ad introitum miſſæ dicant* Gloria Patri. *Epiſtola* Convenientibus. *Duo fratres Reſponſorium canant* Chriſtus factus eſt. *Evangelium* Ante diem feſtum Paſchæ. *Offertorimm* Dextera Domini; *Et tantum mittatur hoſtiarum ad conſecrandum, ut ipſa die, nec non in craſtinum omnibus ſufficiant ad communicandum. Ad pacem etiam omnes venire communionemque cuncti debent*

CAPUT XXII.
De Cœna Domini.

etiam infantes accipere. Poſt miſſam pulſata tabula fiat brevis oratio, ſicut aliis diebus ante veſperam ſolitum eſt. Poſteaquam exuti fuerint illi qui ſacramenta adminiſtrarunt, ſimul omnes in refectorium veniant mixtum accipere. Decanus autem clauſtrenſis & Digenus forenſis cum camerario etiam de aliis fratribus quibus velint aſſumere.... Interim dum in refectorio ſunt fratres, in locum qui conſtitutus eſt, videlicet in clauſtro juxta eccleſiam deducant pauperes ad ſedendum. Exeuntibus de refectorio fratribus, ſonet prior tabulam, conveniant omnes in clauſtrum juxta promptuarium ſtent ibi ſicut ſunt priores ordinatim, ut mos eſt ad proceſſionem ſtare. Pueri eant in ſchola, magiſtro inter eos ſtante, juxta ordines ſuos lavantes ſuos pauperes. Incipientes cantores antiphonam Dominus JESUS, *flectant omnes genua ſua in terram ad orientem, ut in eis Chriſtus adoretur. Eademque ante peregrinos faciant magiſtri cum infantibus, & incipiant lavare. Poſt pſalmum* Deus miſereatur noſtri *per unumquemque verſum expletum cum antiphonam* Dominus JESUS *habuerint. Pſalmus* Beati immaculati. *Et ad unumquodque capitulum iterùm incipiatur* Dominus JESUS *uſque* Lucerna pedibus meis. *Poſteà dicantur alia antiphona donec ſinguli fratres ſingulis pauperibus lavent pedes, tergant & oſculentur. Ille namque qui lavat, tergat & oſculetur eorum pedes, alius accipiens linteum, in primis concham, ipſe eat ad locum ubi frater ſtat cum aqua, & manile abluat manus ſuas, & regrediatur in ſuum locum, ceteri ſimiliter faciant. Dum omnes abluti fuerint, incipiant donare aquam illorum manibus, tenente fratre mutuo manile ad illos, & ſemper unuſquiſque hoc ut factum habuerit, in ſuo loco iterùm veniat. Illico ut cuncta peracta fuerint, ſonet prior tabulam uno ictu tantum. Tunc habeant cellerarii vinum præparatum, & camerarii unus hinc, alius inde fratribus propinent vinum, & denarios præparatos habeant, ut dum fratres accipiunt ſcyphum, donent pauperibus; quibus dantibus vaſculum, manus illorum oſculentur, atque iterùm nummos duos vel tres tribuant cum oſculatione. Quod dum fuerit factum, dicat abbas, ſi præſens fuerit,* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Poſt hanc orationem dicatur apertè* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam. Tu mandaſti mandata tua. Tu lavaſti pedes diſcipulorum tuorum, *& orat*, Adeſto, Domine, noſtræ ſervitutis &c. *Pſalmus* miſerere mei Deus *dicatur ſub ſilentio; ſicque ſonantibus tabulis eant in chorum ad veſperas. Cumque fuerint ſinguli locis ſuis, incipiat puer antiphonam* Calicem &c.

Euntibus ſenioribus refectorium, ſecretarii diſcooperiunt altaria. In refectorio ſint tabulæ cooperta, & caritatem faciant. Ipſa die non debet eleemoſynarius panem & vinum accipere, neque ſabbato ſancto quod remanſerit in refectorio. Cum exierint fratres, verſum & omnia dicant ſub ſilentio. Deinde lavent pedes ſuos, & præparentur ad mandatum fratrum.

Primum autem cum ad mandatum convenerint hebdomadarii qui exituri ſunt de coquina, ſequenti hebdomada pedes omnibus lavent. Poſteà Domnus abbas, ſi preſens fuerit, ex una parte; prior ex altera lavent pedes, tergant & oſculentur: quod cum fuerit impletum, veniat Domnus abbas in locum

Digitized by Google

ſuum, & duo fratres lavent illi pedes : ſervitores autem foras capitulum lavent. Cum verò manus abluta fuerint, veniant diaconus & tres ſervitores, & veſtiantur in eccleſia. Diaconus ſtolas habeat , & accipientes duo candelabra cum candelis & thuribulum cum incenſo , ſonetque ſecretarius cum licentia tabulam ; alter analogium portet , & diaconus textum : quibus ita capitulum intrantibus ante evangelium ſurgant omnes , & annunciante abbate , incipiant legere. Cum venerit ad illum textum ubi dicitur Surgite eamus hinc , *ſonetur tabula , taliterque precedant in refectorium. Dominus abbas & prior miniſtrantibus eis quibus injunctum fuerit , fratribus dantes , oſculentur manus eorum , & infantibus ſimiliter. Lectione autem terminata , diaconus ablata ſtola , cum aliis qui ſunt in albis , ad tabulam Domini abbatis ſedentes , potum ſimiliter accipiant & bibant ; cum inde revertuntur ad eccleſiam , unuſquiſque ſtet in ſuo loco verſi contra orientem : juvenes ad formas ſtent , cantent completorium ſub ſilentio unuſquiſque per ſe.*

RITUS LUGDUN. MONASTERII S. MARTINI ATHANACENSIS

Ex miſſali ejuſdem monaſterii.

Feria quinta in Cœna Domini poſt Tertiam intrent capitulum , & dicatur lectio ſine Domne jube ; *& Regula ſine* Tu autem *finiatur. Prapoſito verbo Dei, & lectis conſuetudinibus, & tractato de ordine , fiat abſolutio generalis de peccatis & ſententiis oblitis , tamen ab abbate , alioquin à majore. Surgat aute meleemoſynarius & eligat ſibi ſocios de fratribus ad introducendos pauperes , & tot introducantur , quot ſunt monachi , niſi forte plures aſſumantur de mandato abbatis , vel niſi aliqui officiales ſeu priores aliquos per ſe faciant introduci.*

Exeuntes de capitulo ſedeant in clauſtro uſque ad Sextam , loquentes de licentia. Introducantur autem honeſti pauperes, maximè clerici peregrini. Introducti per oſtium mandati,vadant rectè ad eccleſiam B.Petri,ibique celebretur miſſa matutinalis de die alta voce,& non dicatur in miſſa oratio niſi de die tantum. Finita miſſa dentur pauperibus hoſtia non conſecrata , ſed benedicta loco panis benedicti. Et tunc ſint parata omnia , ſcilicet panis , vinum & faba & aqua ab abluendum pedes pauperum in prato S. Petri , & detur cuilibet una mica cum fabis & potu , & dum comedunt & abluunt pedes , dicatur Sexta & Nona.

Poſt nonam pulſetur major campana , & preparent ſe miniſtri ad proceſſionem ignis novi , qui fit hoc modo : extrahitur ignis de criſtallo à pueris , ſi fieri poteſt , & extractus in clauſtro puerorum propè refectorium , pergat presbyter cum miniſtris reveſtitis, pracedentibus cereis , cruce , thure & aqua benedicta. Venientes ad ignem , majores ſemper pracedant , junioribus ſequentibus , & eundo dicant pſalmum Miſerere mei Deus. *Sacriſta deferat unum cereum , & dicat abbas ſive presbyter , qui facit officium ſuper ignem alta voce.* Oremus Domine Deus noſter Pater omnipotens , exaudi nos

Digitized by Google

lumen indeficiens &c. *Tunc aſpergat ignem aqua benedicta ; poſteà incenſetur ; & accendatur cereus , quem deferat ſacriſta , in dicto igne ; & tenendo ipſum cereum incipiat ille qui facit officium altè antiphonam* Erat lux vera &c. *Et ipſa finita , iterùm incipiatur dicta antiphona ab illo qui incepit eam. Redeundo ad eccleſiam omnes tranſeundo calefaciant ſe ad ignem , & dicant uſque ad eccleſiam pſalmum* Deus in nomine tuo *Pſal.* Miſerere mei Deus , miſerere mei. *Pſal.* Retribue.

Miſſa & claſſus miſſe. Pulſentur omnes campanæ minoris campanilis cum majori campana majoris campanilis ; & ponatur unus cereus ante altare. Incipiat cantor cum cappa viridi miſſam presbytero diacono & ſubdiacono indutis ornamentis viridibus ; & cantetur ſicut in 12. lectionibus

Hodie Domnus abbas facit & facere debet eleemoſynam generalem omnibus venientibus de media mica cum potu vini, & etiam in dicta eleemoſyna debent dari fabæ cum duobus denariis per illos de quibus fit mentio in uſibus.

Adminiſtrentur tot hoſtiæ in miſſa , ut poſſint ſufficere pro præſenti , & pro duobus diebus ſequentibus ad communicandum omnes : & nullus abſtineat à communione niſi de licentia abbatis vel prioris majoris.

In his tribus diebus poſt perceptionem euchariſtiæ habeat ſacriſta paratum textum evangeliorum cum ſcutellis argenteis ad hoc deputatis : & poſito Corpore Domini inter duas patenas , & ponantur dictæ patenæ inter ſcutellas prædictas ; & dictæ ſcutellæ ponantur inter textum evangeliorum & cum incenſo & cereis deportetur eum multo honore ; & dum presbyter defert Corpus Domini , teneant miniſtri pannum ſericum deſuper ipſum , & ponatur Corpus Domini in locum ad hoc præparatum : & dum defertur totus conventus flectat genua donec ſit repoſitum ; & ponatur cereus ante Corpus Domini , qui ardeat quamdiù ibi fuerit , niſi ad Benedictus *: & tunc extinguatur cum aliis , & iterùm accendatur.*

Et nota quod finita miſſa omnia altaria , cruces , & imagines debent expoliari , & denudari , & ſic ſint uſque ad diem ſabbati ſequentem , nec ab hac hora pulſentur campanæ uſque ad officium ſabbati.

Exutis igitur presbytero & miniſtris , præcedant majores , & intrent omnes refectorium , & inveniant paratum panem ſcilicet radicibus & & vinum ; & fiat benedictio ſub ſilentio : & guſtato aliquantulum de pane loco cœnæ , propinetur vinum herbatum , & aliud ſine herbis , & fiat benedictio ſub ſilentio.

Interim introducantur pauperes in clauſtrum puerorum & in aliis clauſtris , & ponatur fœnum ſub pedibus ſingulorum , & ſint parati ſervientes monaſterii ad miniſtrandum aquam pro lavandis pedibus & manibus pauperum. Ordinatis verò pauperibus , exeant fratres de refectorio nihil dicentes ; ſed tantum ſupplicationem ante & retro facientes , & quolibet in ſuo ordine exiſtente in clauſtro puerorum , incipiat Domnus abbas , ſi eſt præſens , alioquin cantor altè Dominus JESUS , *cum aliis prout in reſponſoriis continetur. Et tunc omnes flectant genua , pueris & converſis exiſtentibus ſeorſum*

Caput XXII. De Cœna Domini.

in clauſtro refectorii cum ſuis pauperibus ; & accedant omnes , & lavent pedes ſingulorum , tergendo & oſculando ipſorum pedes humiliter & devotè & ſine confuſione. Lotis pauperum pedibus , detur aqua manibus monachorum : Poſteà ipſi dent aquam manibus pauperum , offeraturque eis vinum , benedictione præmiſſa ſub ſilentio : & offerat eleemoſynarius cuilibet duos denarios oſculando manus ſingulorum. Et dum omnia ſupradicta fiunt , cantentur antiphona Dominus Jesus &c. *His peractis , dicat abbas , ſi præſens eſt , alioquin major prior* ℣. Suſcepimus &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Deinde flectant genua & dicant* Pater noſter ℣. Tu mandaſti. ℣. Utinam dirigantur viæ meæ. Dominus vobiſcum *Oratio* Adeſto &c. *Eundo ad eccleſiam , dicant pſalmum* Miſerere mei Deus ſecundum , *& dicant veſperas*

Poſt prandium ſedente priore clauſtrali in ſede capituli , cantent antiphonam Dominus Jesus *Cum aliis ut ſuprà. coquinarii præcedentis & ſubſequentis ſeptimanæ lavent pedes ſingulorum , non tamen tergant. Abbate & priore majore ſedentibus in clauſtro donec ablutio fuerit conſummata : qua peracta , abbas ſubcingatur manutergio vel linteo , & prior major alio ; & intrent capitulum aliis poſt eos aquam portantibus : quibus intrantibus omnes aſſurgant : abbas à dextris & prior à ſiniſtris lavent iterùm & tergant pedes ſingulorum , eoſdem oſculantes. Hoc ſecundo abbas & prior exeant & lavent pedes eorum in clauſtro : abbate lavante primo prioris pedes : Deinde priore lavante pedes abbatis. Poſteà detur aqua in manibus abbatis & prioris. Ipſi verò abbas & prior accipientes aquam, dent ipſam manibus omnium fratrum. Quo peracto; intrent abbas & prior & alii ſervitores capitulum, & ſupplicent ante & retro: & veniente abbate ad ſedem propriam, ſurgant omnes priore clauſtrali oſculante manum abbatis; & iterum ſedeat juxta abbatem à parte ſiniſtra aliquantulum longè. Et dum datur aqua manibus, ut ſuprà, diaconus dalmatica viridi colore & duo pueri cum ſubdiacono induantur albis ; & finito cantu , intrent capitulum duo pueri candelabra argentea cum cereis deferentes , & ſubdiaconus cum thure & manipulum portans . & diaconus textum evangelii cum libro portet , & ſurgant omnes , & ſtent donec dixerit primum* ℣. Ante diem feſtum Paſchæ. *Et tunc ſedeant , & diaconus legat in capitulo & in refectorio ſuper lectrinum , quem faciat ſacriſta præparari , & dicto illo verſu* Hæc locutus ſum vobis , *faciat ſignum abbas , vel qui præſidet; & audito ſigno, ſurgat prior major ad pulſandam tabulam : & dicto* Surgite eamus hinc , *pulſet tabulam & vadant in refectorium diacono & miniſtris euntibus poſt conventum & ante abbatem vel majorem priorem. Prior clauſtralis aſcendat majorem menſam , & diacono ante gradus ſuper lectrino legente , abbas procedat à parte dextra , & prior major à ſiniſtra , duobus quemlibet ſequentibus : primo vinum herbatum portante , alio vinum ſine herbis : fiatque benedictio ſubmiſſa voce. Abbas cuilibet offerat primo vinum herbatum , & poſteà bonum vinum ſine herbis , oſculando manus ſingulorum ; & prior major ab alia parte ſimiliter. Poſtquam omnes biberint , facient abbas , prior , & ſocii eorum ſupplicationem ante & retro; & ſedente abbate in ſede ſua propria, & priore majore in ſua , offera-*

Digitized by Google

tur eis utrumque vinum, ſicut illi aliis fecerunt, priore clauſtrali in ſede juxta abbatem aliquantulum longe ſedente. Finita lectione, diaconus exuat dalmaticam & ſedeat in capite menſæ ſiniſtræ, ſubdiacono ſedente in dextra; & miniſtretur eis vinum utrumque, ut ſuprà. Et hoc facto, in ultima menſa à parte ſiniſtra poſita ſint mantilia: & tunc intrent refectorium ſervitores & famuli monaſterii, & miniſtrentur eis loco cœnæ radiciæ & vinum ſine herbis: & facta cœna, famuli recedant, & pulſato ab abbate ſuper menſam, omnes ſurgant, facientes ſupplicationem ante & retro; & vadant ad eccleſiam, ubi dicatur completorium.

CAPUT XXIII.

De Feria Sexta Paraſceves.

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

I. CElebertrimam in eccleſia diem hanc reddidit Chriſti Domini Paſſio, quam ab ipſis fidei incunabulis ſingulari quadam veneratione quotannis recolere ſolitos fuiſſe chriſtianos haudquaquam dubium eſt, cùm diſertis id verbis adſtruat Euſebius in libro 2. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 17. ubi de Eſſenis ſeu Ægypti aſcetis, quos inter præcipuos illorum temporum Chriſti diſcipulos recenſet, aſſerit eos Dominicæ Paſſionis temporibus *vigiliis, ſacrorum librorum lectioni ac jejuniis* impenſius vacaſſe: quæ quidem exercitia apud pios quoſque fideles hactenùs perſeverant.

Nocturnæ vigiliæ qua hora perſolutæ.

II. Vigilias hujus diei nocturnas, uti in Natali & Epiphania Domini, ab hora noctis tertia incipiebat eccleſia Gallicana; eaſque medias inter denſiſſimas tenebras totas perſolvebat. Hujus conſuetudinis teſtis locupletiſſimus exiſtit Gregorius epiſcopus Turonenſis, qui in libro 1. de Gloria martyrum cap. 5. ita habet: [Sexta feria ante ſanctum Paſcha cùm in vigiliis ſine lumine pernoctarent circa horam tertiam noctis, apparuit ante altare lumen parvum.] Sed in antiquo Ordine Romano, in codice ms. eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. in Rituali Sueſſionenſi & in Ordinario Cuſentino ad eas celebrandas media noctis hora deſignatur. De his præter ea quæ præcedenti capitulo adnotavimus, ſingulare nihil occurrit, niſi quod in ms. Pontificali inſignis eccleſiæ Pictavienſis tres ante nocturnos prolixiſſimæ ad crucem orationes dicendæ præmittantur; in Ordinario Turonenſi ſex primæ lectiones de Lamentatione Jeremiæ prophetæ, inſtituantur, in Laudunenſi ſeptima de Paſſione Domini ſecundùm Joannem cum ejus expoſitione. Olim in eccleſia Gallicana ad matutinum aliaſque horas diurnas cum lectione ex veteri teſtamento, una de Paſſione Domini decurrebatur, uti videre eſt in Lectionario Luxovienſi ante annos mille ſcripto, quod publici juris fecit noſter Mabillonius, & in veteri Sacramentario Bobienſi, quod in Muſæi Italici tomo 1. idem edidit, in quo tamen ſola de Paſſione Domini lectio continetur, omiſſa ea quam ex

In his quid ſingulare.

veteri

veteri teſtamento habet Luxovienſis codex. Narrat verò Sozomenus in libro 7. Hiſtoriæ capite 19. [Revelationem Petri quæ, ut adulterina à veteribus repudiata eſt, in quibuſdam Palæſtinæ eccleſiis ſemel quotannis die ſcilicet Paraſceves, quo populus admodum religiosè jejunat in memoriam Dominicæ Paſſionis] fuiſſe recitatam.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Horæ diurnæ ſub ſilentio recitatæ.

III. Quod ſpectat ad hujus diei horas diurnas, hæ ſubmiſſa voce & abſque cantu ex antiqua conſuetudine ſolent decurri. In quibuſdam locis communiter in choro non dicebantur, ſed privatim. Ita præſeribunt antiqui libri Rituales non pauci, ordinarium Laudunenſe, Lingonenſe, Lemovicenſe, codex Noviomenſis vetuſtiſſimus, Rituale Sueſſionenſe &c. Ex ordinario canonicorum regularium cruce ſignatorum prima & tertia privatim in capitulo, ſexta & nona in choro perſolvi debebant. Turonenſes S. Martini canonici diurnas horas in choro quidem recitabant, ſed extra ſtalla. Ita quippè habent in veteri antiphonario. [Hac die poſt prædicationem quæ hora nona finiri debet, recitantur horæ Prima, Tertia, Sexta & Nona ſubmiſſa voce, non in ſtallis ſedendo, ſed propè tumulum marmoreum in medio chori ſtando.] Ab hoc ritu non multum diſcrepat mos eccleſiæ Rotomagenſis, quem ita deſcribit ejuſdem eccleſiæ ordinarium : [Horæ hujus diei cum ſilentio in chori quatuor angulis dicantur, more Judæorum de morte Domini conſilium capientium.] Ex ordinario Argentino horæ hujus diei omnes non à verſu. *Chriſtus factus eſt*, ſed ejus loco à verſu *Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* terminari debent.

Pſalterium ex integro recitatum.

IV. Hæc omnia non negligentiæ cauſa, ſed ad mœrorem doloremque de Chriſti morte exprimendum agebant : ceterum quod ex cantu precibuſque ſoliris remittebant ; pſalterii recitatione aliunde compenſabatur. Quippè quod in libro 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 14. adnotavimus, moris eis fuiſſe, ut mane integrum recitarent pſalterium, non ſolis extitit monachis ſingulare, ſed aliis etiam clericorum eccleſiis commune. [Poſt matutinum, inquit Joannes Abrincenſis, fratres in clauſtro, aut, ſi deeſt, in eccleſia pſalterium cum litania communiter dicant : quo dicto, omnes intra eccleſiam cum ſilentio privatas orationes faciendo uſque ad officium ſedeant.] Concinit Ordinarium Cenomanenſe uti & Uticenſe, Rotomagenſe canonicorum S. Laudi, Pariſienſe canonicorum S. Crucis, Gaſtinenſe, & Miſſale fratrum Prædicatorum atque hujus moris praxim videre eſt in Vita S. Udalrici Auguſtenſis epiſcopi, in cujus capite 4. ita lego : [Die autem Paraſceve, horis ſecundùm ordinem cautè expletis, omiſſis aliis curſibus, ſicuti in Cœna Domini, niſi ad eumdem diem pertinentibus, manè diluculo pſalterium explere feſtinavit.] Quanam verò ratione, quove ritu pſalterium decantaretur, ita deſcribit Lucas Cuſentinus Archiepiſcopus in ſuo Ordinario : [Finitis laudibus, egrediantur clerici cum ſummo ſilentio, & clara luce redeant ſimiliter cum ſilentio : tum incipiat epiſcopus pſalterium, quod pronunciatis ab eo cui committitur per

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

ſingulos pſalmos titulis, viciſſim ab utroque choro, plana ſed diſtincta voce pſallatur. Ubi venerint ad quinquageſimum pſalmum, ſurgentes compleant illum. Quo completo, dicant antiphonam *Ne reminiſcaris*; Et flexis genibus, fiat litania prima, ſicut habetur in collectaneo propria, cum precibus & orationibus: quibus dictis, imponatur *Quid gloriaris*: & reſidentes percurrant uſque ad pſalmum centeſimum: tum fit ſecunda litania. Qua completa, imponitur *Domine exaudi.* Completur pſalterium, & fit tertia litania. Hoc pſalterium quaſi ſacrificium ſpiritus contribulati cum letaniis qua ſi libamentis ſuis in hac die pro vivis & defunctis Chriſto pro peccatoribus paſſo ab omnibus eſt clericis offerendum.] Aliter Turonenſes canonici, qui pſalterium per varias urbis eccleſias procedendo recitabant: [Circa auroram, inquiunt in Ordinario, vel ante ortum ſolis, Domini & omnes alii conveniunt in choro, & congregatione facta, fit proceſſio ad S. Martinum ſine aqua benedicta, ſine candelabris, ſine thuribulo & ſine cruce. In motu proceſſionis incipit cantor pſalterium *Beatus vir* In choro B. Martini dimittuntur pſalmi; & omnes proſternunt ſe, & orat unuſquiſque ſub ſilentio, prout placet. Poſt modicam verò horam repetuntur pſalmi ubi dimiſſum fuerat, & vadit proceſſio ad S. Petrum Puellarum; & fit ibi ſicut in eccleſia B. Martini. Quo facto, ſurgunt, & repetunt pſalmos, ut ſuprà, uſque ad noſtram eccleſiam, & ibi dimittuntur pſalmi, & fit ſermo ad populum: quo facto, dicuntur pſalmi pœnitentiales cum letania & orationibus abſolutionis. Poſt hæc dicuntur horæ in choro ſub ſilentio.] Atque hic pſalterii recitandi modus familiaris etiam extitit S. Udalrico Auguſtenſi epiſcopo. Nam præter illud quod ſummo diluculo recitabat, poſteà [Sacro Dei miniſterio perpetrato, populoque ſacro Chriſti Corpore ſaginato, & conſuetudinario more quod remanſerat ſepulto, iterum inter eccleſias ambulando pſalterium explebat decantando,] ut legimus in ejus Vita loco citato.

Cum proceſſione ad varias eccleſias.

Quæ nudis pedibus fiebat.

Idem ritus etiam Romæ viguit, ubi Summus Pontifex [diſcalceatus pergit cum proceſſione, & omnes cum eo, cantando pſalterium uſque ad S. Crucem, inquit Benedictus canonicus S. Petri in ſuo ordine Romano. Aliud proceſſionis genus hac die frequentabat S. Elizabeth Regis Hungarorum filia, de qua ſic ſcribit illius vitæ auctor apud Surium 19. Novembris [Humilians ſemetipſam, & in ſimilitudinem pauperum facta ordinavit in gremio ſuo lini faſciculos plurimos parvulos, & plenum thure vaſculum, de ceraque lumina parvula multa, nummorumque talenta non pauca, ſicque inter populares mixta, ad ſingula ſingularum eccleſiarum proceſſit altaria, nudis pedibus, & factis genuflexionibus, ad ſingula fuſciculum lini parvulum & thus cum lumine modico obtulit.] Hujuſmodi proceſſionis mentionem facit auctor vitæ S. Bernardi epiſcopi Hildesheimenſis cap. 55. apud Surium 20. Novembris. [Negotiatoris cujuſdam Hildeshem habitans conjux cum die paraſceve loca Sanctorum more quàm pluribus conſueto annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad Bernardi tumbam

Caput XXIII. *De Feria ſexta Paraſceves.*

ferre deſtinavit.] Et auctor vitæ S. Conſtabilis abbatis Cavenſis apud Bollandum. 17. Februarii: [In ſancta præterea die Paraſceves cum de diverſis partibus multitudo virorum & mulierum, ſicut mos eſt chriſtianæ religionis, ſanctum illum diem diſcalceatis pedibus, & cum lacrymis ſacra loca viſitando celebraret, contigit quod multi ad hunc ſanctum locum venerunt.] De græcis verò ſcribit Allatius in lib. 3. de conſenſu Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis c.15. eos [in officio Paraſceves dum Chriſtum ipſum veluti ad ſepulturam comitantur, Chriſti Corpus undequaque efformatum ſculptumque circumducere per urbes & adorare.]

Sacrificium miſſæ hac die non celebratum.

V. Ex antiqua traditione ſolet eccleſia latina à ſacrificio hac die & ſequenti abſtinere: nam quæ ſabbato celebratur miſſa, non ad diem, ſed ad noctem ipſam ſabbati pertinet. Hujus traditionis teſtem inſignem habemus Innocentium Papam I. in epiſtola ad Decentium, ubi ſic loquitur: [Sexta feria propter paſſionem Domini jejunamus, ſabbatum prætermittere non debemus, quod inter triſtitiam atque lætitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter motum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut *traditio eccleſiæ* habeat iſto biduo ſacramenta penitùs non celebrari.] Græci non ſolùm iſto biduo abſtinere à ſacrificio, ſed etiam per totam quadrageſimam, ſabbatis dominiciſque dumtaxat exceptis. Verùm cùm annunciationis feſtum in feriam ſextam Paraſceves incidit, hac die celebrare non recuſant. Ita Typicum illorum cap. 21. apud Allatium de Miſſa præſanctificatorum capite ultimo: [Magna feria 6. fit oblatio, ſi in ea advenerit annunciatio. Licet enim aliter canones ſtatuant, invenimus nihilominus in Synaxario magnæ Eccleſiæ in oratoriis Deiparæ dicatis fieri oblationem & perfectam miſſam celebrari.]

Miſſa præſanctificatorum.

VI. In utraque tamen eccleſia hac die peragitur miſſa præſanctificatorum, in qua ex diei præcedentis ſacrificio tam ipſe celebrans quàm alii clerici, ipſeque populus univerſus olim communicabat. Hæc miſſa ex Ordine Gelaſiano, antiquo codice monaſterii S. Dionyſii propè Pariſios ante annos 800. ſcripto, Gellonenſi & aliis hora 9. incipiebat, cui nonnullæ eccleſiæ ignis novi benedictionem præmittebant [Hora nona, inquit Joannes Abrincenſis, percutiuntur tabulæ, ut in matutinis, omnes & ad ignem benedicendum clerici, ut heſterna die, pergant cum proceſſione. Igne accepto, ad eccleſiam redeant & officium incipiant.] Et ordinarium Rotomagenſe: [Finita nona, ad ignem benedicendum verſificando ſub ſilentio *Miſerere mei Deus*, ſicut in quinta feria. Quo benedicto, redeant in chorum verſificando pſalmum *Dominus illuminatio.*] Hinc capiendum videtur id quod ſcribit Ordo Romanus & vulgatus Alcuinus, quod ſcilicet ignis [extinguitur in ſexta feria ſexta hora, & renovatur circa horam nonam.] Atque ad hunc ritum referendum videtur id quod habet vetus miſſale Toloſanum. [Feria ſexta in Paraſceve poſt nonam officium ſolemniter celebratur, & epiſcopus vel ſacerdos cum alba & cappa indutus cum diacono &

Benedictio ignis novi.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

miniſtris deferentes virgam ſculptam in figuram ſerpentis & candelabra, accedat ad altare ſicut mos eſt.] Nam ex igne novo accendebatur cereus in modum ſerpentis efformatus.

Altarium lotio.

VII. In quibuſdam eccleſiis, maximè canonicorum regularium, ante officium appropinquante hora diei nona hebdomadarius aquam benedictam faciebat, deinde dicta nona, altaria ſolemni ritu lavabat. Ita præſcribit Carnotenſe S. Joannis ordinarium: Poſt nonam [facto brevi intervallo, dum fratres diſcalciant ſe, interim Domnus abbas & prior, aut plures ſacerdotes, ſi neceſſe fuerit, induti albis, & ceteri qui eis ſerviant diſcalciati ſimiliter ad officium præparantur: qui præparati abſque ullo proceſſionis apparatu ad altare progrediuntur; & lavant altaria prius aqua benedicta cum buxo, & poſteà vino, fricantes illud odoriferis herbis; quod dum agitur incipiat cantor ℟. *Velum templi* ℣. *Amen dico tibi.* Communiter dicantur iſta. Sequitur ℟. *Tenebræ factæ ſunt* ℣. *Cum ergo accepiſſet.* Sequitur *antiphona dum fabricator.* ℣. *O admirabile.* Hoc officium fit ſine thuribulo & ſine candelabro: ſed propter Corpus Domini accenduntur poſt altare luminaria duo. Quo peracto, incipiat ſubdiaconus in ſuperpelliceo lectionem in choro ita incipiens *In tribulatione.*] Ita ferè loquitur etiam Ordinarium Gaſtinenſe. Et miſſale Auguſtodunenſe: [Feria 6. Paraſceves ante officium miſſæ celebraturus miſſam vel alius ſacerdos amictu & alba veſtitus vino & aqua ſimul lavare debet altare; & dum lavatur, cantantur aut dicuntur ℟. Sequens cum ſuo ℣. *Circundederunt*] *me &c.* E contrario vero miſſale Antiſſiodorenſe auctoritate Franciſci de Dintervilla epiſcopi editum altarium lotionem non præmittit, ſed ſubjicit officio: [Expleto officio miſſæ, inquit, epiſcopus vel ſacerdos exuens caſulam, & remanens in albis, cum faſciculo buxi ad hoc apto lavet altare majus & altare quod dicitur Comitiſſæ, videlicet retro majus altare, cum aſperſione vini & aquæ. Cantetur hoc ℟. *Circundederunt me.* Tractus *Qui habitat.*] Verùm iſta altarium lotio præcedenti feria 5. in Cœna Domini communiter fiebat.

VIII. Epiſcopi ad altare acceſſum ita deſcribit Ordinarium Bajocenſe: [Hora ſexta incipit officium. Pontifex indutus colebio, amictu, alba manipulo, & ſtola, omnibus albis & ſine paratura: Item caſula rubra, mitram albam ſine paratura habens in capite, ſine baculo paſtorali, & ſine omni alia ſolemnitate, uno tantùm ſubdiacono & altero diacono comitatus. Qui miniſtri ſine tunica & dalmatica albis induantur veſtimentis ſine omni paratura. Procedat ad altare albis & ſine paratura linteaminibus coopertum, & in parte anteriori penitùs denudatum.] Quibus in verbis nonnulla ſunt obſervanda. Nam 1. pontificalia præter mitram nulla debet habere epiſcopus veſtimenta. Concinit Ordinarium Noviomenſe: [debet epiſcopus indumentis non pontificalibus, ſed ſacerdotalibus ad officium debitum mitram habens in capite præparari.] Ex Laudunenſi caſula ipſa [more ſolito ſupra brachia illius non ponitur, ſed eo ſubtus manus tenente dependet.]

Qualia hac die epiſcopi celebrantis indumenta.

Digitized by Google

2. Veſtimenta ipſa debent eſſe rubri coloris, qui color in omnibus paſſim eccleſiis hac die uſurpabatur. Nam ita videre eſt in miſſali Bituricenſi, in Ordinario Lingonenſi, in Noviomenſi, Lemovicenſi S. Martialis, Carnotenſi S. Joannis &c. Ex Silvanectenſi tamen ordinario, ex Argentino, ex Miſſali Catalaunenſi & quibuſdam aliis nigro, ex Laudunenſi croceo colore utendum eſt. 3. Diaconi & ſubdiaconi aliique altaris miniſtri in ſolis albis miniſtrabant, ſine dalmatica & ſine tunicella. Sed ex Ordinario Narbonenſi alba eorum debebat eſſe parata, *de ſindone nigro*. Ex Silvanectenſi tamen diaconus & ſubdiaconus perindè ſacerdos caſula utebantur nigra. Cui concinit Argentinum Ordinarium. 4. Altare albis linteaminibus opertum, ſed in anteriori parte omninò nudatum eſſe oportebat, ad eum ferè modum qui nunc paſſim eſt in uſu. Et certè ex Concilio Toletano XVI. can. VIII. ipſo [paſſionis Dominicæ die altaria denudata perſiſtunt.] At ex Ordinario Narbonenſi [altare ſit coopertum tribus linteaminibus.] 5. Hic non explicatur an calceatis aut nudis pedibus, epiſcopus aut miniſtri ejus procederent. Verum id alii libri Rituales ſatis abunde declarant. [Nona dicta, inquit Ordinarium Uticenſe, ſacerdos & miniſtri diſcalceati procedant ad altare nihil dicendo.] Et Cabilonenſe [Poſt nonam miniſtri nudos habeant pedes.] Idem docent Pontificale Pariſienſe, Ordinarium Narbonenſe, Mimatenſe, &c. Contrarium tandem præſcribit pontificale Conſtantinopolitanum aſſerens [non licere presbyterum vel diaconum altari miniſtrare per nudos pedes.] Quæ verba deſumta videntur ex Ordine Romano. Nec prætereundum eſt quod canonici in choro exiſtentes [in inferioribus ſedibus ſtare] debent. Ex Ordinario Lemovicenſi. Miniſtrorum

IX. Antequam ad altare aut in choro quidquam cantaretur; olim in Turonenſi S. Martini eccleſia ſeptem pſalmos pœnitentiales ante altare proſtrati recitabant ſacri miniſtri: veteri eorum Rituali ita præſcribente: [Ad miſſam ante officium ſacerdos & diaconus veniunt reveſtiti ad altare: proſtrati ad terram dicunt ſeptem pſalmos ſubmiſſa voce, clericis in choro ſedentibus: Poſt levant ſe, & dicit ſacerdos collectam *Deus à quo & Judas*.] Ex Ordinario quoque Uticenſi [ſacerdos dicit ſecreto orationem *Deus qui peccati veteris*: qua dicta, it ſeſſum, & ſubdiaconus legit lectionem *In tribulatione*.] Idem præſcribit miſſale Toloſanum, & Ordinarium Narbonenſe.

X. Officium quoque ab oratione incipiebant eccleſiæ nonnullæ, paſſim tamen à lectione ex prophetia Oſeæ, quam legebat ſubdiaconus; & quidem ſine manipulo ex Ordinario Noviomenſi, ſed contrarium ſtatuet Lingonenſe. Ex præſcripto Miſſalis Arelatenſis ms. & edito non ſubdiaconus ſed diaconus lectionem pronunciat. Lectionem ſequitur tractus *Domine audivi* cantandus [à ſeptimo ſolo præbendario induto lineis, inquit Ordinarium Lingonenſe, cum quo clerus dicit primum verſum, ad ſingulos alios verſus repetit primum verſum ab eo loco *Conſideravi*. Poſtremò primum verſum repetit & clerus ſimul:] qui Tractum cantandi modus in aliis etiam eccleſiis erat in uſu. Tractui

Digitized by Google

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

epiſcopus ſubjicit orationem *Deus à quo & Judas* : qua cantata, aditur lectio altera, deinde tractus *Eripe me Domine*, cujus loco veteres cantabant Tractum *Qui habitat*, cujus meminit Amalarius lib. 1. de eccleſiaſticis officiis cap. 13. & vulgatus Alcuinus capite de feria 6. Paraſceves, ubi hæc habet ; [ſequitur altera lectio, deinde more Romano ſequitur tractus *Qui habitat*. . . . Canunt hic aliqui tractum nuperrimè compilatum *Eripe me Domine ab homine* :] quem tractum ſex canonici, duo ſacerdotes, duo diaconi & duo ſubdiaconi ex Ordinario Laudunenſi decantare debent.

De lectione paſſionis.

XI. Poſteà pronunciatur paſſio Domini ſecundùm Joannem abſque ulla ſalutatione, de qua nihil ſingulare notandum occurrit, niſi quod in antiquo miſſali Albienſis eccleſiæ hæc verba *Eli Eli Lammaſabactani. Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me ?* cum nota & cantu ſingulari proferuntur ; & in eccleſia Mediolanenſi ad verba quæ Chriſti mortem annunciant, altaria denudantur ac luminaria omnia extinguntur : cujus ritus meminiſſe videtur Rabanus in libro 3. de inſtitutione Clericorum cap. 37. ubi hæc habet : [Hac ergo die eccleſiæ altaria indumentis ſuis ſpoliata denudantur : quia in ea Chriſtus ſuis veſtimentis exutus eſſe legitur, & velum templi ſciſſum eſſe, occiſo Chriſto, per evangelium prædicatur. Hac die in eccleſia luminaria non accenduntur ; quia in ipſo Redemptore crucifixo, ſidera obſcurabantur.] Paſſione finita, in eccleſia Sueſſionenſi olim ſubdiaconus evangelii textum quaſi in occulto ſub ſua infula acceptum velut in ſinu ſuo ad ſepulcrum deferebat. Paſſioni concionem præmittit Ordinarium Narbonenſe, ſubjicit miſſale Tholonienſe.

De orationibus ſolemnibus.

XII. Circa orationes ſolemnes quæ paſſionem ſequuntur pauca hæc ſunt obſervanda. 1. Earum mentionem fieri exiſtimant nonnulli in epiſtola ſeu libello Cæleſtini Papæ ad epiſcopos Galliæ, continente auctoritates præteritorum Sedis Apoſtolicæ epiſcoporum de gratia & libero arbitrio adverſus Pelagianos c. 8. Verùm id non ſatis clarè elucet in præfata epiſtola. 2. Orationes illæ ex vulgato Alcuino *Ante altare, ſive ut alio ordine legitur, infra thronum* cantabantur. 3. Vacante ſede apoſtolica loco orationis, quæ pro Papa decantari ſolet, in eccleſia Cenomanenſi dicitur oratio pro eligendo Summo Pontifice. 4. In Galliis dicebatur etiam oratio *pro chriſtianiſſimo imperatore* uti videre eſt in vetuſto codice eccleſiæ Turonenſis annorum circiter 800. in miſſali Arelatenſi, in Ordinario eccleſiæ Rotomagenſis ubi idem ritus hodieque habetur in uſu. 5. In eccleſia Mediolanenſi orationes ſolemnes poſt veſperas decantantur, & quidem ſingulæ à ſingulis ſacerdotibus. 6. In quibuſdam eccleſiis ſacerdos alba & ſtola tantùm amictus orationes pronuntiabat. Ita ex miſſali Auguſtodunenſi & ex Rotomagenſi, in quo hæc lego : [Finita Paſſione, ſacerdos in alba & ſtola ad altare dicat has orationes *Oremus dilectiſſimi &c.*] 7. Orationes dicendi modum ita deſcribit Miſſale vetus bibliothecæ Colbertinæ n. 422. ante annos 500. ſcriptum, ut præmiſſa admonitione, epiſcopus ſeu ſacerdos celebrans cantet [*Oremus.* Deinde

diaconus dicat *Flectamus genua.* Tunc ſurgat ſacerdos & dicat collectam & alii proſtrati jaceant uſque ad *Per Dominum*; & antequam dicatur *Per Dominum* ſurgat diaconus, & dicat *Levate*. Tunc ſacerdos dicat *Per Dominum.*] Eumdem ritum præſcribit vetus Rituale S. Martini Turonenſis, Primarium ordinis Præmonſtratenſis Ordinarium, & miſſale Ambroſianum. 8. Et ſi pro perfidis Judæis, qui genua flectendo chriſto illuſerunt, præfata ſad terram proſtratio omitti ſoleat, eamque inhibeant omnes fere ad unum libri Rituales antiqui & recentiores; in quibuſdam tamen veſtutioribus ſacramentariis ad orationem quæ pro eorum fit converſione perindè atque ad alias præmittitur *Flectamus genua.* 9. Denique orationibus *finitis, omnes exeunt foras* inquit vulgatus Alcuinus. Idem habet antiquus ordo Romanus. Concinit S. Gregorii Sacramentarium his verbis; [Quas (orationes) ut finierit, ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone, quæ priùs fuerat ſub evangelio poſita, & iſta omnia tacite, & exeunt foras. Presbyteri verò eccleſiarum, ſive de Urbe, ſive de ſuburbanis vadunt per eccleſias ſuas, ut hoc ordine cuncta ad veſperum faciant. Hoc tantùm mutantes, ut ubi pontifex meminit apoſtolicum, ipſi meminent epiſcopum ſuum.] Igitur quæ ſequuntur de crucis adoratione & fidelium communione, olim ſeparatum faciebant officium à præcedenti omninò diſtinctum. Hinc eſt quod S. Gregor. ad primum quod deſcripſimus hactenus hora tantùm tertia convocationem fieri præſcribit, vulgatus Alcuinus & ms. Pontificale Conſtantinopolitanum hora quinta ? ad eo ut longum inter utrumq; intervallum eſſet.

Caput XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

XIII. Qui ſequuntur, hujus diei ritus ita repræſentat antiquus Sacramentorum liber ante annos 800. ſcriptus in celebri S. Dionyſii in Francia Cimelio aſſervatus : [Poſt ſolemnes orationes diaconus cum ſubdiacono & acolytho vadit ad ſacrarium. Diaconus accipit pridiè ibi repoſitum Corpus Domini in patena quæ ſit corporali involuta : ſubdiaconus in calice vinum inconſecratum, acolythus candelam; & procedentes ad altare dat ſacerdoti. Tum dicit *Oremus præceptis ſalutaribus* totum more ſolito uſque ad *Pax Domini.* Illud non dicit. Poſteà procedunt duo diaconi, & accipiunt cum reverentia ſanctam crucem, incipientes lamentationem *Popule meus &c.* Duo autem presbyteri, iſtis cantantibus cum ſacerdote altaris & miniſtris ejus, proſtrati jacent : & percantato verſu lamentationis, ſurgunt illi duo presbyteri, & inclinati reſpondent *Agios o Theos &c.* Reſpondet chorus cum contritione cordis *Sanctus Deus &c.* Diaconi duo *Quia ego.* Sacerdotes reſpondent *Agios.* Chorus *Sanctus* Diaconi dicunt quid ultra &c. Sacerdotes *Agios* Chorus *Sanctus.* Tum diaconi diſcooperientes ſanctam crucem dicunt excelſa voce *Ecce lignum crucis* & pſal. *Beati immaculati.* Antiphona *Crucem tuam.* Pſal. *Deus miſereatur noſtri.* Hymnus *Crux fidelis. Pange lingua. Vexilla Regis.* ℟. *Circumdederunt. Quam terribilis.* Tunc ſacerdos & miniſtri adorant & deoſculantur eam : & ſic accedunt ad communionem, ceterique eo ordine conſequuntur. Poſtquam omnes communicaverint, ſacerdos ſine *Dominus vobiſcum*, tacitè hanc orationem dicat

adſiſtente ſibi diacono, *Oremus refecti*, ut ſuprà in Cœna Domini.] Quibus in verbis nonnulla ab hodierno immò ab antiquo uſu communi omninò diverſa licet advertere. Nam 1. Orationes ſolemnes ſubſequi ſolet crucis revelatio & adoratio, quæ hic immediatè ante communionem facienda inſtituitur. 2. Poſt crucis adorationem euchariſtia ex præcedentis diei ſacrificio reſervata ad altare affertur: qui ritus in hoc S. Dionyſii codice ſtatim poſt orationes peragitur. 3. Deinde fit crucis adoratio, quæ hic poſt orationem Dominicam præſcribitur. 4. Sequitur oratio Dominica & quæ illi ſolet ſubjici *Libera me*, ac deinde communio: quæ hic diverſo omninò ordine aguntur. Hæc omnia paucis expendenda ſunt.

De crucis denudatione & adoratione.

XIV. Crucis denudatio & adoratio eodem penè ritu ac modo olim ubique obſervabatur: qua propter omnium inſtar hic tantum profero antiqua miſſalia eccleſiæ Pariſienſis cum illius Pontificali: [Finitis orationibus duo presbyteri nudis plantis, induti cappis fuſcis, poſt tergum crucis dicant *Popule meus &c.* Duo alii ſacerdotes præcedentes crucem nudis pedibus & in cappis ſericis dicant *Agios o Theos &c.* Chorus reſpondeat *Sanctus Deus &c.* Item primi presbyteri *Quia eduxi te &c.* Secundi presbyteri dicant *Agios.* Chorus *Sanctus.* Item primi presbyteri *Quid ultra &c.* Secundi presbyteri dicant *Agios.* Chorus *Sanctus.* Dum cantantur iſta ſupradicta, procedunt tamen duo diaconi, qui nudis pedibus induti albis crucem portant, quam presbyteri uſque in medium chori, præcedente crucem ſubdiacono cum pulvinari, ſequuntur. Tunc epiſcopus depoſita caſula, nudis pedibus, ſequentibus eum diacono & ſubdiacono, accedit ad crucem mitratus: & flexis genibus, diſcooperiens crucem, incipit alta voce antiphonam. *Ecce lignum crucis.* Pſal. *Deus miſereatur.* Tunc adorant crucem epiſcopus & alii; & dum adoratur, cantantur antiphonæ quæ ſequuntur, & incipiuntur à cantore. *Tuam crucem adoramus &c.* Pſal. *Confiteantur tibi &c.* Antiphona *Adoremus crucis &c.* Tunc veniunt duo ſubdiaconi induti albis nudis pedibus, & cantant ante crucem hymnum *Pange lingua &c.* Chorus *Pange lingua.* Subdiaconi *De parentis protoplaſti &c.* Chorus *Pange lingua.* (& ſic totum hymnum.) Tunc veniunt duo pueri in albis, & nudis pedibus; & cantant ante crucem hymnum *Vexilla Regis &* Chorus *Vexilla Regis.* Pueri *Confixa clavis viſcera &* Chorus *Vexilla* (& ſic totum hymnum.) Tunc deferatur crux à duobus diaconis ſuper altare: Et tunc epiſcopus flexo genu incipiat antiphonam *Super omnia ligna &c.* Finita antiphona, ponat ſacerdos crucem diſcoopertam in convenienti loco, ubi ſolet eſſe. Poſt reponat caſulam prius, deinde calciamenta quæ depoſuit, ſtatim poſt orationes ſolemnes, & lotis manibus dicat ante altare *Confiteor Deo.*]

Nudis fiebat pedibus.

XV. Circa crucis adorationem hic advertere licet 1. antiquum morem eam adorandi *nudis plantis.* Olim monachi ad primam diſcalceati accedebant ad finem uſque officii ſic permanentes, uti probavimus in lib. 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 14. Idem dicendum eſt de canonicis

canonicis regularibus : [Hac die , inquit Ordinarium S. Laudi , poſtquam fratres manè ſurrexerint , nudis pedibus donec officium compleatur , maneant , niſi pro nimia frigoris aſperitate ſe calcient ? quod quando evenerit , officio tantum intererunt diſcalciati.] Et ms. conſuetudines monaſterii Caſſanenſis anno 1387. renovatæ ; [Olim conſuetum erat ut in matutinis Cœnæ Domini uſque ad nonam , & in matutinis Paraſceve uſque ad prandium omnes canonici & laici fratres irent nudis pedibus.] Quæ quidem , tametſi ab hodierno uſu valdè diſſideant , mira planè videri non debent : cùm ipſi ſæculares viri & fœminæ olim per magnam hujus diei partem nudis ambularent pedibus , ut probant ea quæ ſuprà ex Actis S. Bernardi Hildeshemenſis epiſcopi, S. Conſtabilis abbatis Cavenſis , & S. Elizabet regis Hungarorum filiæ ſupra retulimus.

Caput XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

XVI. Secundò toto ad terram proſtrato corpore crucem adorabant. Audi vulgatum Alcuinum : [Quando hanc crucem adoramus , omne corpus noſtrum hæreat terræ ; & ipſum quem adoramus, quaſi pendentem in ea mente cernamus , virtutemque quam accepit ex Dei filio , ipſam adoramus. Proſternimur corpore ante crucem , mente ante Dominum : veneramur crucem, per quam redemti ſumus , & illum deprecamur , qui redemit.] Et Amalarium libro 1. de eccleſiaſticis officiis cap. 14. [Proſternimur ante crucem , ut fixa humilitas mentis per habitum corporis demonſtretur. Humilitatem mentis non poſſumus ampliùs monſtrare , quàm ut totum corpus ad terram proſternatur.]

Toto proſtrato corpore.

XVII. Tertiò proſtrati antequam crucem deoſcularentur, devotiſſimas ad Deum preces aliquas dirigebant *qualis eſt iſta , quam profert* antiquum miſſale Pictavienſe ms. *à ſacerdote ſub ſilentio* dicendam.

Præmiſſa oratione.

Domine JESU-CHRISTE, *qui pro nobis crucis & mortis patibulum ſubiiſti , ut mortis à nobis expelleres poteſtatem , & ſanguinis tui nos pretio liberares ; mihi , Domine , humillimo famulo tuo & veniam omnium peccatorum meorum concede , meque coram adoranda cruce tua proſtratum ab omnibus malis eripe , boniſque tuis miſericorditer reſpice : qui cum Patre.*

In veteri miſſali Toloſano iſta ab ipſo præſule dicenda continetur.

Domine JESU-CHRISTE, *adoro te in cruce pendentem , ſpineam coronam in capite portantem : deprecor te , ut ipſa crux liberet me de anguſtia & de angelo percutiente animam. Adoro te in cruce vulneratum. Deprecor te , ut tua mors ſit vita mea. Adoro te deſcendentem ad inferna liberantem captivos. Precor te ut non permittas me ibidem introire. Adoro te reſurgentem à mortuis , aſcendentem ad cœlos , ſedentem ad dextram Patris. Precor te miſerere mei. Adoro te ſalvatorem venturum & judicaturum. Deprecor te ut in tuo ſancto adventu non intres in judicium cum me peccatore , ſed ante dimittas peccata mea quàm judices , qui cum Patre & Spiritu Sancto &c.*

Hanc orationem antequam proſterneretur recitabat : in ipſa autem proſtratione , quam per tres vices in totidem ſpatiis tribus paſſibus ab

Digitized by Google

invicem diſtantibus repetebat; pſalmum *Miſerere mei Deus* ſubmiſſa voce dicebat.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.* Jeroſolymis vera crux in qua Christus pependit adoratur.

XVIII. Quartò Jeroſolymis olim crux ipſa in qua pro nobis Salvator expiravit, omnibus hac dumtaxat die adoranda præbebatur. Meminit hujus conſuetudinis S. Paulinus in epiſt. 31. novæ editionis ad Severum, ubi aſſerit in ipſo paſſionis loco erectam fuiſſe baſilicam auratis coruſcam laquearibus, aureis divitem altaribus, quæ arcano poſitam ſacrario crucem ſervabat, [quam epiſcopus, inquit, urbis ejus quotannis, cùm Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa quæ ſacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſolemnitatis inſigne profertur.] Ex hac Jeroſolimitanæ eccleſiæ conſuetudine provenire potuit id quod ſcribit Amalarius in libro 1. de divinis officiis cap. 14. [Fuerunt quidam qui volebant dicere ſe velle eamdem crucem adorare in qua Dominus crucifixus eſt. Utinam in omnibus eccleſiis haberetur, præ ceteris meritò veneraretur. Quamvis omnis eccleſia eam non poſſit habere, tamen non deeſt eis virtus ſanctæ crucis in eis crucibus, quæ ad ſimilitudinem ſanctæ crucis factæ ſunt.] atque eo reſpicere videntur ea vulgati Alcuini verba:] Qui verò non poſſunt habere de ligno Domini, ſalva fide adorent illam quam habent.]

XIX. Quintò in quibuſdam locis ipſa crucis adoratio poſt communionem fiebat. Ita ex miſſali Auguſtodunenſi. Sed ex Pontificali Biſuntino & ex Ordinario Laudunenſi ſolus epiſcopus ante communionem crucem adorabat, clerus verò & populus ea peracta.

XX. Sextò ante crucis adorationem concionem præmittit vetus miſſale Eccleſiæ Arelatenſis.

De Triſagio.

XXI. Septimò circa triſagium *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis*, quod ante crucis adorationem cantant duo presbyteri, quodque acclamatum legitur in Calchedonenſis Concilii actione prima in fine, ejus originem ita deſcribit vetus Græcorum Menologium: [Die vigeſima quarta Septembris imperante Theodoſio terræ motus factus eſt magnus & talis, qualis numquam anteà factus fuiſſe commemoratur, quo factum eſt ut totus populus unà cum Imperatore & Patriarcha exierit extra urbem in locum qui dicitur campus, propterea quod ſine ceſſatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cùm igitur imperator ipſe Theodoſius & Proclus Patriarcha, & totus populus litaniis & ſupplicationibus divinam opem imploraret, repentè puerulus quidam de media turba in aërem raptus eſt. Omnibus autem præ timore clamantibus *Kyrie eleiſon*, deſcendit puer, & voce magna populum compellans, petit ut triſagium in hunc modum decantaret: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis.* Quæ cùm dixiſſet animam reddidit, & terræ motus quievit.] His conſentiunt epiſtolæ Quintiani, Acacii & Aſclepiadis ad Petrum Fullonem, quæ extant in Conciliorum tomo 4. ultimæ editionis. Sed de veritate epiſtolarum dubitant eruditi viri nonnulli. Huic hymno cùm præfatus

Petrus maligno animo hæc addidiſſet verba : *Qui crucifixus es pro nobis miſerere nobis*; hancque additionem ſub finem Sæculi VII. adhuc uſurparent Græcorum eccleſiæ nonnullæ, eam ſub anathematis interminatione deinceps decantari vetuit Concilium Quini-Sextum Can. 81. Et tamen Sæculo adhuc XI. eam uſurpabant Armeni, quos propterea Gregorius Papa VII. lib. 8. epiſt. 1. ad Synnadenſem Archiepiſcopum ita adhortatur : [Clauſulam quam in illa laude ſubjungitis : *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, iſtam videlicet : Qui crucifixus eſt pro nobis : quoniam nulla Orientalium, præter veſtram, ſed nec Sancta Romana eccleſia haber, vos totius ſcandali occaſionem pravique intellectus ſuſpicionem vitantes, ſuperaddere de cetero omittatis.]

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

XXII. Poſt factum crucis adorationem afferebatur ad altare Corpus Chriſti ex præcedentis diei ſacrificio reſervatum : Et quidem a diaconis aut presbyteris pro locorum & temporum diverſitate. Ritum hunc ita deſcribit Ordinarium Cenomanenſe : [Deinde intret diaconus ſacrarium, & accipiat Corpus Domini quod pridiè remanſit, ponens illud in patena, tribuatque ſubdiacono, & infundatur aqua & vinum non conſecratum in calice : ſubdiaconus autem patenam cum corpore Domini & calicem cum vino non conſecrato ferat ante altare : ibique diaconus accipiens patenam atque calicem tribuat presbytero ; presbyter verò ponat ſuper altare, & dum accipit patenam & calicem cum corpore debet dici alta voce *Hoc Corpus &c.*] Et miſſale Toloſanum : [Quibus peractis præſul vel ille qui facit officium cum miniſtris vadit retro altare, & induit cappam, & facit confeſſionem, ſicut fit in aliis miſſis. Facta confeſſione, expectat ibi in altari. Et ſic interim diaconus accedat ad Corpus Domini cum cantoribus & aliis presbyteris, & redeundo portando Corpus Chriſti ſub papilione debent cantare hanc antiphonam *Hoc Corpus quod pro vobis tradetur &c.* & continuare uſque ad majus altare ; & ibi præſentare prælato ſeu officianti] Hæc recentioris ſunt inſtituti, quod annos vix quadringentos ſuperat : Nam antiqui penitùs nihil canebant, ſed ſummo cum ſilentio hæc omnia peragebant.

Ritus deferendi Corpus Chriſti ad altare.

XXIII. Depoſito ſuper altari ſacramento cum calice vino aqua mixto, Pontifex ſeu ſacerdos celebrans orationem Dominicam cum ſequenti *Libera nos* dicebat : deinde facta hoſtiæ fractione, & in calicem immiſſione, ſtatim communicabat ſub ſilentio, nihil amplius addens. Nam quod confeſſionem præſcribunt nonnulli libri miſſales aut rituales, ſive antequam adferretur ad altare Corpus Chriſti, ſive ſtatim ut adlatum eſſet, uti habent miſſale Lugdunenſe, Arelatenſe, Tholonienſe, Toloſanum, Pictavienſe, Auguſtodunenſe, Ordinarium Lingonienſe, Cenomanenſe, Lemovicenſe S. Martialis, &c. quod etiam orationem *In ſpiritu humilitatis* orationi Dominicæ præmittant ordinaria nonnulla, ut Lingonenſe, Cenomanenſe, Uticenſe, miſſale Toloſanum, &c. vix trecentos aut quadringentos ſuperat annos. Nam veteres nihil præter orationem Dominicam & *Libera nos* dicebant, immò canonici Turonenſes

Quæ preces ante communionem adhibitæ.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

S. Martini ſola videntur fuiſſe oratione Dominica contenti. Sic enim habent in veteri Rituali Sacerdos [dicit *præceptis ſalutaribus & Pater noſter*. Poſt deſcendunt in ſtallis, & incipit inceptor antiphonam *Calicem*, cantor pſalmos, & interim communicat ſacerdos heſterno ſacrificio.] Clarius in ordinario circa annum 1450. ſcripto : [Hoc facto, ſuppreſſa voce incipiat *præceptis ſalutaribus moniti* : ita tamen quòd à circumſtantibus poſſit audiri. Completa oratione Dominica, fiat fractio, & eadem voce dicat *Per omnia ſæcula ſæculorum* tantummodo : non dicitur *Agnus*, nec datur pax ; ſed ſtatim dicto *Per omnia*, ponat partem ſacramenti in calicem, ſicut ſolet, & ſe communicet ſub ſilentio.] Hic adverte quo pacto dici debeat oratio Dominica, nimirum *ſuppreſſa*, ſeu ut alii loquuntur *ſubmiſſa voce* : id quod præterea præſcribunt miſſale Lugdunenſe, Pariſienſe, Melodunenſe, Ordinarium Turonenſe S. Gatiani, Cenomanenſe ; ſive ut habet Præmonſtratenſe *mediocri voce*, aut *communi* ut legitur in Uticenſi.

XXIV. Ex Laudunenſi ordinario ſacerdos incipiendo orationem Dominicam calicem manu geſtare debet. Addit miſſale Toloſanum : [Antequam dicat *Fiat voluntas* debet recipere Corpus Chriſti : Dum cantat *Sicut in cœlo*, debet levare Corpus Chriſti, ut videatur à populo ; & quando dicitur *& in terra*, debet deponere, & eodem tono debet perficere orationem Dominicam. Et iſte modus oſtenſionis hoſtiæ ſanctæ ſervatur iſta die ſingulariter in eccleſia Toloſana : quod non ſervatur Romæ, nec in Romana curia, nec alibi.] Verùm quod hujus miſſalis compactores exiſtimaverunt eccleſiæ Toloſanæ ſingulare, commune extitit eccleſiis non paucis. Nam idem videre eſt in miſſali Lugdunenſi, in Pictavienſi, Lingonenſi, Remenſi, Catalaunenſi, Mozarabo, & quibuſdam aliis.

Communio generalis.

XXV. Venio ad communionem, quam non ſolùm ab epiſcopo ſive presbytero celebrante, ſed ab omni clero & populo præſcribunt abſolutè antiqui Sacramentorum codices, Gellonenſis, Remenſis, Noviomenſis annorum 900. Noviomenſis alter annorum circiter 800. Dionyſianus, Trecenſis S. Prudentii, Biſuntinus, Carnotenſe S. Joannis Ordinarium, Gaſtinenſe, Caſſanenſe, vulgatus Alcuinus, Rabanus lib. 3. de inſtitutione clericorum cap. 37. Amalarius libro 1. de divinis officiis cap. 15. Hujus rei praxim videre eſt in Vita S. Udalrici Auguſtenſis epiſcopi cap. 4. His addo Theodulphum Aurelianenſem epiſcocopum qui in ſuo capitulari articulo 41. ita habet : [Singulis diebus Dominicis in quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, ſacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt ; & in Cœna Domini, & in Paraſceve, vigilia Paſchæ, & in die reſurrectionis Domini penitùs ab omnibus hominibus communicandum eſt.] Non diſſimulabo tamen hæc verba *Et in paraſceve* deſiderari in optimæ notæ codice majoris monaſterii ante annos 700. ſcripto, & in alio collegii Corporis Chriſti Cantabrigenſis, ubi prædictum Theodulphi capitulare ſine auctoris nomine habetur, unde illud iterum in nono Conciliorum

tomo edidit Gabriel Coſſartius, cum hoc titulo *Capitula incerti auctoris, loci, & temporis ad eccleſia regimen congeſta*; quod miramur virum eruditum nec indulgentem minimè advertiſſe, qui in eadem collectione unum & idem opus tanquam duplicem duplicis auctoris lucubrationem protulit. Scribit etiam Amalarius loco citato de hac obſervatione interrogaſſe ſe Romanum archidiaconum, illumque reſpondiſſe :] In ea ſtatione ubi apoſtolicus ſalutat crucem, nemo ibi communicat.] Quibus ſubſcribit vulgatus Alcuinus his verbis : [Sunt qui quotidie euchariſtiam volunt ſumere. Et quia in Paraſceve non conficitur Corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi quibus ineſt voluntas communicandi, habeant ſacrificium ex priori die : quod tamen Romani non faciunt.] Hinc colliges generalem in Paraſceve communicandi conſuetudinem non fuiſſe ubique uſu receptam : & certè arbitrariam relinquunt antiquum Miſſale Romaricenſe ante annos 600. ſcriptum, Pontificale Conſtantinopolitanum, Ordinarium Præmonſtratenſium, Cenomanenſe, Namnetenſe, Argentinum & Rotomagenſe, in quibus legitur ut *communicent omnes qui voluerint ſub ſilentio.* Immò ex Ordinario B. Mariæ Remenſis ſolus Archiepiſcopus communicat. Hodie generalis hujus diei communio tam in monaſteriis quam in cathedralibus eccleſiis, paſſim obſolevit, quam tamen audio, hactenùs perſeverare in Claromontana apud Arvernos. Olim in quibuſdam Hiſpaniarum eccleſiis nulla omninò fiebat communio, ſed neque ullum celebrabatur officium. Hanc negligentiam redarguit Concilium Toletanum IV. edito hoc Canone ſexto : [Comperimus quòd per nonnullas eccleſias in die ſextæ feriæ Paſſionis Domini, clauſis baſilicarum foribus, nec celebratur officium nec Paſſio Domini populis prædicatur ; dum idem Salvator noſter apoſtolis ſuis præceperit dicens : Paſſionem & mortem & reſurrectionem meam omnibus prædicate. Ideò oportet eodem die myſterium crucis, quod ipſe Dominus cunctis nuntiandum voluit prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare : ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur ; corporiſque ejus & Sanguinis ſacramentum mundi à peccatis ſumamus.]

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

De veſperis.

XXVI. [Poſteà, inquit Ordinarium Rotomagenſe, (ideſt peracta communione,) Domnus Archiepiſcopus vel ſacerdos tenens calicem in manibus, incipiat veſperas mediocri voce, & cantet *Calicem &c.* Sicut heri notatum eſt, & chorus ſuaviter, dicat veſperas. Et finitis quinque pſalmis & antiphonis, Domnus Archiepiſcopus aut ſacerdos incipiat antiphonam *Cum accepiſſet acetum.* Pſal. *Magnificat.* Hoc facto, Domnus Archiepiſcopus vel ſacerdos abluat manus ſuas, & mediocri voce, ſine *Dominus vobiſcum* Cantet *Oremus. Refecti vitalibus.* Et *Per omnia ſæcula ſæculorum* dicto in fine, *amen* tantum reſpondeatur. Et ſic ad refectionem panis & aquæ pergant.] Quibus in verbis quædam ſunt obſervanda. 1. Veſperas olim cum miſſa ſimul fuiſſe recitatas ; id quod ampliùs conſtat ex Ordinario Turonenſi, ex Narbonenſi, Lingonenſi,

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Noviomenſi, Laudunenſi, Lemovicenſi, ex miſſali Toloſano, Tholonienſi, Pariſienſi, Remenſi, & aliis. 2. Quòd veſperas *ſuaviter* dicendas eſſe aſſerit, intelligendum eſſe *ſubmiſſa voce*, ut explicant alii libri Rituales, Gallicè *doucement:* unde & Rabanus libro 3. de inſtitutione clericorum cap. 37. [In hac die, inquit, veſpera cum ſilentio celebratur; ut quieti Dominicæ ſepulturæ veneratio adhibeatur.] Immò ex Ordinario Lingonenſi [Dicunt omnes canonici, præbendarii & clerici ſub ſilentio bini veſperas.] 3. Ad veſperas iidem pſalmi cum iiſdem antiphonis, ea excepta quæ ad magnificat notatur, dicebantur: Sed ex Ordinario Lingonenſi pſalmi *Confitebor. Domine probaſti me &c. ſine antiphonis* debent recitari. Idem præſcribit vetus miſſale Bibliothecæ Colbertinæ, quod fuit olim illuſtriſſimi Colberti epiſcopi Antiſſiodorenſis & miſſale Catalaunenſe. 4. Eadem communiter oratio dicebatur quæ pridiè in veſperis Cœnæ Dominicæ: quidam tamen dicebat orationem *Reſpice*, quidam aliam. 5. Ex Ordinario Cabilonenſi poſt orationem diaconus remiſſa voce dicebat *Ite requieſcite in pace.* Laudunenſe verò præſcribit ut [epiſcopus parvam crucem tenens, aſtantes benedicat dicens *In nomine Domini recedite in pace.*] In pervetuſto Rituali ad uſum diœceſis Remenſis edito inhibetur ne ulla fiat ſuper populum benedictio, [ſed oſculato altari revertendo ad ſacrarium dicat presbyter evangelium S. Joannis videlicet *In principio erat Verbum &c.* Cum orationibus & precibus, ut conſuetum eſt fieri.] 6. Nonnulli veſperas extra chorum privatim recitabant. Ita ſtatuit Ordo Romanus, vetus miſſale eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800. aliud eccleſiæ Turonenſis cujus caracter annos circiter 300. repræſentat, Pontificale Apamienſe & Ordinarium Silvanectenſe. 7. Quod de refectione in pane & aqua dicitur, confirmatur ex vita S. Udalrici epiſcopi Auguſtenſis cap. 4. qui in Paraſceve [Veſpertina hora ſine menſa atque menſalibus in cubiculo ſuo pane & cerviſia ſe recreare cœpit, & unicuique qui ſecum erant panem & cerviſiam juxta eorum voluntatem exhibere præcepit.] Indi ipſi apud Caranganoram [à die paraſceve uſque ad diem Paſchæ omni cibo abſtinent,] ut legitur in navigatione Joſephi Indi. Ab his heu quàm diſſidebant Hiſpani illi, de quibus Concilium Toletanum IV. can. 7. [Quidam in die ejuſdem Dominicæ Paſſionis ad horam nonam jejunium ſolvunt, conviviis abutuntur, & dum ſol ipſe eodem die tenebris palliatus lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderint, illi jejunium tanti diei polluunt epuliſque inſerviunt.] Huic malo remedium aliquod afferre cupiens Concilium addit: [Et quia totum eumdem diem univerſalis eccleſia propter Paſſionem Domini in mœrore & abſtinentia peragit; quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos ante peractas indulgentiæ preces reſolverit, à Paſchali gaudio repellatur, nec in eo ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat.] Græci feriam ſextam cum ſequenti ſabbato omninò jejuni tranſigebant, ut probat

Refectio in pane & aqua

hic canon 89. Concilii Quini-Sexti : [Dies ſalutiferæ paſſionis in jejunio & oratione & cordis compunctione peragentes fideles uſque ad mediam magni ſabbati noctem jejunare oportet.]

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

De officio ſepulturæ.

XXVII. Reſtat ut breviter aliquod ſubjiciamus de officio Dominicæ ſepulturæ,quod ita deſcribit vetus Ordinarium Bajocenſe : [Hodiè paretur ſepulcrum verſus cornu altaris ſiniſtrum, linteaminibus mundis & palliis pretioſis, & aliis ſicut pretioſius fieri conſuevit. Peracto officio, & veſperis dictis ſigillatim, ut dictum eſt de aliis horis, exuat pontifex caſulam, & accipiens crucem ſuper altare jacentem cum alio ſacerdote, incenſato priùs ſepulcro, ponat eam cum magna reverentia in ipſo ſepulcro, ſuppoſitis pulvinari & mundis & albis linteaminibus, adſtantibus duobus ceroferariis in ſuperpelliciis, & ponendo incipiat cantor media voce ℟. *Æſtimatus ſum*, choro excipiente illud idem cum ſuo verſu eadem voce. Deinde accipiat epiſcopus de manu diaconi in pixide ſindone cooperta Corpus Dominicum à die præcedenti reſervatum, & ponat illud honorificè in ipſo ſepulcro juxta crucem. Ponat & ibidem epiſcopus ex alia partè crucis calicem vacuum, patenam, corporalia ſindone involuta. Deinde incenſet ipſe ſepulcrum iterum, & claudat illud, & incipiat cantor ℟. *Sepulto Domino* voce qua primum : & ſimiliter excipiatur à choro cum ſuo verſu & regreſſu. Quibus cantatis, incipiat ipſe Pontifex antiphonam *In pace in idipſum* ex præcepto cantoris. Iterùm incipiat ſimiliter antiphonam *In pace factus eſt*. Ultimo incipiat ſimiliter antiphonam *Caro mea*, & ſic compleatur iſtius diei officium.] Simili ferè modo miſſale Sariſberienſe : [Finitis veſperis, exuat ſacerdos caſulam, & aſſumens ſecum unum de prælatis in ſuperpelliceis, amborum pedibus nudatis, reponat crucem in ſepulcrum pariter cum corpore Dominico, ſcilicet in pixide, incipiens ipſe ſolus reſponſorium *Æſtimatus ſum*, genuflectendo cum ſuo ſocio, quo incepto, ſtatim ſurgant] & cetera fere omnia ut ſuprà. Hujus ritus meminit vita S. Udalrici epiſcopi Auguſtenſis cap. 4. Ex Ordinario autem Cabilonenſi poſt veſperas [denudandæ ſunt cruces, & poſt completorium abluuntur altaria ab epiſcopo, vel ab alio ſi defuerit.] Completorium autem ipſum plerique extra chorum recitabant. Hæc ſunt præcipua quæ de feſto paraſceves obſervanda habebamus, quæ longè clarius eluceſcent ſi integros hujus diei ritus inſigniorum eccleſiarum, prout jacent in diverſis earum libris proferamus.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ ROMANÆ IN PARASCEVE.

Ex ordine Gelaſiano & quatuor antiquis mſſ. ante annos 900. ſcriptis, Noviomenſi B. Mariæ, Remenſi S. Remigii, Regio & Gellonenſi.

INCIPIT ORDO FERIÆ SEXTÆ PASSIONIS DOMINI.

H*Ora nona procedunt omnes ad eccleſiam, & ponitur ſancta crux ſuper altare: & egreditur ſacerdos de ſacrario cum ſacris ordinibus cum ſilentio nihil canentes. Et cum veniunt ante altare, poſtulans ſacerdos pro ſe orare & dicit* Oremus. *Et adnunciat diaconus* Flectamus genua. *Et poſt paululum dicit* Levate, *& dat orationem* Deus à quo Judas &c.

Iſta oratione expleta, vadit retro altare, & legitur lectio: deinde ſequitur Reſponſorium. Iterum dicit ſacerdos Oremus. *Et annunciat diaconus ut ſuprà. Et ſequitur alia oratio* Deus qui peccati veteris &c. *Et ſequitur lectio & Reſponſorium. Inde verò legitur Paſſio Domini. Ipſa expleta, incipit ſacerdos orationes ſolemnes quæ ſequuntur.* Oremus. Deus qui peccati veteris &

Iſtas orationes ſupraſcriptas expletas, ingrediuntur diaconi, in ſacrario, & procedunt cum Corpore & Sanguine Domini, quod ante die remanſit, & ponant ſuper altare, & venit ſacerdos ante altare, adorans crucem Domini & oſculans dicit, Oremus. *Et ſequitur* Præceptis ſalutaribus moniti, *& oratio Dominica. Inde* Libera nos quæſumus &. *Hac omnia expleta, adorant omnes ſanctam crucem, & communicant.*

Poſt communio

a Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Domine, quod tempore mortalitatis exſequimur immortalitatis tuæ munere conſequamur, Per

Ad populum

Adeſto, Domine, propitius plebi tuæ; & temporali conſolatione non deſeras, quamvis ad æterna contendere. Per

a Quæ ſequuntur deſunt in ordine Gelaſiano, in codice Gellonenſi & Remigiano.

EJUSDEM

EJUSDEM ECCLESIÆ RITUS

Ex ms. codice inſignis eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800.

F*Eria ſexta Paraſceves media nocte ſurgendum eſt. Dicuntur novem pſalmi cum reſponſoriis : tres lectiones de Lamentationibus Jeremiæ ab eo loco , ubi ait :* Cogitavit Dominus diſſipare murum *uſque* miſericotdiæ Domini multæ. *Tres de Tractatu S. Auguſtini in pſalmum* 63. *Et tres de Apoſtolo , ubi ait :* Feſtinemus ergo ingredi. *Deinde ſequitur matutinum ſicut ſuperius tractavimus. Diurnalem curſum ſeparatim canunt. Et hora nona procedit pontifex,vel qui vices illius tenuerit in eccleſia,& diaconi ac reliqui eccleſiæ miniſtri ingrediuntur in ſacrario , & induuntur ſe veſtimentis nigris : & abſque ullo cantu procedunt ante altare proſtrato omni corpore diutius. Statim ut ſurrexerint cum ſilentio aſcendet ſacerdos ad ſedem , quo ſedente , ſtatim aſcendat ſubdiaconus ad legendum* In tribulatione ſua mane. *Et canunt* Domine , audivi. *Et dicit ſacerdos* Oremus. *Dicit diaconus* Flectamus genua. *Quando reſurrexerint , poſteà dicit ſacerdos orationem hanc.* Deus à quo Judas. *Deinde ſequitur lectio altera* Dixit Dominus ad Moïſem & Aaron in terra Ægypti. *Oratio* Deus qui peccati veteris. *Poſtquam ſequitur tractus,*Eripe me Domine. *Quo finito, pronunciat diaconus ita :* Paſſio Domini noſtri Jesu-Christi ſecundùm Joannem *& incipit legere. Cum autem legerit , diaconus* partiti ſunt veſtimenta mea ; *ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone quæ priùs fuerat ſub evangelio in modum furantis. Tunc venit pontifex ante altare , & dicit.* Oremus dilectiſſimi pro eccleſia ſancta Dei. *Et diaconus dicit* Flectamus genua *&c. per ordinem : quas ut finierint omnes , tacite exeuntes foras. Presbyteri vero eccleſiarum ſive de Urbe ſive de ſuburbanis vadunt per eccleſias ſuas , ut hoc ordine cuncta ad veſperum faciant : hoc tantum mutantes , ut ubi pontifex meminerit apoſtolatus ſui , ipſi meminent epiſcopum ſuum. Ad orationem pro Judaìs non flectant genua. Poſt orationes præparatur crux ante altare , interpoſito ſpatio inter ipſam & altare , ſuſtentanda hinc inde à duobus acolythis,poſito ante eam oratorio. Venit pontifex,& adoratam deoſculatur crucem. Deinde presbyteri , diaconi , & ceteri per ordinem , deinde populus. Pontifex verò ſedet in ſede uſque dum omnes ſalutent. Presbyteri vero duo priores mox ut ſalutaverint , intrent in ſacrarium , ubi Corpus Domini fuerit poſitum , quod pridiè remanſit , ponentes in patenam. Et ſubdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato , & alter ſubdiaconus patenam cum Corpore Domini : quibus tenentibus , accipiet unus presbyter patenam & alter calicem ; & deferunt ſuper altare nudatum. Nam ſalutante pontifice vel populo crucem , canitur ſemper antiphona* Ecce lignum crucis. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. Crucem tuam adoramus Domine. *Dicit* Beati immaculati. *Qua ſalutata , reponitur in loco ſuo. Tunc deſcendat pontifex ante altare , & dicat* Oremus præceptis ſalutaribus moniti. Pater

Digitized by Google

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

noſter. Libera nos quæſumus Domine. *Cum dixerit* Amen ; *ſumit de Sancto , & ponit in calice nihil dicens ; & communicant omnes cum ſilentio. Et dicit pontifex* In nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti. Pax tibi. Et cum Spiritu tuo. *Et poſt paululum veſperas dicat unuſquiſque privatim : & ſic vadunt ad menſam , & expleta ſunt univerſa.*

EJUSDEM ECCLESIÆ RITUS

Ex ms. pontificali inſignis eccleſiæ Apamienſis in Syria.

F*Eria ſexta Paraſceves , pulſata tabula , hora ſexta convenire debent omnes ad eccleſiam. Hoc die ſtatio eſt ad Jeruſalem : quo Dominus papa & cardinales nudis pedibus ab eccleſia Lateranenſi procedunt pſallendo. Et tunc junior presbyterorum cardinalium portare debet capſam , in qua ſunt oblatæ repoſitæ , quæ à Cœna Domini ſunt reſervatæ. Et cum venerit ad Jeruſalem, lotis pedibus & indutis : (altari namque nullo tempore nudis pedibus eſt ab aliquo miniſtrandum ;) ſupreſſa voce pſallendo procedunt ad altare ; & ibi diutius flexis genibus orant. Parvum autem linteamen poni debet ſuper nudum altare , & ſuper linteamen textus evangeliorum. Completa vero oratione , pontifex vel ſacerdos deoſculato altari , vadat ad ſedem more ſolito. Sedente itaque pontifice vel ſacerdote , ſubdiaconus procedat ad legendum ; & non pronunciet cujus libri ſit lectio ; ſed ita incipiat.* Hæc dicit Dominus Deus : In tribulatione ſua mane conſurgent. *Sequitur tractus* Domine audivi. *Deinde dicat pontifex vel ſacerdos* Oremus *Et diaconus* Flectamus genua Levate. *Oratio* Deus à quo & Judas. *Conſequenter ſubdiaconus legat hanc lectionem ſimiliter ſine pronunciatione tituli* Dixit Dominus ad Moiſem & Aaron in terra Ægypti , menſis iſte. *Tractus* Eripe me Domine , *quo finito , legatur paſſio ſine* Dominus vobiſcum , *nec portentur ante diaconum cerei vel thuribulum. Cum verò legitur verſus ille* Partiti ſunt veſtimenta mea , *alii duo diaconi ſubdiaconi , vel acolythi debent auferre linteamen illud quod eſt ſuper altare , quaſi in modum furantis. Paſſione itaque perlecta , dicuntur orationes. Sciendum autem quod quando oratio datur pro Judæis , non debent flecti genua. Nam quia Judæi die hac Dominum irridendo genua flectebant , eccleſia eorum perhorreſcens facinus , non flectit genua in orando pro ipſis. Poſt orationem verò juxta conſuetudinem Romanæ eccleſiæ, ſtratis tapetibus ante altare poni debet ſuper ea ad radicem altaris crux panno aliquo mundo cooperta. Dehinc pontifex ſolus diſcalceatus primus accedit ad orandam eam, & miniſtris hinc inde ſuſtentantibus eum, tertio ſuper tapetia toto corpore proſterni debet : ita quod poſt trinam proſtrationem vicinus cruci humiliter ac devotè deoſculetur eam. Poſt hæc aſſumpta cruce , ſurgere debet , & ſolus tertio decantare reverenter totam hanc antiphonam* Ecce lignum crucis. *Et ſchola cantorum eamdem tertio debet reſpondere : ubi vero dicitur in eadem antiphona.* Venite adoremus , *& ipſe & omnis clerus & populus debent humiliter flectere*

genua. Cum autem primum cantare cœperit hanc antiphonam, debent crucem paululum diſcooperire ſecundo plus, tertio totam. Poſteà vero eadem repoſita in eodem loco, in quo priùs fuerat, conducentibus eum miniſtris, reverti debet ad ſedem unde venerat, & ibi recipere calceamenta. Tunc autem accedentibus primum presbyteris, poſtmodùm diaconibus & ceteris per ordinem ad adorandum crucem. Cantores juxta morem ſuum decantant Agios *&* Sanctus Deus *& cum dicitur* miſerere nobis, *omnes debent proſterni in terram. Debent etiam cantare has antiphonas* Popule meus. *Antiphona* Quia eduxi te. *Antiphona* Quid ultra. *Antiphona* Crucem tuam adoramus *& alios verſus & hymnos ad hujus diei officium pertinentes. Poſt hæc cantetur hymnus iſte* Pange lingua, *& in fine ſingulorum verſuum hujus hymni debet repeti* crux fidelis. *Hoc autem fieri debet, donec ab omnibus crux adoretur. Qua adorata, & in ſuo loco repoſita, mittatur parvum linteamen ſuper altare illud, videlicet quod priùs dum legeretur evangelium inde ablatum fuerat, ſuper quod extendatur à diacono corporale. Tunc venire debet pontifex ad altare, cui Corpus Domini quod pridiè reſervatum fuerat diligenter poſitum in patena & calix cum vino non conſecrato, & ſine aqua offerri debent: quibus in altari juxta morem collocatis & incenſatis, inclinare debet pontifex, & dicere* In ſpiritu humilitatis. *Poſteà ſurgens dicat media voce* Oremus. Præceptis ſalutaribus. *Deinde choro reſpondente* Sed libera nos à malo. amen, *dicat hanc orationem,* Libera nos, quæſumus, Domine, *non ſub ſilentio, ſed media voce. Et cum dixerit* Per omnia ſæcula ſæculorum; *& reſponſum fuerit* amen Pax Domini *non dicatur, neque per oſcula detur: ſed diviſa hoſtia in tres partes, tertiam partem juxta conſuetudinem in calicem mittat nihil dicens. Sic enim ſanctificatur vinum non conſecratum per Corpus Domini immiſſum, & omnes qui volunt communicent cum ſilentio. His igitur expletis, veſpera non dicantur in choro, ſed unuſquiſque dicat eas privatim, & dicantur pſalmi illi & antiphonæ quæ dicta ſunt in Cœna Domini, præter antiphonam ad* Magnificat *quæ eſt ſecundum quoſdam* Ait latro ad latronem.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ TRECENSIS

Ex ms. Pontificali Prudentii epiſcopi qui ante annos 850. ſedem illam obtinebat.

AD *nocturnos ſexta ſabbati vel ſeptima ſabbati non pulſatur ſignum, neque ad curſus per diem, ſed tanguntur tabulæ. In Paraſceve, hoc eſt feria ſexta ad officium ſtatim incipiat lector* Lectio Oſeæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus in tribulatione ſua. ℟. Domine audivi &c. Lectio libri Exodi. In diebus illis dixit Dominus ad Moïſem & Aaron. *Tractus* Eripe me Domine. Paſſio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundum Joannem. In illo tempore egreſſus eſt Jeſus trans torrentem &c.

Finita paſſione, dicuntur orationes pro omni eccleſia & ejus ordinibus:

CAPUT XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

quibus peroratis, Corpus Dominicum pridiè conſecratum fertur in patena, & ponitur ſuper altare. Sacerdos verò accedens ad altare dicat Oremus præceptis ſalutaribus moniti &c. *Et cum dixerit* Per omnia ſæcula ſæculorum; *ſumit de Sancta, & ponit in calicem nihil dicens: quia ipſo die non conceditur ei ſalutare populum. Ita fiunt omnia per ordinem, quando finita fuerint orationes iſta à ſacerdote, ſicut ſuprà ſcriptum eſt,* Oremus dilectiſſimi nobis pro eccleſia ſancta Dei &c.

Interea procedunt duo cantores portantes crucem juxta poſitionem loci retro altare; & dicant cum lenitate vocis, Popule meus &c. *Similiter ſtent duo ante crucem: reſpondeant in eadem voce antiphonam* Agios &c. *Græcè græce, latine etiam eamdem omnis tertio reincipit chorus* Sanctus Deus &c. *Poſt trinam verò decantationem, nudatur crux ſindone quo tegebatur: & reſpicientes qui eam pſallendo deduxerint in populum, incipiunt antiphonam hanc alta voce* Ecce ſignum crucis, in quo ſalus mundi pependit: venite adoremus. *Pſal.* Beati immaculati.

Sacerdos autem deſcendat reverenter cum compresbyteris & diaconibus, & adoratam deoſculatur crucem: ſimiliter & reliqui poſt ipſos ordinibus ſuis. Indeque reaſcendens ſacerdos ad altare, communicat & omnis clerus poſt ipſum; ſed & populus. Sequuntur antiphona & verſus Crucem tuam adoramus *ut in miſſali Romano.*

Agnus Dei *non canunt, neque communionem; ſed communicantibus omnibus, expleta ſunt omnia.*

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ PICTAVIENSIS

Ex ms. Pontificali annorum circiter 800.

Feria ſexta qua eſt Paraſceve ſtatio in Suxurio, hoc eſt in baſilica Jeruſalem.

Officium ipſius dici, quod ſpecialiter, utpote annuatim celebratur; tali ordine adimpletur. Primum dicitur oratio, Deus à quo & Judas. *Deinde legitur lectio,* Hæc dicit Dominus Deus in tribulatione ſua mane conſurgent ad me. *Inde canitur graduale,* Domine audivi, *cum verſibus ſuis, ad cujus inchoationem procedunt tres diaconi de ſacrario, induti planetis, ſine thuribulis & cereis, & ſubdiaconibus & evangelio, qui ſimpliciter venientes ante altare poſt orationem ſuam ſtant juxta morem in locis ſuis. Finito graduali ſubſequitur alia oratio* Deus qui peccati veteris hæreditariam mortem. *Inde legitur alia lectio Exodi* In diebus illis dixit Dominus ad Moïſem & Aaron in terra Ægypti, menſis iſte. *Poſt hæc canitur tractus* Eripe me Domine. *Deinde legitur* Paſſio Domini ſecundum Joannem, *non præmittente diacono more ſolito ſalutationem. Cumque diaconus cœperit dicere,* Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, *Duo diaconi non præcincti, nec de illis prioribus, qui ad proceſſionem ierant; ſed qui inchoata paſſione induti planetis ad altare ad hoc ipſum deputati aſcenderant, ſtantes ex utraque parte*

juxta cornua altaris more furum expoliant illud corporalibus pallis, quibus paulò ante fuerat coopertum; & ſubtiliter eas ſub planetis colligentes, gradatim illico ab altari deſcendunt, deferentes eas latenter in ſacrarium. Paſſione perlecta, dicuntur à Sacerdote orationes ſolemnes, ſicut in ſacramentorum continetur. Diaconi vero præceſſores, qui dudum præcincti juxta morem ſteterant, reinduunt planetas, clamante lectore per ſingulas orationes flectamus genua, *pro Judæis vero non flectunt genua. Expletis orationibus, pergunt duo presbyteri, & accipiunt deſuper altari, quod in ſecretiori loco ſecundum convenientiam uniuſcujuſque loci ad hoc ipſum proviſum eſt, Corpus Domini in ſingulis patenis, quod pridiè illic repoſitum, & cum omni obſervatione ex tunc cuſtoditum fuerat, & ſubdiaconus accipit calicem cum vino non conſecrato coopertum palla corporali: & vadit ante presbyteros, & præcedentibus eos duobus ceroſtatis, aſcendunt ad altare. Tunc diaconi accipientes corporalem pallam operiunt altare, & presbyteri ponunt Corpus Domini ſuper illud, diaconus verò ponit calicem, quem à ſubdiacono accepit: moxque ſacerdos veniens ante altare dicit excelſa voce.* Oremus præceptis ſalutaribus moniti, *& reliqua uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum; *cumque reſponderint* amen, *non ſubſequitur* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *ſed tacendo mittit in calice de ſancto. Interim ſternuntur ſtratoria à cuſtodibus ſecundùm morem, inde pergunt duo cantores ad ſiniſtram partem altaris. & canunt hunc verſum* Popule meus. *Alii vero duo cantores venientes retro altare ante crucem, quæ dudum illic linteo cooperta & ſtatuta fuerat, & poplitibus & manuum articulis innixi, reverenter ipſam crucem adorant, ſuſtentantibus eam duobus acolythis ex utraque parte, puero quoque ſubtus eam tenente cuſſinum ſericum. Cumque priores cantores verſum finierint, illico in eorum voce incipiunt illi hanc antiphonam græcam,* Agios o Theos; *& chorus eamdem antiphonam latine repetit* Sanctus Deus. *Similiter faciunt venientes ante ſanctum altare, deportantibus duobus crucem ante illud & puero cuſſinum, repetentibus quoque duobus prioribus cantoribus ſecundum verſum de* Popule meus. Quia eduxi te per deſertum, *& illis ante crucem in ipſorum voce* Agios, *& choro latine* Sanctus Deus. *Inde portatur crux uſque ad gradus, vel ſi ipſi non fuerint uſque ad ſtatutum locum, ordine quo ſuprà, & repetunt priores tertium verſum de* Popule meus, quid ultrà debui facere tibi, *& ſecundi ante crucem* Agios, *Chorus quoque* Sanctus Deus, *quæ ut finita fuerit, illi duo cantores, qui græcam antiphonam decantaverant, diſcooperiunt crucem, & elevantes eam in altum incipiunt antiphonam* Ecce lignum crucis. *Tunc ſe pariter proſternunt in terram tam clerus quam populus, & continuo abſque mora reſurgunt, & ſtatuitur crux in loco ubi adoranda eſt, & ſuſtentatur ab acolythis ex utraque parte, reclinata paululum & innixa analogio, quod inſtar altaris aptatum eſt, ubi etiam eo die & lectiones leguntur, & quæ cantanda ſunt decantantur. Tunc deſcendit Sacerdos ab altari cum duobus presbyteris, qui Corpus Domini detulerant, & adorat crucem. Tunc lector diaconus cum duobus, qui cum eo proceſſerant, poſt hæc omnes presbyteri & diaconi ordine ſuo, deinde cuncti electi cleri. Alia prætereà ſtatuuntur cruces in locis*

Digitized by Google

CAPUT XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

conſuetudinariis, & adorantur à populis, concinentibus choris antiphonam Crucem tuam adoramus Domine. Dum fabricator mundi, O crux admirabile ſignum, *& hymnum* Pange lingua *cum antiphona ſua* Crux fidelis. *Sacerdos vero ſalutata cruce revertitur ad altare, & communicat. Diaconi verò præceſſores iterùm præcincti communicant ordine ſuo. Poſt hæc omnes aſcendentes ab adoratione crucis, ſed & ex populo qui voluerint. Adorata vero crux refertur ab acolythis in locum ſuum, incipiente primo ſchola excelſa voce antiphonam* ſuper omnia ligna cedrorum; *& peracta ſunt omnia. Obſervandum denique ut altaria* omnia à veſpere Cœnæ Domini uſque in mane ſancti ſabbati nudata permaneant. Ab hoc etiam die providendum eſt, quatenùs mox ut in nocturno officio lampades accenſæ fuerint & noctiſſimus clangor ſignorum vel tabularum fragor perſonare cœperit, illico antiphona primæ nocturnæ incipiatur a cantore, ſtante cuſtode in oſtio eccleſiæ, & illuminatam candelam tenente, quam primam extinguere debet

Oratio prima in die ad ſolemne officium

Deus à quo & Judas *&c. ut in miſſali Romano.*

Lectio Oſeæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus in tribulatione &c. ℟. Domine audivi.

Alia oratio

Deus qui peccati veteris hereditariam mortem in qua poſteritatis genus omne ſucceſſerat, Chriſti tui Domini noſtri paſſione ſolviſti, dona ut ſicut imaginem terreni naturæ neceſſitate portavimus, ita imaginem cæleſtis gratiæ ſanctificatione portemus. Per eumdem

Lectio libri Exodi. In diebus illis dixit Dominus ad Moïſem &c. *Tractus.* Eripe me Domine. Paſſio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundùm Joannem. In illo tempore egreſſus eſt &c. *Uſque ad finem evangelii S. Joannis* nec arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

Poſt paſſionem mox dicuntur à Sacerdote iſtæ ſolemnes orationes quæ ſequuntur pro eccleſia Oremus dilectiſſimi *&c. ut in miſſali Romano.*

Poſt hæc accedens Sacerdos ad altare dicit excelſa voce. Oremus præceptis ſalutaribus moniti *& reliqua uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Et peragit omnia quæ ordo ſuperiùs comprehenſus proſequitur. Inde deſcendit ad adorandam crucem ſicut ſupra ſcriptum eſt.*

Oratio ſive Confeſſio ad Dominum JESUM-CHRISTUM *ante crucem.*

Adoro te, Domine JESU-CHRISTE, Deus æterne, Deus miſericordiæ, Deus pietatis & indulgentiæ, te Domine, qui ſine initio æternaliter cum Patre Deo & Spiritu Sancto unus indiviſibilis, & incomprehenſibilis manens Deus homo fieri dignatus es pro nobis, ex Maria

Digitized by Google

Virgine carnem aſſumens, certo initio, in qua pati poſſes & mori, non amittens vel minuens deitatis tuæ omnipotentiam, ſed miſericorditer ſuſcipiens infirmitatis noſtræ ſubſtantiam. Niſi enim homo fieres mori non poteras; & niſi Deus verus eſſes, non nos reſurgendo à mortis debitæ perpetuitate liberares. Dignatus es enim temporaliter naſci, qui æternaliter manens cum Deo Patre & Spiritu Sancto cuncta creaſti. Dignatus es flagellis tundi, dignatus es conſpectibus judicum ſiſti, & opprobriis ac contumeliis affici, ſputaminibus contumeliari, ſpinis coronari, colaphis cædi, cruci ſuſpendi, lanceâ perfodi, & clavorum aculeis dilacerari: ut qui hominem per deitatis tuæ potentiam creaveras mirabiliter, per humanitatis tuæ paſſibilitatem redimeres miſericorditer. Adoro te, Domine, in cœlo Patri conregnantem: adoro te in cruce pro nobis patientem, adoro te cœlos continentem, & clavis manus tuas & pedes in cruce configi permittentem. Adoro te crucifixum, adoro te mortuum & ſepultum; adoro te in cruce pendentem, & latroni confitenti paradiſi januas aperientem; adoro te ad inferos deſcendentem, diabolum triumphantem, mortis imperium deſtruentem, & tuos qui ab ea detinebantur, potentialiter inde educentem; adoro te tertia die reſurgentem, & tuis fidelibus apparentem, eiſque per quadraginta dies quando & qualiter voluiſti convivantem. Adoro te quadrageſima die cœlos videntibus Apoſtolis adſcendentem, & beatam captivitatem illam, quam ab inferis eduxeras, tecum deducentem, & omnibus in te credentibus cœleſtia regna patefacientem. Adoro te eo unde veniens non diſceſſeras revertentem, & hominem quem aſſumſeras glorificatum in Patris dextera collocantem. Adoro te in fine ſæculi venturum, & vivos ac mortuos judicaturum. Adoro te Deum omnipotentem judicem, adoro te clementiſſimum advocatum noſtrum, piè apud Patrem pro nobis intervenientem. Adoro paſſionis tuæ myſteria glorioſa; adoro crucis tuæ vexillum, per quod ſalutis noſtræ operari voluiſti ineffabile ſacramentum. Adoro miſerationes tuas. Confiteor tibi culpas & negligentias meas atque miſerias. Te enim laudo totis viſceribus meis, gratias agens pro immenſis beneficiis tuis. Me autem accuſo pro innumerabilibus delictis & peccatis meis, quibus inceſſanter offendo in oculis tuis. Precor te piiſſime Domine, ut qui tanta dignatus es operari ac pati pro me, digneris me ſalvare & juſtificare in te & per te Salvator mundi qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum Amen.

Alia oratio ante Crucem

Domine JESU-CHRISTE, glorioſiſſime conditor mundi, qui cùm ſis ſplendor gloriæ, æqualis Patri ſanctoque Spiritui, carnem immaculatam aſſumere dignatus eſt, & glorioſiſſimas tuas ſanctas palmas crucis patibulo permiſiſti configi, ut clauſtra inferni diſſipares, & humanum genus liberares à morte; miſerere mihi miſero, oppreſſo facinore, ac

CAPUT XXII. De Feria Sexta Paraſceves.

nequitiarum labe ſordidato, non me digneris derelinquere glorioſe Domine: ſed dignare mihi indulgere quod malum egi, exaudi me, Domine, proſtratum ad adorandam vivificam tuam Crucem: ut in his ſacris ſolemniis tibi merear adſiſtere mundus, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum Amen.

Item alia Oratio ad ſanctam & individuam Trinitatem

Deus trine & une, ſcientiæ lumen, & gratiæ pater, accende in me, per quod intelligere & videre merear te trinum & unum Deum, ſicut es trinus & unus Deus, & ignorantiæ tenebras remove à me: da mihi ſemper eſurire & ſitire te, & eſuriem ac ſitim meam gratiâ tuâ ſatia in te: deſiderium meum inflamma in te, & cum beatis Angelis tuis ac Sanctis omnibus tribue mihi ſine fine contemplari te, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Inde ſequitur verſus antequam Crux adoretur, canendus cum antiphona græca & latina. ℣. Populc meus. *&c. ut in miſſali Romano. Antiphona* Ecce lignum crucis in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus. *Pſal.* Beati immaculati. *Antiphona* Crucem tuam adoramus, Domine. *Pſal.* Deus miſereatur noſtri. *Antiphona* O crux ſplendidior. *Antiphona* Dum fabricator mundi. *Antiphona Crux fidelis inter omnes nobilis &c.* ℣. Pange lingua &c. *Poſt hæc incipit primus ſcholæ excelſe antiphonam* Super omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphavit, & mors mortem ſuperavit in æternum.

Finit de Paraſceve.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ BISUNTINÆ

Ex ms. Pontificali ejuſdem Eccleſiæ ab annis circiter 600. exarato.

INCIPIT ORDO IN DIE PARASCEVE.

Feria ſexta hac die non pergunt fratres ad proceſſionem ſimul ſicut ſolito; ſed bini ac terni ſicut melius illis videtur viſitant loca ſancta: & ita temporaneè vadant, ut hora ſexta ad majorem eccleſiam revertantur omnes. Non de ſola majori eccleſia, ſed totius urbis clerici, non tamen cum proceſſione, veniant. Poſtquam autem apud majorem eccleſiam coadunati fuerint tam clerus quam populus: mox duo presbyteri procedunt de ſacrario induti purpureis planetis: unus portans patenam auream cum Corpore Domini pridiè reſervatum: alter verò ſcrinium cum Sanctorum reliquiis: quibus venientibus in choro, ſtatim omnes aſſurgunt inclinantes illis reverenter. Tunc præcedant omnes alios illi duo ferentes Sancta: ceteri ſubſequantur bini & bini,

ſicut

ſicut mos eſt, donec veniant ad S. Stephanum in montem, cantantes pſalmos in via ſtudioſè. Non fertur crux nec candelabra, niſi tantum Sancta, ſicut ſuperius particulatum eſt. Cum autem venerint ad valvas S. Stephani incipiat cantor ℟. Velum templi ſciſſum eſt, & omnis terra tremuit: latro de cruce clamabat dicens, memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. ℣. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo. *Quo finito, proſternantur ad orationem: cum autem viſum fuerit decano, terminet orationem. Dato ſigno, dicat* Chriſtus factus eſt &c. *cui reſpondeant omnes* mortem autem crucis. *Et ſic ſurgant: & ſedentibus illis cum ſilentio, hora octava procedit pontifex de ſacrario ante altare ad orandum ſuper orarium ſicut mos eſt. Statim cum ſurrexerint cum ſilentio, aſcendit ſedem, non tamen ad majorem. Tunc incipiat cantor* ℟. Tenebræ factæ ſunt dum crucifixiſſent JESUM Judæi: & circa horam nonam exclamavit voce magna: Deus Deus, ut quid me dereliquiſti? & inclinato capite emiſit ſpiritum. Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, & continuo exivit ſanguis & aqua. ℣. Et velum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum, & omnis terra tremuit. *Tunc unus. Quo finito, mox ſubdiaconus aſcendit ad legendum, & poſt lectionem cantatur* ℟. Domine audivi auditum tuum & *Quo finito, dicat pontifex* Oremus, *& diaconus* Flectamus genua *&* Levate. *Et dicat orationem* Deus à quo & Judas. *Deinde ſequitur alia lectio, poſtquam ſequitur Tractus* Eripe me. *Quo finito, legitur Paſſio Domini ſecundum Joannem. Cum ventum fuerit ad locum ubi dicit evangeliſta* Partiti ſunt veſtimenta mea, *ſtatim duo diaconi nudant altare ad modum furentis, & ſic finiatur paſſio ordine ſuo. Tunc venit pontifex ante altare, & dicantur orationes ſolemnes ad ipſum diem pertinentes.* Oremus dilectiſſimi. *Poſt finitas orationes, ſtatim defertur crux ante altare; & epiſcopus ſalutat eam dicens:* Ave crux glorioſiſſima omnium lignorum pretioſiſſima, ſanguine Chriſti cruentata: felix permanes & permanebis in ſæcula. *Et perfertur crux retro altare à duobus ſubdiaconibus. Tunc præteriti diei Corpus Domini conſervatum à presbyteris defertur à ſacrario in altare cum vino non conſecrato; & pontifex inchoat excelſa voce.* Oremus præceptis ſalutaribus moniti. *Finita oratione Dominica, & quæ ſequuntur uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum, *communicat ſolus epiſcopus, & tunc cooperitur Corpus Dominicum ſuper altare de ſindone munda. Tunc eant duo diaconi ubi crux eſt; & ſtent ante crucem induti purpureis planetis. Subdiaconi autem qui crucem tenent, dicant alta voce* Popule meus quid feci tibi &c. *Diaconi reſpondeant* Agios. *Dicant ſubdiaconi*: Quia ego eduxi te &c. ℟. Agios. *& clerus dicat* Sanctus *ſimiliter ut ſuprà: & ſubdiaconi* Quid ultrà &c. *Tunc diaconi* Agios. *Et clerus ſimiliter* Sanctus. *Tunc veniunt ipſi qui deferunt crucem ante altare, & diſcooperiat crucem epiſcopus, incipiatque antiphonam* Ecce lignum crucis. ℟. Venite exultemus. *Tunc proſternat ſe epiſcopus ante crucem, & dicat hanc orationem.* Adoro te Domine, JESU-CHRISTE, in cruce aſcendentem: deprecor te, ut ipſa crux liberet me de angelo percutiente. Adoro te in cruce vulne-

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

ratum, felle & aceto potatum, deprecor te, ut tua mors ſit vita mea. Adoro te deſcendentem ad inferos & inde liberantem captivos: precor te, ut non me dimittas ibidem introire. Adoro te reſurgentem à mortuis, aſcendentem ad dextram Patris: precor te miſerere mei. Adoro te Salvatorem venturum & judicaturum: deprecor te, ut in tuo ſancto adventu non intres in judicium cum me peccatore, ſed ante dimittas quam judices amen. *Interim dum dicitur hæc oratio cantet clerus antiphonam:* Dum fabricator mundi mortis ſupplicium pateretur &c. *Poſtquam epiſcopus ſurgerit ab oratione, eant ſeniores adorare crucem ſicut ſunt majores, & cantet ſchola hymnum* Pange lingua. *Dum ſurrexerint ſeniores, eat ſchola adorare, & interdum cantetur* Venite adoremus Dominum & procidamus ante eum qui fecit nos. *Ut ſurrexit ſchola, veniat plebs adorare, & interdum cantentur aliæ antiphonæ. His omnibus expletis, communicet clerus, & poſteà populus: deinde dicit epiſcopus, vel ſacerdos:* In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, recedite omnes cum pace. *Sicque redeant ad propria. Cellerarii vero utrumque adponant fratribus in refectorio, aqua ſcilicet & vinum: ut qui voluerint bibant, qui verò noluerint abſtineant, ſitque inter illos illud apoſtoli:* Qui manducat non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non ſpernat. *Cetera in arbitrio decani ſint* FINIT.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ LUGDUNENSIS

Ex ms. illius ordinario ante annos 500. *exarato.*

IN *Paraſceve. Hora nona fac officium.* Hæc dicit Dominus in tribulatione.... Paſſio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundum Joannem: In illo tempore egreſſus JESUS. *Qua finita adoratur crux cantando has antiphonas* Ecce lignum *Antiphona* Crucem tuam. *Antiphona* O crux glorioſa. *Antiphona* O crux benedicta. *Antiphona* Ecce vidimus. *Antiphona* Sicut ovis *Antiphona* Sicut Moïſes. *Antiphona* Domine audivi auditionem. *Oratio*

Deus qui unigeniti tui Domini noſtri JESU-CHRISTI pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur & da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere ut indulgentiam percipere mereamur, & per temporalem filii tui mortem vitam nobis veniſſe confidamus. Per eumdem.

Quibus expletis, expendat ſacerdos corporalia, mittens vinum & aquam in calicem & hoſtiam in heſterno die conſecratam; & mittat ſuper corporalia, & dicat Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. *Sicut mos eſt.* Oremus præceptis ſalutaribus moniti & *impleat totum cum ſilentio nec pax ſumitur, nec* Agnus Dei *dicitur.*

Digitized by Google

Caput XXIII. De Feria ſexta Paraſceves.

RITUS EJUSDEM ECCLESIÆ

Ex miſſali Lugdunenſi anno 1524. typis mandato.

V*Eneris ſancta in die paraſceves ſacerdos qui celebrat offi ium, induat albam, amictum, ſtolam, & manipulum, non caſulam; & ponat ſuper altare unam mappam tantum, & pedibus nudis incipiat offic um.*

In legenda paſſione ad hæc verba Tradidit ſpiritum; *proſternat ſe ſacerdos, clerus & populus, & dicat* Pater noſter; *iſtud etiam obſervandum eſt, quando dicuntur tres aliæ p ſſiones*

Ad orationes ſolemnes genufl ctitur præterquam ad orationem pro Judæis, pro eo quod ha die Dominum irridendo genuaflectebant. Ideò eccleſia illorum exhorreſcens fa inus pro ipſis in oratione non flectit genua

Completis orationibus, ſa erdos accipiat crucem coopertam honeſtè cum magna reverentia flexis genibus; incipiatque Ecce lignum crucis *ſubmiſſa voce. Et diſccoperiat modicum crucem & alii reſpondeant* In quo ſalus. *Iterùm duplicando vocem* Ecce lignum crucis, *& diſcooperiat totam crucem. Deinde dicat dictus ſacerdos antiphonas ſequentes ſubmiſſa voce: quæ omnes dictæ antiphonæ duplicantur cum Reſponſoriis ſequentibus* Ecce lignum crucis in quo &c. *Antiphona* Crucem tuam &c. *Antiphona* O crux glorioſa, *Antiphona* O crux benedicta &c. ℟. Ecce vidimus & ℟. Sicut ovis & ℟. Sicut Moïſes. *Finitis antiphonis, ſacerdos vertat ſe ad populum, ut adorent & ſalutent crucem oſculando. Finita verò crucis adoratione, ſacerdos reponat crucem ſuper altare, vel alibi honeſtè. Deinde dicat orationem* Deus qui unigeniti &c.

Finita oratione, Sacerdos calciet ſe, & lotis manibus, induat caſulam: Deinde faciat confeſſionem aſſuetam, ſcilicet Confiteor Deo *Et poſt expandat corporale ſuper altare: Deinde ponat vinum & aquam in calicem ſuper corporalia cooperiendo ſine patena, & lavet iterùm manus. Deinde faciat orationem ſuam ſecretam, meditando de paſſione Chriſti. Poſt diſcooperiat calicem, & Corpus Chriſti portet ſuper calicem, & dicat* Per † ipſum, & cum † ipſo, & in † ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria. *Deinde dicat ſubmiſſa voce abſque cantando* Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Oremus præceptis ſalutaribus Pater noſter.... Sicut in cœlo. *Tunc elevet in altum Corpus Chriſti cum duabus manibus, ut populus poſſit videre & adorare ſine calice, ex eo quod in calice non eſt niſi vinum & aqua. Et hoc fuit ordinatum per Dominum noſtrum Archiepiſcopum Lugdunenſem & ejus conſilium.* Et in terra. Panem noſtrum &c. Libera nos &c. *Frangendo hoſtiam more ſolito dicet* Per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſpondeant alii* Amen. *Et ponat tertiam partem hoſtiæ conſecratæ in calicem nihil dicendo. Pax non ſumitur, nec* Agnus Dei *dicitur. Sed ſtatim dicantur orationes* Domine ſancte Pater. *Alia oratio* Domine JESU-CHRISTE: *quibus finitis,*

Digitized by Google

facta ablutione manuum, dicat orationem Placeat tibi Sancta Trinitas &c. *ante altare; qua finita, dicantur veſpera.*

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ SUESSIONENSIS

Ex ms. Rituali ejuſdem eccleſia.

M*Edia hora noctis ſurgunt cuſtodes, apertiſque oſtiis eccleſia ſignificent epiſcopo quod ſurgat: quo facto, omnibus canonicis ſive capellanis per domos ſuas idipſum ſignificent. Poſt hac redeant ad eccleſiam, & per ſigni ſonum, qui humilior eſt aris ſono reliquos commoveant. Convenit enim ut humilitati Salvatoris noſtri cohumiliantes officium noſtrum in his diebus per humilem ſonum prædicemus.* 24. *cerei ante magnum altare accenduntur: alii inſuper cerei ſuper altare, ſicut mos eſt in* 9. *lectionibus, accenduntur. Lampades & candelæ per totam eccleſiam ſimiliter. Quibus peractis, in medio chori adſtans verſus ad altare incipiat ſuccentor antiphonam* Aſtiterunt Reges terræ. *Chorus dexter pſalmum* Quare fremuerunt. *Pneuma non dicitur in fine antiphonæ, ſed ſtatim poſt illam injungat ſuccentor cuidam ſacerdoti vel diacono in ſiniſtro choro aliam antiphonam; & ille incipiat pſalmum; & ſic de aliis antiphonis & pſalmis in ordine à dextris & à ſiniſtris. Ipſe ſuccentor dicat verſiculos de primo nocturno. Invitatorium non cantatur, ut doceamur conventum malum vitare, quod tunc temporis apud Judæos de nece Chriſti erat. Novem pſalmi, novem lectiones & novem reſponſoria, quæ in his tribus noctibus celebrantur, myſticant quod tria genera hominum ab inferis rapuit, quæ ad ſocietatem novem ordinum angelorum tranſvexit. Hæc fecerunt ante legem, ſub lege, poſt legem. Quod* Domine labia mea aperies & Deus in adjutorium & Jube Domne benedicere *& benedictiones &* Tu autem *prætermittuntur, ideò fit, quod paſtor noſter receſſit, & apoſtoli jam prædeſtinati paſtores diſperſi ſunt, à quibus benedictio danda & petenda fuit. Quod cerei poſt pſalmos & lectiones ſingillatim extinguntur, inſinuat quod extincto ſole juſtitiæ lux in ejus diſcipulis, eum non reſurgendam æſtimantibus, quo uſque reſurgeret paulatim extinguebatur. Hac nocte flexis genibus dicitur oratio Dominica. Oratio noſtra nunc debet fieri humilior. Antiphonæ, pſalmi, lectiones, reſponſoria, verſus, ſicut in Breviario ordinatum eſt. Nono reſponſorio finito, & verſu cum repreſia, iterùm incipitur à ſuccentore altius: quo finito, incipiat antiphonam* Proprio filio. *Chorus dexter pſalmum. De aliis antiphonis & pſalmis fiat ſicut ſuperius. Et cum dicitur* Laudate Dominum in Sanctis ejus, *extinguatur omne lumen per totam eccleſiam, excepto ſolo cereo, qui extinguitur in fine antiphonæ cum ſuccentor dicit iſtum verſum* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem. *Chorus* mortem autem crucis. *Succentor alta voce antiphonam* Poſuerunt. *Dexter chorus pſalmum* Benedictus, *Quo finito cum ſua antiphona, incipiant pueri ſtantes à latere dextro altaris* Kyrie eleiſon. *Duo ſubdiaconi* ℣. Qui paſſurus. *Notandum autem*

quod in nocte tranſacta duo de junioribus ſubdiaconis ad hoc eligendi ſunt : in iſta vero duo antiquiores, qui dum verſus prædictos cantant, ſtent in angulo choreæ extra presbyterium à dextris, remoti paululum à pueris. Chorus cantet medietatem ultimi verſus, videlicet FACTUS EST OBEDIENS USQUE AD MORTEM. Deinde ſubjungat hebdomadarius MORTEM AUTEM CRUCIS. Tunc dicitur oratio Dominica cum precibus quotidianis & MISERERE MEI DEUS. DOMINUS VOBISCUM non dicitur. Oratio RESPICE QUÆSUMUS DOMINE. Poſt hæc ſignificat hebdomadarius impulſu ſtaulli ſui, quod lumen ante altare reportetur. Et tunc in receſſu matutinarum traditur à cuſtode eccleſiæ una candela nobis omnibus tam non canonico quam canonico. Et ſic recedunt in pace. Amen.

CAPUT XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

Mane autem ſummo ſequente, omne lumen in eccleſia extinguatur: horæ in conventu non cantantur. Quod diſperſe privatimque recitantur, myſticat diſperſionem apoſtolorum, qui de Domino ſuo tunc temporis in palam loqui non audebant. Scriptum namque eſt: MULTI EX EIS ABIERUNT RETRORSUM. Legimus etiam quod in apoſtolis ante mortem Chriſti erat caritas parva, & in Paſſione nulla. Et licet omni tempore debeant omnibus opera noſtra lucere: præcipuè tamen in hac die, in qua multitudo populi virorum & mulierum plangentium atque lugentium Dominum ſequuta eſt. Oportet nos ab ipſo vigilantes & orantes inveniri, ne ipſo teſte intremus in tentationem, qui ait, VIGILATE ET ORATE UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM. Quod triſtes & humiles ſimus ait diſcipulis ſuis, TRISTIS EST ANIMA MEA USQUE AD MORTEM.

Ipſo die qui & Paraſceve dicitur, hoc eſt feria ſexta hora ſeptima per tabulæ ligneæ ſonum ammonendi ſunt tam clerus quam populus, ut ad eccleſiam conveniant. Terror quoque qui per ligni ſonum fit, terræ motum innuit, qui Chriſti terruit crucifixores. Intereà cuſtodes extendant tapetum unum ad aſcenſum presbyterii, ſuper quod ponatur ſedes plicabilis, & ſuper ſedem quoddam pallium, ſuper pallium vero ponatur quoddam ſericum ſuperſellium. Deinde extendant tapeta dorſalia vel alia aliqua abhinc uſque ad altare B. M. Magdalenæ recto calle, ante quod magna crux aurea abſconditur, donec ad locum præparatum ad adorandum deportetur. Prætereà pro epiſcopo tapetum aliud ante altare ſternatur. Poſt hæc altare ſic ornetur. cuſtos in ſuperpelliceo calceatus cum ſpongia veniat ad altare, per quam, ſi humidum ſit, exſiccetur. Dein imponat duos pannos ſuper ſacroſanctum altare, qui ſuperficiem ejus poſſint velare, ad dextram & ad ſiniſtram paululum dependentes: in facie autem illa quæ ad chorum reſpicit duo manutergia tantummodo dependeant. Adhuc ſuper omnia paula addatur, ſuper quam divina celebrentur. Deinde duæ paulæ plicatæ ad cornu altaris ponantur, qui hodie in eo veſtem Domini ſignificant.

Intereà præparet ſe pontifex ad ſancta ſic. Veſtimentis ſimplicibus ut ſimplex ſacerdos utatur, alba videlicet cum amictо ſimplici, manipulo & ſtola, cum infula rubra, ſine chirothecis & baculo, habens mitram in capite. Capellanus in albis. Archidiaconus unus cum ſolo ſubdiacono infulis ſanguineis ſuper albas induti. His peractis, exeunt de ſacrario

Digitized by Google

CAPUT XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

ſic : Subdiaconus primo manibus ſub infula plicatis poſt illum archidiaconus ſimiliter incedat : hos ſequatur epiſcopus ſimiliter ſe habens : ad dextram capellanus ejus in albis. Iſti quatuor debent in miniſterio ſuo eſſe calciati, & ut prædixi cum humilitate maxima, ceteris ſedentibus in choro ac orantibus, accedant ad altare. Subdiaconus verò deponat infulam ſuam, aſcendatque in ambonem ideſt in lectorium ferens ſecum lectionarium. Epiſcopus verò ad altare ſtans humili voce incipiat Oremus *archidiaconus à dorſo illius ſtans ſubjungat* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus* Deus à quo & Judas. *Subdiaconus lectionem ſine titulo :* In tribulatione ſua : *quæ dum legitur, illi duo ſubdiaconi qui in Ramis palmarum cantaverunt Reſponſorium, aſcendant in pulpitum, nudis pedibus, & in albis. Finitaque lectione, incipiant iſtum tractum* Domine audivi. *Chorus* Conſideravi. *Hæc repreſſa dicitur per unumquemque verſum, excepto ultimo verſu. Poſt verſum epiſcopus item dicat* Oremus. *Archidiaconus* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus* Deus qui peccati veteris &c. *Subdiaconus iterum in pulpito lectionem ſine titulo.* In diebus illis dixit Dominus ad Moiſem & Aaron in terra Ægypti. *Interea quatuor presbyteri qui in Ramis palmarum cantaverant tractum, aſcendant in ambonem diſcalciati, & in albis, & finita lectione, ſtatim incipiant iſtum tractum* Eripe me Domine. *In iſto tractu nihil dicitur in choro: qui dum cantatur, archidiaconus aſcendat in pulpitum ſic : Clericulus cum incenſo nudis pedibus eum præcedat : deinde ſubdiaconus ferens temporalia infula indutus, poſt illum archidiaconus ferens evangelium panno ſerico rubro involutum : infula ſua plicata & in modum ſtolæ ſuper humeram impoſita : Finitoque tractu, ſtatim incipiat* Paſſio Domini noſtri Jesu-Christi ſecundùm Joannem Gloria tibi Domine *non dicitur* Egreſſus Jeſus &. *Et cum dicitur* Diviſerunt ſibi veſtimenta mea &c. *duo ſubdiaconi qui primum tractum cantaverunt, ſtantes in albis ad cornu altaris, rapiunt illas duas paulas, qui veſtem Domini ſignificant ſuper quam milites miſerunt ſortem. Lumen non portatur ante evangelium. Lumen in tota eccleſia hodie debet celari. Tenebræ enim factæ ſunt ſuper univerſam terram ab hora tertia uſque in horam nonam, moriente vero illo qui ait :* Ego ſum lux mundi, *ſol obſcuratus eſt & luna non dedit lumen ſuum. Finito evangelio, ſubdiaconus accipiat illud & quaſi in occulto ſub infula ſua velut in ſinu ſuo, deferat ad ſepulcrum, clericulo cum thure præcedente, impoſitoque ſuper altare quod eſt in ſepulcro, ambo revertantur. Interea archidiaconus redeat ad altare, & tunc infula ſua ſicut prius induatur. Epiſcopus autem incipiat orationes ſolemnes pro eccleſia & ejus gradibus. Archidiaconus quoque à dorſo illius ſtans in decem & octo orationibus, dicat ſepties* Flectamus genua. Levate. *Pro Papa duæ orationes, inter quas flectitur &c,* & ſic de ceteris. *Pro Judæis orationes duæ, nec pro eis flectitur. Quibus finitis, duo ex quatuor presbyteris, qui tractum cantaverunt retro magnum altare, nudis pedibus & in albis præſto ſint. Subdiaconi vero illi, qui & paulas ſuperdictas rapuerunt, nudis pedibus & in albis accipiant crucem coopertam : unus à dextris & alius à ſiniſtris ; tumque removeant illam ab altari B. M. Magdalenæ, quod duo presbyteri poſſint retro crucem ſtare &*

cantare Popule meus &c. *Duo pueri ſtantes ante crucem nudis pedibus & in albis tenentes manipulos duos in manipulos duos in manibus dextris*, Agios o Theos &c. *Quotieſcumque pueri dixerint* Agios, *faciat unuſquiſque manipulum ſuum ſuper ſcapulam ſiniſtram; & quotieſcumque dixerint* O Theos, Iſchiros, Athanatos, *tollant iterùm manipulos à ſcapulis. Poſt hæc dicit chorus* Sanctus Deus, Sanctus fortis &c. *Poſt iſtum verſum ſubdiaconi crucem ferentes afferant eam uſque ad dextrum latus altaris; & tunc paululum crux detegatur. Intereà chorus ſedeat. Sacerdotes quoque crucem ſequentes* Quia eduxi te &c. *Pueri genibus flexis ante crucem facientes de manipulis ſicut ſuperiùs docui, iterùm dicant* Agios. *Chorus ſimiliter flexis genibus* Sanctus Deus. *Intereà ſubdiaconi afferant crucem uſque ad medium presbyterii ante majus altare; & tunc crux uſque ad brachia detegatur. Presbyteri quoque eam ſequentes dicant* Quid ultrà debui &c. *Pueri ſæpedicti ante crucem proſtrati ad facientes de manipulis, ut ſuprà, dicant* Agios &c. *Chorus totus in terram proſtratus* Sanctus Deus. *Tunc illi duo presbyteri accipientes crucem elevent eam in ſede præparata, eamque totam detegentes excelſa voce dicant* Ecce lignum crucis. *Chorus* In quo ſalus mundi pependit & *Pſal.* Beati immaculati. Ecce lignum. Gloria Patri *non dicitur. Intereà Domnus præſul exuat infulam ſuam, veniatque nudis pedibus & in albis crucem adorare. Deinde archidiaconus in albis & diſcalceatus: poſt illum capellanus, dein duo presbyteri ſæpedicti, poſt quos ſacerdos hebdomadarius, poſt quem & ſubdiaconi duo ſæpedicti. Interea ſuccentor incipiat* Crucem tuam adoramus &c. *Pſal.* Beati immaculati. Crucem tuam Gloria Patri *non dicitur. Subdiaconi illi ſtatim incipiant crucem tenere cum eam adoraverint, & manipuli quos pueri portaverant, ad crucis brachia dependeant, & tandiu eam ſtantes teneant, quod omnis chorus adoraverit. Præpoſitus primus, major archidiaconus ſubſequatur; dein ceteri in ordine ſuo. Intereà ſuccentor incipiat hymnum* Crux fidelis &c. *Prætereà ſciendum quod cuſtos clericus debet parare unam crucem extra chorum populo: quia dum crux magna in choro à clero adoratur, reliqua adoretur à populo. Poſtquam clerus adoraverit, ſupradicti ſacerdotes miniſtri crucis elevent eam dicentes.* Super omnia ligna.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Impoſita cruce ſuper altare;in ſede ſua epiſcopo ſtante ad altare ſicut priùs, archidiaconus eat ad ſacrarium, & Corpus Dominicum afferat in vaſculo in quo repoſitum eſt cum ſummo honore ad altare, quod epiſcopus accipiat. Archidiaconus vero hoc facto, accepto calice, miſceat & in eo aquam cum vino. Epiſcopus autem poſita patena ſuper corporalem extenſam, Dominico Corpore ſuper patenam poſito, accipiat calicem de manu archidiaconi, ſtatimque archidiaconus referat ad ſacrarium vaſculum cum Corpore Dominico honorificè. Quo facto, epiſcopus dicat humili voce, ita tamen quod à cunctis audiatur. Oremus præceptis ſalutaribus moniti *cum oratione Dominica* Pater noſter. *Chorus* Sed libera nos à malo. *Epiſcopus* Amen *cum oratione* Libera nos. *Qua finita humili voce: ita tamen quod poſſit audiri dicatur* Per omnia ſæcula ſæculorum. *Chorus* Amen. *Et ſtatim incipit ſuccentor communionem* Dum fabricator. ℣. O admirabile. *Repreſſa* Aperto

Digitized by Google

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

namque. *Intereà ſumens epiſcopus Sancta, nihil dicens ponit in calice: factoque in eo ſigno crucis, communicet ſe, & omnes qui voluerint. Et ſic ſanctificatur vinum non conſecratum per panem ſanctificatum. Finita communione cum ſuo verſu & repreſa, epiſcopus ſtans ad altare cum miniſtris dicit veſperas.* Calicem ſalutaris *cum ceteris antiphonis & pſalmis. Capitulum, Reſponſorium, hymnus non dicitur, nec verſus. Antiphona* Et cum accepiſſet. *Pſal.* Magnificat. Dominus vobiſcum *non dicitur.* Oremus. Refecti vitalibus &c. *Miniſtri* Amen. *Et recedant tunc ab altari. Tales etiam veſperæ privatim ſine conventu in choro dicantur, dum epiſcopus ſuas dicit, excepta oratione quæ eſt* Reſpice quæſumus. *Oratio enim ſuperior ab illo ſolo debet dici qui communicaverit. Poſt hæc altare iterum totum denudetur. Quæritur quare ſolito more in eccleſia ſacramenta die iſta & ſabbato imminenti non celebrentur, nec lumen per diem accenditur. Reſpondetur quod apoſtoli biduo in mœrore & triſtitia fuerunt, & propter metum Judæorum abſconderunt ſe.*

Ordo ſequentium matutinarum ſicut & præteritarum obſervandus eſt in omnibus exceptis his. ℣. mutantur in nocturnis & laudibus: duo diaconi ℣. Qui paſſurus *non ita ad terram dum dicitur oratio Dominica, niſi in fine matutinarum quando* ℣ Qui paſſurus *& preces dicuntur. In receſſu autem matutinarum ſicut prius de candelis factum eſt adhuc fiat. Duo cerei uſque ad lucem matutinarum ante altare accendantur, & in luce extinguantur.*

ANTIQUI RITUS FERIÆ SEXTÆ PARASCEVES

Ex ms. codice bibliothecæ Colbertinæ n. 3789. ante annos 400. ſcripto.

IN primis circa octavam horam ingrediatur ſacerdos ſacrarium, & diaconus cum duobus ſubdiaconibus, & induat ſe veſtibus ſacris, ſicut mos eſt tempore quadrageſimæ. Deinde afferatur ignis novus quem benedicat ſacerdos.

Benedictio ignis

Adeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, tuaque præſentia conſecrari ac benedicere hujus incrementa ignis dignare, ut omnibus in te ſperantibus fugato dæmoniaco phantaſmate tribuas lumen & calorem ſpiritus tui ſaluberrimum. Per.

Deinde accendantur ex eodem cerei, & ponantur in tuto loco & ſic ingredientes in chorum cantetur nona. Quâ finita, procedens ſubdiaconus legat lectionem ita planè inchoans In tribulatione ſua mane. *Sequitur tractus* Domine audivi. *Interim pergant ſacerdos & diaconus cum ſubdiacono præcedentibus duobus acolythis cum accenſis luminaribus de igne ſanctificato ante altare, induti planetis, & inclinantes ſe faciant orationem, quaſi miſſa canitur. Quâ completa erigentes ſe oſculetur altare. Et finito tracto, dicat*

Digitized by Google

dicat ſacerdos Oremus. *Clamante diacono* Flectamus genua. Deus à quo & Judas. *Deinde procedens alius ſubdiaconus ad lectionem ita incipiens* Dixit quoque Dominus ad Moïſem. *Sequitur tractus.* Eripe me ab homine. *Deinde veniens diaconus legat Dominicam Paſſionem, poſt cujus finem dicat ſacerdos excelſa voce* Oremus dilectiſſimi &c.

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Poſteà præparetur crux in loco apto ante poſito vel ſuſtentato hinc inde à duobus clericis. Venient poſt ante eam duo in albis, dicant excelſa voce Agios. *Reſpondeat chorus* Sanctus Deus, Sanctus fortis. *repetentes tertio ſequuntur* ℣. Popule meus quid. *Reſpondente choro* Væ nobis quia peccavimus. *Deinde ipſi duo* Quia eduxi. *Et chorus* Væ nobis. *Iterùm verſus* Quid ultrà debui *Et chorus* Væ nobis quia peccavimus. *Poſteà denudetur crux ab iis qui cantaverunt verſus, accipienſque eam presbyter dicat excelſa voce* Ecce lignum crucis. Beati immaculati. *Deinde ponetur in choro ubi adoretur atque oſculetur, primituſque ab ipſo presbytero cum diacono & ſubdiacono, poſteà ab omni choro. Interim canantur antiphonæ.* Adoremus crucis. Dum fabricator. O crux ſplendidior. *Cum aliis antiphonis vel hymnis pertinentibus ad ipſum officium. Quâ adorata atque ſalutata à clero & populo, accipiat eam ſacerdos cum diacono vel ſubdiacono præcedentibus cereis cum incenſo reponant eam honorificè in locum ſuum, cantantes excelſa voce* Super omnia ligna.

*Deinde veniens ſecretarius cooperiat altare mundiſſimo linteo. Presbyter verò cum ſubdiacono, vel aliis miniſtris cum accenſis cereis & thuribulo intrent in ſacrarium, ubi poſitum fuerat Corpus Domini quod pridiè remanſerat, ponens eum in patena, & ſubdiaconibus * teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & ſic cum ſilentio & reverentia deferent ſuper altare. Deinde presbyter indutus quaſi ad miſſam ordinet illud coopertum corporali, ſicut mos eſt, expletaque oratione dicat* Oremus præceptis ſalutaribus moniti *uſque* Sed libera nos à malo. *Sequitur oratio* Libera nos quæſumus *uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum *& cum dixerint* Amen, *ponat in calice nihil dicens, & communicet tam ipſe quam omnes cum ſilentio. Poſt communionem verò cantent veſperas* Calicem ſalutaris accipiam. Credidi propter, *cum aliis antiphonis ad ipſam diem pertinentibus.*

* Videtur hic deeſſe aliquid.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLES. VIENNENSIS IN GALLIA

Ex ms. codice ejuſdem Eccleſiæ.

Officium in Parasceve.

POſt horam nonam omnes officiantes *cum nova tonſura & nudis pedibus exiſtent. Induunt ſe miniſtri in albis, archiepiſcopus in cappa ſerica nigra, archidiaconus Salmonenſis & duo diaconi cum eo in caſula, ſubdiaconus & thuribularius cum eo in dalmatica & ceroferarii, faciuntque in reveſtiario confeſſionem, & tunc non accenduntur candelæ circa altare, ponent ſindonem ſupra altare. Poſtquam ergo archiepiſcopus cum miniſtris nudis pedibus*

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

venerit, coram altari proſternuntur ibi ad orationem. Unde ſurgentibus illis, archiepiſcopus oſculetur altare & ſubdiaconus remiſciniarius aſcendat ad ambonem, & incipiat lenta voce & ſine titulo, & legat in modum lectionis. In tribulatione ſua. *Poſtquam duo de majori choro ex mandato magiſtri. Tractum.* Domine audivi. *Quo finito, ſurgens archiepiſcopus dicit* Oremus, *& diaconus*, flectamus genua, Levate, *& dicit archiepiſcopus orationem* Deus à quo & Judas reatus ſit pœnam. *Sequitur alia lectio.* Dixit Dominus ad Moïſem & ad Aaron in terra Ægypti, *in modum lectionis legat ſubdiaconus hebdomadarius. Poſtquam dicitur tractus.* Eripe me Domine. *A quatuor canonicis in cappis ſericis nigris ex mandato magiſtri quo facto, archidiaconus pronunciat ita.* Paſſio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundùm Joannem. In illo tempore egreſſus Jeſus, *& ſine reſponſione incipiat legere & candela à ceroferariis portentur ſine igne. Poſtquam vero venerit in loco ubi dicitur partiti ſunt veſtimenta mea, duo diaconi nudent altare ſindone in modum furentis, unus ad dextram partem, & alius ad ſiniſtram. Finita paſſione, & archidiacono regreſſo ad altare, incipit archiepiſcopus orationes ſequentes ſolemnes dicendo*, Oremus *& tunc dicat archidiaconus in iſtis orationibus* flectamus genua, Levate, *prout in miſſali continetur, in illa tamen oratione qua pro perfidis Judæis dicitur, non dicatur* flectamus genua; *poſt orationes circa finem exeant chorum cum magiſtro duo cantores, ſcilicet præcentor & cantor, & ante altare Sancti Philiberti induantur cappis ſericis viridis, pedibus nudis, & velatam Crucem accipiant, unus à dextris & alius à ſiniſtris, & ſic eant portantes in ipiant alta voce antiphonam.* Ecce lignum crucis, *crucem modicum diſcooperiendo: Chorus reſpondeat*, In quo ſalus. *Iteram incipiant cantores altiori voce*, Ecce lignum crucis, *crucem magis diſcooperiendo, poſteà chorus reſpondeat*, In quo ſalus. *Iterùm incipiant cantores vocem exaltando*, Ecce lignum crucis, *Crucem totalitèr diſcooperiendo, & denudando. Chorus reſpondeat.* In quo ſalus. *Præmiſſa dicendo & decantando procedant & accedant in ſummitate chori ſiniſtri ibidem crucem nudam tenentes; quo facto, duo diaconi cum archidiacono induti accedentes ad cantores; ipſam crucem à manibus eorumdem accipientes, totam nudant ibidem unus à dextris & alter à ſiniſtris teneant. Ad quam converſi omnes, mox ut crucifixum Dominum extenſis brachiis ad amplexum nos ſua reconciliationis invitantem conſpexerint, & fons ille pietatis manans de latere pendentis Domini patens in ablutionem peccatoris intuentium occurrerit, quanto devotionis affectu erga tantum beneficium incitentur oſtendant, archiepiſcopus & miniſtri in parte altarit in qua dicitur epiſtola, genibus flexis, & proſtrati quoties antiphona incipitur, adorent Deum, & oſculentur terram, alii verò in choro. Cantores poſtquam tradiderint crucem duobus diaconibus, accedant ante altare, & ibidem altero ex clericulis coram eis librum tenente incipiant* ℞. Sicut Moïſes. *Pſ.* Domine audivi auditionem tuam. *Chorus reſpondeat* Et timui. *Reiteretur* ℞. Sicut Moïſes *Sine pſalmo. Antiphona* O crux glorioſa. ℞. O crux benedicta ℣. O crux glorioſa, quæ ſola, ℞. O crux glorioſa, ℣. Nos autem per quod, ℞. Dulce lignum. ℣. Mihi autem

Digitized by Google

abſit. Quæ digna. Dum cantatur ℟. Sicut Moïſes, *Diaconi crucem tenentes, & ad tabulam ante altare paratam accedentes, ipſam crucem ſuper tabulam deponent, cantoribus juxta tabulam à parte chori exiſtentibus, iterando & decantando antiphonas & reſponſoria ſupradicta, ſacerdos cum miniſtris accedens ad crucem in terram proſtratus humiliter & devotè adorent eam; ita ut ſolus ſacerdos tres tantum orationes dicat; miniſtri vero intentè audiant, & ſic ſurgentes oſculentur pedes Domini, fratres verò de choro procedentes bini & bini, primò majores, deindè minores, ad crucem accedentes, & intuentes, ſe humiliter proſternent, & ex intima cordis intentione ſuam breviter orationem compleant: ita ut unus eorum unam tantum orationum dicat, cetteri audiant jam verò cum ad oſculandos crucifixi Domini pedes aſſurgunt, illa fixura clavorum illaque ſanguinis mixtio ad memoriam redeunt, quid amovis, quidve dulcedinis rivale, quibuſque oſcula impendi intentè menti conferre debeant, cogitandum eſt potiùs quam dicendum. Cruce ergo adorata per ſacerdotem & miniſtros ad altare & deindè retrò altare ſacerdos accedat, lavans manus induit planetam ſeu caſulam, veniens ante altare, confeſſionem faciat, candelis accenſis, linteamine ſuprà altare poſito, & ſic facta confeſſione diaconus deſuper altare extendit linteamen & corporale; quod verò dignum eſt ut Corpus Domini in quo eſt ſalus noſtra & redemptio, cum ſumma reverentia tradetur. Poſteà cum ceroferariis duas faces portantibus & thuribulario & magiſtro ſcholæ ſerica cappa induto, deſcendat diaconus ad altare ubi Corpus Chriſti reſervatur, & genibus priùs flexis cum ſumma reverentia in quo continetur caute rediens afferat, & ſuper altare Sancti Mauritii ponet, ſacerdos genua flectit juxta cornu altaris à parte evangelii, & præparato calice & vino ſolum in eo poſito Corpus Chriſti & pyxidem ſuper patenam ponet, & ſic præparatum calicem cum patena & Corpore Chriſti, & vino & corporali plicato ſuperpoſito ad pontificem deferat & præſentet dicens apud ſe;* Hoc eſt Corpus Chriſti.

> Caput XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

Sacerdos ex patena ſuper altare Corpus Domini deponit, & in calice præſentato à diacono, aquam miniſtratam à ſubdiacono miſceat, deinde diaconus calicem ſuper altare ponat, quibus oblatis, inclinet ſe ſacerdos ante altare in loco medio dicens, In ſpiritu humilitatis & in &c. *Poſteà ſurgens incipiat alta voce,* Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti &c. Pater noſter &c. *Elevetur Corpus Chriſti tantum, & abſque calice, qui ſcilicet calix non elevatur cum vinum non ſit conſecratum. Et reſpondeat chorus,* Sed libera nos à malo. *Poſteà dicat ſacerdos ſub ſilentio.* Libera nos &c. Per eumdem &c. *Deindè dicat altè.* Per omnia ſæcula ſæculorum, *Chorus reſpondeat.* Amen. *Non dicatur* Pax Domini, *neque per oſculum detur,* Ecce agnus Dei, *Sed ſumat de Sancto Corpore & ponat in calicem nihil dicens, nam ſanctificatur vinum non conſecratum per Corpus Domini immiſſum, ſumat ſacrificium, & ſumpto, alta voce pronuntiat,* In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Deindè incipiant cantores ut ſuprà ante altare exiſtentes.* ℟. Circundederunt me. ℣. Quoniam, ſed tu Domine. *Iterùm repetatur.* ℟. Circundederunt me, *quo pendente, ſacerdos*

thurificet altare; quo facto redeant ad ſacriſtiam pedibus nudis, ut venerunt.

ANTIQUI RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ ARGENTINÆ

Ex ms. Ordinario ejuſdem eccleſiæ anno 1364. *concinnato.*

Poſt nonam agitur officium. Primò ſuper altare ponitur parvum linteolum. Poſteà ſint præparati quatuor miniſtri altaris, ſacerdos, diaconus, & duo ſubdiaconi: & ſint induti caſulis nigri coloris, quibus & utuntur uſque ad finem officii, & hebdomadarius deferens thuribulum, & duo pueri ad deferenda candelabra cappati ex more. Præcedit ſacerdotis & diaconi peculiaris oratio: quam quiſque facit ex propria voluntate, non ex neceſſitate officii vel ordinis, quam ſequetur altaris denudatio. Nam in poſteriora differtur confeſſio: hoc eſt dicere, ſacerdos poſt peculiarem orationem non dicens Confiteor Deo *accedat ad altare, & tamen oſculetur ipſum. Tunc legetur abſque titulo ſicut ad matutinum lectio* In tribulatione ſua mane. *Sequitur Tractus* Domine audivi. *Deinde dicit ſacerdos* Oremus; *& diaconus* Flectamus genua, Levate. *Oratio* Deus à quo & Judas. *Et ſequetur ſine titulo lectio*, Dixit Dominus ad Moïſem & Aaron. *Sequetur tractus* Eripe me, Domine. *Poſteà legetur paſſio & nihil aliud dicitur, niſi* Egreſſus Jesus cum diſcipulis ſuis. *Ante autem quàm paſſio legatur, duæ parvæ ſindones in tranſverſum ſuper altare ponuntur, quæ a præfatis ſubdiaconis in loco ubi legitur* Partiti ſunt veſtimenta mea, *hinc & inde abſtrahuntur, & ſub caſulas in modum furantis ſubtrahuntur.*

Nota. Finita paſſione, legat ſacerdos ſuper altare dicens Oremus dilectiſſimi nobis & tales; *& conventus ſtat erectus. Quibus ſingulis finitis, mox ut ſubjungit ſacerdos* Oremus, *& diaconus* Flectamus genua, *omnes veniam petunt, de qua non reſurgunt niſi finita oratione* Omnipotens ſempiterne Deus, *& diacono pronuntiante* Levate, *ad* Per Dominum *ſe erigunt omnes: & ita ſit per cetera, excepto quod ad orationem quæ pro Judæis dicitur, inclinato tantum capite agitur. Nam & ante illam à diacono* Flectamus genua *non pronuntiatur. Sed interjecto* Oremus *cum præcedenti ejus præfatione per ſacerdotem continuatur.*

Nota. Collectis finitis, ſacerdos & ceteri miniſtri altaris & hebdomadarius cum incenſo & duobus pueris cum candelabris ad cameram vadunt, calceoſque deponunt, & ad ſalutandam crucem veniant ad locum conſuetum, id eſt ad altare S. Vincentii. Conventus autem ita ſtando permaneat in choro. Miniſtri autem portando crucem incipiunt cantare antiphonam Popule meus, *in cujus fine duo pueri in albis procedentes ſubſequuntur* Agios o Theos Agios iſchyros &c. *Subjungit chorus* Sanctus Deus, Sanctus fortis. *Et quoties illud repetitur verbum, ad genua veniam petunt. Similiter & miniſtri portantes crucem ad eam verſi veniam petunt. Crucis autem bajoli poſt finem primi verſus ſe aliquantulum promoventes ſecundum verſum*

Digitized by Google

cantant, & in fine ejus denuò progrediuntur paulatim: ita tamen ut nondum conſpectui fratrum appareant. Poſt finem verò tertii verſus non gradiuntur, ſed expectant donec tertia vice à conventu Sanctus & immortalis *canitur; & tunc uno tenore ad gradum veniunt: deinde finito verſu & eodem cantu, velamen crucis à miniſtris ſurſum levatur uſque ſuper pedes crucifixi, & ſic crucem præſentantes, imponunt antiphonam* Ecce lignum crucis *alta voce, & omnes veniam petunt, de qua reſurgentes facies de cetero ad invicem convertunt. Finita antiphona canitur verſus* Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri. *Deinde miniſtri altaris levantes velamen, oſtendunt faciem & caput crucifixi, & denuò repetunt antiphonam* Ecce lignum crucis. *Et ſequetur verſus* Beati immaculati in via. *Poſteà à miniſtris tollitur velamen, & totus nudus crucifixus oſtenditur: & cantetur tertia vice antiphona* Ecce lignum crucis. *Interim autem dum antiphona* Popule meus *cantatur in choro, tapete conſternitur, ſuper quod mox ut crux denudatur, & tertia vice antiphona* Ecce lignum *repetita fuerit, ponitur. Tunc primi Domini prælati, deinde ſacerdotes, diaconi & ſubdiaconi, ceterique omnes tribus vicibus ſe proſternentes aliquandiù jacent, donec tres orationes dicantur ab omnibus. Et poſt hæc de imagine crucis pedes tantùm oſculantur. Interim dum hæ orationes à proſtratis ſic dicuntur, cantetur à choro hæc antiphona* Dum fabricator mundi *Antiphona* O admirabile. *Deinde duo ex majoribus canonicis cantant iſtos verſus in lanea veſte retro ſedem cantoris, & vicarii cantent cum eis juvando eos, & ſi canonici noluerint cantare, ſaltem duo vel unus aſſiſtant vicariis cantantibus verſum* Crux fidelis, *& ad ſingulos ſequentes verſus* Crux fidelis, *vel* Dulce lignum *à conventu reciprocatur.*

Nota. Interim autem dum hæc fiunt, parvum linteolum ſuper altare ponitur, & ſacerdos & miniſtri calceamenta reſumunt. Tunc presbyter intret ſacrarium, vel ubi poſitum fuerit Corpus Domini, quod pridiè remanſit, illud deferat ſuper altare, & ſubdiaconus præparet calicem, infundendo vinum & aquam ſecundùm morem, & ſimiliter ſuper altare ponat. Tunc ſacerdos procedens ad altare, corporale explicat, & accepta cum Corpore Domini patena, ſimiliter & calicem ſuper illud locat, utroque offerente manus accipientis oſculante, qui & deinceps vicem diaconi & miniſtri ſupplent. Illi verò tres incenſum & candelabra coram altari tenent, donec omnia finiantur.

Nota. Sacerdos facit confeſſionem, qua facta, Corpus Domini ſolito more operit, incenſoque adhibito, & lotis digitorum quatuor ſummitatibus, canore voce ſed mediocriter incipit & inclinat ante altare, & iterùm ſe elevans dicit Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter *per totum, &* Libera nos quæſumus Domine *uſque* Per omnia ſæcula ſæculorum. *Cùm presbyter dixerit* Per omnia ſæcula ſæculorum, *& chorus reſponderit* Amen, *ſumit presbyter de Corpore Domini, & cum eo per quatuor oras, id eſt calicis ſolito more cruce facta, nihil dicens mittat in calicem* Pax Domini *non dicitur, quia non ſequuntur oſcula circumſtantium. Sanctificatur enim non conſecratum vinum per ſanctificatum panem & communicet ipſe &*

Digitized by Google

alii qui voluerint cum ſilentio. Quoniam ſic univerſa ſunt completa & ſacerdos non dicat illam orationem Domine JESU-CHRISTE, Fili Dei vivi; *quia ibi poſteà mentio de ſanguine fit. Omittuntur & illi verſus* Quid retribuam Domino. *Illa oratio* Placeat tibi S. Trinitas *omittitur etiam.*

Nota. Communione ſic peracta, miniſtri altaris & hebdomadarius cum incenſo & duobus pueris cum candelabris & proceſſione vadant ad locum ſepulcri cum Corpore Domini, ubi debet recondi cantando ℟. Sicut ovis ad occiſionem *vel* In pace factus eſt locus ejus *cum antiphona* In pace in idipſum, *Antiphona* Caro mea requieſcet, *& presbytero nectente fila, cantetur hac antiphona* Sepulto Domino ſignatum, *ſtatim cantantur veſpera in eodem loco ſub ſilentio. Pſal.* Confitebor tibi Domine, *cum ceteris pſalmis ſine antiphonis. Sequitur* Magnificat, *deinde ſubjungitur* Pater noſter *cum ſilentio. Sequitur pſalmus* Miſerere *cum* ℣. In pace factus eſt locus ejus. *Deinde ſepulcrum aſpergatur aqua benedicta, & thurificatur.*

Nota. Poſt refectionem veniant fratres ad ſepulcrum, tabula percuſſa, vel alio ſigno dato ad completorium. Et legatur in choro prædicta hora ſicut heſterna die abſque verſu ſed ℣. Iſte dierum, *ut ſuprà ad veſperas.* ℣. In pace factus eſt locus ejus. *Poſt completorium vadant ad ſepulcrum viſitantes ipſum cum aqua benedicta, dicendo pſalmum* Miſerere *cum verſu prædicto.*

RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ TOLETANÆ IN PARASCEVE

Ex miſſali Mozarabum.

In Paraſceve ad nonam pro indulgentia Oratio

O Sancta Crux, in qua ſalus noſtra pependit, per te introibimus ad Patrem, veniam mereamur, per te apud Chriſtum habeamus indulgentiam & veniam. ℟. Amen.

Mox autem epiſcopus cum presbyteris & diaconibus decincti juxta conſuetudinem aſcenderint ad ſedes, & levita in ordinem ſuum quem ſuprà notatum eſt in via ſacra ſteterint, à clerico incipiatur prophetia.

Lectio libri proverbiorum. Fili ſi dormieris, ſalvus eris. Quieſcis & ſalvus erit ſomnus tuus. Ne pareas repentino terrore & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus erit in latere tuo, ut cuſtodiat pedem tuum ne capiaris à malo. ℟. Amen. *Poſt hac ab archidiacono dicatur* Erigite vos. *Deinde ſalutat epiſcopus dicendo* Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum Spiritu tuo. *Deinde dicat epiſcopus* ℣. Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te, reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti paraſti crucem mihi.

Reſpondetur à clero caput ſimiliter per ſingulos verſos ℣. Audite quæ Dominus loquitur, ſurge & contende judicium adversùs montes, & audiant colles vocem tuam P̄ Quia eduxi te. ℣. Audite montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ; quia judicium Domini

cum populo ſuo & cum Iſraël altercabitur dicens : ℟ Quia eduxi te. ℣. Populus meus quid feci tibi, aut in quo te contriſtavi, aut in quo moleſtus fui reſponde mihi : quia eduxi te de terra Ægypti & de domo ſervitutis liberavi te, & miſi ante faciem tuam Moiſem & Aaron & Mariam ℟ Paraſti crucem mihi ℣. Si affliget homo Deum, quia vos configiſtis me & dixiſtis : in quo confiximus te, invaluerunt ſuper me verba veſtra & configiſtis me gens tota ℟ Paraſti crucem mihi ℣. Quid dignum offeram Domino, curvabo genua Deo excelſo : numquid offeram ei holocauſtomata, aut vitulo anniculo, numquid placari poterit Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium. ℟ Paraſti crucem mihi. ℣. Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo fructus ventris mei pro peccato animæ meæ ? ℟ Paraſti crucem ℣. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, aut quod Dominus quærat à te, utique facere judicium & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo ℟ Paraſti crucem.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Lectio Iſaïæ Prophetæ ℟. Deo gratias.

Hæc dicit Dominus: Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valdè *&* *uſque* & pro tranſgreſſoribus rogavit. ℟. Amen.

Deindè aſcendet cantor cum ſociis ad ſedes, & dicit ſingularis hunc prologum voce. Pro ſuſceptione matutina vigeſimus primus in finem pſalmus ipſi David.

Finito, dicunt hunc pſalmum, tacentibus omnibus in choro, duo pſallendo: Deus Deus meus, intende in me, quare me dereliquiſti ? ℣. Longe à ſalute mea verba delictorum meorum. ℣. Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte & non ad inſipientiam mihi. *Dicat presbyter.* Silentium facite. ℣. Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. ℣. Omnes qui videbant me, ſubſannabant me, loquuti ſunt labiis & moverunt caput. ℣. Speravit in Domino eripiat eum, ſalvum faciat eum quoniam vult eum. *Dicat presbyter.* Silentium facite. ℣. Quoniam tu es qui eduxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ ℣. In te jactatus ſum ex utero, de ventre matris meæ. Deus meus es tu, ne diſcedas à me. ℣. Quoniam tribulatio proxima, & non eſt qui adjuvet. *Dicat presbyter.* Silentium facite. ℣. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. ℣. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. ℣. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. *Dicat presbyter* Silentium facite. ℣. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. ℣. Exaruit ſicut teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me. ℣. Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me. *Dicat presbyter* Silentium facite. ℣. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. ℣. Ipſi verò conſideraverunt & conſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. ℣. Tu autem, Domine, ne elongaveris

Digitized by Google

auxilium tuum à me ; ad defenſionem meam Deus meus reſpice. *Dicat presbyter* ſilentium facite ℣. Eripe à framea animam meam & de manu canis unicam meam ℣. Libera me, Domine, de ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio eccleſiæ laudabo te. *Dicat presbyter* ſilentium facite.

Sequentia epiſtolæ Pauli apoſtoli ad Corinthios. ℟. Deo gratias.

Fratres non eſt bona gloriatio veſtra, neſcitis quod modicum fermentum totam maſſam corrumpit *&c. uſque* Sed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, & in ſpiritu Dei noſtri. ℟. Amen.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Matthæum

Manè facto cœna pura, quod eſt ante ſabbatum, concilium fecerunt ſummi ſacerdotes & ſeniores populi de JESU, ut interficerent eum. Et vinctum eum duxerunt & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Tunc Judas traditor cum videret quoniam ad judicium perductus eſt, pœnitentia motus &c. *Sequitur altera pars hiſtoriæ Dominicæ paſſionis conflata ex variis evangeliſtis, deſinitque in hunc modum.* Ad JESUM cum veniſſent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt crura ejus ; ſed unus ex militibus lancea latus ejus pupugit ; & exivit continuò ſanguis & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit & verum eſt teſtimonium ejus : & nos credimus quia verum eſt, ut credentes vitam habeamus in nomine ejus. ℟. Amen.

Evangelium

Tunc venit quidam homo dives ab arimathia nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat JESU *&c. ut apud Matthæum uſque* ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

Dicat presbyter preces Pœnitentes orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum Deum noſtrum, ut indulgentiam criminum, & remiſſionem peccatorum nobis donare dignetur.

Reiteretur à choro. Poſteà presbyter dicat. Erigite vos, orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum Deum noſtrum, ut lapſis manum porrigat, & præſidium quod ab eo requirit clementer impertiat. ℟. *Pœnitentes*

Erigite vos, orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum Deum noſtrum, ut reminiſcentes mala quæ geſſimus, deinceps vitemus inſidias inimici, ut quos diaboli perſuaſione ſua ab altario Dei ſubtraxerat, patrona revocet effuſio lacrymarum. ℟. *Pœnitentes*

Erigite vos completa oratione veſtra, omnes pari voce indulgentiam à Domino poſtulemus.

Impleta voce, exclamat archidiaconus. Indulgentia.

Similiter & omnis clerus vel populus non pluſquam trecentis vicibus

Poſteà dicat preces

Tu paſtor bone animam tuam pro ovibus poſuiſti. *Reiteretur à choro*

Tu

Caput XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Tu paſtor bone. *Diaconus dicat.* Proſternimus preces ante faciem tuam, Exaudi, placare, indulge Domine, & miſerere nobis. ℟ Tu paſtor bone. *Archidiaconus dicat* Deprecemur Dominum ut remiſſionem peccatorum & pacem nobis propitius donare dignetur. *Epiſcopus dicat.* Te deprecamur Domine. ℟ Indulgentia. ℣. Procedat ab altiſſimo ℟ Indulgentia. ℣. Succurrat nobis miſeris. ℟ Indulgentia. ℣. Delicta purget omnibus. ℟ Indulgentia ℣. Præſtet pœnitentibus ℟ Indulgentia. ℣. Patrona ſit lugentibus ℟ Indulgentia. ℣. Errantes fide corrigat. ℟ Indulgentia. ℣. Lapſos peccatis erigat. ℟ Indulgentia. ℣. Te deprecamur Domine. ℟ Indulgentia.

Poſt hæc dicat diaconus Erigite vos. *Et Sacerdos dicit orationem.*

Unigenite Fili Dei Patris, cujus caro pretioſa à Judæis damnatur, ab ingratis inluditur, & crucifigenda latronum corporibus comparatur, ex cujus latere ſanguis & aqua profluxit: ſed ſanguinem non miror ex carne, aquam verò ex eo quod intelligo non mirabor. Illa eſt utique aqua quæ nos quondam per Adam mortuos vivificavit regeneratos procedens ex mortuo. Clementiam ergo tuam, quæſumus, ut ſicuti pro amore generis non dedignatus es aſſumere mortem noſtram: ita & reſurgens à mortuis obtinere nos facias de triumphato hoſte victoriam. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter qui vivis cum Deo Patre, & regnas cum Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Qua expleta, exclamat Diaconus Indulgentiam. *Secundam ſuſcipiunt clerici pariter, & clamantes non pluſquam ducentis vicibus CC. Et poſt hæc ſacerdos dicit preces.* Tu paſtor bone *ut ſuprà ſcriptum eſt. Et diaconus dicat* ℣. Peccavimus tibi Deus recedentes à te, nobis confuſio, tibi clementia & propitiatio. ℟ Tu paſtor. *Poſt hæc dicat archidiaconus* Deprecemur Dominum. *Epiſcopus dicat* Te deprecamur. ℟ Indulgentia. ℣. Nos Patri reconciliet. ℟ Indulgentia ℣. Chriſti conformet gratia ℟ Indulgentia ℣. Confirmet Spiritu Sancto ℟ Indulgentia. ℣. Peſtem & famem abluat ℟ Indulgentia. ℣. Medelam ægris conferat ℟ Indulgentia. ℣. Captivos reddat patriæ. ℟ Indulgentia. ℣. Vices aërum temperet. ℟ Indulgentia. ℣. Te deprecamur Domine. ℟ Indulgentia.

Poſt hæc dicit diaconus Erigite vos, *Et ſacerdos legit hanc orationem.*

Oratio

Unigenite Fili Dei Patris, qui cœlum redditurus in terris dignatus es naſci, ut nos elevares ad cœlos: qui ideò in ligno crucis manus proprias extendiſti, ut nos ad lignum vitæ propitius revocares. De quo Adam guſtare non meruit, poſteàquam crimen prævaricationis incurrit. Crux ergo tua Deus, vitæ arbor eſt, in æternum vivificet quemque ex ea guſtaverit. Tuam ergo clementiam petimus ut auferantur ab oculis tuis mala noſtra præterita, & bona futura naſcantur. Hujus mundi lux infida negligatur, & perennitatis tuæ à nobis æternitas requiratur. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter qui vivis cum Deo Patre & regnas cum Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Ddd

Digitized by Google

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Poſt hæc decantant hunc pſalmum cum antiphona ſua ab epiſcopo impoſita. Antiphona Parce Deus quia ſprevimus præcepta tua : qui das poſt peccata indulgentiam. *Pſal.* Miſerere mei Deus ſecundùm magnam.

Dicto pſalmo una cum Gloria Patri, *dicit diaconus tertio* Indulgentia *non pluſquam centum vicibus* C. *Et epiſcopus dicat* ℣. Tu paſtor bone &c. Miſerere nobis Deus quia omnia potes : tu enim diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Deinde dicat presbyter* Deprecemur Dominum &c. *Dicat epiſcopus* Te deprecamur Domine, ℟ Indulgentia. ℣. Reſtituat paradiſo. ℟ Indulgentia. ℣. Clauſtra cœlorum reſeret indulgentia. ℟ Indulgentia ℣. Removeat ſupplicium. ℟ Indulgentia. ℣. Extinguat gehennæ incendia. ℟ Indulgentia. ℣. Pro defunctis donet requiem. ℟ Indulgentia. ℣. Locum quietis conferat. ℟ Indulgentia. ℣. Sanctis conſortes faciat ℟ Indulgentia.

Finitis precibus, duo nobiles presbyteri in ſuperpelliciis accipiant crucem coopertam panno nigro verſus ſe crucifixum, & aſcendant ad ſiniſtrum cornu altaris, & cantent ambo hanc antiphonam : Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te ? reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti in ſignis magnis & prodigiis excelſis, & paraſti crucem Salvatori tuo. *Et cum dixerit in fine* Paraſti crucem Salvatori tuo. *In fine antiphonæ duo diaconi induti ſuperpelliciis in medio chori ante altare majus incipiant & cantent* Agios o Theos, Agios Iſchiros, Agios Athanatos, eleiſon imas. *Quibus finitis, chorus reſpondeat flexis genibus ut ſequitur* Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miſerere nobis. *Finita prima ſtatione, duo ſupradicti presbyteri qui crucem tenent pergant ad dextrum cornu altaris cum cruce ſicut priùs & cantent ſecundam antiphonam ſequentem.* Quia eduxi te per deſertum quadraginta annis, & manna cibavi te, & introduxi in terram ſatis optimam. ℟ Paraſti crucem Salvatori tuo. *Supradicti diaconi ut priùs cantent* Agios *per totum ante altare, ut ſupradictum eſt. Quibus finitis, chorus flexis genibus cantet,* Sanctus Deus, *ut prius modo & forma ſupradicta. Et dum chorus cantat* Sanctus, *duo ſupradicti presbyteri cum cruce veniant ad medium altaris, & tenentes crucem cantent tertiam antiphonam ſequentem. Antiphona.* Quid ultrà debui facere tibi, & non feci : Ego quidem plantavi vineam meam ſpecioſiſſimam, & tamen facta es mihi nimis amara. Aceto namque ſitim meam potaſti, & lancea perforaſti latus Salvatori tuo. *Et cum dixerint* Salvatori tuo, *diaconi ſupradicti, ut prius, cantent* Agios, *& chorus flexis genibus cantet* Sanctus Deus, *ſicut priùs.*

Interim quod ita finitur, paretur ſtratum coram altare, cum pannis ſericis, & aliis ornamentis ad adorandum crucem. Et finitis ſtationibus, prout dictum eſt ſuperius, ſacerdos faciens officium exuat cappam, & accipiat crucem velatam de manibus duorum presbyterorum canentium, qua ſuſcepta, accedat ſacerdos ad dextrum cornu altaris, verſo crucifixo ad populum, incipiat antiphonam Ecce lignum crucis. *Diſcooperiendo brachium crucis, & continuò chorus reſpondeat* In quo ſalus mundi pependit. Venite. *Et dum chorus cantat ſupradictam antiphonam, ſacerdos tranſeat ad*

Digitized by Google

ſiniſtrum cornu altaris, & iterum incipiat ſupradictam antiphonam, ſcilicet Ecce lignum crucis, *elevando vocem aliquantulum altius, quam prima vice, diſcooperiendo aliud brachium crucis. Chorus vero reſpondeat* In quo ſalus mundi pependit. *Et populus flectat genua ad quamlibet oſtenſionem cujuſlibet brachii crucis. Et dum chorus cantat antiphonam ſcilicet* In quo ſalus; *presbyter veniat ad medium altaris, & incipiat tertio ſupradictam antiphonam, ſcilicet* Ecce lignum crucis *elevando vocem altius quam aliis vicibus, & tunc diſcooperiat crucem totaliter elevando ipſam cum brachiis quantum poterit. Et dum chorus cantat antiphonam, presbyter pergat cum cruce devote & honeſte ad ſtratum, & ibi cum maxima reverentia ponat eam, & ſtatim presbyter cum ſuis miniſtris adorent crucem flectendo genua ter cum ſumma reverentia & humilitate oſculando terram, & offerant oblationem cruci, ut aliis præbeant exemplum, & dicat presbyter oſculando hanc orationem.*

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Oratio ad crucem

Domine JESU-CHRISTE, adoro te in cruce aſcendentem, & ſpineam coronam portantem in capite: Deprecor te, ut ipſa crux liberet me de angelo percutiente: Domine JESU-CHRISTE, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum. Deprecor te ut tua vulnera ſint remedium animæ meæ. Domine JESU-CHRISTE in ſepulcro te adoro poſitum, deprecor te, ut tua mors ſit vita mea. Domine JESU-CHRISTE adoro te venturum ad judicium & judicaturum vivos & mortuos. Deprecor te ut in tuo ſancto adventu non intres in judicium cum me indigno & miſero peccatore; ſed pro tua magna clementia peccata mea dimittas mihi, quam juſte judices. Qui vivis

Et chorus cantet antiphonas Crucem tuam adoramus, Domine, *cum aliis antiphonis ad hoc deputatis. Et dum clerus & populus adorant crucem; ſacerdos cum miniſtris deſcendat ad ſacrarium, & ibi ſe calcient. Et presbyter accipiat caſulam nigram], & diaconus & ſubdiaconus dalmaticas nigras, & veniat ad portam chori majoris præcedentibus cereis & thuribulo; & adorata cruce à clero & populo, duo ſupradicti presbyteri, qui prius crucem tenuerunt, reverenter accipiant eam de ſtratu cum ſuo panno, & pergant cum ea ante medium altaris, incipientes hanc antiphonam* Super omnia ligna cedrorum &c. *Et per iſtos ſupradictos presbyteros finiatur. Qua finita, reverenter ponant crucem in altare. Qua dimiſſa, ſacerdos & miniſtri, clerus & populus in proceſſionem ſilentio facto, præcedentibus ſcilicet alia cruce nigra & cereis & thuribulo cum braſis, veniant uſque ad monumentum; & cum perventum fuerit, aſcendat presbyter cum duobus Dominis qui habent claves monumenti & ſigilla. Et interim provideatur de braſis in thuribulo, & aperto ſepulcro, accipiat presbyter de incenſo quod eſt intus, & ponat in thuribulo, & incenſet ſtatim Corpus Domini. Quo facto, excooperiat calicem, & oſtendat ſecrete & humiliter dictis Dominis hoſtiam conſecratam, & cooperto calice cum Corpore Domini reverenter*

Digitized by Google

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

deferat cum ſua impla, ut pridiè portavit, miniſtris, videlicet diacono & ſubdiacono juvantibus, alias ſuſtentantibus eum, ut levius & ſecurius pergat cum Corpore Domini. Et velum ſericum, ut ſupradictum eſt, portetur à quatuor vel ſex nobilibus Dominis civitatis ſuper Corpus Chriſti: ſemper cruce præcedente cum cereis & incenſo & thuribulo, & projiciendo de annona viride, ut dictum eſt. Et quidam portionarius de antiquioribus indutus ſuperpelliceo albo deferat vexillum nigrum in medio proceſſionis, ſcilicet inter canonicos & portionarios, & ſic ordine iſto perveniant ad altare majus. Cum perventum fuerit; diaconus expandat corporalia ſuper aram, & ſacerdos maxima cum reverentia ponat Corpus Chriſti cum calice in quo venit ſuper aram. Quo poſito, deſcendat ad gradum altaris, & ibi faciat confeſſionem. Qua facta aſcendat ad altare, & lavet manus. Deinde accipiat Corpus Chriſti reverenter de calice, & ponat ſuper aram ad pedem calicis; & provideat de vino & aqua, ut moris eſt aliis diebus. Tamen provideat & revideat, ſi fortè aliqua pars hoſtiæ maneat plicata filiola corporalium, quæ erat in calice. Calice collocato ſuper aram cum vino & aqua, cooperiat eum filiola: quo facto, dicat hanc orationem.

Unigenite, Filius Dei Patris, de quo ante tam innumeros annos propheta cantavit hunc verſum: In medio duorum animalium cognoſceris. Cognitus planè es non ſolùm inter duos latrones pendens in ligno vel duorum teſtamentorum in medio: verùm etiam fuga ſolis, occaſu diei, concuſſione terrarum. Tu Chriſte, deſcendiſti ad inferos, & ſanctos ſepulcra laxarunt. Pietatem ergo tuam, quæſumus, ut intelligere poſſimus, quantum nobis reſurgens præſtabit in regno: qui nos moriens reſuſcitaſti cum gloria de inferno. Pater noſter *cantando. Et cum pervenerit ad* panem noſtrum quotidianum, *oſtendat populo Corpus Chriſti in ſuo loco ſuper aram. Et cum ſacerdos dixerit.* Et ne nos inducas in tentationem ℟. *Chorus* Sed libera nos à malo.

His peractis, ſacerdos accipiat Corpus Chriſti, & faciat novem particulas, & ponat eas per ordinem in patena, ut fieri ſolet, & ponat unam ex illis quæ dicitur Regnum, *& mittat illam in calice. Et deinde accipiat aliam particulam quæ dicitur* Gloria, *& ponat eam ſuper calicem; & dicat illas orationes, quæ aliis diebus dicebantur; & finitis, accipiant illam particulam, & cooperiat calicem, & cooperto, accipiat alias particulas quæ ſunt in patena per ordinem. Et deinde accipiat patenam & mundet eam ſuper calicem cum pollice, & mundatam ponat eam ſub mento, & poſitam ſumat vinum de calice cum ſua particula quæ ſecundùm quoſdam conſecrat vinum in calice. Communione facta, lavet manus ut moris eſt dicendo* Quod ore ſumpſimus Domine. *Et non dicatur* Corpus Domini noſtri Jesu-Christi, *nec* Placeat tibi Sancta Trinitas. *Et his omnibus peractis, dicat presbyter hanc orationem.*

Eruti à malo, ſtabiliti ſemper in bono, tibi adhærere mereamur Deo & Domino noſtro Jesu-Christo. Da veniam peccatis noſtris & requiem famulis tuis omnibus fidelibus defunctis, frange & percute omnes inſidias inimicis noſtris. Defende nos ab omnibus operibus

malis, & confirma in cunctis bonis. Accipe jejunium & votum noſtrum, & exaudi orationem noſtram in his diebus & in totis temporibus. Tribue nobis pacem & ſecuritatem, pietatem, & ſinceram caritatem, ac gratiam per miſericordiam tuam ſtigmate paſſionis tuæ Deus noſter Filius Dei Qui vivis cum Deo Patre & regnas cum Spiritu Sancto in Trinitate unus Deus permanens in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus ſit ſemper vobiſcum ℟. Et cum. *Et ſtatim diaconus dicat* Eamus cum pace. ℟. Deo gratias.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

Ex miſſali Ambroſiano anno 1560. *edito.*

F*Eria ſexta in Paraſceve mane cantata Tertia*, *presbyter vadat poſt altare*, *& dicat* Dominus vobiſcum: *&* [a] *minor diaconus indutus rubea dalmatica aſcendat pulpitum*, *& dicat ſequentem lectionem in majori tono evangeliorum.*

Lectio Iſaïæ Prophetæ, hæc dicit Dominus Deus: Si quis captivum duxerit gigantem, accipiet ſpolia. *&c. uſque.* In doloribus dormietis, dicit Dominus omnipotens.

Pſalmellus Foderunt &c. Dominus vobiſcum *Oratio.* Deus qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum &c.

Mox alter [b] *diaconus rubea dalmatica indutus*, *legat in majori tono evangeliorum lectionem ſequentem.*

Lectio Iſaïæ Prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levo ad populum manum meam *&c. uſque* Et eripiam de manibus malorum, dicit Dominus omnipotens.

Poſteà Dominus archiepiſcopus vel major ſacerdotum cantet ſequens canticum ad cornu altaris: Tenebræ factæ ſunt &c.

[c] *Hoc cantato*, *diaconus legat ſequens evangelium* ℣. Dominus vobiſcum. Paſſio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundùm Matthæum. ℟. Gloria tibi, Domine. Mane facto concilium inierunt omnes principes ſacerdotum *&c. uſque* clamans voce magna expiravit.

a Miſſale anno 1669. editum *Ultimus diaconus.*

b Miſſale anno 1669. editum *Penultimus diaconus.*

c Miſſale anni 1669. *Interim diaconus hebdomadarius rubeis paramentis indutus, collocato libro in medio ſuper altare dicit genuflexus in gradu* Munda cor meum &c. *Deinde ſumpto libro, præviis ſubdiacono & acolythis cum incenſo & luminibus accenſis, aſcendit in ambonem ad lectorile, ubi paſſionem cantat in tono Dominicali.*

CAPUT XXIII. De Feria Sexta Paraſceves.

a *Hic altaria debent diſcooperiri, & ignis extingui, qui non accenditur uſque ad benedictionem cerei, quæ fit in ſabbato Sancto. Deinde diaconus proſequatur reliquum Paſſionis voce aliquantulum depreſſa.* Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo *&c. uſque* Et Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.

b *Poſt hoc evangelium non amplius dicitur.* ℣. Dominus vobiſcum, *nec* Deus in adjutorium, *nec* Gloria Patri, *nec* Gloria tibi Domine, *nec* Præſta Pater, *nec* Kyrie, *nec* Laus tibi *uſque poſt nonam diei ſabbati; ſed loco* ℣. Dominus vobiſcum *&* Deus in adjutorium, *dicit* ℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum ℟. Amen. *Oratio* Deus qui pro redemptione noſtra accepiſti ſanguinem Chriſti, ſolve opera diaboli, & omnes laqueos diſrumpe peccati: ut creaturam regenerationis nulla polluant contagia vetuſtatis Per eumdem.

Sequitur ℣. Benedictus Dominus qui vivit &c. ℟. Amen.

Deinde ℣. Benedicat & exaudiat nos Deus ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace ℟. In nomine Chriſti ℣. Benedicamus Domino ℟. Deo gratias.

c *Deinde dicantur Sexta & Nona. Poſteà ingrediantur ſacrarium, & crux præparata benedicatur à Sacerdote hoc modo.* ℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat.

Oratio ſuper crucem

Immenſæ pietatis Deus, qui latronem ob confeſſionem in hac die de cruce in paradiſum tranſtuliſti. Transfer à nobis iniquitates noſtras, & hæredes nos cæleſtium bonorum eſſe concede. Per Dominum noſtrum.

Alia oratio

Deus qui unigeniti tui Domini noſtri JESU-CHRISTI pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Per eumdem Dominum noſtrum.

a Miſſale anni 1669. *Hic omnes genuflectant. Interim ſubdiaconi duo albis & amictibus induti, altare denudant & abſtergunt; acolythi omnia luminaria extinguunt, & cetera eccleſiæ ornamenta auferunt. Datur ſignum cum campanis ſalutationis angelicæ, nec exinde campanæ pulſantur uſque ad ſabbatum Sanctum. Tunc diaconus ſubmiſſa voce proſequitur ſine luminibus* Et ecce velum templi &c.

b Miſſale anni 1669. *Hic habetur concio: qua finita, ſacerdos dignior dicit in tono* Benedictus Dominus qui vivit & regnat &c.

c In miſſali anni 1669. *Deinde dicantur Sexta & Nona, quibus abſolutis, deſcendit clerus ad ſacriſtiam, ubi ſacerdos dignior ante crucem in loco decenti ſuper pulvinari poſitam dicit in tono* ℣. Benedictus &c.

Digitized by Google

a *Sequitur benedictio crucis*

Benedic † Domine, quæſumus, hanc crucem tuam, per quam eripuiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti præſumptionem, † Sanctifica iſtud ſignaculum Paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuum vexillum. Qui cum Patre & Spiritu ſancto.

℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat.

Deinde egrediantur de ſacrario honorifice portantes crucem in medium eccleſiæ, & adorante crucem priùs archiepiſcopo, deinde clero, canunt ſequentes duas antiphonas alternatim cum ℣. pſalmi Beati immaculati. *Antiphona* Crucem tuam adoramus, Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam glorificamus. *Alia* Adoramus crucem tuam, & ſignum de cruce tua, & qui crucifixus es virtutem.

b *Oratio ad crucem adorandam*

Domine JESU-CHRISTE, qui manus tuas in crucem miſiſti, & nos tuo Sanguine redemiſti: ignoſce mihi peccatori, quia omnes culpæ meæ à te non ſunt abſconditæ: veniam peto, veniam ſpero, veniam credo. Tu qui pius & miſericors es. Parce & indulge mihi qui cum Patre & Spiritu Sancto.

c *Adorata vero cruce, revertantur in ſacrarium, portantes crucem honorificè, & cantantes ſequentem antiphonam.* Laudamus te Chriſte, & hymnum dicimus tibi, quia per crucem redemiſti mundum.

Et cum in ſacrarium pervenerint, dicat presbyter ℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula.

a In miſſali anni 1669. deeſt crucis benedictio, ejuſque loco hæc prolixa habetur rubrica *Tum præcedente clero ſubdiaconi duo albis & amictibus tantum induti, pulvinar cum cruce ſuperpoſita ſuſcipiunt hinc inde, & deferunt in chorum, ſacerdote qui facit officium ſubſequente. In egreſſu ſacriſtiæ ſiſtit chorus & ſubdiaconis elevantibus aliquantulum crucem, ſacerdos intonat, & proſequitur cum ſubdiaconis antiphonam* Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit. *Chorus* ℟. Venite adoremus. *Omnes genufle ctunt verſus crucem. Poſteà procedunt ad ingreſſum chori, ubi voce paulo altius elevata ſacerdos iterùm incipit* Ecce lignum crucis, *aliis cantantibus & adorantibus ut ſuprà. Deinde ſacerdos procedit ad medium ante altare, & ſubdiaconis crucem elevantibus tertio etiam incipit* Ecce lignum crucis: *aliis cantantibus & adorantibus ut ſuprà. Poſteà ſubdiaconi deponunt crucem, in loco ad hoc præparato ante altare. Deinde ſacerdotes depoſitis calceamentis bini accedunt ad adorandam crucem, ter genua flectentes in tribus diſtinctis ſpatiis ante deoſculationem crucis.*

b In miſſali anni 1669. deeſt hæc oratio.

c In miſſali anni 1669. *Finita crucis adoratione, ſubdiaconi reverenter crucem accipiunt, & ſuper altare majori collocant. Tum ſacerdos ante altare dicit in tono* ℣. Benedictus qui vivit &c. Deus qui humano generi &c.

CAPUT XXIII. *De Feria Sexta Paraſceves.*

Oratio poſt adoratam crucem.

Deus qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem noſtrum & carnem ſumere, & crucem ſubire feciſti: concede propitius, ut patientiæ ipſius documenta, & reſurrectionis conſortia mereamur. Per eumdem.

Sequitur. Benedictus Deus qui vivit & regnat. ℣. Benedicat & exaudiat. ℟. Amen. ℣. Procedamus in pace. ℟. In nomine Chriſti ℣. Benedicamus Domino ℟. Deo gratias.

Finita adoratione crucis, ſacerdos dicit ℣. Benedictus qui vivit & regnat.

a *Deinde legitur lectio à minori lectore in tono quotidiano epiſtolarum.*

Lectio Danielis Prophetæ. In diebus illis Nabucodonoſor rex fecit ſtatuam auream *&c. uſque.* ambulabant in medio flammæ laudantes & benedicentes Domino.

Finita lectione, minor magiſter chori ſive ſcholarium in pulpito in medio puerorum ſolus cantet ℣. Tunc hi tres quaſi ex uno ore hymnum dicentes glorificabant, & benedicebant Dominum in fornace dicentes. *Tunc incipiant pueri ſimul cum prædicto magiſtro cantare ſequentes verſus. Et in fine cujuſlibet verſus hebdomadarius magiſter chori, & pars puerorum, ſtantes ſubtus gradum reſpondeant.* Amen.

Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum &c.

Qui ſolus cantavit primum ℣. *ſolus etiam cantet ſequentem*, Quoniam eripuit nos ab inferis, & de manu mortis liberavit nos de media fornace ignis ardentis.

Et chorus alta voce reſpondeat ℣. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

b *Tunc minor lector canat ſequentem lectionem in quotidiano tono epiſtolarum.*

Sequentia Danielis Prophetæ. Tunc Nabucodonoſor rex obſtupuit *&c. uſque* Et poteſtas ejus in generatione & generationem.

c *Canticum lectoris* Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitates ſuas. ℣. Dominus juſtus concide cervices peccatorum.

Statim diaconus indutus rubea dalmatica, cantet ſequens evangelium d *ſine ſalutatione, in tono quadrageſimali, ſubmiſſa voce, ita ut à circumſtantibus tantum poſſit audiri.*

a In miſſali anni 1669. *Deinde ultimus lector in tono epiſtolarum feriali legit abſque* ℣. Dominus vobiſcum *præmiſſo, ſequentem lectionem: & interim datur ſignum veſperarum cum crotalo ſeu tabula lignea.*

b In miſſali anni 1669. *Lectio penultimi lectoris minoris in tono item epiſtolarum feriali.*

c In Miſſali anni 1669. *Canticum lectoris ſecundiceris*

d In miſſali anni 1669. *Sine lumine & incenſo.*

Sequentia

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matthæum. *Et nullus reſpondeat.* Gloria tibi Domine.

Cum ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathia *& uſque* ſedentes contra ſepulcrum

a *Deinde dicantur veſpera, ut in breviario habetur. In fine vero veſperarum canuntur ſequentes orationes ſolemnes alternatim à duobus ſacerdotibus ad cornu altaris : ſed primum dicat Diaconus* Flectamus genua. *Tunc proſternant ſe omnes in terram, & dicat unuſquiſque ſecretè* Flecto genua mea ad Patrem Domini mei JESU-CHRISTI, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.

Et ſtent proſtrati donec ſacerdos dicat orationem hoc modo.

Pro tota Eccleſia Dei

Oremus dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia ſancta Dei &c. *Finita oratione, diaconus dicat* Levate. *Alter verò ſacerdos aliam proſequatur orationem hoc modo.*

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam &c.

Et finita oratione diaconus iterum dicat Flectamus genua, *Et denuò proſternant ſe ut priùs, donec ſacerdos dicat orationem : poſteà ſurgant ; & ita alternatim faciant ad ſequentes orationes procumbentes, & ſe erigentes, præter quam quando oratur pro Judæis : tunc enim non procumbant, ſed ſtent erecti.*

Pro ſummo Pontifice

Oremus &c. *Sequuntur alia omnes orationes ſolemnes quæ extant in miſſali Romano in fine vero additur.* ℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. ℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. Procedamus in pace. ℟. In nomine Chriſti. Amen. ℣. Benedicamus Domino.

a In miſſali anni 1669. *Cantato hoc evangelio, dicuntur veſpera, in quibus poſt ultimum* ℟. *dicuntur ſequentes orationes hoc ordine. Archipresbyter ſeu dignior ſacerdos ante altare juxta cornu epiſtolæ dicit primam orationem & cæteras diſpares in tono, ut infrà, ſolemni. Secundam verò orationem & reliquas pares dicunt cæteri ſacerdotes, ſinguli ſingulas ex ordine, in tono, ut infrà, communi orationum, ad ſiniſtram partem chori juxta cornu evangelii. Archiepiſcopus autem ſi ſit præſens, ad omnes iſtas orationes, genuflexus ſemper manet ante altare.*

Primus diaconus ſtans à parte evangelii hic & infrà ſuis in locis præcinit Flectamus genua. *Et omnes ſe proſternunt* Oremus dilectiſſimi &c.

Secundus diaconus ſtans à parte epiſtolæ, hic & infrà ſuis locis præcinit Levate *ac reliqui ſemet erigunt in pedes*

Omnipotens &c.

CAPUT XXIV.

De Sabbato Sancto

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

I. Celebratis media nocte ſolemni ritu vigiliis, diurniſque curſibus privatim abſolutis, circa horam diei tertiam catechumeni ad eccleſiam procedebant ſymbolum reddituri, ultimumque ſcrutinium ſubituri. Ibi ſtabant ordinati, maſculi quidem, ad dextram, fœminæ ad ſiniſtram. Tum ſacerdos cruce ſingulorum frontibus impreſſa, ritus exorciſmorum & abrenunciationum explebat, ac tandem impoſita ſingulorum capitibus manu, recitatoque ſymbolo, poſt factam orationem ab archidiacono dimittebantur, donec baptiſmi celebrandi adveniſſet hora.

II. Hora nona, pontifex cum ſacerdotibus aliiſque miniſtris de ſacrario procedebat baptiſmum reverſis catechumenis collaturus. Ac primùm quidem ignis novi cereique paſchalis benedictione præmiſſa, lectiones ad baptizandorum inſtructionem promeatiabantur, quibus totidem orationes interſerebat. Deinde decantatis tribus litaniis, ad fontis conſecrationem ſeſe accingebat: ac tandem iis omnibus, quaſi præparatos ſacris immergebat undis, mox confirmandos & ſacra communione donandos. Hæc omnia ſigillatim ſunt pro modulo noſtro breviter expendenda.

De benedictione ignis novi.

III. Circa novi ignis benedictionem, quam in pleriſque inſigniorum eccleſiarum libris Ritualibus prætermiſſam animadvertimus, ante omnia præmittenda videntur ea quæ ſcribit Zacharias papa in epiſtola 12. ad S. Bonifacium: [De igne autem Paſchali quod inquiſiſti, à Sanctis Priſcis Patribus ex quo per Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI gratiam, & pretioſo ſanguine ejus eccleſia dedicata eſt, quinta feria Paſchæ, dum ſacrum chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diverſis candelis eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiori eccleſiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeſinenter cum multa diligentia ardebunt; ita ut oleum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem, de quibus candelis Sabbato Sancto pro ſacri fontis baptiſmatè ſumptus ignis per ſacerdotem renovabitur. De cryſtallis autem, ut aſſeruiſtis, nullam habemus traditionem.] Ex hoc Zachariæ loco conſtat ignis novi à ſilice ſeu cryſtallo extracti benedictionem ignotam fuiſſe Romanæ eccleſiæ ſæculo VIII. Viguiſſe tamen in aliquibus locis maximè in Galliis probat Bonifacii interrogatio ad quam reſpondet Summus Pontifex: De ea videtur intelligendus Leo papa IV. in Homilia de Cura paſtorali: [In Sabbato paſchæ, extincto veteri novus ignis benedicatur, & per populum dividatur, & aqua ſimiliter.] Quæ verba etiam extant in Ratherii Veronenſis epiſcopi Synodica epiſtola ad presbyteros. De illa benedictione pauca

CAPUT XXIV. *De ſabbato Sancto.*

hæc tantum obſervanda veniunt 1. Ex pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria circa horam diei quintam aut ſextam excuti debet ignis à ſilice, tametſi illius benedictio nona dumtaxat hora elapſa perageretur: ante quam olim officium incipere illicitum erat, ut teſtantur libri Rituales antiqui ferè omnes; unde & Concilium Rotomagenſe anni 1072. apud Ordericum Vitalem, decernit *Ut in ſabbato Paſcha offi.ium ante nonam non incipiatur.* 2. Eccleſiæ Florentinæ mos olim fuit ignem ipſum excutere ex ſilice Jeroſolymis allato, quemadmodum alicubi legiſſe me memini in Maio Bollandiano. 3. Locus faciendæ ignis novi benedictioni deſtinatus in Ordinario Narbonenſi notatur *ad cornu altaris*, in Ordinario Præmonſtratenſium & Miſſali Prædicatorum *ad gradum presbyterii*, in Sarisberienſi *Prope fontem*; Sed ex Miſſali Antiſſiodorenſi ad aliam eccleſiam benedictionis complendæ gratia procedendum erat: ita quippe habet: [Sabbato in vigilia Paſchæ ſacerdos indutus ſacerdotalibus indumentis & infula, cum diacono & ſubdiacono proceſſionaliter vadit ad S. Joannem rotundum ad benedicendum novum ignem.] 4. Ex veteri Sacramentorum libro Carnotenſis monaſterii S. Petri, ante annos 700. manu exarato ad hanc benedictionem omnes *in albis* intereſſe debebant. [In primis, inquit, induent ſe omnes albis, & pergant propter ignem novum ad portam monaſterii,] ideſt eccleſiæ quæ olim monaſterii nomine donabatur. 5. In quibuſdam locis non presbyter, ſed diaconus ipſe novum ignem benedicebat. [Cantata nona, inquit vetus miſſale Arelatenſe, diaconus benedicit ignem novum in altari B. Mariæ.] 6. Unica in quibuſdam eccleſiis oratione peragebatur ipſa benedictio, plures nonnullæ adhibebant. 7. Ritus benedicendi ignis in Romana eccleſia ita deſcribit codex ms. Sancti Victoris n. Gg. 15. annorum circiter 500. [Octava hora mediante veniat omnis clerus in eccleſiam, ſolemnibus indutus veſtibus expectans pontificem: qui cum venerit cum clero crucem ſequente, pergat ad locum ubi ille ignis eſt de vitium ſarmentis factus, qui excuſſus eſt de ſilice extra eccleſiam canendo 7. pœnitentiales pſalmos, & agendo deſuper litanias: quibus peractis, fundat orationes apoſtolicus: *Deus omnipotens*, *Deus Abraham &c.* Item alia *Veniat queſumus Domine Deus*, *ſuper hoc incenſum &c.* Benedicto igne, mox regrediantur in eccleſiam, & agatur ſeptena letania. Interim autem omnes qui in civitate ſunt vel in villis extinguantur ignes, & benedicto igne accendantur.] In alio codice Victorino n. Gg. 14. ejuſdem circiter ætatis præſcribitur ut procedentes ad ignis novi benedictionem pſalmum *Miſerere mei Deus* recitent. Idem decernit Ordinarium Rotomagenſe. Addit codex Victorinus, ut igne [benedicto, accenſiſque candelabris, revertantur pueris præcinentibus hos verſus, & choro ſemper primum repetente. *Inventor rutili*, *Dux bone luminis*] *&c.* Eumdem hymnum qui Fortunatum agnoſcit auctorem decantandum etiam præſcribunt Ordinarium Argentinum & Cenomanenſe, Miſſale Antiſſiodorenſe & Sariſberienſe: cujus loco in Rotomagenſi & Bajocenſi Ordinario notatur antiphona *Cum rex gloria.*

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

8. Denique ex benedicto novo igne non templi lampades ſolùm & cerei, ſed ipſi etiam civitatis foci accendebantur. Quanam verò ratione id fieret, ita explicat in Ordinario Lucas Cuſentinus archiepiſcopus: [Poſt *Ite miſſa eſt* epiſcopus dat benedictionem ſuper populum: & ſtatim diaconus præcipit populo dicens: *Accipite ignem novum de cereo ſancto, & extincto veteri, ipſum per domos veſtras in nomine Chriſti accendite:* deinde cum lumine lætabundi diſcedunt.]

Benedictio incenſi.

IV. Præter ignis novi benedictionem, in quibuſdam eccleſiis addebatur & alia incenſi benedictio, quæ in Miſſali Narbonenſi tribus hiſce orationibus completur.

Domine Deus noſter, qui ſuſcepiſti munera Abel, Noë, & Abraham, ſacrificium Aaron, Samuël, Zachariæ, & omnium Sanctorum tuorum incenſum: Sic de manibus noſtris ſuſcipere digneris incenſum iſtud in odorem ſuavitatis: in remiſſionem peccatorum noſtrorum & in remiſſionem populi tui. Amen.

Alia oratio

Domine Deus omnipotens, cui adſtat exercitus angelorum cum tremore, quorum ſervitium ſpiritale & igneum eſſe cognoſcitur: dignare reſpicere & bene † dicere hanc creaturam incenſi; ut omnes languores vel diabolicæ inſidiæ, odorem ipſius ſentientes effugentur, & ſuperentur à plaſmatura tua, quam pretioſo ſanguine tuo redemiſti, ut numquam lædatur à morſu antiqui ſerpentis.

Benedictio thymiamatis Oratio

Exorcizo te, omnis immundiſſime Spiritus, omnis phantaſma inimici, In nomine Dei Patris † omnipotentis, & in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI Filii † ejus, & Spiritus † Sancti: ut exeas & recedas ab hac ſpecie thymiamatis, cum omni fallacia ac nequitia veſtra: ut ſit hæc ſpecies ſancti † ficata in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI: ut omnes geſtantes, tangentes, adorantes eam, virtutem & auxilium percipiant Spiritus-Sancti: ita ut non ibidem ubi hæc ſpecies tacta vel incenſa fuerit appropinquare audeatis, aut adverſa inſerere præſumatis: adjurata per nomen Dei Patris † omnipotentis & in nomine JESU † CHRISTI Filii ejus, qui venturus eſt in Spiritu-Sancto judicare vivos & mortuos; & vos prævaricatores inimicos, & omne ſæculum per ignem. Amen.

In miſſali verò Toloſano unica dumtaxat pro benedictione ignis, & unica pro benedictione incenſi continetur: quæ cum in aliis miſſalibus facilè non reperiantur hîc eas exhibere non gravabor.

Benedictio ignis

Deus qui Moïſi famulo tuo in ſpecie ignis, rubo ardente, apparuiſti:

Digitized by Google

quique etiam Sanctum Spiritum tuum Dominum noſtrum de cœlo promiſſum ſuper apoſtolos igneis linguis deſcendere feciſti: nobis quoque famulis tuis caritatis ignem tribuere dignare; & hunc novum ignem de lapide proſilitum nobis in uſus profuturum ſancti ✝ fica: & concede nobis ita per hæc feſta paſchalia cæleſtibus deſideriis inflammari, ut ad perpetua feſta purgatis mentibus pertingere valeamus Per.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Benedictio incenſi.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: immitte in hanc creaturam incenſi vim odoris tui, ut ſit ſervulis vel ancillis tuis munimentum tutelaque defenſionis: ne intret hoſtis in viſcera eorum, nec aditum poſſit habere vel cedere, qui tecum.

V. Longè antiquior videtur cerei Paſchalis benedictio, cujus inſtitutionem Zoſimo Papæ adſcribunt Amalarius libro 1. de divinis officiis cap. 18. vulgatus Alcuinus, Pontificale Apamienſe, Ordinarium Rotomagenſe, miſſale Toloſanum cum nonnullis auctoribus recentioribus. Quidam tamen Zoſimo antiquiorem exiſtimant; idque colligi poſſe putant ex Prudentio, cujus hymnus *ad incenſum cerei Paſchalis* compoſitus extat in veteri Ordine Romano. Verum cum hymnus ille in mſ. codicibus *Ad incenſum lucernæ* inſcribatur, non *cerei paſchalis*: Hinc viri eruditi Sirmondus, in notis ad Ennodium, Menardus in obſervationibus ad Concordiæ Regularum caput 14. §. 2. Nicolaus Heinſius in nova Prudentii editione, & Mabillonius in libro ſecundo de Liturgia Gallicana; inferunt eumdem hymnum ad accendendas in Lucernario ſeu veſperis quotidianis lucernas fuiſſe compoſitum. Idque aliis etiam rationibus adſtruunt Menardus & Mabillonius. In veteri codice eccleſiæ Noviomenſis ante annos 900. ſcripto, in Regio n. 3866. ejuſdem uti videtur ætatis, in Miſſali Gallicano quod ex codice Bobienſi ab annis circiter mille exarato edidit Mabillonius Muſei Italici tomo 1. & in alio miſſali Gallicano atque in Gotico Gallicano quod ex mſſ. Bibliothecæ Vaticanæ vetuſtiſſimis nec annis mille inferioribus publici fecit juris Joſephus Thomaſius, legitur *Benedictio ceræ beati Auguſtini epiſcopi, quam adhuc diaconus cùm eſſet edidit, & cecinit feliciter* Exultet jam angelica turba cœlorum &c. Huic opinioni favere poteſt id quod ſcribit idem Auguſtinus in libro 15. de Civitate Dei cap. 22. *In laude quadam cerei breviter verſibus dixi*

De benedictione cerei paſchalis. Quis illius autor.

Hæc tua ſunt bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti.
Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.

Equidem ſcio hæc verba deſiderari in benedictione cerei paſchalis quæ nomen Auguſtini præfert: At emendatam fuiſſe docet vetus pontificale inſignis eccleſiæ Pictavienſis, in quo hæc lego: [Uſum benedicendi cereum à beato Auguſtino repertum tradit eccleſiæ qui benedictionem

illius perficiens, à Sancto Hieronymo reprehenſus eſt, cur Virgiliana verba inſeruerit, ſed ſicut à beato Hieronymo emendata tunc fuit; ita nunc per eccleſias canitur.] Duplex apud Ennodium diaconum Ticinenſem in opuſculis habetur benedictio cerei Paſchalis, nec inelegans: verum ab ea quam adhibere ſolet eccleſia utraque omninò diverſa. Porrò tametſi cerei Paſchalis benedictio ſit antiquiſſima, non tamen ubique recepta fuiſſe videtur aut retenta, unde Concilium Toletanum IV. can. IX. [Lucerna, inquit, & cereus in prævigiliis paſchæ apud quaſdam eccleſias non benedicuntur; & cur à nobis benedicantur inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius ſacramentum ſolemniter hæc benedicimus, ut ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis accipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum regioneſque Hiſpaniæ in eccleſiis commendatur: dignum eſt ut propter unitatem pacis in Gallicanis eccleſiis conſervetur.]

Non ubique recepta.

VI. In miſſali Mozarabum habetur benedictio cerei Paſchalis, ab ea quæ in ordine Romano & in antiquis Gallicanis liturgiis legitur omninò diverſa. Ambroſianæ initium eſt ſimile at præfatio prorsùs diſcrepat. Sed & ipſa Romana in variis codicibus non parùm diſſidet. Notandum verò quod de S. Hugone Cluniacenſi abbate ſcribit Udalricus in antiquis conſuetudinibus ſui monaſterii lib. 1. cap. 14. ubi agens de benedictione cerei paſchalis, [in cujus, inquit, quodam loco cum aliquando non benè haberetur, *O felix culpa* & quod peccatum Adæ neceſſarium eſſet, ante hos annos Domnus abbas optimè fecit, quod fecit abradi, & ne ampliùs legeretur interdixit.] Verùm non primus S. Hugo hæc verba ex benedictione cerei paſchalis abraſit: nam ea deſiderantur in vulgato ordine Romano, in Gallicana Liturgia codicis Bobienſis, in veteri Sacramentorum libro Carnotenſis S. Petri monaſterii annorum circiter 700. in duobus codicibus eccleſiæ Turonenſis annorum minimum 600. Deeſt etiam in duobus manuſcriptis miſſalibus bibliothecæ Colbertinæ n. 1388. & 3789. cujus caracter annos circiter 400. refert, in Rituali diœceſis Senonenſis juſſu Cardinalis Borbonii edito, in Remenſi pervetuſto, in miſſali Tholonienſi, in Melodunenſi & in Lingonenſi. Sed in hoc ultimo etſi deſiderentur hæc verba *O certè neceſſarium Adæ peccatum*, ea quæ præcedere ſolent *O felix culpa* reperiuntur.

Verba *O felix culpa* &c. In quibuſdam deſiderantur.

VII. Ex antiqua verò eccleſiæ Romanæ traditione cereus paſchalis benedicitur à diacono, ſed in eccleſia Ravennenſi iſta benedictio ab ipſo epiſcopo peragi ſolebat: hinc S. Gregorius lib. 9. epiſt. 28. Mariniano epiſcopo ſcribens; jubet ut propter graves quibus ille laborabat infirmitates, [preces quæ ſuper cereum in Ravennati civitate dici ſolent, vel expoſitiones evangelii quæ circa paſchalem ſolemnitatem à ſacerdotibus fiunt, per alium dicantur,] quas proinde, ſi convaluiſſet, ipſe Marinianus dixiſſet. Diaconus autem priuſquam benedictionis preces cantare inciperet, in ipſius cerei ſtipite annos Dominicæ Incarnationis & præſentis anni indictionem ſtylo imprimebat, ut fidem faciunt an-

Cerei inſcriptio

tiqui libri miſſales, cujus quidem conſuetudinis antiquitas repeti poteſt ex iis quæ ſcribit Beda in libro de temporum ratione capite 45. ubi ait Romanam eccleſiam teſtari [indiculis, quos ſuis in cereis annuatim ſcribere ſolet tempus Dominicæ paſſionis, (nempè) numerum annorum triginta ſemper & tribus annis minorem, quam ab ejus incarnatione Dionyſius ponat. Denique, inquit, anno ab ejus incarnatione juxta Dionyſium ſeptingenteſimo primo indictione quarta decima, fratres noſtri qui tunc fuere Romæ, hoc modo ſe in natali Domini in cereis Sanctæ Mariæ ſcriptum vidiſſe, & inde deſcripſiſſe referebant: *A Paſſione Domini noſtri* JESU-CHRISTI *anni ſunt DCLXVIII.*] Quibus ex verbis patet inſcriptionem olim in paſchate adhibitam, per totum annum in cereo conſervatam fuiſſe.... In quibuſdam locis inſcriptioni præmittebant duæ hæ litteræ græcæ Α & Ω. Præter annum Incarnationis & indictionis nonnulli plura addebant, quæ in tabella cereo benedicendo appendenda inſcribebantur: cujuſmodi ſunt ea quæ in cereo paſchali eccleſiæ Rotomagenſis anno 1678. appenſa ſunt ſequenti ordine.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Annus ab origine mundi	5678
Annus ab univerſali diluvio	4033
Annus ab Incarnatione Domini	1678
Annus à paſſione ejuſdem	1645
Annus à Nativitate B. Mariæ	1692
Annus ab aſſumptione ejuſdem	1628.
Annus indictionis	1.
Annus cicli ſolaris	7
Annus cicli lunaris	7
Annus præſens à Paſcha præcedente uſque ad paſcha ſequens eſt communis abund. Epacta.	7
Aureus numerus	7
Littera Dominicalis	B
Littera Martyrologii	g.
Terminus Paſchæ	17 Aprilis
Dies Paſchæ	10 Aprilis
Luna ipſius	5 Aprilis
Annotinum paſchale	18 Aprilis
Dies Rogationum	16 Maii
Dies Aſcenſionis	19 Maii
Dies Pentecoſtes	29 Maii
Dies Euchariſtiæ	9 Junii
Dominicæ à Pentecoſte uſque ad adventum	25
Dominica prima adventus	27 Novembris
Littera Dominicalis anni ſequentis	A
Annus ſequens eſt 1679	Communis ord.
Littera Martyrologii anni ſequentis	

T

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Dominicæ à Nativitate Domini uſque ad ſeptuageſimam anni ſequentis	4
Terminus ſeptuageſimæ anni ſequentis	11 Februarii
Dominica ſeptuageſimæ anni ſequentis	29 Januarii
Dominica 1. quadrageſimæ anni ſequentis	19 Februarii
Dies paſchæ anni ſequentis	2 Aprilis
Annus ab inſtitutione Sancti Melloni	1419
Annus à tranſitu ejuſdem	1368
Annus ab inſtitutione S. Romani	1032
Annus à tranſitu ejuſdem	989
Annus ab inſtitutione S. Audoëni	1046
Annus à tranſitu ejuſdem	1033
Annus à dedicatione hujus eccleſiæ Metropolitanæ	614
Annus ab inſtitutione Rollonis primi ducis Normanniæ	766.
Annus à tranſitu ejuſdem	760
Annus à coronatione Guillelmi primi ducis Normanniæ in regno Angliæ	604
Annus ab obitu ejuſdem	590
Annus à reductione ducatus Normanniæ ad Philippum II. Franciæ regem	474
Annus ab alia reductione ducatus Normanniæ ad Carolum VII. Franciæ regem	228
Annus Pontificatus SS. Patris & DD. Innocentii Papæ XI.	2.
Annus ab inſtitutione R. Patris & DD. Franciſci IV. archiepiſcopi Rotomagenſis & Normanniæ primatis	7
Annus à nativitate chriſtianiſſimi principis Ludovici XIV. Franciæ & Navarræ regis	40
Annus regni ipſius	35.

Conſecratus eſt iſte cereus in honore Agni immaculati, & in honore glorioſæ virginis ejus genitricis Mariæ.

Aliam inſcriptionem ex Rituali provinciæ Remenſis anno 1585. edito hîc etiam ſubjicere libet

Tabula annualis pro eccleſia Remenſi vel. N. anno Domini 1585.

Benedictus eſt hic cereus in honorem & laudem Domini noſtri Jesu-Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Annus ab origine mundi juxta Hebræorum ſupputationem eſt V. M. V. C. LIX.

Annus ab Incarnatione Domini	M. V. C. LXXXV.
Annus à paſſione ejuſdem	M. V. C. LII.
Annus à nativitate B. Virginis Mariæ	M.V.C. LXXXXIX.
Annus ab Aſſumpſione ejuſdem	M.V.C. XXXVI.
Annus Calendarii Gregoriani reformati	IV.

Littera

Littera Dominicalis uſque ad Circumciſionem eſt F. & deinceps toto ſequente anno erit E.

Aureus numerus eſt 9. anni vero ſequentis eſt 10.

Epacta eſt 29. & anni ſequentis eſt 10.

Epacta eo ipſo die cui reſpondet in Calendario, novam lunam in ſingulis menſibus indicat

Epacta lunæ paſchalis ſemper quærenda eſt inter octavum diem Martii & quintum Aprilis.

Dies Paſchæ hoc anno incidebat in 14. Aprilis, ſed ne Judæos ſequi videamur, differtur in 21. diem. Anno ſequenti erit 6. Aprilis

Annus Cycli ſolaris	XXVI.
Annus Indictionis	XIII.
Annus pontificatus Sanctiſſimi D.D.N. Papæ Gregorii eſt 13.	XIII.
Annus à converſione & baptiſmo Clodovei primi ex Francorum regibus chriſtianam fidem complexi	M.LXXXVI.
Annus ætatis Chriſtianiſſimi noſtri regis Henrici tertii	XXXIV.

Annus regni ejuſdem undecimus

Annus Archiepiſcopatus Reverendiſſimi DD. Ludovici à Guiſia XI.

Quædam alia particularia in ſingulis eccleſiis aſcribi poſſunt & ſolent, vel pro ſcriptoris arbitrio, vel pro locorum conſuetudine, eccleſiaſtica tamen omnia, & gravia ſcituque digna eſſe debent.

VIII. Cerei paſchalis benedictio aut in ambone, vel in choro ad gradus presbyterii, ubi ſolet columna, cui affigitur, conſtitui, decantabatur; Cùmque diaconus ad hæc illius verba *Suſcipe ſancte pater hujus incenſi ſacrificium veſpertinum*; in quibuſdam eccleſiis quinque grana incenſi in modum crucis cereo affigebat. Ad hæc verò verba *mutuati luminis detrimenta non ſenſit* ſeptem lampades & duo cerei accendebantur. Sed paſchalis cereus antequam illius benedictionem inciperet diaconus, accendi ſolebat, id quod ex miſſali albienſi præſtare debet ſubdiaconus.

IX. Antequam verò ultrà progrediar præterire non debeo miraculum inſigne quotannis ad ſanctum Domini ſepulcrum contingere ſolitum, ubi in vigilia paſchatis lampades eccleſiæ igne cælitus immiſſo accendebantur. Cujus miraculi mentionem facit Hugo Flaviniacenſi in chronico Virdunenſi, ubi agens de itinere Jeroſolymitano Richardi abbatis S. Vitoni, hæc habet: [Venit dies ſabbati ſancti, quo expectabatur ignis à Domino, & gentiles armati chriſtianis intrò concluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus, totam obſervaverant eccleſiam: ut ſi ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur: cùm ecce hora circiter nona, omnibus orantibus, in una lampade ignis accenſus eſt à Domino, nullius mortalium ſuffragante amminiculo: & gentiles ſtupor apprehendit & pavor; chriſtia-

Caput XXIV. *De Sabbato Sancto.*

nos verò gaudium & exultatio ; ut ab omnibus tota certatim caneretur eccleſia : Magnus Dominus noſter & magna virtus ejus & ſapientiæ ejus non eſt numerus.] Idem miraculum tempore Roberti Regis Francorum cùm Odolricus Aurelianenſis epiſcopus Jeroſolymam profectus eſt contigiſſe narrat Glaber Rodulphus in lib. 4. hiſtoriæ cap. 6. Ejuſdem quoque mentio fit in Hiſtoria Belli ſacri num. 102. Muſei Italici tom. 1. & in ſermone Urbani Papæ II. habito in Concilio Claromontano. Auctor eſt etiam Leo Marſicanus in Chronici Caſſinenſis libro 3. cap. 3. in dedicatione eccleſiæ ſui monaſterii ab Alexandro II. Summo Pontifice facta in altari S. Joannis inter alias reliquias reconditum fuiſſe [ex oleo de candela ſancti ſepulcri, quæ videlicet per ſingulos annos modo valde mirabili cælitus die ſabbati ſancti paſchatis, videntibus cunctis accenditur.] Et in cenſu reliquiarum eccleſiæ Exonienſis apud monaſticum anglicanum recenſetur [De candela ab angelo Dei cæleſti lumine accenſa apud Domini noſtri ſepulcrum in vigilia paſchæ.]

X. Redeo ad cereum paſchalem qui ſemel accenſus ardere debebat *uſque in craſtinum poſt veſperas* ex miſſali ms. Colbertino n. 422. immò uſque poſt completorium ex Ordinario Laudunenſi & miſſali Athanacenſi.

XI. In eccleſia Mediolanenſi peracta cerei benedictione, diaconus excelſa voce dicit *Ecce jam ignis columna reſplendet*. Cui reſpondet chorus *Deo gratias*. Quo tertiò repetito, fertur ignis in eccleſia. In Narbonenſi & Toloſana ſacerdos ſubmiſſa voce dicit hanc orationem Deus qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipuè nocte largiris : propitiare univerſo ordini ſacerdotalis officii ; & omnes gradus famulatus noſtri perfecta delictorum remiſſione ſanctifica : ut miniſtraturos regeneratrici gratiæ tuæ, nulli eſſe offenſos patiaris offenſæ, Per Dominum.

Agnorum Dei cereorum origo.

XII. Ceterùm in utraque cerei paſchalis benedictione teſtatur Eunodius decerptas inde à fidelibus fuiſſe particulas contra procellas. Unde nonnulli Agnorum Dei cereorum originem ducunt, de quibus Amalarius lib. 1. de divinis officiis cap. 17. [Libellus Romanus narrat eodem die (ſcilicet ſabbato ſancto,) benedici ceram oleo mixtam ; indéque fieri agnos, eoſque reſervari uſque ad octavas paſchæ.] Idem ſcribit vulgatus Alcuinus, præſcribiturque in Ordine Romano. Quibus concinit Durandus in lib. 6. cap. 79. ubi ſic loquitur : [Hac die acolythi Romanæ eccleſiæ faciunt agnos de cera nova benedicta, vel de cera cerei paſchalis anni præcedentis, admixto chriſmate, qui in ſabbato in albis in eccleſiis per Dominum papam populis diſtribuuntur... Hi agni à fulgure & tempeſtate fideles & credentes defendunt propter virtutem conſecrationis & benedictionis. Sanè ſecundùm conſuetudinem cereus diſtribuitur in octava Paſchæ populo, ad ſuffumigandas domos, ad ſignificandum, quòd in ultima reſurrectione Chriſtus fidelibus in præmio tribuetur : ad quod expreſſiùs ſignificandum Romana eccleſia agnos fecit ſupradictos.]

Lectiones quando pronunciatæ.

XIII. Cerei paſchalis benedictionem ſequuntur lectiones ad catechumenorum inſtructionem olim recitatæ, quæ tamen antiquitus

præceſſiſſe videntur. Id ſanè clarè innuit antiquus Ordo Romanus ad uſum Corbeienſis monaſterii ante annos 800. accommodatus, in quo inter alia hæc lego: [Et interrogavimus nihilominùs Domnum apoſtolicum Adrianum, ſecundùm veſtra mandata, ſi in paſchali ſabbato debent flecti genua dum lectiones recitantur. Et ipſe reſpondit hoc debere omni modis fieri. Cui cùm diceremus, & quomodo ſacerdotes & miniſtri ſeu clerus cum ſtolis & planetis poſſunt in terram proſterni? Ille adjecit, non debere ſacerdotes vel miniſtros ſeu clerum ſtolis priùs planetiſque veſtiri, niſi tunc demum cùm lumen novum introducitur, ut cereus benedicatur.] Ex his patet lectiones olim pronuntiatas fuiſſe ante cerei benedictionem, pro qua ſacerdotes & miniſtri ſeu clerus ſtolis & planetis veſtiebantur. Idem fuit uſus eccleſiæ Lugdunenſis, idem & in Biſuntina obſervatus. Quod tamen reſpondit Adrianus ad lectiones ſive ad orationes quæ lectionibus ſubjiciuntur flectenda eſſe genua, in Galliis haudquaquam receptum, aut ſaltem diù non fuit obſervatum. Nam omnes ad unum antiqui noſtri libri Ritualis atque Miſſalis hujuſmodi genuflectionem fieri vetant, quam etiam ad lectionem quæ agit de Nabucodonoſor qui impiè ad ſtatuam ſuam auream genuflecti præcepit, prohibet Pontificale Apamienſe.

Caput XXIV. De Sabbato Sancto.

XIV. Lectiones aut in ambone, aut in medio chori ad Aquilam ſeu pulpitum, aut alio loco pronuntiabantur; & quidem à dignioribus deſcendendo ad inferiores, ut primam lectionem cantaret verbi gratia decanus, ſecundam qui ipſum in dignitate ſequitur, & ſic de reliquis; vel primam unus ex ſacerdotibus, ſecundam diaconus, tertiam ſubdiaconus, quartam acholythus. Saltem id communi uſu paſſim receptum fuit, tametſi aliquando, ſed in paucis eccleſiis, primas lectiones pronunciaverint qui in choro ſedebant inferiores. Sed in eccleſia Romana id præſtabant ſubdiaconi.

Ubi & à quibus

XV. Lectores ex Ordinario Silvanectenſi, Rituali Sueſſionenſi, Miſſali Catalaunenſi, & aliis quibuſdam albis induti erant. Noviomenſe Ordinarium præter albam eis etiam concedit manipulum.

XVI. Antequam inciperentur lectiones, duo notarii duos cereos hominis ſtaturam habentes, qui in quibuſdam eccleſiis una cum Paſchali cereo accendebantur, tenebant; unus in dextro cornu altaris, alter in ſiniſtro, ut docet vulgatus Alcuinus. An quòd ibi pronunciarentur lectiones non ſatis compertum. Certè in eccleſia Noviomenſi in duobus legebantur pulpitis, quorum unum dextram, aliud ſiniſtram occupabat.

XVII. De lectionum numero ita ſcribit Joannes Belethus in explicatione divinorum officiorum cap. 106. [Tandem verò viginti quatuor in quibuſdam eccleſiis leguntur lectiones. Ac Romæ quidem hoc pacto fieri ſolet, ut duodecim recitentur græcè, & totidem latinè. In nonnullis autem eccleſiis legunt tantum duodecim, & in nonnullis dumtaxat ſeptem. At qui viginti quatuor legunt, duodecim ob id græcè recitant propter auctoritatem ſeptuaginta interpretum, quorum auctoritas quondam in græcia maximè floruit, atque etiam in illa parte

Lectionum numerus.

CAPUT XXIV. *De ſabbato ſancto.*

Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia. Verùm duodecim ideò dicuntur latinè propter auctoritatem tranſlationis Hieronymi. In minimis tamen eccleſiis non habent niſi ſex ob ſenarium numerum,qui quodammodo perfectus eſt.] Et Durandus libro 6. Rationarii cap. 81. [Lectiones autem in quibuſdam eccleſiis leguntur quatuor, in quibuſdam ſex, in quibuſdam duodecim, & in quibuſdam quatuordecim.] Certè quatuor lectiones & non plures recenſent Amalarius libro 1. cap. 19. Vulgatus Alcuinus, Rupertus libro 7. de divinis officiis, Codex eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. ſcriptus, alter ejuſdem eccleſiæ codex annorum 600. Rituale S. Martini, Carnotenſis liber ſacramentorum monaſterii S Petri annorum circiter 700. Ordinarium Lugdunenſe, & Argentinum Pontificale & miſſale Arelatenſe, Pariſienſe, Bituricenſe, Autiſſiodorenſe, Pictavienſe, Glandatenſe, Sariſberienſe, Ordinarium Remenſe, Silvanectenſe, Laudunenſe, Cenomanenſe, Rituale Sueſſionenſe, miſſale Catalaunenſe, & ordinarium canonicorum regularium cruciferorum. Lectionem quintam addit unus codex Turonenſis annnorum 800. Ordinarium Uticenſe, Carnotenſe S. Joannis & Gaſtinenſe cum miſſali Tholonienſi. Sex exhibet codex ms. Bibliothecæ Colbertinæ n. 6198. cum miſſali Toloſano. Totidem leguntur in miſſali Ambroſiano. Totidem Gregorii Sacramentarium à Menardo editum, Miſſale Rhedonenſe S. Melanii octo lectiones continet. Ordo Gelaſianus duodecim habet, qui numerus extat in vetuſtiſſimo codice Luxovienſi lectiones antiquæ Liturgiæ Gallicanæ continente, miſſale Mozarabum, antiquus codex inſignis monaſterii S. Dionyſii in Francia ante annos 800. ſcriptus, miſſale Narbonenſe & Auguſtodunenſe eumdem numerum continent. Et ſanè ſi vetuſtiſſimo pontificali Pictavienſi fides ſit, qui Gregorianum ordinem ſequebantur quatuor dumtaxat; qui Gelaſianum duodecim lectiones pronuntiabant tametſi editus ordo Gelaſianus decem dumtaxat contineat.

Lectiones latinè & græcè recitatæ.

XVIII. Porrò quod de lectionibus Romæ græcè latinéque recitatis hîc dicitur, in memoriam revocat id quod de Benedicto Papa III. ſcribit Anaſtaſius, quod ſcilicet lectionum quæ per cunctas eccleſiarum ſtationes leguntur, [volumen præparare ſtuduit, in quo græcas & latinas lectiones, quas die ſabbato ſancto paſchæ, ſimulque & ſancto Pentecoſtes ſubdiaconi legere ſoliti ſunt, ſcripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans ſanctæ eccleſiæ Romanæ libenter obtulit.]

XIX. Quod autem dicit Belethus Romæ duodecim lectiones græcè & totidem latinè fuiſſe recitatas, hoc eſt viginti quatuor, confirmatur ex Pontificali Apamienſi, in quo idem repetitur. Verùm in primo ordine Romano ex editis à Mabillonio Muſei Italici tom. 2. quatuor dumtaxat græcæ cum quatuor latinis, ideſt octo recenſentur. Scribit etiam Durandus ex his qui duodecim pronunciant lectiones aliquos ſex græcè totidemque latinè cantare. Hic autem ritus Romanæ eccleſiæ ſingularis non extitit, nam & in Caſſinenſi olim monaſterio lectiones in vigilia

Paſchæ & Pentecoſtes græcè & latinè legebantur, uti teſtatur Leo Marſicanus in Chron. Caſſinenſi lib. 1. cap. 32.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

De litaniis.

XX. De litaniis quæ lectiones excipere ſolent, pauca dicenda habemus. Triplex hac die litania decantabatur, ſeptena quina & terna, ſic dictæ quod primæ invocationes ſingulæ ſepties repeterentur ſecundæ quinquies, ter tertiæ. Quonam verò ritu id fieret, ita explicat Ordinarium eccleſiæ Laudunenſis: [Dum autem proceſſio pervenerit in chorum, cantatur letania, quæ vocatur ſeptena; & hanc cantant duo ſacerdotes, duo diaconi, & duo ſubdiaconi, unus poſt alium: poſt ultimum reſpondet chorus. Finita letania, it canonicorum proceſſio ad fontes, & ibi cantatur litania, & hæc ſecunda & quina. Hanc cantant quatuor de prædictis, ſimiliter unus poſt alium, & chorus ultimò. Tunc epiſcopus fontes benedicit. Poſt benedictionem redit proceſſio, cantore & ſuccentore iterum litaniam cantantibus & hæc trina & tertia.] Ex hoc loco apparet duas in eccleſia Laudunenſi olim ante benedictionem fontis decantatas fuiſſe letanias; tertiam ea completa. Idem vigebat uſus in eccleſia Turonenſi, in Silvanectenſi, Catalaunenſi, Lemovicenſi, Gaſtinenſi. In Lingonenſi alius erat litaniarum ordo: Nam ſeptena primum cantabatur dum in ſacrario novus ignis benediceretur. Quina poſt pronuntiatas lectiones, terna poſt benedictos fontes. In Lugdunenſi recitatis ante omnia lectionibus ſeptena dicebatur letania, inde ſequebatur cerei paſchalis benedictio, hanc litania quina, & tandem benedictis fontibus tertia. In Pariſienſi officium incipiebat à ſeptena letania, quam tres diaconi treſque ſubdiaconi canonici decantabant. Deindè pronunciabat diaconus cerei paſchalis benedictionem, poſteà recitatis in choro lectionibus, duo diaconi cum duobus ſubdiaconis quinam letaniam perſolvebant. Tertia poſt fontis benedictionem cantabatur. Eumdem officiorum ordinem videre eſt in pontificali Biſuntino. Idem ferte erat etiam eccleſiæ Auguſtenſis, cujus ritum ita repræſentat vita S. Udalrici epiſcopi cap. 4. [Ad ſacrum officium ſolemniter ſe præparavit, & totum clerum hora diei nona cum eo paratum eſſe deſtinavit, ſtatimque perlecta trina litania, cereoque ſanctificato, lectionibuſque & tractis conſummatis, cum quina letania & cum omni honore ad baptiſmum conſecrandum ad eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ perrexit: baptizatiſque ab eo tribus pueris cum ſeptena letania, regreſſus eſt in ſacrarium ad miſſam ſe præparandum clero interim pſallente in choro.] Hic vides inverſum litaniarum ordinem. Nam ſeptena quæ primum obtinet aliis in eccleſiis locum, hic ultimo collocatur, & trina quæ omnium ultima eſſe debuerat initium facit officii.

De benedictione fontium.

XXI. Sed præcipuum hujus diei officium fuit celebratio baptiſmi, ad quam ea quæ diximus omnia catechumenos præparabant. Baptiſmi ritus omnes cùm diſcuſſerimus in libro primo de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1. nihil nobis ea de re dicendum ſupereſt: pauca tantum hic attingam de fontium benedictione; ubi ante omnia referendum videtur

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

id quod ſcribit Gregorius Turonenſis in libro 1. de Gloria martyrum cap. 23. de Fontibus Hiſpaniæ, de quibus ſic loquitur: [Igitur cùm dies ſacer poſt curriculum anni decedentis advenerit, quo Dominus confuſo proditore, myſticam diſcipulis præbuit cœnam: conveniunt in loco illo cum pontifice cives, jam odorem ſacri præſentientes aromatis. Tunc data oratione ſacerdos oſtia templi jubet ſimul muniri ſignaculis adventum virtutis Dominicæ præſtolans. Die autem tertia, quod eſt ſabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens epiſcopus cum civibus ſuis, inſpectis ſignaculis, oſtia reſerat clauſa, ac mirum dictu, piſcina quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, ſed cumulo altiore refertam, ut ſolet ſuper ora modiorum triticum aggregari: videaſque huc illuc latices fluctuare, nec parcè in diverſa diffluere. Tunc cum exorciſmo ſanctificatum conſperſum deſuper chriſma omnis populus pro devotione hauriet, & vas plenum domi pro ſalvatione reportat, agros vineaſque aſperſione ſaluberrima curaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum ſine collato numero hauriatur: numquam tamen vel cumulum minuit, licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur.]

Quam ſit antiqua.

XXII. Ex hoc Gregorii loco colligere licet antiquum eccleſiæ ritum benedicendi fontis baptiſmalis, qui tamen Gregorio longè antiquior: ut pote cujus meminit S. Cyprianus in epiſtola 70. ad Januarium his verbis: [Oportet ergo mundari & ſanctificari aquam priùs à ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur abluere.] Et S. Ambroſius in libro de his qui initiantur cap. 5. [Quare prior Chriſtus deſcendit, poſteà Spiritus Sanctus? cum forma baptiſmatis & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt. Nam ubi primùm ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit, ſecundò ſuper creationem aquæ invocationem, poſteà & precem defert, ut ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ.] Ejuſdem ritus mentionem facit Victor Vitenſis in libro 2. de perſecutione Vandalica, vulgatus Dionyſius in libro de eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3. & S. Gregorius Nyſſenus oratione in Chriſti baptiſmum: quin immò S. Baſilius in libro de Spiritu Sancto cap. 27. inter traditiones apoſtolicas recenſet quod *benedicimus aquam baptiſmatis.*

Benedictionis formula.

XXIII. Benedictionis formula non eadem fuit ubique, ſed planè diverſa. Alia eſt enim quæ in Gelaſiano ac Gregoriano ſacramentario reperitur, alia quæ in liturgiis Gallicanis, alia quæ in miſſali Mozarabum, alia quæ in Ambroſiano: immò nec in variis ejuſdem nationis liturgicis libris una eademque reperitur: Nam in tribus v. g. Gallicanis vetuſtiſſimis miſſalibus, à Thomaſio & Mabillonio editis benedictionis formulæ omninò ſunt inter ſe diſſimiles.

Benedictionis ritus.

XXIV. Quod ſpectat ad ritus in ipſa benedictione obſervari ſolitos, hi præſertim recenſeri poſſunt, Crucis in aquam impreſſio, inſufflatio triplex, cereorum in aquam immerſio, chriſmatis infuſio,

aquæ benedictæ diſtributio. Illa ſanè fuit ſemper, eaque laudabilis eccleſiæ conſuetudo, ut quidquid benediceret, crucis conſignatione ſacraret; [quod ſignum, inquit S. Auguſtinus, niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, *ſive ipſi aquæ ex qua regeneramur*, ſive oleo quo chriſmate unguuntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil eorum rectè perficitur.] Hinc idem Sanctus doctor in Sermone 352. [Sed quia baptiſmus, ideſt ſalutis aqua non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, cruce ipſius aqua ſignatur.] Et Auctor Sermonis de Symbolo inter opera ejuſdem Auguſtini tomo 6. novæ editionis:[Hoc enim ſigno crucis conſecratur Corpus Dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis.] Inſufflationem præſcribunt S. Gregorius in Sacramentario, miſſale Ambroſianum & Mozarabum. Hujuſque ritus meminit Severus Alexandrinus patriarcha in tractatu de ritibus baptiſmi, deſinatque Spiritus Sancti adventum in aquas, quemadmodum Chriſtus diſcipulis ſuis dans Spiritum Sanctum inſufflavit. Cereorum in aquam immerſionem ſolus præſcribit S. Gregorius. Dum verò extrahitur cereus de aqua [de cerei cera parumper in aquam deguttetur in modum crucis dicens *Sanctificetur & fœcundetur fons iſte in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen*,] inquit miſſale Pariſienſe vetus ante annos 400. ſcriptum. Similia habent Rituale Cameracenſe annorum circiter 300. & Senonenſe, Miſſale Melodunenſe & Lemovicenſe. Chriſmatis infuſionem inſtitutam in omnibus reperimus Liturgiis antiquis Romanis, Gallicanis, Ambroſianis, atque Mozarabum. Et quidem eam ſolam dicernunt vetuſtiſſimus codex Gellonenſis, Dionyſianum Sacramentarium annorum minimum 800. Conſtantinopolitanum Pontificale, inſigniorum eccleſiarum miſſalia, Lugdunenſe, Narbonenſe, Arelatenſe, Auguſtodunenſe, Tholonienſe, & alia quædam. Chriſmati ſacrum oleum addunt Miſſale Ambroſianum, Mozarabum, Pariſienſe, Pictavienſe, Lemovicenſe, Catalaunenſe, Codex Turonenſis duplex annorum 600. Ordinarium Silvanectenſe, Laudunenſe, Lingonenſe, Carnotenſe S. Joannis, & Gaſtinenſe. Chriſma tamen expiatis aquis infundi vetant Pontificale Mimatenſe, Arelatenſe miſſale, Lemovicenſe & Melodunenſe, & Rituale Senonenſis diœceſis, ſi præſens quis non exiſtat ſtatim tingendus: quo caſu chriſmatis infuſionem aliud in tempus differri volunt. Sed neque ſi quis baptiſandus offerretur, ea ſtatim fieri ſolebat, niſi poſtquam in vaſculis aquam domum portandam populus hauſiſſet: tametſi non ſemper id adeò religioſè obſervatum fuerit.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

XXV. In celebri S. Martini Turonenſis baſilica peracta fontium benedictione, ſacerdos aqua luſtrali aſpergebat [primò crucem, deinde altare S. Joannis, poſt modum decanum, cantorem & ceteros ſingulos conſequenter.] Ex Ordinario verò Carnotenſi S. Joannis, Gaſtinenſi & Miſſali Autiſſiodorenſi benedicti fontes, mundiſſimo debent linteo cooperiri.

XXVI. His tandem omnibus expeditis, epiſcopus tres ex oblatis De bap iſmo.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

baptizabat infantes, uti alias demonſtravimus hunc numerum aſſignat Concilium Lemovicenſe anni M. XXXI. Ceteros presbyteri aut diaconi tingebant. Sed in eccleſia Mediolanenſi ſolus archiepiſcopus baptiſmum confert. Ita quippè lego in miſſali ejuſdem anno 1669. edito: [Si verò in Metropolitana per archiepiſcopum ſint aliqui baptizandi, eos baptizat more conſueto, à qua ſolemnitate baptizandi, quæ archiepiſcopalis muneris eſt, alius omnis vel archipresbyter, vel præpoſitus, vel parochus, tam urbis quàm diœceſis abſtinebit.] Notandum verò eſt id quod habet Breviarium Ambroſianum anno 1487. regnante Joanne Galeazio Maria Vicecomite Duce Mediolanenſi edito. *Hodie non baptizantur niſi maſculi, & idcò de feminis non eſt facienda mentio tali die. Petunt pro eis compatres.* Deinde poſt fontis benedictionem de baptiſmi conferendi ritu hæc ſubdit: *Archiepiſcopus interrogat eos* quid veniſtis facere? ℟. Venimus baptizare. *Item interrogat* Quod nomen eſt illis? ℟. Tale & tale. *Item inquirit nomina eorum archiepiſcopus, & dicit* Creditis in Deum Patrem omnipotem creatorem cœli & terræ? ℟. Credimus. *Interrogatio* & in JESUM-CHRISTUM Filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credimus. *Interrogatio* Creditis & in Spiritum Sanctum, Sanctam eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen? ℟. Credimus. *Et ſtatim ſubjungit dicens*: Ite baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Et ſtatim baptizat dicendo nomina eorum* Baptizo te. *Prima merſio.* In nomine † Patris, *Secunda merſio* Et Filii † *Tertia merſio* Et Spiritus Sancti. Amen. *Sequuntur litaniæ*, quibus finitis, *ſignantur baptizati in fronte chriſmate dicendo* Deus Pater omnipotens Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui vos regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit vobis remiſſionem peccatorum, ipſe vos linivit chriſmate ſalutis in CHRISTO JESU Domino noſtro, in vitam æternam. Amen

De cereis accendendis.

XXVII. Celebrato baptiſmo, tertia incipiebatur litania, ſub cujus finem ipſi cantores, aut diaconus, vel pueri in albis pro locorum conſuetudine ter clamabant *Accendite*: Deinde cerei accendebantur. Quonam vero ritu id fieret ita explicat miſſale Narbonenſe: [Diaconus ſtans ante altare verſa facie ad populum cantet ter quod ſequitur *accendite.* Et chorus reſpondeat *Lumen Chriſti. Accendite.* ℟. *Lumen Chriſti. Accendite.* ℟. *Deo gratias.*] Idem habet miſſale Arelatenſe. Colbertinum n. 6198. ſolum reſpondet *Deo gratias*, id quod vetat Pontificale Mimatenſe. Paulò aliter miſſale Autiſſiodorenſe [Finita hac ultima litania; incepit cantor vel ſacerdos alta voce *Agnus Dei.* Mox puer in albis incipit alta voce *Accendite.* Item cantor altiori voce *Agnus Dei &c.* Et puer ſimiliter altiori voce *Accendite.* Rurſum cantor altiſſima voce *Agnus Dei &c.* Item puer altiſſima voce *Accendite* & finita letania; omnes cerei accenduntur, & ſtatim cantor vel ſuccentor incipit pro officio miſſæ alta voce *Kyrie eleiſon.*] [Tunc primum, ut dicit Alcuinus illuminantur omnes cerei neophytorum, quos manibus tenent, demonſtrantes

ſtrantes hoc, quod per illum agnum qui tollit peccata mundi unuſquiſque lumen accipere debeat.]

XXVIII. Sequebatur miſſa, in qua [ſacerdos facta ſolito more confeſſione, & oſculato altari, inquit miſſale Ambroſianum, antequam miſſam incipiat, debet accipere calicem cum patena & corporali in manibus, & dicere ter alta voce *Chriſtus Dominus reſurrexit* in tono: choro reſpondente per ſingulas vices *Deo gratias*. Videlicet primò ad cornu altaris dextrum, ſecundò poſt altare, tertiò ad cornu altaris ſiniſtrum.] Quem ad ritum, referri poteſt id quod præſcribit miſſale Toloſanum, ut ſcilicet [epiſcopus faciat more ſolito confeſſionem, poſteà dicat ſupplicando hanc orationem Deus qui matutinam ſacra reſurrectionis tuæ annuntiatione auditam feciſti jocunditatem, cùm ex inferis rediens repleſti terram gaudiis, quam reliqueras in obſcuris; rogamus potentiæ tuæ ineffabilem majeſtatem, ut ſicut catervam apoſtolicam gaudere feciſti ſacra anaſtaſi; ita hanc familiam tuam, miſericordiam tuam expanſis manibus flagitantem, ſplendore cœleſtis jubaris illuſtrare digneris Per Dñum. Poſteà incipiat ad miſſam *Gloria in excelſis.*]

XXIX. Impoſito à celebrante hymno angelico, [proſternat ſe omnis chorus, inquit Rotomagenſe Ordinarium, & interim omnes campanæ pulſentur, & dehinc per omnes abbatias & parrochias totius civitatis.] Simili modo miſſale Sariſberienſe: [Poſteà incipiat *Gloria in excelſis Deo*: tunc omnes genuflectant exuentes cappas nigras, & tunc pulſentur omnes campanæ.] Atque interim, ut dicit Joannes Abrincenſis, [altare incenſetur.] Sed ex miſſali Ambroſiano [non dicitur *Gloria in excelſis*, nec *Credo*, pax tamen publicè datur, & epiſtola ac evangelium cantantur in tono majori.]

XXX. Poſt epiſtolam, ex præſcripto miſſalis Catalaunenſis [ſubdiaconus indutus cappa rubra in majori pulpito cantet *alleluia* ℣. *Confitemini &c.* Alius ſubdiaconus alba indutus cantet tractum, ubi leguntur lectiones.] In eccleſia Viennenſi cantor dextri chori dicit alleluia, cantor ſiniſtri tractum [Interim archidiachonus, inquit Ordinarium ejuſdem eccleſiæ, accepta benedictione, præcedentibus ceroferariis, thuriferario, & ſubdiacono, accedat ad cornu altaris, ad evangelium pronunciandum. Ceroferarii portent candelas extinctas, & cum reverſi fuerint ad altare accendantur.] Qui ritus peculiaris fuiſſe videtur eccleſiæ Viennenſi, nam aliæ nec cereos ad evangelium deferunt, nec poſt evangelium accendunt: uti teſtantur omnes libri Rituales obſervavitque Amalarius lib. 1. cap. 31. Decantato evangelio reliqua ferè omnia ſacrificii munia ſub ſilentio abſolvebantur, ſymbolo, offertorio, Agnus Dei, & antiphona ad communionem prætermiſſis.

XXXI. Miſſa abſoluta, tam clero quàm populo ſacra communio porrigebatur, ut teſtantur libri Rituales antiqui penè omnes tam manuſcripti quàm editi, preſcribuntque Theodulphus Aurelianenſis epiſcopus & Joannes Abrincenſis; cujus rei praxim videre eſt in Hugonis Flaviniacenſis Chronico ad annum 923. quo [in territorio Tullenſi,

Digitized by Google

CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

villa Commarciaco, puella ſancta poſt acceptam communionem jejunare cæpit ac per tres integros annos nihil cibi percepiſſe perhibetur. Hinc Lucas Cuſentinus in Ordinario ſuo [Conſecrantur, inquit, plures hoſtiæ, & in euchariſtiali pro communicandis manè pueris & populo reſervandæ.] Perſeverabat adhuc hic ritus in eccleſia Rotomagenſi ante annos 300. quo tempore ſcriptum videtur Ordinarium uti & miſſale ejuſdem eccleſiæ, in quibus hæc lego: [communicatis presbyteris & aliis quibus placuerit, veſperæ incipiantur.]

Immiſſio lactis & mellis in calicem.

XXXII. Antequam de veſperis dicamus, duo nobis obſervanda ſuperſunt. Primum eſt de immiſſione lactis & mellis in ſacrum calicem, de qua Joannes diaconus in epiſtola ad Senarium ita habet: [Quod autem quæſiſtis cur in ſacratiſſimum calicem lac mittatur & mel, & paſchæ ſabbato cum ſacrificiis offeratur? Illud in cauſa eſt, quia ſcriptum eſt in veteri teſtamento, & novo populo figuraliter repromiſſum: introducam vos in terram repromiſſionis, terram fluentem lac & mel.... Baptizatis ergo hoc ſacramenti genus offertur, ut intelligant, quia non alii, ſed illi qui participes fiunt Corporis & Sanguinis Domini, terram repromiſſionis accipient, cujus iter inchoantes, tamquam parvuli lacte nutriuntur & melle.] Ad hunc ritum accedere videtur Concilii Africani decretum iſtud: [Primitiæ verò, ſeu mel & lac, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propiam benedictionem, ut à ſacramento Dominici Corporis & Sanguinis diſtinguantur.] In vulgato etiam Ordine Romano habetur *Benedictio lactis & mellis* in ſabbato ſancto, ſed extra calicem facta, & ſeorſim parvulis porrecta. In eodem Ordine Romano alia extat Agni benedictio aliarumque carnium, quæ quidem græcis locum præbere potuit carpendi latinos, [quare agnum ſimul cum corpore Chriſti ſuper altare ponerent, & more Judæorum offerrent,] ut teſtatur Æneas Pariſienſis in libro adverſus græcos Spicilegii tomo 7. Verùm hæc agni benedictio ſeorſim fiebat, non ut Deo offerretur, ſed ut carnium illius eſus cum eccleſiæ benedictione ſumeretur.

Agni benedictio.

Altarium conſecratio.

XXXIII. Alterum eſt de ſeptem altaribus hac die conſecrari ſolitis, de quibus præfatus Joannes diaconus in epiſtola ad Senarium: [Quod de ſeptem altaribus inquiſiſti, quæ in urbe Roma ſabbato paſchæ moris eſt conſecrari: hoc dico, quia majores noſtri ſive in ſeptiformis gratiæ Spiritu decreverint faciendum, ſive quia ſeptem regionibus eccleſiaſtica apud nos militia continetur, à qua hæc ipſa parantur altaria, ut ſingulis benedictio præſtaretur... an alia quadam ratione conſtitutum ſit, certè mihi habetur incognitum. Illud tamen firmamente cuſtodio, quod non à majoribus tradita cuſtodiret eccleſia, niſi certa ſui ratio popoſciſſet.]

Miſſa ad mediam uſque noctem protracta.

XXXIV. Tanta ſacrorum rituum diverſitas & prolixitas ſabbati ſancti officium ad multam noctem protrahere ſolebat, adeò ut non ante populus dimitteretur, quam media ſui parte tranſacta foret: id

quod ex apoſtolica traditione proveniſſe teſtatur S. Hieronymus in Commentario ſuper Matthæum, ubi ſic loquitur: [Traditio apoſtolorum & Judæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptii temporis: Unde & reor traditionem apoſtolicam permanſiſſe, ut die vigiliarum paſchæ ante noctis medium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti.] Idem docent Amalarius lib. 1. cap. 16. & vulgatus Alcuinus, qui hunc S. Hieronymi locum citant. Quin immò Carolus Magnus imperator divinum hac die officium *ſupra mediam noctem* protraxiſſe memoratur apud monachum Sangallenſem in libro de eccleſiaſtica cura Caroli Magni cap. 24. Hinc capiendus eſt locus S. Ambroſii ad epiſcopos per Æmiliam conſtitutos ſcribentis epiſtola 23. [Certa ratione comperta, ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique ſacrificium pro reſurrectione Domini deferatur.] Hinc eſt etiam quod S. Auguſtinus in Sermone 228. quem ipſo paſchatis die *ad populum & ad infantes* habuit, ſic eos alloquitur: [Poſt laborem noctis præteritæ, quoniam etſi ſpiritus promptus eſt, caro tamen infirma, diù vos tenere ſermone non debeo.] Et ſermone 219. quem in hujus noctis vigiliis pronunciavit: [Quanto ergo alacrius in hac vigilia velut matre omnium ſanctarum vigiliarum vigilare debemus, in qua totus vigilat mundus.] Eadem ratione Innocentius Papa I. ad Decentium Eugubinum epiſcopum ſcribit eccleſiæ traditionem habere [iſto biduo, feria 6. ſcilicet & ſabbato ſancto, ſacramenta penitùs non penitùs celebrari.] Quia revera hujus diei miſſa tota in nocte peragitur: unde & antiqui ſacramentorum codices quales ſunt Gellonenſis, Remenſis, Regius, Noviomenſis annorum minimum 900. Turonenſis, Dionyſianus annorum 800. cum aliis pluribus non ante volunt miſſam inchoari, *quam appareat una ex ſtellis in cœlo*. His adde Concilii Autiſſiodorenſis canonem II. [Non licet in vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigilias perexplere.] Et illud Concilii Rotomagenſis anni 1072. decretum, [ut in ſabbato paſchæ officium ante nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ reſurrectionis reſpicit, ob cujus reverentiam *Gloria in excelſis Deo & alleluia cantatur*.] Vide ſi lubet Gregorium Turonenſem lib. 2. Hiſtoriæ Francorum c. 34. ubi miſſa ſabbati ſancti nocte celebrata narratur. Ceterum perſeveravit hæc pia ſanctaque traditio, ſaltem aliquibus in locis ad uſque finem ſæculi decimi quarti, ut conſtat ex conſuetudinibus canonicorum regularium Caſſanenſis monaſterii anno 1387. renovatis in quibus hæc lego: [Sabbato ſancto miſſa dicitur tardius, & in quibuſdam locis celebratur nocte.]

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

De veſperis.

XXXV. Hinc factum eſt, olim ut in Romana eccleſia veſperæ poſt miſſam prætermitterentur, cum iis perſolvendis non ſupereſſet ſatis temporis. Teſtis vulgatus Alcuinus, cujus hæc verba: [In hac nocte de veſpertinali apud Romanos nil agitur, neque ante miſſam, neque poſt miſſam: quia ſecundum Auguſtinum & alios doctores iſtud ſabbatum non habet veſperam.] Idem habet Vulgatus Ordo Romanus, in

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

quo ab interpolatore, quodam ritus eccleſiæ ſuæ haud dubium referente hæc adduntur: [Apud nos autem unus de ſchola cui juſſum fuerit, pro antiphona incipit alleluia ad veſperum. Et dum communicaverint, cantatur pro veſpera feſtinanter pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes*. Ante *Magnificat* vero lectio non dicitur, vel verſus, ſed antiphona *Veſpere autem ſabbati*. Finito *Magnificat*, dicat ſacerdos orationem.] Hæ ſunt breves illæ veſperæ, quas ex antiquo uſu hactenùs retinemus, nam ut dicit Concilium Aquiſgranenſe anno 836. celebratum cap. 2. can. IX. [veſpertinales quoque in vigilia paſchæ meliùs celebrandæ ſunt propter lætitiam reſurrectionis Domini, quam dimittendæ.] de quibus pauca hæc obſervanda: 1. Ex miſſali Bituricenſi & Toloſano atque etiam ex Ordinario Narbonenſi & Uticenſi, pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes*; ter decantari debet. Qui quidem uſus valuit etiam in Ebrodunenſi, Glandatenſi & Tholonienſi eccleſiis, ut fidem faciunt earum miſſalia. 2. Ex Ordinario Argentino & ex miſſali & Breviario Pariſienſi ſine *Gloria Patri* pſalmus cantabatur. Ex Ordinario vero Lingonenſi poſt pſalmum *Alleluia* ſepties repeti debet. 3. Antiphona ad *Magnificat* juxta morem eccleſiæ Arelatenſis *triumphabatur* ideſt ter dicebatur. 4. In Lingonenſi poſt veſperas fiebat proceſſio ad crucifixum. 5. Veſperæ ita deſcribuntur in miſſali Lemovicenſi: [Facta communione & manuum ablutione, ſtatim ſuccentor in albis exiſtens ante altare pueris & aliis miniſtris adſtantibus verſa facie verſus chorum, incipit alta voce ſequentem antiphonam: *Jeſum quem quæris mulier, non eſt hic, ſed reſurrexit.* Quam pueri & alii ſibi adſtantes proſequuntur: Qua finita ſine neuma, illi qui ſunt in choro omnes ſimul cantant eadem voce antiphonam *Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.* Et ita ter eadem voce repetitur. Deinde ſuccentor incipit: *Recordare qualiter locutus ſit nobis.* Chorus reſpondet: *Dum adhuc in Galilæa eſſet alleluia.* Item ſuccentor *Laudate Dominum omnes gentes &c.* Chorus reſpondet *Quoniam confirmata &c. Gloria Patri &c.* Chorus *Sicut erat &c.* Item ſuccentor *Recordare.* Illis qui ſunt ad altare & illis de choro proſequentibus ſimul totum reſiduum, ut prius. Deinde epiſcopus vel ſacerdos incipit antiphonam: *Veſpere autem &c.* Pſal. *Magnificat.* Quem verſum pſalmi incipit ſuccentor, & finit cum pueris & aliis ſibi aſtantibus. Deinde illi de choro finiunt ſecundum verſum, & ſic viciſſim finiunt totum pſalmum. Deinde ſuccentor reincipit dictam antiphonam *Veſpere*, quam omnes finiunt ſine neuma. Deinde epiſcopus vel ſacerdos verſus ad populum dicit *Dominus vobiſcum. Oremus. Spiritum nobis Domine*] *&c.* Sed in eccleſia Lugdunenſi veſpere cum tribus pſalmis totidemque antiphonis, cum capitulo, verſu, antiphona ad *Magnificat* & oratione concinebantur.

De completorio.

XXXVI. Completorium cum tribus tantum pſalmis cantari inſtituit Joannes Abrincenſis. Idem uſus in Silvanectenſi Ordinario deprehenditur. Idem & in Rotomagenſi. Alibi paſſim cum ſolitis pſalmis perſolvebatur; quibus verſum *Converte nos* & *Deus in adjutorium* præ-

Digitized by Google

mitti Ordinarium Præmonſtratenſium; ſolitoque verſu *Gloria Patri* terminari vetat Breviarium Pariſienſe. Ritum verò cantandi Completorium ita deſcribit Ordinarium Turonenſe: [Ad completorium omnes in albis. Primò eant ad quærendum decanum cum cruce, cereis, urceo: & ibi de tribus vinis tres biberes miniſtrantur. Quo facto, proceſſionaliter eundo bini & bini ad quærendum archiepiſcopum, & ad adducendum eum ad eccleſiam. Deinde ſequitur Completorium; quod incipit major de eccleſia ſacerdos ſic: *Converte nos*. *Deus in adjutorium*. *Gloria*. *Sicut erat*. *Alleluia*. Pſal. *Cum invocarem* cum aliis pſalmis, in fine *Alleluia*: & ſtatim cantor incipit antiphonam *Hæc dies* ſine verſu & ſine jubilo. Statim hymnus *Jeſu Redemptor* pſal. *Nunc dimittis*: in fine ſine jubilo *Alleluia*. Collecta *Oremus Spiritum nobis Domine*. Obſervandus eſt hic ordo ad completorium uſque ad diem ſabbati ſequentis. Antiphona de B. Maria *Regina cæli*. ℣. *Ora pro nobis*. Collecta *Gratiam tuam* & *Deus à quo ſancta deſideria*.] In Eccleſia Lingonenſi poſt completorium ſolemnis ad populum habetur concio. In Viennenſi verò hæc hora omnino prætermitti debet ex illius ordinarii præſcripto.

CAPUT XXIV. *De Sabbato ſancto*.

XXXVII. Reſtat ut nunc proferam quid de hora ſolvendi jejunii in ſabbato ſancto ſcribat Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Baſilidem cap. 1. ubi poſtquam de tempore reſurrectionis Dominicæ diſſeruit. Sic tandem ſubinfert: [Hæc cum ita ſe habeant, illis qui hoc accuratius ſubtiliuſque conſiderant enunciamus quota hora, vel etiam ſemihorula, vel quarta hora oportet incipere lætitiam ob Domini noſtri à mortuis reſurrectionem: & eos quidem qui nimium feſtinant & ante mediam noctem jejunium ſolvunt, ut negligentes & intemperantes reprehendimus, ut qui propè modum antequam par ſit curſum abruperint, dicente viro ſapiente, non parum eſt in vita quod parum abeſt. Eos autem qui differunt, & plurimum perferunt, & ad quartam uſque vigiliam abſtinent, in qua etiam Servator noſter in mari ambulans apparuit, ut generoſos & laborum tolerantes ſuſcipimus. Iis autem qui interea ut moti ſunt, velut potuerunt, quieſcunt, non valdè moleſti ſumus, quando quidem nec ſex jejuniorum dies æquali aut ſimili tolerantia omnes perferunt: ſed alii quidem vel omnes tranſmittunt, jejuni permanentes; alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem qui in illis tranſmittendis valdè laboraverunt, deindè defeſſi ſunt, & prope modum deficiunt, ignoſcendum eſt quod celerius guſtent. Si qui autem non modo non tranſmiſſis, ſed ne jejunatis quidem, vel etiam in deliciis opipariſque conviviis conſumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos eoſque ſolos extremos dies cùm venerint, illis à ſe cibo non guſtato tranſmiſſis, paraſceve & ſabbato magnum quid & egregium ſe facere exiſtimant: Si ad auroram uſque permanſerint, non exiſtimo eos ex æquo certamen ſubiiſſe cum iis qui ſe plurimis diebus prius exercuerunt.] Huicce prolixo Dionyſii Alexandrini ſuffragio addam Herardi archiepiſcopi Turonenſis

De hora ſolvendi jejunii.

Caput XXIV. De Sabbato Sancto.

capitulum 83. [Qui ſabbato ſancto uſque ad noctis initium non jejunant, excommunicentur, & à paſchali, communione ſecernantur.] Similia ferè habes in libro 7. Capitularium regum Francorum articulo 280. Porrò ad pleniorem eorum quæ hactenùs hoc capite diſcuſſimus intelligentiam operæ pretium duximus, inſigniorum eccleſiarum ritus integros hic referre.

ANTIQUI RITUS SABBATI SANCTI

Ex ms. codice bibliothecæ regiæ n. 3865. cujus caracter ad annos 900. accedit.

Sabbatorum die mane reddunt infantes ſymbolum. Prius cathechizas eos, impoſita ſuper capita eorum manu, his verbis: Nec te latet ſatanas &c. *Inde verò tangis ei nares & aures de ſputo, & dicis ad aurem* Effeta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquavit enim judicium Dei. *Poſteà vero tangis ei pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato, & vocato nomine ſingulis dices*: Abrenuncias Satanæ? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuncio. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuncio. *Inde vero dicis ſymbolum; & impoſita manu ſuper capita ipſorum dicis.* Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ? ℟. Credo. Credis & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem & vitam æternam? ℟. Credo.

Poſteà dicitur eis ab archidiacono Orate electi, flectite genua, complete orationem veſtram in unum, & dicite, amen. *Et reſpondent omnes* Amen. *Iterum admonentur ab archidiacono* Cathecumeni recedant, omnes catechumeni exeant foras. *Iterùm dicit diaconus.* Filii cariſſimi revertimini in locis veſtris, & expectantes horam qua poſſit circa vos Dei gratia baptiſmum operari.

Sequitur ordo qualiter sabbato sancto ad vigilias ingrediuntur

Primitus enim octava hora diei mediante procedunt ad eccleſiam, & ingrediuntur in ſacrario, & induunt ſe veſtimentis ſacris, ſicut mos eſt: & incipit clerus letania, & procedit ſacerdos de ſacrario cum ordinibus ſacris. Veniunt ante altare ſtantes inclinato capite uſque dum dicent: Agnus Dei qui tollis peccata mundi. *Deinde ſurgens ſacerdos ab oratione vadit retro altare, ſedens in ſede ſua. Deinde veniens archidiaconus ante altare accipiens de lumine quod ſexta feria abſconſum fuit, faciens crucem ſuper cereum, & inluminans eum, & completur ab ipſo benedictio cerei.*

Digitized by Google

Deus mundi conditor, auctor luminis, ſyderum fabricator &c.

Item dicta Beati Auguſtini epiſcopi, quam adhuc diaconus cum eſſet edidit, & cecinit feliciter:

Exultet jam angelica turba &c.

Nunc collecta poſt benedictionem cerei incipit.

Sancte Domine, omnipotens Deus, qui ad noſtrarum contemplationem tenebrarum, hæc in mundi hujus obſcuro luminaria emicare juſſiſti: præſta ut dum ad illum æternitatis diem unigeniti tui properamus occurſum, ad hanc interim quam tenebris noſtris præparaſti lucernam, dum nox iſta tranſcurritur, ſine peccatorum offendiculo ambulemus. Per

Collecta poſt hymnum cerei

Deus templum ignis æterni, Deus veræ lucis habitaculum, Deus ſedes perpetuæ claritatis: vota tibi, Domine, ſolemnia diei conſummationis & noctis inchoationis celebramus, ac luminibus altaris tui incenſis, temporalium lumen offerentes, ut famulis tuis verum ac perenne lumen largiaris oramus Per

Poſt hæc ſurgens ſacerdos à ſede ſua, & dicit orationem de vigilia paſcha, ſicut in ſacramentorum continetur.

Orationes per ſingulas lectiones in ſabbato ſancto.

Deus qui divitias &c. *Sequitur lectio* In principio fecit Deus

Deus qui mirabiliter creaſti hominem *Sequitur de Noë II.*

Deus incommutabilis virtus &c. *De Abraham III.*

Deus fidelium Pater &c. *In Exod. IV. cum cantico* Cantemus Domino

Deus cujus antiqua miracula &c. *In Iſaïa V.* Hæc eſt hæreditas

Omnipotens ſempiterne Deus multiplica &c. *In Jeremia VI.* Audi Iſraël.

Deus qui eccleſiam tuam &c. *In Ezechiel VII.* Facta eſt ſuper me manus Domini.

Deus qui nos ad celebrandum &c. *In Iſaïa VIII. cum cantico* Vinea Domini.

Deus qui in omnibus eccleſiæ tuæ &c. *Item in Exodo IX.* Dixit quoque Dominus ad Moïſem.

Omnipotens ſempiterne Deus qui omnium operum.

Deus qui diverſitatem gentium &c. *In Deuteronomio XI. cum cantico.*

Adtende cœlum.

Deus celſitudo humilium &c. *In Daniel XII.* Nabucodonoſor rex.

Omnipotens ſempiterne Deus ſpes unica &c.

Digitized by Google

Caput XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Oratio poſt pſalmum 41.

Omnipotens ſempiterne Deus reſpice &c.

Inde verò procedunt ad benedictionem fontis cum letania ad baptizandum. Baptiſmo expleto, conſignantur infantes ab epiſcopo. Dum accipiunt ſeptem dona gratiæ Spiritus ſancti, & mittit chriſma in eorum frontibus.

Poſteà vero ipſe ſacerdos revertitur cum omnibus ordinibus in ſacrario: & poſt paululum incipiunt ſecundam letaniam, & poſt modicum intervallum cum tertia letania ingrediuntur ad miſſas in vigilia, ut ſtella in cœlo apparuerit. Et ſic temperent, ut in Trinitatis numero ipſo litaniæ fiant. Inde deſcendis cum letania in fontem.

Benedictio fontis

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis &c.

Item conſecratio fontis

Deus qui inviſibili potentia tua ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum &c. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Hic mutas ſenſum quaſi legens.* Hæc nobis præcepta ſervantibus &c. Sint etiam purificandis mentibus efficaces. *Hic mittis cereos in fontem.* Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus ſpiritus tui. *Hic tribus vicibus inſufflas in aqua.* Et totam hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu. &c in vera innocentia nova infantia renaſcatur Per Dominum. *Accipiens chriſma, & fundes ipſum in cruce ſuper ipſam aquam.*

Inde vero benedicto fonte, baptizas unumquemque in ordine ſuo. Poſteà cum aſcenderit à fonte dicit ſacerdos his verbis

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jesu-Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam. *Reſpondent* Amen.

Deinde ab epiſcopo datur eis ſpiritus ſeptiformis ad conſignandum: & imponet eis manus in his verbis. a

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jesu-Christi, qui regeneraſti famulos tuos ex aqua & Spiritu Sancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, tu Domine immitte in eos Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cœlis, & da eis Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum concilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis: adimple eos Spiritum timoris Domini, in nomine Domini noſtri

a In margine altera manu antiqua tamen hæc leguntur: *Et communicet & dicat ſacerdos* Corpus Domini noſtri Jesu-Christi cuſtodiat te in vitam æternam. Amen.

Jesu

JESU-CHRISTI, cum quo vivis & regnas Deus ſemper cum Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſteà ſignat eos fronte de chriſmate dicens Signum Chriſti in vitam æternam. ℞. Amen. Pax tecum ℞. Et cum Spiritu tuo.

Inde verò cum letania aſcendit ad ſedem ſuam & dicit Gloria in excelſis Deo.

Orationes & preces ad miſſam in nocte ſancta

Sequitur miſſa in qua ante orationem Dominicam habetur *benedictio ſuper agnum in Paſcha* Deus univerſæ carnis &c.

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ TRECENSIS

Ex ms. Pontificali Prudentii epiſcopi qui ante annos 850. illam regebat eccleſiam.

S*Abbato ſancto Paſcha agitur primum letania ſeptena propter ſeptiformem Spiritus Sancti grat iam*Agnus Dei *non canitur niſi in terna letania, quæ ad introitum canitur.*

ORDO BAPTISTERII DICENDUS UBI EVENERIT

Prius tribus vicibus inſufflat, & dicit quod ſequitur

Exi ab eo, Spiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto Paraclito, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Accipe ſignum crucis tam in fronte quam in corde *&c. ut in lib. Sacr. S. Gregor.*

Poſteà facies crucem in fronte & in pectore Signum crucis & Salvatoris Domini noſtri in fronte tua pono. Signum crucis Salvatoris Domini noſtri JESU-CHRISTI in pectore tuo pono.

Deinde dices orationem. Omnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, reſpicere dignare &c. *Alia.* Preces noſtras quæſumus, Domine clementer exaudi, & hunc electum &c. *Alia.* Deus qui humani generis ita es conditor &c.

Benedictio ſalis ad dandum catechumino

Exorcizo te creatura ſalis *&c. ut in lib. Sacr. S. Greg. Papæ. Hac oratione expleta, accipiat ſacerdos de eodem ſale, & ponat in ore infantis dicendo illi :* Accipe ſal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Oratio

Deus Patrum noſtrorum &c. *ut in lib. Sacr. S. Greg.*

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato ſancto.*

Super maſculos

Deus Abraham, Deus Iſaac &c. *Ibid.* Ergo maledicte *ibid.*

Super feminas

Deus cœli, Deus terræ, &c. *Ibid.*

Super maſculos

Deus immortale præſidium &c. Audi maledicte Satana &c. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob.

Super maſculos

Exorcizo te immunde Spiritus &c.

Item ſuper feminas Exorcizo te immunde Spiritus &c.

Inde tangat aures de ſputo & dicat ei: Effeta quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit judicium Dei

Deinde oret his verbis. Nec te latet Satana &c.

Poſteà vero tangat pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine ejus dicat ei interrogando. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio. *Interrog.* Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. *Interrog.* Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

* *Adde* oleo. Et ego linio te * ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam. Pax tibi

Hoc expleto, cum litania deſcendat ad fontem benedicendum, & dicat, Dominus vobiſcum. Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnæ &c. *ut in lib. Sacram. S. Greg.* Per omnia ſæcula Qui inviſibili potentia &c. gratiam de Spiritu Sancto. *Hic dividitur aqua in modum crucis.* Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam &c. *Hic mutat vocem ſicut lectionem legens.* Hæc nobis præcepta ſervantibus &c. *Hic non ſufflare, ſed aſpirare debes.* Tu has ſimplices aquas &c. *Hic deponantur duo cerei in aqua* Deſcendat in hanc plenitudinem fontis &c. *Deinde accipiens ſacerdos vas cum chriſmate fundat ex ea in cruce ſuper ipſam & dicat.* In nomine Spiritus Sancti paracliti ſanctificetur & fæcundetur fons iſte. *Et miſcens ea manu ſua cum aqua, aſpergat tam ſuper fontem, quam ſuper populum circumſtantem creator.*

Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ ℟. Credo. *Interr.* Credis in JESUM-CHRISTUM filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. *Interrog.* Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam

æternam ? Amen. ℟. Credo. *Interrog.* Vis baptizari ? ℟. Volo

Et accipiens eum à parentibus ſacerdos mergat ſub trina merſione, ſanctam Trinitatem ſemel vocans ita dicendo.

Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Ut autem ſurrexerit à fonte, faciat presbyter ſignum crucis de chriſmate cum pollice, & dicat hanc orationem*

Deus omnipotens & Pater Domini noſtri Jeſu &c. *ut in lib. Sacram. S. Greg.*

Deinde accipiat Sacerdos veſtem candidam, ponat ſuper caput, & dicat ei. Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri JESU-CHRISTI, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et veſtitur infans veſtimentis ſuis. Si verò epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari oportet de chriſmate, & poſteà communicare. Et ſi epiſcopus deeſt à presbytero communicetur, & dicat orationem

Corpus & Sanguis Domini noſtri JESU-CHRISTI cuſtodiat te in vitam æternam, Amen.

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus qui regenerare dignatus es &c.

Oratio ad baptizandum infirmum

Medelam tuam deprecor Domine Sancte &c. *ut in lib. Sacram. S. Gregor.*

Tangat ei nares & aures de ſputo dicens Eppheta. *Tangat & pectus & inter ſcapulas dicens.* Abrenuntias ?

Benedictio fontis

Exorcizo te creatura aquæ &c. in remiſſionem peccatorum, in nomine ejuſdem Domini noſtri JESU-CHRISTI qui venturus eſt

Interrog. Credis in Deum Patrem ? *Et tunc baptizas & linis eum de chriſmate crucem faciendo in vertice ejus ac dicens.* Deus omnipotens Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI &c. Accipe veſtem candidam &c.

Benedictio cerei in ſabbato ſancto.

Exultet jam angelica turba &c.

Poſt hæc leguntur lectiones ſecundum Gregorium hoc modo. Vide in Pontificali Pictavienſi

Sequitur litania quina propter quinarium videlicet ſenſum pro quo orat eccleſia, ut his aperiat Deus qui baptizantur.

Sequitur letania trina ob reverentiam ſanctæ Trinitatis Kyrie eleiſon &c.

Digitized by Google

Caput XXIV. De Sabbato ſancto.

Cum cantor dixerit. Fili Dei te rogamus audi nos, *Mutata voce dicat.* Accendite. *Tunc erigunt ſe diaconi ab oratione, & tamen ſeſe non oſculantur juxta morem. Cantor autem in eadem voce ſubſequatur dicens* Agnus Dei. *Expleta letania, ſacerdos incipiat* Gloria in excelſis Deo. *Oratio.* Deus qui hanc ſacratiſſimam. Lectio epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Coloſſenſes. Fratres, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto &c. Alleluia ℣. Confitemini. *Tract.* Laudate *Lumen verò ante evangelium non portatur, offerenda non canitur neque communio.* Sequentia S. Evangelii ſecundum Matth. In illo tempore veſpere autem Sabbati &c. *Secreta.* Suſcipe. *Præfatio* Te quidem omni tempore. Communicantes & noctem ſacratiſſimam &c. Hanc igitur &c. *ut in miſſali Rom. Statim incipiant veſperas canonicas in directum pſallentes. Capitulum non dicatur, nec verſus, ſed incipiatur antiph.* Veſperæ autem ſabbati *Ad Complendum* Spiritum nobis Domine &c. *ut in miſſali Rom.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ PICTAVIENSIS

Ex ms. Pontificali Pictavienſi annorum circiter 800.

INCIPIT DE SABBATO SANCTO ORDO BAPTISTERII

Orationes ad Catechumenum faciendum

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, quem ad rudimenta &c.

Alia

Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum crucis Dominicæ &c.

Alia

Deus qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator &c.

Benedictio ſalis dandi catechumenis

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini noſtri JESU-CHRISTI, & in virtute Spiritus Sancti &c.

Poſt hac accipit ſacerdos de ipſo ſale, & ponit in ore infantis dicendo Accipe ſalem &c.

Oratio poſt ſalis guſtum

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis &c.

Dehinc facit crucem in fronte ejus, & dicat hanc orationem

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Moïſi &c. Ergo maledicte &c.

Super feminas

Deus cœli, Deus terræ, Deus angelorum &c. Ergo maledicte.

Super maſculos

Deus immortale præſidium &c. cum audi maledicte Satana

Super feminas

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui Tribus Iſraël &c. cum ergo maledicte.

Super maſculos

Exorcizo te immunde ſpiritus, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti &c. cum ergo.

Super feminas

Exorcizo te immunde ſpiritus per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum &c. Ergo maledicte

Oratio ſuper maſculos & ſuper feminas, quam ſacerdos dicere debet poſt lectiones quatuor evangeliorum.

Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam &c.

Oratio in ſabbato ſancto Paſcha poſt ſymboli redditionem ad catechizandos infantes, quam poſt piſtengis dicit Domnus Papa. Nec te latet, Satana *& reliqua ſuperius in ordine ſcrutinii paſſim ſcriptas invenies omnes has orationes & exorciſmos. Inde tanguntur aures & nares de ſputo, & dicitur ad aurem effeta, & reliqua. Poſt hac pectus & ſcapulæ de oleo exorcizato tanguntur, & vocatis ſingulis ex nomine dicitur:* Abrenuntias Satanæ? *Reſp.* Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus *Reſp.* Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? *Reſp.* Abrenuntio. Et ego te linio oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Poſt hac dicitur ſuper eos ſymbolum ſupra ſcriptum. Poſt hac benedicuntur fontes loco & ordine ſuo, & baptizantur infantes poſt profeſſionem credulitatis ad interrogationem ſacerdotis.*

Digitized by Google

Caput XXIV. *De Sabbato ſancto.*

ITEM DE SABBATO SANCTO

Si quis nondum catechumenus ad baptizandum venerit ſabbato ſancto, dicit ſacerdos ſuper eum orationem ad catechuminum faciendum Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jesu-Christi, *Et reliqua. Inde dat illi guſtare medicinam ſalis benedicti dicendo* Ille talis accipe ſalem ſapientiæ in vitam propitiatus æternam. Pax tibi. *Inde dicit* Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam. *Poſteà catechizat eum his verbis*, Nec te latet, Satana. *Deinde tangat ei nares & aures de ſputo, & dicit ſecrete ad aurem:* Effeta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare, diabole? appropinquavit enim judicium Dei. *Proſequitur ad abrenuntiandum, tangit ei pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato, dicendo &* Ego te linio, *& reliqua. Poſt hæc benedicto fonte interrogat eum credulitatem fidei dicens.* Credis in Deum Patrem *& reliqua & baptizatur. Illud verò obſervandum eſt, ut poſtquam baptizati* Nota. *fuerint infantes, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent, & per ſeptem dies paſcha ad miſſas procedant & offeratur pro ipſis & communicent.*

Mane igitur hujus ſancti ſabbati accelerantur altaria omnia exornari, & pallia ac cortina per gyrum eccleſia extendi, & reliqua ornamenta perconſummari. Cereus quoque ſtatuitur in loco ubi benedicendus eſt, in typo columnæ egredienti populo ex ægypto ducatum præbentis. Infantes etiam in porticu eccleſiæ à presbyteris poſt ſymboli redditionem catechiſantur, & nares eis & aures de ſputo, pectora vero & inter ſcapula de oleo exorcizato tanguntur, & agitur circa illos divinus ordo in abrenunciatione ſicut in Sacramentorum continetur: Ipſi vero pro foribus conſiſtunt expectantes horam quando ad percipiendum baptiſmatis ſacramentum admittantur. Sicque perfectis & ordinatis omnibus, quæ ante ſolemne officium præparanda ſunt, hora decima percutitur tabula, & introeuntes in ſacrarium induunt ſe veſtimentis ſacris, & ingrediuntur ad officium, quod aliter agitur ſi epiſcopus adeſt, atque aliter ſi deeſt. Si epiſcopus adeſt, primo benedicitur cereus à diacono procedente cum dalmatica de occidentali parte eccleſiæ, & ferente in arundine candelam inſtar colubri accenſa inde igne, qui ſexta feria excuſſus fuerit ordine quo ſuprà inſertura eſt, euntibus ante illum duobus pueris, totidemque ex utraque parte, & ejuſdem numeri ſequentibus à dorſo albis indutis, qui dum propter cereum venerit, inclinans ſe ad altare, & ter ſignum crucis de ipſa arundine cum candela accenſa faciens contra cereum, illuminat eum; & tradens arundinem manſionario eccleſiæ ad hoc præparato imprimit ſtipiti cerei cum ſtylo tam annos Domini quam indictionem præſentis anni; & poſt hæc complet benedictionem ejus, ſicut in Sacramentorum continetur. Qua expleta, ſtatim illuminantur duo cerei ſtaturam hominis habentes de cereo benedicto; & tenentur altrinſecus à duobus notariis in dextra parte & læva, & dexter quidem habet ſibi impreſſum à ſuo notario Angelus ad caput ſedens: *Siniſter vero à ſuo* Angelus ad pedes ſedens. *Quique in typo duorum*

Digitized by Google

angelorum in ſepulcro Domini conſedentium ab ipſo die Dominico uſque in depoſitionem albarum ante evangelium illuminati deferuntur. Nam in nocte CAPUT XXIV. *ſancta lumen ante evangelium non portatur, ſed incenſum tantum; vetus* *De Sabbato* *quoque ignis per omnia habitacula extinguitur & reaccenditur de igne bene-* *Sancto.* *dicti cerei. Si vero lectiones ſecundum Gelaſium recitandæ fuerint, poſt be-* NOTA *nedictionem cerei antequam legatur prima lectio* In principio creavit Deus, *dicitur à ſacerdote oratio hæc* Deus qui divitias miſericordiæ tuæ. *Quod ſi ſecundum Gregorium, non dicitur hæc oratio, ſed poſt benedictionem cerei, ſtatim prima lectio recitatur, non pronuntiante lectore titulum lectionis quod & in ceteris obſervandum ſive ſecundum Gelaſium, ſive ſecundum Gregorium legantur. Orationes etiam per ſingulas lectiones dicuntur ſicut in Sacramentorum continentur, quibus expletis deſcendunt ad fontes cum ſeptena letania, præcedentibus clerum duabus crucibus & duobus illis cereis de benedicto illuminatis, ſimul & duobus ſubdiaconibus ſericis indutis, chriſma & oleum ad baptizandos in humeris geſtantibus. Finita letania, completur à tribus presbyteris benedictio trium cereorum ante altare fontium ſtatutorum contra fulgura, tonitrua, tempeſtates, peſtilentias, & cetera mala hominibus infeſta; cujus benedictionis initium eſt* Deus mundi conditor. *Qua expleta peraguntur à presbyteris facientibus in eis cruces per totum de ſacro chriſmate cum pollicibus. Interim demittitur de camera eccleſiæ ſuper fontes tornatile lignum in modum turritæ civitatis, in cujus medio dependet columba lignea, ferens in ore ampullam cum ſacro chriſmate locatis in giro per turres ſingulis crucibus. Tunc canitur verſus* Urbs beata Jeruſalem, *ad cujus inchoationem deſcendit Pontifex ab altari cum ordine præcedentium & ſubſequentium presbyterorum, & complet benedictionem fontis poſt decantationem verſus. Cum vero in benedictione cœperit dicere.* Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana ſui luminis admixtione fæcundet, *deponunt in fontem cereos baptizandorum infantum non illuminatos, & tenentur illic ab acolytho uſque dum benedictio fontis finiatur. Cum vero dixerit*, Sint etiam purificandis mentibus efficaces, *aſpirat tribus vicibus in fontem, & ſubſequitur illico*, Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus ſpiritus tui. *Cumque addiderit* totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fæcundet effectu, *extentam manum dexteram mittit in fontem & commovet tribus vicibus ipſam aquam. Benedicto fonte, fundit pontifex chriſma in fontem in modum crucis de ampullula roſtri columbæ, & aſpergit tam ſuper clerum quam ſuper aſtantes. Qui voluerint accipiant de ipſa aqua, & deferant in domos ſuas per vineas & per agros.*

Poſt hæc ſi voluerit pontifex baptizat unum aut duos ex infantibus, jubens presbyteris & diaconibus, vel ſi neceſſe fuerit ceteris ex ſacro ordine reliquos baptizare. Interim canitur verſus Fortunati Presbyteri ad baptizatos Tibi laus perennis auctor *& reliqua. Poſt hæc impoſita litania quina, revertitur clerus in chorum, in cujus ſpatio deferuntur infantes ante epiſcopum ſedentem in loco congruo, & conſignantur ab eo ſecundum ordinem apoſtolicæ inſtitutionis. Finita quina letania, & facto intervallo, incipiunt letaniam ternam ad introitum, & cum cœperint dicere* Omnes ſancti orate pro

nobis; *tunc pontifex procedit de ſacrario cum ſacro ordine & poſt hæc ce-*

CAPUT XXIV. *lebratur miſſa juxta ordinem ſacratiſſimæ noctis.*

De Sabbato Sancto.

Ubi verò epiſcopus non eſt. Primò agitur litania ſeptena, & cùm cœperint dicere, Peccatores, Te rogamus audi nos *procedit diaconus ordine quo ſupra inſertum eſt ad benedicendum cereum. Quo benedicto, illuminantur alii duo, & tenentur à notariis, & deportantur per totam hebdomadam, ſicut ſuprà ſcriptum eſt. Inde leguntur lectiones, ſive ſecundum Gelaſium, ſive ſecundum Gregorium, & canuntur cantica, & dicuntur orationes per ſingulas lectiones. Quibus expletis, deſcendunt ad fontes cum letania quina, præcedentibus eos illis duobus illuminatis cereis totidemque crucibus & ejuſdem numeri ſubdiaconibus cum ſericis, chriſma & oleum ad baptizandos ferentibus. Letania finita benedicuntur tres cerei contra fulgura & cetera mala, & à tribus presbyteris, ordine quo ſuprà. Deinde ad demiſſionem tornatilis ligni ordine ſupra ſcripto de camera eccleſiæ, canitur verſus*, Urbs beata Jeruſalem. *Quo finito, benedicitur fons à ſacerdote, qui ordine ſupra ſcripto agit cuncta in benedictione ejuſdem. Sed & ut ubicumque fons ipſe ſignandus eſt, partitur aqua in modum crucis cum dextera manu. Benedicto fonte, fundit ſacerdos in fontem chriſma in modum crucis de ampulla roſtri columbæ, & aſpergit aquam ſuper aſtantes, & accipiunt qui voluerint de ipſa aqua. Poſt hæc baptizantur infantes. Interim canitur verſus ad baptizatos*, Tibi laus. *Quo finito, regrediuntur in chorum cum letania terna ad introitum; & cùm cœperint dicere peccatores Te rogamus audi nos, procedunt diaconi cum ordine præcedentium.*

NOTA *Morem autem benedicendi cerei Romana eccleſia frequentat, ſed manè ſancti ſabbati, ſedente Domno apoſtolico in conſiſtorio Lateranenſi, archidiaconus indutus dalmatica accipit ab eo chriſma in ampulla argentea, & pergit ante ſanctum altare, & fundit illud in modum crucis in caldariam argenteam plenam cera liquefacta, & commiſcet cum virga argentea tam ceram quam chriſma, de qua cera fiunt agni, & datur ex eis ab apoſtolico in octavis Paſcha pro benedictione fidelibus. Et ſicut fidelium relatione traditur, multa ſanitatum genera per adhibitionem ipſius ceræ efficiuntur, etiam,*

NOTA *ſicut dicunt, mortuorum reſuſcitatio. Hinc eccleſia Romana cantat* ℟. Iſti ſunt agni novelli. *Uſum autem benedicendi cereum à beato Auguſtino repertum tradit eccleſia. Qui benedictionem illius perficiens, à Sancto Hieronymo reprehenſus eſt, cur Virgiliaca verba inſeruerit, ſed ſicut ab eodem beato Hieronymo emendata tunc fuit; ita nunc per eccleſias canitur. Omni autem ſollicitudine procuretur ut* Gloria in excelſis Deo *ea nocte ante non incipiatur, quam ſtella appareat in cœlo, quod tunc rationabiliter peragi poterit, ſi peracto baptiſmate hora conſideretur, & facto intervallo ſecundum congruentiam temporis letania terna ad introitum ita inchoetur, ut eadem finita ſecundum quod ſtatutum eſt ab apoſtolis juxta evangelicam auctoritatem ſtella in cœlo apparente* Gloria in excelſis Deo *incipiatur; ea ſcilicet ratione, ne populi ante medium noctis ab eccleſia dimittantur. Si quidem traditio apoſtolica eſt, media nocte in hujus ſacratiſſimæ noctis vigilia Dominum ad judicium eſſe venturum, juxta quod ipſe in evangelio dicit,*

Media

Digitized by Google

Media autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.

Enim vero ſicut veracium perſonarum relatione traditur, qui noſtro tempore de Jeruſalem advenerunt, hac auctoritate & traditione fideles populi illuc inſtructi in ſabbato vigiliarum Paſcha in eccleſiam convenientes, quaſi Dominum excepturi, ac velut ad ejus judicium preparaturi omni devotione & ſollicitudine intenti cum ſilentio & tremore horam in evangelio deſignatam præſtolantur. Clerus etiam ea nocte cum ſuo pontifice in eccleſia degens prædictam cum pavore & devotione expectat horam, nec ante ingrediuntur ad miſſas quam una ex lampadibus in ſepulcro Domini per angelicam illuminetur adminiſtrationem. Caput XXIV. De Sabbato Sancto.

Numerus verò letaniarum juxta numerum perſonarum vivifica Trinitatis in myſterio ea nocte agitur. Itaque cùm in litania qua ad introitum canitur, cœperint dicere. Omnes ſancti orate pro nobis, *incipiunt diaconi procedere de ſtatuto loco ab occidentali parte cum thuribulis & ceroferariis, & venientes ante altare, inclinant ſe & orant, uſque dum primus ſcolæ dicat excelſa voce* Accendite. *Qui cum in eadem voce ſubſequutus fuerit* Agne Dei qui tollis peccata mundi; *erigunt ſe diaconi ſed non ſe more ſolito oſculantur, & accedentes propius ad altare, & iterum ſe inclinantes, atque poſt paululum ſe erigentes, oſculato per ordinem altari, ſtant in locis ſuis. Si ſeptem quidem aut tres fuerint, par numerus à dextris, impar verò à ſiniſtris. Si autem quinque, impar à dextris, par verò à ſiniſtris; locatis deorſum ceroferariis altrinſecùs juxta numerum diaconorum. Cum itaque præcentoris vox longius & prolixius ſeu altius elata in accenſione perſonuerit, mox preparati cuſtodes illuminant totam eccleſiam, ſimul & omnia ſigna pariter ſonare incipiunt. In ipſa nocte non canitur offertorium, nec* Agnus Dei, *nec communio; ſed peractis omnibus, inclamat diaconus* Ite miſſa eſt; *Reſpondentibus omnibus* Deo gratias: *Et tunc iterùm ſonantibus ſignis, incipit primus ſchola* Alleluia, *non præmiſſo* Deus in adjutorium, *nec* Gloria, *& cantant veſperas. Cumque noviſſimum alleluia finierint in quinto pſalmo non præmiſſo verſu, incipitur antiphona in evangelio. Antiphona* Veſpere autem Sabbati. *Qua poſt evangelium finita, canticum dicitur, oratio à ſacerdote, & finitur officium veſpertinale, & exuti veſtimentis ſacris, ſigno invitantur ad ſumendam refectionem, quæ omni cura & convenienti apparatu omnibus pleniter miniſtranda eſt.* Nota

Incipit litania ſeptena primo agenda ubi Epiſcopus deeſt.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. *Tertio.* Sancta Maria, ora pro nobis. Sancte Michaël. Sancte Gabriel. S. Raphael. S. Joannes. S. Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Joannes. S. Philippe. S. Bartholomæe. S. Matthæe. S. Thoma. S. Jacobe. S. Simon. S. Thadee. S. Matthia. S. Barnaba. S. Stephane. S. Dionyſi. S. Ruſtice. S. Eleutheri. S. Laurenti. S. Sebaſtiane. S. Quintine. S. Cucufas. S. Juliane. S. Luciane. S. Hilari. S. Martine. S. Benedicte. S. Germane. S. Hieronyme. S. Gregori. S. Columbane. S. Ma-

ximine. S. Clodoalde. S. Samſon. S. Felicitas. S. Perpetua. S. Petronilla. S. Agatha. S. Lucia. S. Agnes. S. Cecilia. S. Genovefa. S. Brigitta. S. Scolaſtica. S. Eulalia. S. Columba. S. Radegundis. S. Aldegundis S. Sabina. S. Anaſtaſia. Omnes Sancti, orate pro nobis.

Hic incipit diaconus ad benedicendum cereum

Propitius eſto parce nobis Domine. Propitius eſto parce nobis Domine. Ab omni malo. Libera nos Domine. Per crucem tuam libera nos Domine. Peccatores te rogamus audi nos. Ut pacem nobis dones. Te. Ut ſanitatem nobis dones. Ut fidem ſpem & caritatem nobis dones. Ut malignitatem tempeſtatum avertere. Ut aëris temperiem bonam nobis dones. Ut illum apoſtolicum in S. Religione conſervare digneris. Ut illum paſtorem noſtrum conſervare digneris. Ut illum Regem perpetua proſperitate conſervare digneris. Ut ei vitam & ſanitatem atque victoriam dones. Ut exercitum Francorum conſervare digneris. Ut eis vitam & ſanitatem atque victoriam dones. Ut cunctum populum chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemtum conſervare digneris. Ut N. Abbatem & cunctam congregationem S.N. in tuo apto ſervitio conſervare digneris. Ut nos exaudire digneris. Fili Dei te rogamus audi nos.

Poſt hæc benedicitur cereus.

Benedictio cerei

Exultet jam angelica turba cœlorum &c. *Paulò contractior quam in miſſali Rom. in qua nihil habetur de granis incenſi ponendis in cereo neque de ejus illuminatione, ſed poſt illa verba* Suſcipe ſancte pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum. *Et etiam poſt illa* Oramus te Domine ut cereus iſte *ponitur crux*

Sequuntur lectiones ſecundum Gelaſium.

Oratio antequam legatur prima lectio illico poſt benedictionem cerei

Deus qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipuè nocte largiris, propitiare univerſo ordini Sacerdotalis officii, & omnes gradus famulatus noſtri perfecta delictorum remiſſione ſanctifica, ut miniſtraturos regenorationi gratiæ tuæ nulli eſſe obnoxios patiaris offenſæ Per

Lectio prima

In principio creavit &c. *Sequuntur duodecim lectiones cum duodecim orationibus, & canticis quæ etiam nunc habentur in miſſali Romano.*

Item lectiones ſecundum Gregorium

Lectio prima in Geneſi

In principio creavit &c. *Oratio.* Deus qui mirabiliter

Lectio ſecunda in Exodo

Factum eſt in vigilia matutina *cum cantico* Cantemus Domino *Oratio* Deus cujus antiqua miracula

Lectio tertia in Iſaïa Propheta

Apprehendent ſeptem mulieres &c. *cum cantico* Vinea facta eſt *& orat.* Deus qui nos ad celebrandum.

Lectio quarta in Iſaïa Propheta

Hæc eſt hæreditas Domini &c. *Oratio.* Deus qui eccleſiam tuam &c. *Canticum de pſalmo* 41. Sicut cervus

Oratio poſt canticum

Concede quæſumus omnipotens Deus &c. *Alia.* Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius &c.

Sequitur letania quina cum qua deſcendunt ad fontes Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon &c.

Poſt hanc letaniam benedicuntur tres cerei à tribus presbyteris ſtatuti ante altare fontium.

Benedictio

Deus mundi conditor, auctor luminis &c. *Extat ferè integra in Ord. Rom. apud Hittorpium excepto quod pro* ſed cera atque ſtupa conſtructum *Hic habetur* ſed cera oleo atque papyro conſtructos. *Et infrà pro* In fonte veri fulgoris & lumine *hic legitur* Inſerto veri luminis lumine. *Excepto etiam fine* Cum igitur hujus ſubſtantiæ miramur exordium &c. *Pro quo hac habentur.* Talia igitur digne Domine ſacris altaribus munera offeruntur, quibus te lætari religio chriſtiana non ambigit, Veniat ergo omnipotens Deus, ſuper hoc incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum in ſplendorem inviſibilis regnator viſibilium omnium & inviſibilium intende, ut non ſolùm ſacrificium quod hac nocte libandum eſt, arcana tui luminis admixtione refulgeat, ſed quocumque loco ex hujus aliquid ſanctificationis fuerit myſterio deportatum, omnipotentiæ tuæ imperio fragor tonitruorum, percuſſio fulminis, malignitas tempeſtatum, corruptio aëris, peſtilentiæ atque mortalitatis vexatio procul repellantur, ſicque expulſa omni diabolicæ fraudis nequitia, unigeniti filii tui pio cruore redemtis virtus tuæ majeſtatis defenſatrix aſſiſtat, ut ſe tuæ protectionis gratiæ gaudeant perpetuo tueri, qui meruerunt ejuſdem pretioſo Chriſti ſanguine redimi. Per eumdem Dominum noſtrum.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.
De Sabbato Sancto.

Inde canitur hic verſus

Urbs beata Jeruſalem. &c.
Benedicuntur poſt hac fontes & baptizantur infantes

Benedictio fontis

Omnipotens ſempiterne Deus &c.
Poſt hac baptizatur & linitur de chriſmate in cerebro & dicitur à ſacerdote.

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in vitam æternam.

Deinde interrogatur à Sacerdote. Quis vocatur? *Reſpondetur* ille *vel* ille. *Subſequitur presbyter* Vult baptizari? *Reſpondetur*, Vult. Credit in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ? *Reſp.* Credit. Credit & in JESUM-CHRISTUM filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credit. Credit & in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem & vitam æternam. ℟. Credit. *Et adjungit presbyter* Et ego baptizo eum in nomine Patris, *Et mergit ſemel.* Et Filii, *& mergit ſecundo.* Et Spiritus Sancti, *& mergit*

Deinde mittitur chriſmale ſuper caput ejus, & dicitur ei à Sacerdote

Accipe veſtem candidam ſanctam, quam perferas immaculatam ante tribunal Domini noſtri JESU CHRISTI.

Intereà canitur hic verſus

Tibi laus perennis auctor, baptiſmalis ſacrator,
Qui ſorte paſſionis, dat præmium ſalutis
  Nox clara plus & alma, quam luna ſol vel aſtra
Quæ luminum corona, reddis diem per umbram. Tibi laus.
  Dulcis ſacrata, blanda, electa, pura, pulcra,
Sudans honore mella, rigans odore chriſma. Tibi laus.
  In qua Redemptor orbis, de morte vivus exit,
Et quos cathena vinxit, ſepultus ille ſolvit. Tibi laus.
  Quam Chriſtus aperuit ad gentium ſalutem
Cujus ſalubri cura, redit novata plaſma. Tibi laus.
  Accedite ergo digni ad gratiam lavacri,
Quo fonte recreati refulgeatis agni. Tibi laus
  Hic gurges eſt fidelis purgans liquore mentes,
Dum rore corpus ſudat, peccata tergit unda.
  Gaudete candidati, electa vaſa regni,
In morte conſepulti, Chriſti fide renati.

ORDO AD CONSIGNANDOS INFANTES

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.

Poſt hac Pontifex facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus dicendo:

Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. *Dicit iterum* pax tibi, *Et reſpondetur* Et cum Spiritu tuo.

Letania terna ad introitum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. *Tertiò* &c. *Sub finem hujus letaniæ habetur* Ut congregationem S. Petri in tuo apto ſervitio conſervare digneris. Te rogamus, *& poſt* fili Dei te rogamus *ſubjicitur.*

Hic inclamat Præcentor Accendite, Agnus Dei qui tollis peccata mundi. P. *Hic ſe erigunt diaconi, ſed non ſe oſculantur. Inluminatur eccleſia, Præcentor autem ſubſequitur in eadem voce.* Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere. Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Sequitur.* Gloria in excelſis Deo.

Si autem infirmus infans allatus fuerit ad baptizandum, faciat presbyter ſecundùm ſuprà ſcriptum ordinem, ſed poſtquam dixerit orationem Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine, *Subſequatur hæc oratio* Medelam tuam deprecamur Domine &c.

Poſt hanc orationem dicit ſymbolum ſuprà ſcriptum & orationem Dominicam, & catechizat eum his verbis. Nec te latet Satana &c.

Inde tangit ei nares & aures de ſputo & dicit ad aurem Effeta quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis.

Poſteà tangit ei pectus & ſcapulas de oleo exorcizato, & vocato eo ex nomine dicit Ill. Abrenuncias Satanæ? ℟. Abrenuncio. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. Et ego linio te chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Benedictio fontis

Non dicit benedictionem illam ſuprà ſcriptam, ſed iſtam ad ſuccurrendum.

Benedictio

Exaudi nos omnipotens Deus, & in hujus aquæ ſubſtantiam tuam immiſce virtutem, ut abluendi per eam, & ſanitatem ſimul & vitam mereantur æternam. Per Dominum noſtrum J. C. filium tuum qui venturus eſt.

Digitized by Google

Item

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei patris omnipotentis, & in caritate JESU-CHRISTI filii ejus, & Spiritus Sancti.

Exorcizo te omnis virtus adverſarii, omnis incurſio ſatanæ, & omnis phantaſma, eradicare, effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons ſalienris in vitam æternam, & qui ab ea baptizatus fuerit fiat templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habiter in eo in remiſſionem omnium peccatorum. Per Dominum noſtrum J. C. filium tuum qui venturus eſt.

Et antequam perfundatur aqua interroget eum dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo. Et in JESUM-CHRISTUM filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. Et in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem ℟. Credo. Et ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti *Tertio mergens eum ſicut ſcriptum eſt.*

Et ſignatur à Presbytero in cerebro de chriſmate cum his verbis Deus omnipotens Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI *ut ſuprà.*

Oratio

Omnipotens & miſericors Deus, majeſtatem tuam ſupplices depreeamur, ut hunc famulum tuum digneris ſerenis aſpectibus præſentari, & cui donaſti baptiſmi ſacramentum, longævam tribuas ſanitatem Per.

Accipiat chriſmal ſuper caput dicente presbytero

Accipe veſtem candidam, ſanctam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri J. C. Amen.

ITEM DE SABBATO SANCTO

Si quis nondum catechumenus ſabbato ſancto ad baptizandum venerit, dicit ſacerdos ſuper eum orationem ad catechuminum faciendum. Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI &c. *Inde dat illi guſtare medicinam ſalis benedicti dicendo*: Ille talis accipe ſalem ſapientiæ in vitam propitiatus æternam. Pax tibi. *Inde dicit*: Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam &c. *Poſteà catechizat eum his verbis:* Nec te latet, Satana, *Deinde tangit ei nares & aures de ſputo & dicit ſecrete ad aurem* Effeta &c. *Proſequitur ad abrenunciandum. Tangit ei pectus & inter ſcapulas de oleo dicendo* Et ego te linio &c. *Deinde interrogat eum credulitatem fidei dicens:* Credis in Deum Patrem &c. *Poſt hac baptizatur.*

Illud verò obſervandum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint infantes, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent, & per

Digitized by Google

ſeptem dies paſcha ad miſſas procedant, & offeratur pro ipſis, & communicent.

Caput XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Finit ordo baptisterii

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ BISUNTINÆ

Ex ms. Pontificali ejuſdem eccleſiæ

Incipit ordo in sabbato sancto

Summo mane incipiant ornare eccleſiam cortinis & palleis & ceteris ornamentis: tunc demum ornentur altaria. Interim dum iſta fiunt in eccleſia, fratres abluunt ſe in clauſtro balneis. Cum autem tempus fuerit pulſandi primam, ſonetur tabula, conveniantque omnes in choro, & cantata Prima cum ſilentio, conveniant ad capitulum generaliter omnes, & lecta lectione, recitetur tabula, qui debeant lectiones legere, qui tractus cantare, qui cum epiſcopo procedere, ſcilicet 3. diaconi, 3. ſubdiaconi, 3. presbyteri, quanti neceſſarii ſunt de acolythis ad candelabra ferenda, ad oleum & chriſma, qui debeant facere litanias. His ritè ordinatis, quæ ad diem ſabbati pertineant, fiat ſilentium, & recitetur alia tabula quæ continet ordinationem totius matutinalis officii in die ſanctæ reſurrectionis, ſicque ſolvatur capitulum, & ſonetur tabula, & cum ſilentio cantetur Tertia. Parrochianus presbyter provideat de fontibus, & de ornatu eccleſiæ baptiſterii, & ipſe congreget catechumenos, & fiat ſeptimum ſcrutinium ante horam ſextam in eccleſia baptiſterii. Finito ſcrutinio ſtatim cantetur Sexta. Quâ finita, hora ſeptima ingreditur epiſcopus ſacrarium, & induit ſe ſacris veſtibus, non tamen melioribus, & interim cantetur nona cum ſilentio. Quâ finita, procedit epiſcopus è ſacrario non indutus planeta, ſed cappa; & ſedente eo in ſede juxta rugas altaris, ſtatim cantor incipit letaniam ſeptenam hoc modo: Statuantur quinque clerici in choro, & dicat unuſquiſque ſemel nomen ſancti, & poſteà ſeniores qui ſunt de dextro, dehinc ipſi de ſiniſtro & ſic fiat ſeptima: quâ finita, benedicitur novus ignis & incenſum. Benedictio ignis. Deus qui filium tuum angularem ſcilicet lapidem &c. *Benedictio incenſi* Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob &c.

His expletis, ſit paratus archilevita, ſicut mos eſt in diebus feſtis, & fiunt cruces in eo, & numerus annorum Domini, & indictionum; & ſic intrat in conſecrationem cerei. Exultet jam angelica. *Poſt hæc incipiant lectionem* In principio creavit Deus cœlum & terram &c. *Sequuntur duodecim lectiones cum totidem orationibus & tribus tractibus.*

Ultima oratione finita, deſcendunt ad fontes litaniam quinam faciendo, hoc modo: ſtatuuntur tres clerici in choro, & pronunciet unuſquiſque nomen ſancti, & poſteà ſeniores de dextro choro, dehinc qui de ſiniſtro & ſic fiat quina. Finita letania, incipiatur conſecratio fontis, ſeniores autem interim pauſent in ſuis ſedibus cum reverentia & Dei timore. Incipit conſe-

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De ſabbato Sancto.*

cratio fontis. Oratio. Omnipotens æterne Deus &c. *Ut autem levat. à fonte faciat epiſcopus vel ſacerdos ſignum crucis de chriſmate ex pollice in vertice eorum dicens* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Tunc dicat hanc orationem ſuper ſingulos eorum* Deus omnipotens, Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui te regeneravit &c. *Et tunc ſuſcipiantur ab his qui eos ſuſcipere debent, detque eis epiſcopus vel ſacerdos pannum chriſmatis dicens:* Accipe veſtem candidam ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Chriſti. *Tunc veſtiatur infans, & ſi epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari oportet, poſteà communicari. Omninò etiam præcavendum eſt, ut confirmatio non negligatur; quia tunc legitimum chriſtianitatis nomen confirmatur. Epiſcopus autem ſi præſens non fuerit, antequam lactetur, aut aliquid accipiat communicet eum ſacerdos Corporis & Sanguinis Domini, ita dicens:* Accipe Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU-CHRISTI in vitam æternam. Amen. *Poſteà ſi ſacerdos fuerit, dicat hanc orationem* Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu Sancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, tribue ei continuam & longævam ſanitatem, ad cognoſcendam unitatis veritatem. *Et ſi in Paſcha baptizantur, omnibus diebus ſeptem ad miſſas procedant, & quotidiè communicent. Poſtquam omnes pueri baptizati fuerint, & confirmati, incipiat cantor* ℟. Cantemus Domino glorioſe enim; *& ſic pergant in chorum. Finito reſponſorio, epiſcopus eat ſacrarium, & mutet veſtimenta, & præparet ſe ad celebrandam miſſam. Cantor autem incipiat in choro letaniam ternam hoc modo: Dicat ipſe cantor ſemel nomen ſancti, & poſteà ſchola, dehinc ſeniores. Poſtquam epiſcopus præparatus fuerit ad procedendum, antequam dicatur.* Kyrie eleiſon, *innuat archicapellano ut dicat excelſa voce* Accendite, *& repetat ter. Accenſis autem luminaribus, incipiat cantor* Kyrie eleiſon *feſtivè; & tunc aſcendat pontifex ad altare, & dicat excelſa voce.* Gloria in excelſis Deo. *Oratio* Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem *Dehinc epiſtola, quam ſequitur* Alleluia. Laudate Dominum omnes gentes. *Sequitur evangelium. In ipſa nocte non portantur candelabra cum lumine ante evangelium, ſed tantum thuribulum, cum incenſo. Perlecto evangelio, non cantantur offerenda, ſed tantum defertur oblatio cum ſilentio ad altare. Secreta.* Suſcipe, Domine, *Præfatio* Te quidem omni tempore. *Benedictio* Deus qui eccleſiæ tuæ intemerato utero novos. *Hic non canitur* Agnus Dei. *Nec communio; ſed poſtquam omnis populus communicatus fuerit, incipiat cantor* Alleluia. *Sequitur pſalmus* Laudate Dominum omnes gentes, *& repetito* Alleluia, *incipiat epiſcopus antiphonam* Veſpere autem ſabbati. Magnificat *Sequitur oratio* Spiritum nobis Domine tuæ charitatis. *Et diaconus* Ite miſſa eſt. *Tunc redeat Domnus epiſcopus ad ſacrarium, & exuat ſe: Fratres autem eant ad refectorium, & ſumant cum ſobrietate cibum & potum propter vigilias ſequentis noctis, perpendentes illud apoſtoli:* Sobrii eſtote & vigilate in orationibus. *Dicturus* vigilate, *præmiſit* Sobrii eſtote. *Mox ut ſurrexerint à menſa, eant ſicut ſolito referre gratias cantantes* Miſerere mei Deus.

Deus. *Et poſt verſum redeant in clauſtrum, & parvulo intervallo facto, pulſetur collatio. Lecta lectione, iterùm bibant cum ſobrietate, ſicque veniant in choro, & cantent completorium feſtivè, cum hymno* Jeſu redemptor ſæculi. *Ad* nunc dimittis *nulla dicitur antiphona; ſed tantum* Alleluia. *Non dicuntur capitula, ſed tantum oratio* Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem. *Omnes cum ſilentio vadant ad dormitorium: quibus fuerit voluntas vigilandi, ita honeſtè exeant, ne alios ſcandalizent.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ LUGDUNENSIS

Ex ms. Ordinario Lugdunenſi.

S*Abbato ſancto circa meridiem fient catechumeni. Ad catechumenum faciendum incipiat lector* In principio creavit Deus cœlum. *Oratio* Deus qui mirabiliter. *Deinde alius* In diebus illis factum eſt in vigilia. *Primus lector cantet tractum* Cantemus Domino. ℣. Hic Deus meus. ℣. Dominus conterens. *Oratio.* Deus cujus antiqua. *Deinde alius*: Apprehendent ſeptem: *Tractus* Vinea facta eſt. ℣. Et maceriam. ℣. & ædificavit. ℣. Vinea enim. *Oratio.* Deus qui nos ad celebrandum. *Quartus verò:* Hæc eſt hæreditas. *Oratio.* Deus qui eccleſiam ſemper. *Tractus.* Sicut cervus. ℣. Sitivit. ℣. Fuerunt mihi. *Oratio.* Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui feſta. *Sequitur Letania prima ad incenſum cerei uſque* Agnus Dei: *qua finita, induat ſe diaconus ad benedicendum cereum. Quo conſecrato, incipiatur letania ſecunda ad deſcenſum fontis. Presbyter verò & diaconus, & ſubdiaconus, omniſque conventus, cum cruce & clero & miſſali eant fontes conſecrare expleto baptiſmo, incipiat cantor* Cantemus Domino*: quo finito, incipiatur litania tertia ad introitum. In fine* Fili Dei te rogamus audi nos. Accendite, accendite, agnus Dei. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Gloria in excelſis Deo.... *ante evangelium non portatur lumen, ſed incenſum ſolum, non dicitur offertorium, nec* Agnus Dei, *nec communio. Pax tantum ſumitur.... Finita miſſa, dic veſperas cum tribus pſalmis & tribus antiphonis; & muta ſeptimanam in dextro choro. Antiphona.*Laudabo alleluia. *Pſal.* Lauda anima mea Dominum.*Antiphona* Deo noſtro alleluia. *Pſal.* Laudate Dominum.*Antiphona* ſtabit alleluia *Pſal.* Lauda Jeruſalem. *Capitulum* Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. ℣. Reſurrexit Dominus. Sicut dixi vobis. *Antiphona* Veſpere autem ſabbati. *Pſal.* Magnificat. *Oratio.*

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras: conſerva in nova familiæ tuæ progenie: adoptionis ſpiritum quem dediſti, ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant ſervitutem. Per

Completorium non dicas in choro.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

ANTIQUI RITUS SABBATI SANCTI

Ex ms. Pontificali eccleſiæ Apamienſis in Syria.

Magno vero die ſabbati ſancto & ſolemniſſimo, primo mane ornetur eccleſia, & circa Tertiam altaria cooperiantur. Hora autem quinta vel ſexta novus ignis, ſi non fuerit excuſſus in Cœna Domini, juxta morem quarumdam eccleſiarum excutiatur hoc die extra eccleſiam de criſtallo, vel etiam alio modo fiat. Poſteà hora qua ad officium faciendum Pontifex debet intrare eccleſiam, benedici debet novus ignis à juniore presbyterorum cardinalium in atrio eccleſiæ Lateranenſi, hoc modo: Dominus vobiſcum. Oremus Deus qui per Filium tuum angularem lapidem &c. *Alia* Domine Deus lumen indeficiens &c. *Alia* Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicentibus nobis hunc ignem &c. *Alia oratio quæ eſt ad benedicendum incenſum quod ponendum eſt in cereo, & ad faciendum eumdem ignem.* Veniat, quæſumus, omnipotens ſuper hoc incenſum &c.

Interim autem dum ignis benedicitur pontifex & presbyteri indui debent in ſacrario ſolemniſſimis veſtimentis. Diaconi tamen uſque ad miſſam quæ cantatur poſt reverſionem à fontibus debent indui planetis. In miſſa autem depoſitis planetis dalmaticas aſſumant. Subdiaconi verò à principio officii uſque in finem debent habere tunicas. Omnibus igitur ſicut diximus, in ſacrario indutis, antequam ipſi procedant ad altare, benedicto novo igne, junior diaconus diaconorum cardinalium, juxta conſuetudinem Romanæ eccleſiæ, de ipſo novo igne triplicem candelam conjunctam accendat; & eam in capite arundinis ponat, ipſam arundinem in manu tenens, & proceſſionaliter procedens cum ſchola cantorum, & aliquibus ſubdiaconis primum in porta, ſecundo juxta quintanas, tertio juxta ambonem Lumen Chriſti, *vocem ſingulis vicibus exaltando decantet; ſchola cantorum cum ſubdiaconibus, qui cum ipſo procedunt, per omnem vicem* Deo gratias *reſpondente. Tunc igitur accedens in ambonem & magno cereo cum arundine illuminato, atque incenſato libro incipit benedictionem cerei decantare. Ubi verò ventum fuerit ad illum verſum, qui ſic incipit:* Suſcipe, ſancte Pater, incenſi hujus ſacrificium veſpertinum, *infiget firmiter in ipſo cereo quinque grana incenſi in modum crucis. Deinde cum debet dicere* Qui licet diviſus ſit in partes, mutuati luminis detrimenta non novit, *accenduntur ex eo ſeptem lampades, & duo cerei in duobus candelabris. Interim autem dum benedicetur cereus, pontifex ad altare procedere debet ordinatim cum omnibus ordinibus ſuis. Ubi verò cereus fuerit benedictus, juxta conſuetudinem quarumdam eccleſiarum, de ipſo novo igne accendunt ignem in omni domo, extincto veteri igne. Hæc eſt conſuetudo eccleſiæ Romanæ. Sed juxta inſtitutionem B. Zozimi Papæ cereus magnus qui benedicendus eſt ponitur in candelabro ante altare, & clero & populo ibi propè congregato, venit diaconus*

Digitized by Google

qui benedicere debet cereum, & cum ſtylo facit crucem in ipſo cereo, & A & Ω. & annum ab Incarnatione Domini deſcribit: poſtmodum vero humiliter ad ſacerdotem recipit ab ipſo benedictionem, & tunc ſurgens & converſus ad chorum dicit ter vocem exaltando: Lumen Chriſti. *Cetera fiunt ſicut ſuperius dictum eſt.* CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

Deinde lector aſcendens ad ambonem abſque titulo inchoat: In principio Deus creavit cœlum & terram, *& omnes aliæ lectiones ſimiliter debent ſine titulo inchoari. Ante primam verò lectionem, oratio non dicitur, ſed illa perlecta, dicit ſacerdos.* Oremus. *Diaconus* Flectamus genua. Levate. *Et ad eumdem modum ante omnes orationes debet dici.* Flectamus genua. Levate. *Præter ante illam quæ dicitur poſt illam lectionem quæ ſic incipitur* Nabucodonoſor rex fecit ſtatuam. *Tunc autem non debent flecti genua; quia in præcedenti lectione lectum eſt quod Nabucodonoſor rex ſubditos ſibi coegerit flectere genua ante ſtatuam auream, quod utique erat in contemptu creatoris. Illud autem ſciendum eſt, quod in Romana eccleſia dicuntur duodecim lectiones græcè & duodecim latinè. Dum verò leguntur lectiones, procedunt ſeptem ſubdiaconi reverenter ad fontes, & faciunt ibi letaniam ſeptenam, quinam, & ternam. Sed & illud quoque non eſt ignorandum, quod hac die poſt Tertiam procedunt ad eccleſiam qui baptizandi ſunt; & tunc qui poſſunt reddunt orationem Dominicam & ſymbolum & faciens crucem ſacerdos eum pollice in frontibus ſingulorum dicit,* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Poſteà impoſita manu ſuper capita ſingulorum, dicit hanc orationem ad catechizandos infantes.* Nec te latet ſatanas &c. *(Sequuntur ea quæ de Baptiſmo & confirmatione protulimus in libro 1. cap. 1. & 2. quibus hæc ſubjiciuntur.)*

Ubi verò baptiſmus non celebratur, hora congrua, pulſatis campanis, faciant letaniam ternam, & ſic incipiant miſſam, quæ hac die à Pontifice hoc modo eſt celebranda. Cum autem dictum fuerit Agnus Dei, *tunc ſchola in choro ſolemniter cantante* Kyrie eleiſon, *Pontifex vel ſacerdos cum miniſtris, & cum omni ornatu de ſacrario ad altare procedat. Deinde devotiſſime incipit* Gloria in excelſis Deo. *Poſt orationem ſequitur epiſtola, poſt epiſtolam* Alleluia, *quod pro recenti ſui memoria priùs à ſacerdote qui miſſam celebrat, nobiliter decantatur, alia vice in choro, tertia iterùm repetatur. Sequitur verſus* Confitemini Domino. ℞. Laudate Dominum omnes gentes. *Ante evangelium non portetur lumen, niſi incenſum tantum, nec* Credo in unum Deum, *nec offertorium, nec* Agnus Dei, *nec communio dicantur. Cetera autem uſque* Pax Domini *incluſive ſicut in aliis miſſis compleantur, & oſculum pacis inter ſe non faciant. Et dum communicaverint, incipiatur pro veſpera* Alleluia *cum pſalmo* Laudate Dominum omnes gentes. *Conſequenter non dicatur lectio, vel* ℣. *Sed cum hac antiphona.* Veſperæ autem ſabbati, *dicatur* Magnificat. *Quo finito, dicit pontifex orationem ad complendam, & diaconus* Ite miſſa eſt. *Secundùm ordinem Romanum.*

Digitized by Google

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ SUESSIONENSIS

Ex ms. Rituali ejuſdem eccleſiæ.

SAbbato ſancto hora matutinali provideant cuſtodes, quod tota eccleſia cortinis & palliis veſtiatur. Sepulcrum vero munda cortina à foris circumdetur, fontes abluantur, & aqua munda impleantur. Theſaurarius cereum provideat, cuſtodes autem præparent illum in medio presbyteris ante ſacroſanctum altare. Cantor de anno Dominicæ Incarnationis provideat, & de illis quæ die iſta debent in opus tanti myſterii convocari, hos quoque faciat ſcribi in tabula. Cuſtodes inſuper candelabrum magnum deauratum habens ſeptem cereos ponant ad aſcenſum presbyteris. Decanus chriſtianitatis de novo igne provideat, qui more ſolito de criſtallo trahatur. Criſtallus enim humecta radio ſolis objecta ignem ſintillat. Poſt Sextam ſacroſanctum altare ornamentis ſuis ſolemnioribus adornetur, auro & argento omninò veſtiatur. Circa igitur horam nonam per tabulam ligneam, ut ad eccleſiam veniant cuncti commoneantur. His expletis, major archidiaconus præparet ſe ſolemnibus veſtimentis, dalmatica tamen viridi ſuper utatur. Quo induto, ſolus ad cereum accedat. Liber autem quidam ad eum benedicendum ſuper lectorium ponatur juxta cereum. Et cum inceperit benedictionem cerei, ſubſequentem chorus omnis conſurgat, & uſque in finem benedictionis non ſedeat. Exultet jam angelica &c. In hujus igitur noctis gratia ſuſcipe. *Hic ponitur incenſum* Sancte Pater incenſi hujus &c. ignis accendit. *Hic accenditur.* Qui licet diviſus &c.

*Incœpta benedictione, capellanus de S. Joanne, ſtatim incipiat illos ad januas eccleſiæ catechizare, qui fidei noſtræ per baptiſma ſacroſanctum cupiunt adhærere. Lectionibus enim & orationibus ac litaniis quæ pro eis ante baptiſma à clero celebrantur debent catechumeni intereſſe; quia ad eorum pertinent inſtructionem. Lectiones enim hodiernæ, quæ ſine titulo pro eis pronunciantur, pro eis * fit. Catechumenus verò audiens vel inſtructus dicitur, & ideò lectionum auctores reticentur, quia fruſtra illis pronunciaretur auctor incognitus; qui cives cæleſtis Jeruſalem non cognoverunt. Sequitur ordo ad faciendum catechumenum qualem deſcripſimus libro 1. cap. 1. art. 7. cui hæc ſubjiciuntur.*

* l. fiunt

Dum iſta aguntur, & cereus benedicitur, præparet ſe pontifex ad ſancta ſic: veſtimentis ſimplicibus utatur, ut ſimplex ſacerdos, infula tamen viridi, viror namque veſtimentorum redemptionem noſtram appropinquante, jam die reſurrectionis virere deſignat. Diaconus & ſubdiaconus habeant veſtimenta parata, dalmaticam viridem & tunicam. Capellanus in albis, & ſic procedant de ſacrario ſine lumine & incenſo; epiſcopus tamen mitratus manibus ſub infula plicatis, venienſque ante altare, facta oratione ſua eat ad ſedem ſuam: archidiaconus autem de Rivaria aſcendat in ambonem, & ſtatim incipiat lectionem In principio creavit Deus cœlum & terram. *Sciendum*

tamen quod omnes lectiones & tractus debent dici in ambone. Lectores vero ut & cantores in albis. Finita lectione, chorus ſurgat. Epiſcopus quoque ad altare ſtans dicit Oremus. Deus qui mirabiliter &c. *Senior diaconus lectionem ſecundam* Factum eſt in vigilia matutina. *Qua finita, duo ſeniores ſubdiaconi tractum* Cantemus. *Poſt tractum collecta* Deus cujus antiqua miracula. *Lectionem tertiam ſenior ſubdiaconus.* Apprehendent 7. mulieres. *Duo ſubdiaconi tractum* Vinea facta eſt. *Poſt tractum collecta* Deus qui nos ad celebrandum. *Alter ſubdiaconus lectionem quartam* Hæc eſt hæreditas. *Poſt lectionem antequam tractus cantetur dicitur collecta* Deus qui eccleſiam tuam. *Poſt collectam duo juniores ſubdiaconi tractum* Sicut cervus. *Poſt tractum collecta* Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius. *Poſt hæc adſint clericuli protinus ante altare cum cereis, thuribulis, & crucibus. Acolythus quoque indutus palliolo ferens oleum catechuminorum. Item ſubdiaconus junior in albis palleolo ſuperindutus ferens chriſma ſacroſanctum. Prætereà duo ſubdiaconi cum cappis de pallio ad aſcenſum presbyterii incipiant alta voce letaniam.* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte audi nos. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis. Pater. Fili redemptor mundi Deus miſerere nobis. Fili. Spiritus ſancte Deus miſerere nobis. Spiritus ſancte. Sancta Trinitas unus Deus, miſerere. *Hic primum incipiat proceſſio exire de choro, epiſcopo ad ultimum veniente cum capellano. Cum ſubdiaconi voce altiori incœperint.* Sancta Maria *Septies* S. Michaël 7. S. Joannes Baptiſta 7. S. Petre 7. S. Paule 7. S. Stephane 7. S. Corneli 7. S. Cypriane 7. S. Silveſter 7. S. Gregori. 7. S. Martine 7. S. Maria Magdalene 7. S. Felicitas 7. S Perpetua 7.

CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

His dictis, circa fontem ordinent ſe hinc inde candelabra, thuribula, cruces, necnon & alii miniſtri ferentes oleum catecuminorum, & chriſma ſacroſanctum. Subdiaconi prætereà & diaconi cum capellano. Ceteris autem ordinatè aſtantibus in medio eccleſia. Epiſcopus verò ſtet ad fontes in eminentiori loco verſus altare, & dicat quaſi legendo. Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnis pietatis tuæ myſteriis &c.

Deus qui inviſibili potentia &c. Sumat unigeniti tui gratiam de Spiritu ſancto. *Hic divide aquam in modum crucis* Qui hanc aquam regenerandis &c. Baptiſantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Hoc dicat quaſi lectionem* Hæc nobis præcepta ſervantibus & ſint etiam purificandis mentibus efficaces. *Hic ponatur cereus in aqua & dicat* Deſcendat in hanc plenitudinem fontis &c. in veræ innocentiæ novam infantiam renaſcatur. *Hic depone cereum de aqua, & mitte chriſma in modum crucis, & dic.* Fœcundetur & ſanctificetur fons iſte ex hoc ſacro chriſmate renaſcentibus in vitam æternam. Amen. *His dictis, eat proceſſio ad S. Gervaſium cum cereo uno & thuribulo & una cruce. Reliquus verò cereus cum reliquo thuribulo & cruce remaneant ad fontes cum epiſcopo & ſuis miniſtris. Subdiaconus quoque incipiat letaniam* Sancta Dei genitrix *quinquies* S. Gabriel 5. S. Andrea 5. S. Jacobe 5. S. Philippe 5. *Hic exaltate vocem* S. Protaſi 5. S. Gervaſi. 5. S. Vincenti 5. S. Nicolae 5. S. Re-

Digitized by Google

—— —— migi 5. S. Auguſtine 5. S. Agatha 5. S. Agnes 5. S. Cecilia 5. *Dum hæc ſupradicta letania ad S. Gervaſium celebratur, interroget epiſcopus catecumino* Quis vocaris. ℟. N. *Epiſcopus* Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio. *Epiſcopus* Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio. *Epiſcopus* Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. *Tunc liniat epiſcopus eum in pectore ad modum crucis de oleo ſancto dicens:* Et ego linio te oleo ſalutis. *Inter ſcapulas ſimiliter liniat dicens* In Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Deinde interrogato nomine ejus dicat:* N. credis in Chriſtum Jeſum Filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. *Epiſcopus* Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam poſt mortem? ℟. Credo. *Epiſcopus* Vis baptizari? ℟. Volo. *Tunc accipiat eum epiſcopus, & mergat ſemel dicens* Et ego baptizo te in nomine Patris. *Et mergat ſecundo*, Et Filii, *Et mergat tertio* Et Spiritus Sancti. Amen. *Ut autem elevatur à fonte, facit epiſcopus ſignum crucis de chriſmate in vertice ejus dicens*: Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jesu-Christi &c. *Tunc invocato nomine ejus veſtiat eum alba veſte dicens*: Accipe veſtem candidam ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Jesu-Christi, ut habeas vitam æternam & vivas in ſæcula ſæculorum Amen. *Poſito cereo in manu dextra ejus, dicit epiſcopus* Accipe lampadem ardentem, irreprehenſibilem: cuſtodi baptiſmum tuum, ut cum venerit Dominus ad nuptias poſſis ei occurrere una cum ſanctis in aula cœleſti, ut habeas vitam æternam & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Tunc confirmet eum epiſcopus de chriſmate. Deinde lavet manus ſuas, & eat ad ſacrarium, ut ad ſancta præparet ſe, omnibus veſtimentis ſuis, miniſtri quoque ſui cum illo cereo prædicto præcedente cum thuribulo & cruce:*

Proceſſio verò intereà redeat in chorum, finita ſuperiori letania, & iſta incepta quæ ſequitur Sancta Virgo virginum *ter* S. Raphaël 3. S. Joannes Evangeliſta 3. S. Bartholomee 3. S. Thoma 3. S. Sebaſtiane 3. S. Ruffine 3. S. Valeri 3. S. Principi 3. S. Anſarice 3. S. Divitiane 3. S. Lucia 3. S. Genovefa 3. S. Praxedis 3. Omnes ſancti orate pro nobis. Propitius eſto, parce nobis Domine. Ab inſidiis diaboli &. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. *Tunc alter illorum in medium chori veniens cum cappa ſua de pallio, juſſu cantoris ſtatim incipiat alta voce.* Kyrie eleiſon.

Intereà epiſcopus exeat de ſacrario indutus pretioſis veſtimentis, eumque præcedant candelabra, thuribula, cruces, ypodiaconus, & diaconus, capellanus etiam cum cappa de pallio, accedenſque epiſcopus poſt Confiteor *ad altare, facta oratione Dominica incipiat excelſa voce* Gloria in excelſis Deo. *Et ſtatim incipiantur omnia ſigna eccleſiæ pulſari, & pulſentur uſquequo* Gloria *finiatur. Poſt hæc epiſcopus* Pax vobis. *Chorus* Et cum Spiritu tuo. *Epiſcopus* Oremus. Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem. *Ypodiaconus in ambone epiſtolam ad Coloſſenſes* Fratres, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto. *Qua finita, diaconus unus incipiat alta voce in ambone*

Alleluia. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum. *Chorus* miſericordia ejus. *Deinde duo majores clericuli tractum* Laudate Dominum omnes gentes. *Tractus autem iſte qui poſt* Alleluia *cantatur, myſticat, quod adhuc mole corporis depreſſi longi ſumus à laboribus trahendi ad illam reſurrectionem, quia poſt* Alleluia *&* Gloria in excelſis, *quæ præmiſimus prædicamus. Cantica enim lætitiæ ſunt, & propter ſpem reſurrectionis per Chriſti paſſionem jam adeptam gaudentes eam cantamus.*

Dum tractus cantatur, aſcendat diaconus in ambonem ad legendum evangelium ſecundùm Matthæum. Veſpere autem Sabbati quæ luceſcit. *Ipſum tantummodo præcedant thuribula, cruces, & ypodiaconus ferens temporalia. Lumen non portetur: extinctum namque & adhuc clauſum jacet verum lumen in ſepulcro, cum quo lux & vita fidelium reſurrexit.* Credo in unum Deum *non dicitur; ſed finito evangelio, dicitur* Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Offertorium non cantatur, ut ad memoriam revocetur ſacrificium vel ſilentium mulierum quæ tunc ad ſepulcrum unguenta detulerunt.* Per omnia *dicitur & præfatio* Te quidem omni tempore, ſed in hac potiſſimum nocte. Sanctus. Sanctus. *Et ideò cantatur, quia angeli de reſurrectione non ſiluerunt. Item propter ſilentium mulierum non cantatur* Agnus Dei, *nec pax datur, ſed communicato epiſcopo, communicet infantes baptizatos de ſanguine ſacrato dicens:* Sanguis Domini noſtri Jesu-Christi cuſtodiat te in vitam æternam. Amen. *Deinde ille qui tenet chorum injungat epiſcopo antiphonam* Alleluia *Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes. *Et ſtatim pulſentur omnia ſigna uſque in finem veſperarum. Pneuma non dicitur ad veſperas iſtas in fine antiphonæ. Iterum injungatur epiſcopo hæc antiphona* Veſpere autem ſabbati. Magnificat. *Poſt* Magnificat *collecta* Spiritum in nobis. *Diaconus* Ite miſſa eſt. *Chorus* Deo gratias.

Poſt prandium pulſantur duo majora ſigna, ut ad eccleſiam redeamus. Dein congregatis omnibus, ſubdiaconus qui hebdomadæ præſentis extitit hebdomadarius in medio chori ſtans, dicat Jube Domne. *Epiſcopus* Noctem quietam, &c. *Chorus* Amen. *Tunc legatur ſermo Hieronymi presbyteri ſuper evangelium miſſæ prateritæ* Quomodo juxta Matthæum &c. *Quære in fine libri dialogorum. Non dicitur* Converte nos, *neque* Deus in adjutorium; *ſed epiſcopus ſi fuerit præſens, incipiat antiphonam* Alleluia *Pſal.* Cum invocarem *cum ceteris pſalmis, & in fine cujuſlibet pſalmi dicitur* Gloria Patri. *Neuma dicitur in fine antiphonæ, non dicitur hymnus, neque preces, ſed immediatè antiphona finita, dicat epiſcopus* Dominus vobiſcum. Oremus. Spiritum nobis. Dominus vobiſcum, Benedicamus Domino. *Poſt hæc faciat epiſcopus benedictionem* Sit nomen Domini benedictum &c. *Chorus* Amen.

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ ARGENTINÆ

Ex mſ. Ordinario ejuſdem eccleſiæ.

AD Primam detur ſignum cum tabula ſicut ceteris diebus quando pulſatur ut convocentur fratres; & omnes induantur lineis veſtibus, & deinceps uſque in craſtinum B. Martini epiſcopi. Poſt Sextam portatur in ambonem ad pulpitum, ubi evangelium ſolet legi, cereus qui hac die benedicendus eſt, factis in eo quinque foraminibus, quibus poſteà diaconus imprimat tot grana thuris. Nona cantata, procedatur à camera per capellam S. Andreæ, tranſeundo uſque ad locum ubi novus ignis eſt benedicendus, id eſt ambitum, ſcilicet tres pueri cappati cum duobus vexillis & una cruce, & cantor canonicus præparatus, & ſacerdos indutus alba, & deſuper cappa, qua etiam utitur uſque poſt benedictionem fontis ad inceptionem miſſæ cum miniſtrorum altaris ordine, & hebdomadario cum incenſo, & duobus pueris cum candelabris ſimiliter cappatis. Primò dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales, deinde ſequitur benedictio novi ignis, quæ ſolet fieri in gramine ambitus, ſi tempus fuerit ſerenum. Interim dum illi ſic tranſeunt per capellam S. Andreæ, tunc alius clerus deſcendat per capellam S. Joannis in ambitum, & ſtet diviſus à dicta capella verſus portam dicendo etiam pſalmos prædictos. Poſt benedictionem ignis accenditur contorta candela, acolytho portante in arundine cappa induto. Imponant duo pueri cappati cum proceſſione cantoris & miniſtrorum altaris iſtos verſiculos Inventor rutili, *Eadem proceſſio circumeat ambitum, incipiendo à capella S. Andreæ, tranſeundo per capellam S. Joannis, aſcendendo chorum. Interim dum illa proceſſio ſic circuit, tunc clerus in ambitu ſtans dividat ſe in duos choros & præcedat chorus præpoſiti aſcendendo chorum, & cantent letaniam quinam* S. Maria, *& præcedens chorus videlicet præpoſiti primò reſpondet* S. Maria, *deinde chorus decani, & ſic quilibet chorus reſpondeat alternatim duabus vicibus. Letania quina eſt iſta.*

LETANIA QUINA.

S. Maria, ora pro nobis.
S. Michaël, ora.
S. Joannes, ora.
S. Petre, ora.
S. Stephane, ora.
S. Clemens, ora.
S. Silveſter, ora.
S. Leo, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Omnes Sancti, orate pro nobis.

Cùm illi ſic cum letania in chorum pervenerint, & eam finierint, tunc veniat proceſſio cantoris, qui ſtabit in ſedem ſuam, & ſacerdos vadat ad altare, & ſtans ibi expectet quouſque cereus benedicatur. Diaconus autem aſcendat ſuper ambonem, præcedente acolytho cum contorta candela, & duobus

duobus pueris cum candelabris , & ſubdiacono cum hebdomadario , & diaconus benedicat cereum, Exultet jam angelica turba, *ſicut in libro habetur.* CAPUT XXIV.

Nota. Poſteà legantur lectiones à Summiſſariis, à majore incipientes , & quilibet lector deſcendat de camera , indutus alba , & deſuper cappa , & infrà legendum deponat capitium ſive pileum , & legatur retrò ſedem cantoris in pulpito magno , qui veſtietur panno ſerico uſque ad finem miſſæ. Poſt lectionem revertatur lector ad cameram exuens ſe , & deſcendat alter lector , conventu inter legendum ſedente , lectiones etiam legantur ſine titulis , & orationes ſine ſalutatione & abſque genuflectione. Lectio prima. In principio creavit Deus. *Ea perlecta , dicit presbyter abſque ſalutatione* Oremus. Deus qui mirabiliter. *Lectio ſecunda.* Factum eſt in vigilia matutina. *Tractus* Cantemus Domino. *Cantor imponat omnes tractus , & regat eos qui alternantur à choro , excepto tractu ad miſſam , videlicet* Laudate Dominum , *quem chorus ſimiliter cantet. Sequitur* Oremus. Deus cujus antiqua miracula. *Lectio tertia* Apprehendent ſeptem mulieres. *Tractus* Vinea facta. Oremus. Deus qui nos ad celebrandam. *Lectio quarta* Hæc eſt hæreditas mea. Oremus. Deus qui eccleſiam tuam. *Tractus* Sicut cervus. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus reſpice

De Sabbato Sancto.

Nota. Finitis lectionibus & orationibus , vadunt ad benedictionem fontis, præcedentibus vexillis , cruce , candelabris , & cereo benedicto , cum letania ſeptena , quam incipiant canonici quos cantor elegerit , vel ipſe cantor cum concinentibus vicariis in pulpito ubi lectiones legebantur , præcedente choro decani , qui etiam primo reſpondeat S. Maria , *& fiat ut ſuprà de letania quina : ita quod quilibet chorus ter repetat quemlibet ſanctum nominatum , & cantor cum his qui letaniam pronunciant vadant medii inter illas duas proceſſiones ab invicem diviſas. Poſt cantorem vadat chorus præpoſiti , poſt quem vadat ſacerdos cum ordine miniſtrorum altaris. Aſcendendo autem vel deſcendendo chorum cantoris eſt eligere presbyterum & diaconum ad pronunciandum letaniam. Letania ſeptena eſt iſta.*

LETANIA SEPTENA.

S. Maria , ora pro nobis	S. Vincenti , ora pro nobis
S. Gabriel , ora pro nobis	S. Gregori , ora pro nobis
S. Joannes , ora pro nobis	S. Martine , ora pro nobis
S. Andrea , ora pro nobis	S. Nicolae , ora pro nobis
S. Jacobe , ora pro nobis	S. Cecilia , ora pro nobis
S. Joannes , ora pro nobis	S. Lucia , ora pro nobis
S. Sixte , ora pro nobis	S. Agatha , ora pro nobis
S. Laurenti , ora pro nobis	Omnes Sancti , orate pro nobis.

Deinde baptiſmus benedicitur. Quo benedicto , redeunt in chorum cum letania trina , præcedente choro præpoſiti , qui etiam primò reſpondeat S. Maria. *Et quilibet chorus ſemel reſpondeat , & finiatur letania iſta in loco ubi ſeptena incipiebatur. Letania trina iſta eſt*

CAPUT XXIV. *De ſabbato ſancto.*

LETANIA TRINA

S. Maria, ora pro nobis
S. Raphael, ora pro nobis
S. Joannes, ora pro
S. Thoma, ora pro
S. Philippe, ora pro
S. Bartholomæe, ora pro
S. Georgi, ora pro
S. Fabiane, ora pro
S. Sebaſtiane, ora pro
S. Arbogaſte, ora pro
S. Florenti, ora pro
S. Auguſtine, ora
S. Margarita, ora pro
S. Juliana, ora pro
S. Thecla, ora pro
Omnes Sancti, orate pro
Propitius eſto. Parce nobis Domine.
Ab inſidiis diaboli, Libera nos Dñe.
Per crucem & paſſionem tuam, Libera
Per mortem & ſepulturam tuam, Libera
Per ſanctam reſurrectionem tuam, Libera
Per glorioſam aſcenſionem tuam, Libera nos
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Lib.
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones, Te rogam.
Ut eccleſiam tuam ſublimare digneris, Te rogamus
Ut domnum apoſtolicum in ſua religione conſervare digneris, Te rogamus
Ut paſtorem noſtrum gregemque illi commiſſum conſervare digneris, Te
Ut regem noſtrum & exercitum chriſtianorum conſervare digneris.
Ut arma cœleſtia nobis contra diabolum dones, Te rogamus
Ut vitam æternam nobis dones, Te rogamus audi nos
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos
Fili Dei, Te rogamus audi nos
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Chriſte audi nos.

Sale intereà praparato à miniſtris eccl:ſiæ ad lavandum manus ſacerdotis, qui aſcendat cameram cum miniſtris altaris, & induantur albis indumentis, caſulis, dalmaticis, & ſubſilibus, & cantor alba cappa, & hebdomadarius ad incenſum, quibus & uſi ſunt à principio offi:ii. Eadem die cantor imponat officium per totum. Miſſam celebret epiſcopus, poſteà ſacerdos & miniſtri procedunt ad altare ad faciendam confeſſionem; qua finita, & pronuntiante choro finem letaniæ Chriſte audi nos, *accipiat diaconus candelam in manibus, & vertens ſe ad chorum dicat* Accendite. *Tunc cantor imponat* Kyrie. *Eodem quoque momento pulſentur omnia ſigna uſque ad ultimum* Kyrie, *& proceſſio ſacerdotis & miniſtrorum ad altare fiat cum confeſſione* Gloria in excelſis. . . . *Ante evangelium non portentur lumina niſi ad gradus, ſed incenſum tantùm. Hoc idem ſolet fieri uſque ad aſcenſionem Domini incluſivè. Evangelium conventui non offertur ad oſculandum,* Credo in unum *non cantatur; ſed evangelio finito dicitur* Dominus vobiſcum.

Oremus. *Offertorium non canitur, & calix collocatur ſicut mos eſt....* Agnus Dei *non dicitur, nec communio. Oſculum autem pacis inter ſe non* CAPUT XXIV. *faciunt ſed miſſa per ordinem celebretur. Poſtquam epiſcopus vel presbyter* *De Sabbato* *communicaverit, imponat cantor ad veſperas, antiphonam* Alleluia, alle- *Sancto.* luia, alleluia. *Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes *ſine* Gloria Patri. *Poſt antiphonam ſtatim imponatur à cantore antiphona* Veſpere autem ſabbati. *Pſal.* Magnificat *ſine* Gloria Patri. *Sequitur complenda* Spiritum nobis Domine. Dominus vobiſcum, *& diaconus dicat* Benedicamus Domino, Deo gratias. *Si autem fuerit extra miſſam ad veſperas prætermittitur complenda, & dicatur iſta oratio;* Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem. *Illo die ad veſperas non pulſentur veſpera, nec novem cerei ardebunt. Sed tantùm quatuordecim cerei fabrica....*

Poſt prandium competenti intervallo pulſetur completorium, & infrà pulſum propinatur omnibus in domo capitulari, ambitu interim ex omni parte clauſo. Poſt potionem vadant ad completorium.... Poſt completorium vadant viſitare ſepulcrum, dicendo pſalmum Miſerere *cum verſu* In pace factus eſt locus ejus *ſicut heſterna die.*

RITUS ECCLESIÆ TOLETANÆ

Ex miſſali Mozarabum

IN VIGILIA GLORIOSÆ DOMINICÆ RESURRECTIONIS

SAbbato hora diei nona, ſignum ſonat, & congregatis omnibus, induunt ſemetipſos diaconus vel clerici albis cum aneboladiis & ingrediuntur proceſſum, atque à primicerio accipiunt diacones in ordinem ſuum lectiones, quæ in tribunal ab ipſis legendæ ſunt. Dum verò ſecundum & tertium quoque ſonaverit ſignum, & juxta conſuetudinem poſita ſede pontifici in proceſſu, atque eo ſedente, accedunt abbates, presbyteres, diacones, clerus omniſque populus per grados ſuos ad epiſcopum, & accipiunt ab eo ceram. Diacones verò locale accipiunt ab eo, & duodecim cereos, & ſtantibus in locis ſuis ingreditur epiſcopus cum diaconibus tantum in ſacrarium, & clauſis oſtiis vel feneſtris ac velis, ut nec modicum quidem lumen à foris videatur. Offertur verò epiſcopo petra & eſca & excuſſorium ignis. Et cum mox ipſe manu ſua ignem excuſſerit, accenditur ſtuppa, & inde candela, & ex ea iterum lucerna, tenente eam diacono, qui poſt eam in choro benedicturus eſt, & nullo ſuo cereo concedente. Sed præcedentes diaconi lucernam, & epiſcopus ſequens eam ingreditur proceſſum. Et mox poſita pontificis ſella, priùs accendet cereum ſuum, ac deindè accedit omnis clerus ad lucernam, & accendunt cerea ſua. Poſt hæc accedens diaconus cum lucerna ad epiſcopum; det ei benedictionem epiſcopus quam voluerit. Ille verò oſculetur epiſcopo manum.

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Oratio ad benedicendam lucernam.

Exaudi nos, lumen indeficiens, Domine Deus noſter, unici luminis lumen, fons luminis, lumen auctor luminum; qui creaſti & illuminaſti lumen angelorum tuorum, Sedium, Dominationum, Principatuum, Poteſtatuum & omnium intelligibilium, qui creaſti lumen ſanctorum tuorum. Sint lucernæ tuæ animæ noſtræ. Accendantur à te, & inluminentur abs te, luceant veritate, ardeant veritate, luceant & non obtenebreſcant, ardeant & non cineteſcant. Benedic hoc lumen, o lumen, qui & hoc quod portamus in manibus tu creaſti, tu donaſti, ac ſicut per hæc lumina quæ accendimus, de hoc loco expellimus noctem, ſic & tu expelle tenebras de cordibus noſtris. Simus domus tua, lucens de te, lucens in te, ſine defectu luceamus, & te ſemper colamus, in te accendamur & non extinguamur. ℟. amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI ſanctificatum permanet cum pace. ℟. Deo gratias. *tribus vicibus*

Deinde benedicat quinque grana thuris inſigenda in cereo benedicendo incipiens abſolutè.

Veniat, quæſumus omnipotens Deus, ſuper hoc incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis regenerator aſcende, ut non ſolùm ſacrificium, quod in nocte hac litatum eſt, arcana luminis tui admixtione refulgeat, ſed in quocumque loco hujus ſanctificationis myſterio fuerit deportatum, expulſa diabolicæ fraudis nequitia virtus tuæ majeſtatis aſſiſtat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Benedictio Dei Pa † tris, omnipotentis, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti, deſcendat & maneat ſuper hoc lumen & incenſum iſtud. ℟. Amen.

Et cum tota cera accenſa fuerit, precedunt clerici & levitæ lucernam, & lucerna epiſcopum atque presbyteri, & vadunt per bubata ad chorum, dumque aſcenderint juxta tribunal, ab epiſcopo imponitur antiphona. Lumen verum inluminans omnem hominem in hunc mundum venientem. ℣. Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. P. inluminans. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen. P. Lumen verum.

Cumque venerit epiſcopus cum presbyteris & diaconibus & clero pſallendo ad altare, ponitur lucerna à diacono in ſtillo, dicanturque à clero hi verſus Populus qui ſedebat, *ſtantes in locum ubi ſolent ſacrificium canere, cui ſuſcipitur à clero, qui in choro ſiniſtro juxta veſtibulum adſtant* Lumen verum. *Qua expleta, caput ſupradictæ antiphonæ replicatur* Lumen verum. *Et ſtatim egrediuntur clerici, & pſallendo veniunt ad chorum. Dum hac antiphona ſecundo fuerit replicata, accedet epiſcopus vel ſacerdos ad altare, & dicat ſequentem orationem.*

Ad cereum benedicendum oratio

Offerimus tibi, Domine, cerei hujus rutilantis ſpeciem divino igne ſuccenſam, per quem multimoda materia nutu tuo produci juſſiſti, atque his eum indignis manibus noſtris oblatum incendimus, precantes bonitatem tuam, ut emiſſione Spiritus ſancti, qui quondam in ſimilitudinem ignis diviſionemque linguarum apoſtolorum tuorum corda perſpicuus fulgenſque apparuit, eum bene † dicere & ſancti † ficare digneris. Et ſicut hic cereus exuberans larga viſione noctis hujus jugulat cœcitatem, & devotiſſimæ plebis tuæ reſplendet obtutibus: Ita & nos Domini noſtri JESU-CHRISTI Filii tui ſplendore repleti internis mentibus fulgeamus, & peccatorum cœcitate deterſa, lux in nobis ſempiternæ fidei perſeveret. ℞. Amen.

Oratio ad benedicendos diacones.

Prima tibi & principalia Deus Pater omnipotens hæc luminum munera in exordio venerandæ hujus noctis offerimus, & ob honorem Dominicæ reſurrectionis lucernam & cereum claritatis aptavimus, quam Unigenitus Filius tuus Dominus noſter JESUS-CHRISTUS adventus ſui faciat myſteriis inluminatam. Per quem te, Domine, ſupplices exoramus, ut hoc ſanctum luminis munus libens accipias, pervigilem in nos devotionem flagrantia ſpiritali ſuccendas. Simulque, omnipotens Deus, commendamus pio devotionis affectu ſanctos fratres noſtros & condiacones N. & N. tuæ majeſtatis laudes inenarrabiles narrare cupientibus, ut in eis ſcientiæ ac ſapientiæ de tuis theſauris accommodes plenitudinem, ut quicquid ita mente concæperunt, aut ſenſu excogitaverunt, vel certè meditationibus crebris memoriter tenuerunt, oblivionis caligine depulſa, titubationiſque formidine calcata, dicant voce canora & oratione depromant luculentiſſima. Nihil, quæſumus, in eis humanitatis operetur fragilitas, ſed totum eis ſubminiſtret tuæ clementiæ largitas. Dona eis poſt pallores gennum, rubicundam ſinceritatem, linguæ volubilitatem, lacertorum firmiſſimam ſoliditatem, & in omnibus tuorum beneficiorum adjutorium ſentientes, benedictionem lucernæ cereique immurmurent, & depromant maximam laudem. ℞. amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus & vivis &c. *Dicat presbyter* Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℞. Et cum Spiritu tuo. In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI votum veſtrum ſit acceptum cum pace. ℞. Deo gratias.

Poſt hac vadit epiſcopus poſt altare, & ſedit in ſellam: presbyteri verò juxta eum ſtantes, ac deinde diacones ante veſtibulum juxta cancellos adſtant in ordinem ſuum. Silentium admonent ſepties. Poſt hac accedent diacones, & benedicent lucernam hac benedictione.

Digitized by Google

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Benedictio lucernæ

Dignum & juſtum eſt, vere dignum & ſanctum eſt, nos tibi ſemper gratias agere, laudeſque referre, Domine ſancte, Pater omnipotens, & Chriſte Deus, quo mihi tribuas, ut in tuis laudibus ſemper reſonent fauces meæ, qui erigis à terra inopem, & ab ſtercore exaltas pauperem. Da directum & beneſonantem in ore meo miniſtrari ſermonem. Omnipotentem Deum, ſubſtantiæ vitalis exordium, creaturæ univerſalis auctorem Deum, ſalutarem opificem, vocalis eccleſiæ perſonet canora laudatio: ut ipſi rependat lingua myſterium, de cujus imperio ſumpſit officium. Dignum eſt ut ſponſi coruſcantis adventum accenſis præſtoletur fidelis turba luminibus, ne nuptialis habitaculi reſpuat habere conſortes. Quis ſub veterum umbraculo peccatorum invenerit dormientes? quid dignius? quidve ſublimius quam ut tibi vigilet in ſpe æternitatis reſuſcitata mortalitas? Cui totum ex origine, totum debet ex munere, vel quod formatur ex nihilo, vel quod reparatur ex perdito. Tu vas quod pronum culpa dederat in ruinam, figuli miſerantis affectu de favillis cineribuſque collectum ſpiritu vivificante ſalvaſti, ut faceres ex adoptione liberos, quos retineri videras ex prævaricatione captivos. Tu novellæ vitis germina fœcunda plantaſti, ut antiquorum tabeſceret ſuavitas amara pomorum: nunc de cibo ſumitur, vita non labitur, ſolvit gratia quos vinxit inlecebra. De arbore creata nox criminis, ſed de ligno genita lux ſalutis. Vetuiſti opera manuum tuarum, clemens operator, interfici perpetuæ mortis excidio. Paradiſi januam, quam piaculum letale damnaverat dextra myſterii cæleſtis aperuit. Id perfectæ judicans eſſe pietatis, ut quibus ad vitam fueras largitus introitum tribuere & regreſſum: mortificantur ex lapſu qui vivificantur ex pretio, redempti clementius quam creaſti, namque ibi Deus operatus eſt ut prodeſſet: induit carnem, ſed non exuit majeſtatem; noſtram ſubſtantiam expetens: ſed propriam non derelinquens. Cum corpore editus, ſed intemerato pudore conceptus: temporalis ex virgine, ſed coæternus ex patre: humilians divina, ut poſſit elevare terreſtria: cui tanti fuit ſalvatio, ut ne nos perderemus cælum, ille pateretur infernum. Suſcepit mors quem tenere non potuit, amplificata ſucceſſu, ſed evacuata ſpolio. Exultavit in raptu, ſed occidit in trophæo: in ſe refuſa defecit extremitas poſtquam vitæ appetere tentavit auctorem, & dum ambit illicita, perdidit acquiſita. Adeſt nox lumine donata perpetuo, dominicis ſanctificata victoriis, quæ recidivum mundi ſortita natalem, debellata funeris regione, triumphos Chriſti reſurgentis excepit, quæ tranſgreſſionis maculas fluenta lavacri ſalutaris abſterſit, quæ veternoſa criminis indumenta tactu liquidi reſolvit elementi, in qua mercedem ſanguinis præſentat unda baptiſmatis, & dum vetus culpa decidit, novus homo conſurgit.

Digitized by Google

CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

Oratio ante altare dicitur

Deus qui filios Iſraël educis ex ægypto, palpabiles ægypti tenebras relinquendo. Deus qui duce luminis gratia pondus horrendæ noctis exterminas. Deus qui præcedente angelo tuo in columna nubis in diem, eoque in columna ignis in noctem poſteriora ſervantem curam noſtræ ſalutis exequeris; teque nobis in eo præſtas, in quo lucere nos lumine ſcientiæ tuæ jubes. Fac nos divinitatis tuæ fieri conſortes, & larga tua pietate ex inviſibilibus bonis viſibilia bona concede, quæ nos & offerri doceant, & tuam in omnibus compleri faciant voluntatem. ℞. Amen.

Hæc quinque grana incenſi à diacono infiguntur cereo in modum crucis. Poſt hanc explicitam, accedet diaconus ipſe, & de ipſa lucerna accendit cereum. Poſt hæc à diaconibus tribus vicibus ſilentium datur. Deinde accedent diaconi ad cereum, qui ad dextrum cornu altaris adſtat. Benedicent eum benedictione hac. Sicque alii duo cerei cum eo accenduntur, unus juxta cornu altaris à parte ſiniſtra, & alius poſt altare adſtantes.

Benedictio cerei.

Æquum & juſtum eſt, vere, Domine, ſatis dignum & pulcrum eſt; in quantum nos munere tuo inluſtras tibi ſemper gratias agere, apud quem eſt fons vitæ, in cujus lumine videbimus lumen, prævia tot tantiſque virtutibus circa tuæ majeſtatis reſplendens altaria ſerenat lux cerei, præmittunt judicia ignea miracula ſecura lympharum. Nunciatur ex lumine quod naſcatur ex fonte. Pateſcunt actu quæ fuerant figurata myſterio. Inſtar columnæ veteris fomes iſte perfulget: aquis populum docet eſſe ſalvandum, per quas & liberatio tribuitur ad ſalutem, & regeneratio donetur ad requiem. Accendant, Domine, in conſpectu gloriæ tuæ obſecratio devota famulorum. Viſitentur benedictionis dono, qui ſacro dedicantur obſequio. Non hic thureis adoletur flamma virgultis, nec in Sabeïcis proſcindentur ligna, nemoribuſque ſuavitatem cinnami rorantes exhalant, ſed cera famulatur ex lumine, quæ non polluitur ex parente, cujus natura de flore, cujus ortus ex virgine. Cui illa dat genitrix nativitatis originem, quæ corruptionis neſcit errorem. Papyrus cum etiam niveo adoperta ſubtegmine flammarum exequitur incremento. Neque hoc ſine cæleſtis agitur operatione virtutis, quod favet ignibus res nutrita gurgitibus. Agnoſcunt cuncta te Dominum, tibique ſe ſciunt deberi quod nata ſunt. Dediſti, pie opifex, creaturæ ſenſum, quæ ſuum poſſit intelligere & honorare factorem. Intende propitius, Domine, ad hujus cerei devotiſſimam ſervitutem, ut qui flammam gignire cernitur, uſuale tuæ benedictionis ſerenatus ex lumine cunctis ſit expedibilis ad ſalutem. Reſolvit gravium fomenta languorum, aſperitates caſuum remedii tranquillitate confringat. Omnia

CAPUT XXIV *De Sabbato Sancto.*

votis largiantur humanis, qui de tuis benedictionibus ſumpſere officium. Tribue etiam, Domine ſancte, Pater omnipotens Deus, ut dies hujus ſolemnia ſacræ paſchatis, in qua Redemptoris noſtri gloria prædicatur & gratia cum antiſtite noſtro N. cum glorioſis principibus, cum presbyteris & diaconibus, clero atque omni fideli populo ſub multorum celebrare curricula annorum. ℟. Amen. Præſta per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Filium tuum, cum quo tibi eſt una & coæqualis eſſentia in unitate Sancti Spiritus in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Amen, Amen, Amen ad te aſcendat ℟. Amen. Pax in cœlo. ℟. Amen. Pax in terra. ℟. Amen. Pax & plenitudo tua, Domine, ſuper nos deſcendat. ℟. Amen. Pax regibus & poteſtatibus fidelibus ſæculi hujus. ℟. Amen. Pax eccleſiæ tuæ catholicæ, quæ eſt in hunc locum conſtituta & per univerſum orbem in pace diffuſa. ℟. Amen.

Deinde dicat epiſcopus orationem ante altare

Oratio

Expectati temporis, dilectiſſimi fratres, feſta ſolemnitas & annum per ſæcula ſacræ reſurrectionis arcanum votivæ noctis advenit. Hoc illud eſt quod in perennem memoriam conſecratum credentibus populis altiſſima de cœlis gratia ſpiritualis attribuitur. Hilares vigilias glorioſis laudibus perferamus, diemque vincentes qua funalibus crebris eccleſia ſancta reſplendens coruſcat in lumine, præconia Dominicæ paſſionis indefeſſis precibus celebremus. Intendentes auditu lectionibus ſanctis, ac ſedulis obſecrationibus patientiam non negantes, ut ille regalis ſolii habitator altiſſimus à ſede arcis etheriæ populo ſuo, qui ſolemnia redditurus ad hæc feſta convenit per ſpiritum ſuum ſanctum clementer in lapſum placabilis ac propitiatus adſpiret. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui vivis & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde legatur prophetia. Lectio libri Geneſis. Deo gratias. In principio creavit Deus *&c. uſque* quia ceſſaverat ab omni opere ſuo quod creavit Deus ut faceret. ℟. Amen.

Dicat diaconus Pro ſolemnitate paſchali flectamus genua. Levate.

Oratio

Pro ſolemnitate Paſchali flexis genibus, te Pater omnipotens, obſecramus, ut mors unigeniti tui Domini noſtri, qui vitam omni contulit mundo, toti gratiam conferat populo chriſtiano. Reſurrectio quoque ejus nos ad cæleſtia ſublevet, & à corruptione vitæ hujus ereptos immortalitati æternæ conſociet. ℟. amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Geneſis. ℟. Deo gratias.

In

In diebus illis Noë cum quingentorum eſſet annorum *&c. uſque* Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis. ℟. Amen.

Dicat diaconus Pro his qui variis neceſſitatibus detenti Paſchæ intereſſe non poſſunt, flectamus genua. Levate

Oratio

Deprecamur te, Pater æterne, omnipotens Deus, pro his qui diverſis neceſſitatibus detenti ſolemnitati Paſchali intereſſe non meruerunt; ut quia gaudio præſentium ſunt exſortes, mereantur ſanctorum meritis adeſſe participes, ut ſicut Paſſio Unigeniti Filii tui Domini noſtri pro multorum ſalute occurrit: ita & hæc celebritas annuæ feſtivitatis & præſentibus tribuat gloriam, & abſentibus conferat veniam. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Geneſis. ℟. Deo gratias

In diebus illis locutus eſt Dominus ad Abraham dicens Abraham Abraham. *&c. uſque* Et habitavit ibi. ℟. Amen.

Pro ſacerdotibus ac miniſtris flectamus genua levate

Oratio

Sacerdotes tuos, Domine, indue juſtitiam, & miniſtri tui lætentur; Illos doctrinis & vitæ exemplis munifica, hos ſanctitatis cultu officiique locupleta, ut dum utrique à te augmenta virtutum perceperunt, ſine offenſione tuis altaribus famulentur. ℟. *Chorus*, Amen. *Dicat presbyter* Per miſericordiam tuam, Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi. ℟. Deo gratias.

In illis diebus locutus eſt Dominus ad Moïſem & Aaron in terra Ægypti dicens: menſis iſte vobis principium menſium *&c. uſque*. Et comedetis feſtinanter Paſcha enim Domini eſt. ℟. Amen.

Poſteà dicat diaconus Pro unitate fidei catholicæ flectamus genua. Levate.

Oratio

Eccleſia tua, Chriſte, quæ dilatata per univerſam terram diffuſa eſt, omnis tua gratia in unitatis gremio colligat, & quamvis ſemetipſam in gentium varietate diffundat: fidei tamen diviſionem non ſentiat. Diſſolve hæreſis ſchiſmata, quæ ſubvertere cupiunt fidem, quæ nituntur corrumpere veritatem: ut ſicut tu in cœlis atque in terra unus atque idem dignoſceris Dominus: ita tibi in unitate fidei ſerviat cunctorum gentium populus. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi. ℟. Deo gratias.

Quinta progenie aſcenderunt filii Iſraël de terra Ægypti *&c. uſque*

Tunc cantavit Moïſes canticum hoc Deo & dixit. *Tractus.* Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus eſt. ℣. Equum & aſcenſorem projecit in mare. ℟. Glorioſe ℣. adjutor & protector mihi fuit Dominus in ſalutem. ℟. Glorioſe. ℣. Hic Deus meus & honorificabo eum, Deus Patris mei, & exultabo eum. ℟. Glorioſe enim honorificatus eſt.

Proſequatur prophetia ab acolytho

Sumſit Maria ſoror Aaron prophetiſſa tympanum in manu ſua, & exierunt cum ea univerſæ mulieres cum tympanis & choris: præibat autem eas Maria dicens:

Canticum

Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus eſt.

Diaconus dicat Flectamus genua. Levate.

Oratio

Pro virginibus flectentes genua, te Pater omnipotens Deus, poſtulamus, ut hanc illuſtrem portionem Chriſti tui, in qua maxime gaudet catholica eccleſia, ampliori fœcunditate enutrias, ut quanto plus numeroſior & incorruptorum numerus extat, tantum gaudium matris eccleſiæ augeat. ℟. Amen.

Lectio libri Eſaiæ prophetæ. ℟. Deo gratias.

Verbum Domini quod vidit Eſaias filius Amos propheta ſuper Judam & Jeruſalem *&c. uſque ad* Tunc cantavit Eſaias propheta canticum hoc Deo & dixit. ℟. Amen.

Canticum

Cantabo nunc dilecto meo canticum dilectæ vineæ meæ: vinea facta eſt dilecto in cornu & in loco uberi. ℣. & maceria circumdedi, & circumfodi, & plantavi vineam Soreth, & ædificavi turrim in medio ejus. ℣. Et torcular fodi in ea, & ſuſtinui ut faceret uvas, fecit autem ſpinas. ℣. & nunc homo Judæ, & qui habitatis Jeruſalem, judicate inter me & vineam meam. ℣. Vinea enim Domini Sabaoth domus eſt Iſraël, & domus Juda novellum dilectum. ℣. Suſtinui ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, & non juſtitiam, ſed clamorem.

Dicat diaconus Pro his qui eleemoſynas faciunt flectamus genua. Levate.

Oratio

Deprecamur te, Domine, pro his qui miſericordiæ fructibus egentium ſubſidia conferunt, ut mereantur ex hac terrena diſpenſatione cæleſtem percipere remunerationem, & quicquid in uſibus indigentium conferunt proficiat illis ad fructum cæleſtium præmiorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

Lectio libri Ezechielis prophetæ. ℟. Deo gratias.

Facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Dominus &c. uſque requieſcere vos faciam ſuper humum veſtrum. ℟. Amen.

Dicat diaconus Pro peregrinantibus & navigantibus flectamus genua. Levate.

Oratio

Concede, Pater omnipotens, cunctos paregrinantes patriæ fieri reduces, & quoſcumque turbulenti maris prævenit fluctus, ad tranquillitatis revoca portum. Mereantur in hac ſolemnitate utrique & terræ exilium, & maris evadere exitium, ut commune hujus lætitiæ votum cunctis generale ſit gaudium. ℟. Amen.

Lectio libri Abacuc prophetæ. ℟. Deo gratias.

Viſio quam vidit Abacuc propheta &c. uſque Tunc cantavit Abacuc canticum hoc Deo & dixit

Canticum

Domine audivi auditum tuum & timui, conſideravi opera tua & expavi. ℣. In medio duorum animalium cognoſceris, dum appropinquaverint anni innoteſceris. ℣. Deus à libano veniet, & ſanctus à monte opaco & condenſo. ℣. Operuit cælos virtus ejus, & laudis ejus plena eſt terra.

Dicat diaconus Pro ægroto flectamus genua. Levate. Miſerere Domine his quos corporalis ægritudinis valitudo involvit. Sana cunctos in nobis mentis corporiſque languores, atque omnibus indulgens ſolitam impertire medelam: ut tibi cuncti in ſalute miniſterium expleant fidei, tibique referant laudes, qui ſolus & peccata cordis emundas, & languorem corporum ſanas. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam, Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Jonæ prophetæ. ℟. Deo gratias.

Factum eſt verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens ſurge & vade contra Niniveın &c. uſque Quia magnum eſt nomen meum. ℟. Amen.

Dicat diaconus Pro pœnitentibus flectamus genua. Levate.

Oratio

Cunctorum pœnitentium, Pater omnipotens, ſuſcipe fletus, & quos hactenùs diabolus variis vitiorum ſordibus inquinavit, reſpectu pietatis tuæ purifica. Tribue cunctis præterita peccata deflere, & futura non admittere ab illis miſericordia tua præveniente mundentur, ab iſtis tua cuſtodiente gratia liberentur. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam, Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

Lectio Danielis prophetæ. ℟. Deo gratias.

In illis diebus Nabucodonoſor rex fecit ſtatuam auream *&c. uſque* glorificabant & benedicebant Dominum in fornace dicentes :

Benedictio

Benedictus es, Domine Deus patrum noſtrorum & laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula. ℟. Amen. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum, hymnum dicite & ſuperexaltate eum in ſæcula. Amen. ℣. Benedicite, ſacerdotes Domini Dominum, hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſæcula. ℣. Benedicite ſancti & humiles corde Dominum, hymnum dicite, P̄ Et. ℣. Benedicite Anania, Azaria, & Miſael Dominum. P̄. Hymnum.

Proſequatur prophetia

Tunc Nabucodonoſor rex obſtupuit *&c. uſque* Et poteſtas ejus in generatione & generationem. ℟. Amen.

Diaconus dicat Pro pace populi & regum flectamus genua. Levate.

Oratio

Pro regibus ſæculi hujus atque principibus tibi, Pater, flectentes genua obſecramus, ut tribuas illis moderamen juſtitiæ, amorem pacis, virtutem pietatis, ſtudium bene regendæ plebis, ut in correptione & rectitudine eorum pax ſimul & requies fidelium proveniat populorum. ℟. Amen.

Pſallendo

Sicut cervus ſitiens deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. P̄. Ita deſiderat.

Et prophetiis, & orationibus, cum tractibus dictis, ordinata proceſſione in choro, duo cantores induti cappis albis, ſceptros in manibus tenentes, incipiant litaniam in medio cruciarii eccleſiæ dicendo : Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos. Chriſte defende nos, Chriſte parce peccatis noſtris. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis. Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis. Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis. Sancte ſanctorum Deus, miſerere nobis. Sancta Maria, ora pro nobis. Sancta Dei genitrix, ora pro nobis. Sancta virgo virginum, ora pro nobis.

Hic exeat ſubdiaconus cum cruce hoc ordine : ceroferarii cum cereis pergant coram cruce, & cereus Paſchalis coram cereis, & ſerpens coram cereo, & ſic procedant ad fontem ordinatim : & ſic ſtent proceſſionaliter, &

cantent letaniam uſque ad propitius eſto. Sancte Michaël ora pro nobis &c. Omnes ſancti & ſanctæ Dei orate pro nobis.

Hic ſileant omnes, & ſacerdos accedat ad fontem, & incipiat benedictionem hoc ordine. Inſufflat in aqua tribus vicibus, & dicat hunc exorciſmum.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum Patrem omnipotentem, rerumque omnium conditorem, qui te pro generatione humani generis, & per officium noſtræ humilitatis conſecrare præcepiſti, & per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum Dei & hominis filium, qui ſuper te pedibus ambulavit, & ſe pro noſtra ſalute in te à Joanne baptizari oſtendit, & Spiritum Sanctum qui ſuper eum in ſpecie columbæ in Jordane apparuit, ut excluſo à te omni malo ſpiritus nequitiæ, hi qui in te vel ex te perfuſi à nobis, & in nomine trinæ majeſtatis baptizati fuerint, percepta divina gratia, in numero fidelium mereantur adſcribi. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam, Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Humiliate vos benedictioni. Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio

Deus qui ſolus habes immortalitatem, eamque ne ſolus poſſideres, nobis quoque renovata, per Jeſum nativitate tribuiſti, cum humano generi poſt admiſſam tranſgreſſionem, priſtinæ originis dignitatem reformare in meliùs per baptiſmatis tinctionem voluiſti: adſiſte, quæſumus, ad invocationem nominis tui. ℟. Amen. Sancti † fica fontem hunc, Sancti † ficator generis humani. ℟. Amen. Fiat locus iſte dignus, in quem Spiritus Sanctus influat. ℟. Amen. Sepeliatur hic ille Adam vetus, reſurgat novus. ℟. Amen. Moriatur hic omne quod carnis eſt, reſurgat omne quod eſt ſpiritus. ℟. Amen. Exuatur ſordidiſſimis vitiis & diſciſis criminibus, amictus, ut ſplendoris & immortalitatis tuæ indumenta ſumantur. ℟. Amen. Quicumque in Chriſto baptizantur, induant Chriſtum. ℟. Amen. Quicumque hic renunciant diabolo, da eis triumphare de mundo. ℟. Amen. Quicumque in hoc loco confeſſus fuerit, tu eum recognoſcas in regno. ℟. Amen. Sic in hunc fontem extinguantur crimina ne reſurgant. ℟. Amen. Sic invaleſcant aquæ iſtius beneficia, ut æterni ignis extinguant incendia. ℟. Amen. Mittant fontes altaribus tuis, quos altaria regnis tuis emittant. ℟. Amen. Totus hic horror mortis intercidat. ℟. Amen. Quicumque hic ſe ſibi negaverit, te lucrifaciat ℟. Amen. Quicumque hic tuus eſſe cæperit, tuus eſſe non deſinat. ℟. Amen. Ut per miniſterium noſtrum tibi conſecratus, æternis ad te virtutibus, æternis præmiis conſecretur. ℟. Amen. Per miſericordiam ipſius Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui eſt benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum ℟. Amen.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Oratio

Te deprecamur, Domine ſancte, Pater æterne, omnipotens Deus, qui intonas ſuper aquas, ut exultent deſerta Jordanis, & vox tua præparat cedros, ut hanc aquam benedicas ad gratiam, & perfuſi famuli tui nova reſtituantur infantia, ut remiſſis ſordibus delictorum, participes fiant vitæ æternæ & regni cœlorum. ℟. Amen.

Antequam chriſma & oleum ponantur in fonte, omnes qui cauſa devotionis voluerint accipere aquam benedictam de fonte ad aſpergendum in domibus ſuis ſumant ſecundum decretum Alexandri Papæ. Deinde effundat chriſma & oleum ſuper vaſculum in modum crucis, & dicat : Signo te, ſacratiſſime fons, unctione ſacra chriſmatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, regnantis Dei in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oratio

Abjecti & humiles licet vitiorum tabe ſordentes, te Pater Domine gloriæ, te Deum omnipotentem deprecamur, pro tua miſeratione adeſto benignus. Tu libens adſpirator, ut has ſimplices aquas ſanctificatione bene † dicas, & ex tuis ſedibus angelum tuum dirigas, qui eas ſancti † ficet : ut qui in tuo & in Jesu-Christo Filio tuo & Spiritu Sancto in Trinitatis nomine, in hæc fluenta deſcenderint, in quo ſanctificato oleo chriſmæ mixto & aquæ benedictione perpetuitatis confirmati, à cunctis mundi vitiis repurgentur, & in hoc lavacro ſancto remiſſionem peccatorum ſuſcipiant, & ſalutem conſequantur æternam. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum ℟. Amen.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper iſtum fontem.

Et peracta benedictione fontis, baptizentur infantes ſi ibi ſint, quo facto, ſupradicti duo cantores incipient, & cantent tractum, Cantemus Domino glorioſe. *Tunc chorus redeat cum proceſſione, ut fuerat, & ſacerdos cum cruce & miniſtris accedant ad altare majus, & proceſſio in ſuo ordine vadat ad chorum cantando tractum* Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare. ℣. Adjutor & protector factus es mihi in ſalutem. ℣. Hic Deus meus, & honorificabo eum, Deus Patris mei & exaltabo eum. *Et cum perventum fuerit ad chorum, ſupradicti cantores incipiunt, ut ſequitur* Propitius eſto, parce eis Domine &c.

Et interim quod letania perficitur, ſacerdos cum miniſtris, cruce, & cereis, & cereo paſchali, & ſerpente, eo ordine quo prius aſcenderunt, ſic deſcendent ad ſacrarium. Et deponat ſacerdos cum miniſtris ornamenta

Digitized by Google

quadrageſimalia, & accipiant ornamenta alba, & veniant ad altare iſto ordine. In primis præcedant duo ceroferarii cum cereis accenſis, ſcilicet cereo Paſchali & tribus lucernis, quæ ſunt in ſerpenta. Et cum pervenerint ad altare majus, ſacerdos faciat confeſſionem, ut moris eſt, & facta confeſſione, ſacerdos ſolemniter dicat hymnum Gloria in excelſis Deo, *& ſtatim pulſentur omnes campanæ, tam majores quam minores, & diſcooperiantur altaria frontalibus nigris, & rotabula aurea, & omnia appareant ſolemniter, & finito hymno angelorum, diaconus dicat:* Pro competentibus flectamus genua. Levate. *Et ſacerdos dicat orationem.*

CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

Concede, Domine, omnes qui nunc fide meruerunt cognoſcere veritatem, ſalutaris lavacri percipere innovationem; ſicque eos à cunctis peccatorum ſordibus baptiſmi unda purificet, & ultra eos pravi operis inquinamenta non maculent. ℟. Amen. Per miſericordiam tuam Deus noſter &c.

Diaconus dicat, Silentium facite. Sequentia epiſtolæ Pauli apoſtoli ad Romanos. ℟. Deo gratias.

Fratres quid ergo dicebimus? permanebimus in peccato *&c. uſque* Viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. ℟. Amen. *Lauda* Dicant qui redempti ſunt &c. Lectio S. Evangelii ſecundùm Matthæum. Veſpere autem ſabbati quæ luceſſit in prima ſabbati *&c. uſque* ad conſummationem ſæculi.

[*Lauda, ſacrificium, & cetera ut in aliis miſſis*]

Ad confractionem panis antiphona

Hic eſt panis verus qui de cœlo deſcendit, & vitam tribuit mundo, qui manducaverit ex eo permanet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: qui credit in me non eſuriet, neque ſitiet umquam. Ecce diſponam vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno. Alleluia.

[*Poſt orationem Dominicam*]

Hic presbyter accipiat particulam, quæ dicitur Regnum; *& ponat eam reverenter ſuper calicem, & dicat alta voce.* Vicit Leo de tribu Juda, radix David, alleluia. *Dicatur tribus vicibus, & chorus reſpondeat qualibet vice* Qui ſedes ſuper Cherubim, radix David. Alleluia. *Deinde mittat presbyter particulam in calicem & dicat:* Humiliate vos benedictioni &c.

Ad accedentes

Gaudete populi & lætamini, angelus ſedit ſuper lapidem Domini, ipſe vobis evangelizavit. Chriſtus ſurrexit à mortuis Salvator mundi, & replevit omnia ſuavitate: gaudete populi & lætamini. ℣. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix, & dixit. P. Chriſtus ſurrexit à mortuis. ℣. Et exierunt mulieres citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis ejus quia ſurrexit. P. Chriſtus. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen. P Gaudete populi & lætamini.

CAPUT XXIV. De Sabbato Sancto.

Expleta miſſa, poſt hæc ad veſperas dicuntur hæ laudes Dicant qui redempti ſunt à Domino in æternum, quos redemit de manu inimici in æternum & in ſæculum ſæculi. ℣. Populus qui ſedebat in tenebris & umbra mortis vinctos in mendicitate & ferro. ℟. Quos redemit. ℣. Quia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit. ℟. Quos redemit.

Dicat presbyter Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu *Lauda* Alleluia. Ego ſum primus & ego noviſſimus, & fui mortuus, ℟ Et ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum. Alleluia. ℣. Dignus es, Domine, Deus noſter accipere librum & ſolvere ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua. ℟. Et ecce ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟ Et ecce.

Iterum dicat Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo *Lauda* Alleluia. Angelus Domini deſcendit de cœlo. ℟. Et accedens revolvit lapidem de oſtio monumenti. Alleluia, alleluia. *Lauda* 2. Erat aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus candida quaſi nix, & dixit mulieribus: nolite timere. ℟. Et accedens. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟. Et accedens.

Capitula

Excellentiſſimam in hac nocte tuæ reſurrectionis celebrantes ſolemnitatem, in qua ipſe nobis dies novo de tumulo ſurgens, veternoſam antiquæ noctis caliginem cæleſtem convertiſti in claritatem. Te quibus poſſumus lacrymoſis rugitibus imploramus; ut qui nos redemiſti pretio tui ſanguinis, inſtituta à te præcepta acceptes noſtræ orationis. Sit indulgentia criminum: concedatur etiam & cæleſtis gloriæ ſumma virtutum: memento, Domine, quod terra ſumus, & accipe contritionem noſtri Spiritus, ut qui carnis infirmitate ad terram proſternimur, ad cœlos caſtigatione ſpeciali jejuniis ſublevemur. Et quia ex noſtro eſt ut cadamus, ex tuo ſit ut ſurgamus; quia te jubente dicimus: Pater noſter, qui es in cœlis.

Benedictio

Chriſtus Dominus qui aſcendit patibulum crucis ſua vos redemptione & paſſione conſervet à malis. ℟. Amen. Detque vobis ſuæ dulcedinis ſapientia renovari, qui ſe amato permiſit fellis poculo propinari. ℟. Amen. Ut cujus laudes eccleſia cuncta celebravit orando, ejus conſervari mereatur magno crucis vexillo. ℟. Amen. Per miſericordiam ipſius Domini noſtri, qui eſt benedictus, & vivit, & omnia regit in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Lauda Alleluia. Locutus eſt angelus Domini mulieribus dicens. ℟. Scio quia crucifixum quæritis, ſurrexit, ſicut dixit, venite & videte, ubi poſitus erat Dominus. ℣. Cantate Domino canticum novum quia mirabilia

mirabilia fecit. ℣ Scio quia ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen. ℣. Scio quia

Oratio

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS Filius tuus, qui ſolus verbo virtutis cuncta moderans, & omnia crucis ſtigmata portans, vectes ferreos comminuit, portarumque æ͏rearum clauſtra perfregit, tartari profunda deſcendit, ſedentibus in umbra mortis ignotæ lucis claritate reſplenduit, & ſol juſtitiæ de tumulo corpore ſuſcitato procedens, radiis ſuis tenebras noſtras mirabiliter inluſtravit. ℟. Amen Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dominus ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Solemnia completa ſunt, in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI votum noſtrum ſit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

Benedictio agni in Illaria Paſcha

Domine JESU-CHRISTE, qui per Moyſen famulum tuum & typicam præfigurationem ob tui oſtenſionem ſanctum Paſcha in agni aſſi atque immaculati immolatione, renibus accinctis, baculiſque in manibus cum lactucis agroſtibus populum tuum celebrare juſſiſti: quique etiam per Samuelem vatem, formidante populo tuo, applicandum te in agni lactentem piam ac ſinceram tibi orationis hoſtiam offerri præcepiſti: offerimus etiam & nos indigni famuli tui N. poſt ſacra ſolemnia hujus diei paſchalis hanc creaturam agni, quam nobis exactis jejuniorum diebus pro parandis pauliſper corporibus indulgere juſſiſti; precamur, ut eum per nos famulos tuos ac miniſtros ore ſancto tuo benedicas, & dextra tua ſanctifices. Amen. Sicque illum nobis percipere jubeas, ut baculos ſpei habentes in manibus, renibus accinctis turpibus rebus renovati in novitate vitæ, ſic amaritudines ſæculi prætereuntis omittamus, ne retrò reſpicientes à tramite juſtitiæ recedamus. Amen. Sicque vitam præſentem tuis actibus finiamus, ut te protectorem ac defenſorem noſtrum ſemper in oculis habeamus. Amen. Ut ad terram beatam quam illis promiſiſti per figuram, nobis reſeraſti per gratiam, te duce cum operum bonorum fructu exultantes perveniamus. Amen.

Deinde dicit Deo gratias *tribus vicibus. Et poſt hac dicit* In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI Sanctificatus hic agnus permaneat.

Digitized by Google

Caput XXIV. *De Sabbato Sancto.*

RITUS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

Ex miſſali anno 1560. & 1669. edito

C*Antata Tertia, ſacerdos vadat poſt altare, & dicat* ℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et minor lector aſcendat pulpitum, & legat ſequentem lectionem in tono quotidiana epiſtolarum

Lectio libri Geneſis. Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus *&c. uſque*. Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis. *Pſal.* Exurge &c.

Deinde minor diaconus rubea dalmatica indutus legat ſequens evangelium in tono quadrageſimali:

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

Et non reſpondeatur Gloria tibi Domine.

Altera die quæ eſt poſt Paraſceve convenerant principes *&c. uſque* Signantes lapidem cum cuſtodibus.

℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum diſpenſatione es mirabilis: intelligant redempti tui, non fuiſſe excellentius, quod in initio factus eſt mundus, quam quod in fine ſæculorum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, Qui tecum vivit.

℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Chriſti.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Poſteà dicantur Sexta & Nona.

Benedictio ignis quæ fit in ſacrario, & debet haberi ignis novus.

℣. Benedictus Dominus qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Preces Pater noſter

Oratio

Domine Deus noſter, Pater omnipotens, qui es lumen indeficiens, & conditor omnium luminum, benedic & ſanctifica hoc lumen, quod à te ſanctificatum atque benedictum eſt, qui illuminaſti omnem mundum: ut ab eo accendamur, & illuminemur igne claritatis tuæ, quo illuminaſti Moïſen famulum tuum, ut illuminatis ſenſibus & cordibus noſtris, ad vitam æternam pervenire mereamur. Per Dominum

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, lux & ſplendor univerſarum creaturarum qui ex nihilo cuncta producere dignatus es:

te humiliter deprecamur, ut hanc creatutam ignis bendicere & ſanctificare digneris, in nomine dilectiſſimi Filii tui, & in virtute Spiritus Sancti: ut nobis ad obſequium & ad lumen eſſe facias tam animæ quam corporis, & ut nihil in eo nobis adverſarius damni irrogare poſſit, ſed ſit nobis in adjutorium. Per. a

Poſt hæc tres diaconi induti dalmaticis albis, aſcendant gradum ante presbyterium poſitum: duobus ex ipſis tenentibus duobus candelabris cum luminaribus ſuprà extinctis. Major verò eorum ſtans in medio dictorum duorum luminarium, & è regione cerei magni paſchalis pariter extincti. Subdiaconoque pariter induto & tenente librum abſolutè cantet cerei benedictionem dicens:

Exultet jam angelica turba cœlorum, exultent divina myſteria, & pro tanti regis victoria tuba intonet ſalutaris. Gaudeat & tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni regis ſplendore illuſtrata, totius orbis ſentiat ſe amiſiſſe caliginem. Lætetur & mater eccleſia, tanti luminis adornata fulgore, & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Quapropter adſtantibus vobis fratres cariſſimi, ad tam miram hujus

a *In miſſali anni 1669. additur oratio tertia* Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, nobis qui hunc ignem &c.

Deinde benedicit quinque grana incenſi in cereo inſigenda, dicens: Veniat quæſumus, omnipotens Deus &c.

Dum benedicit incenſum, acolythus ſumens de carbonibus benedictis, ponit in thuribulum. Finita verò benedictione incenſi, ſacerdos grana prædicta incenſi & ignem benedictum aſpergit aqua benedicta, & de navicula poſito incenſo in thuribulum eadem incenſat quæ aſperſit. Interim ſi quæ ſunt luminaria in eccleſia, extinguuntur, & poſtmodum de novo igne accendantur, & miniſtri neceſſaria ad benedictionem cerei paramenta accipiunt.

Finita nona, miniſtri exeunt ad benedictionem cerei hoc ordine. Præcedit thuriferarius ſolus. Sequitur acolythus deferens in vaſe quinque grana incenſi benedicta, cum acolytho deferente aquam benedictam. Deinde ſubdiaconus ſolus, paratus paramentis albis, ut ad miſſam. Tum diaconi duo cum amictibus & dalmaticis albis ferentes duo candelabra cum cereis extinctis. Tum diaconus cantaturus benedictionem cum paramentis albis, ut ad miſſam, librum benedictionis ferens ante pectus. Ultimo loco ſequitur celebrans pluviali albo indutus. In choro celebrans vadit ad presbyterium. Diaconus cantaturus petit à celebrante benedictionem, ut ad evangelium: Poſteà collocat librum ſuper lectorile ad cornu evangelii, illumque incenſat habens ad dexteram thuriferarium, & ad ſiniſtram acolythum cum granis quinque benedictis & aqua benedicta cum aſperſorio. Subdiaconus ſtat poſt lectorile tenens librum medius inter duos diaconos cum cereis extinctis. Tum omnibus ſtantibus, diaconus abſolutè incipit: Exultet jam angelica &c. Nobis in veritate proveniunt. *Hic ſubdiaconus portat in chorum lampadem accenſum novo igne. Tum diaconus accendit cereum & alios duos cereos. Mox proſequitur* Ecce jam ignis columna. &c. Chriſmate non cruore. *Hic infigit diaconus quinque grana incenſi in cereum in modum crucis.* Decet ergo in hoc Domini Salvatoris &c. ut coruſcus adveniet. *Hic accenduntur lampades & reliqua* eccleſiæ luminaria. Igitur &c. ℟. Amen. *Deinde diaconus aſpergit & incenſat cereum. Completa benedictione, leguntur ſequentes lectiones per lectores incipiendo à minori. Interim ſi in metropolitana aliqui ſint per archiepiſcopum baptizandi, dum præcedentes lectiones cantantur per archipresbyterum fiunt baptizandorum exorciſmi in valvis eccleſiæ, & introducuntur, ut habetur in libro baptizandorum.*

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

ſancti luminis claritatem, una mecum, quæſo, Dei omnipotentis miſericordiam invocate, ut qui me non meis meritis intra levitarum numerum dignatus eſt aggregare, luminis ſui gratiam infundendo, cerei hujus laudem implere perficiat. Præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO Filio ſuo, ſecum vivente atque regnante Deo, in unitate Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.

Vere quia dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui populorum paſcha cunctorum, non pecudum cruore nec adipe, ſed unigeniti tui Domini noſtri JESU-CHRISTI Sanguine corporeque dedicaſti, ut ſupploſo ritu gentis ingratæ, legi gratia ſuccederet, & una victima per ſemetipſam tuæ majeſtati ſemel oblata, mundi totius expiaret offenſam. Hic eſt agnus, lapideis præfiguratus in tabulis, non adductus è gregibus, ſed erectus e cœlo: nec paſtore indigens, ſed paſtor bonus ipſe tantummodò, qui animam ſuam pro ſuis poſuit ovibus, & rurſus aſſumſit, ut nobis & humilitatem divina dignatio, & ſpem reſurrectio corporalis oſtenderet. Qui coram tondente ſe non vocem queruli balatus emiſit, ſed evangelico proclamavit oraculo dicens; A modo videbitis filium hominis ſedentem ad dextram majeſtatis. Ipſe nobis & te reconciliet, Pater omnipotens, & pari tecum majeſtate fultus indulgeat. Nam quæ patribus in figura contingebant, nobis in veritate proveniunt. *Hic omnes ſedeant, & ſubdiaconus aſſociatus à cuſtode, eat in ſacrarium, & ex ea ignem novum & benedictum portet lampade, & ex illo accendatur cereus magnus Paſcalis, deinde alii cerei. Poſteà excelſa voce ſupradictus major diaconus proſequatur benedictionem.* Ecce jam ignis columna reſplendet, quæ plebem Domini beatæ noctis tempore ad ſalutaria fluenta præcedat, in quibus perſecutor mergitur, & Chriſti populus liberatus emergit. Nam Sancti Spiritus unda conceptus, per Adam natus ad mortem, per Chriſtum regignitur ad vitam. Solvamus igitur voluntariè celebrata jejunia, quia Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, non ſolùm corpore epulemur agni, ſed etiam inebriemur & ſanguine. Hujus enim tantummodò cruor non creat piaculum bibentibus, ſed ſalutem. Ipſo quoque veſcamur & azymo, quoniam non de ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo Dei. Si quidem hic eſt panis qui deſcendit de cœlo, longè præſtantior illo quondam mannæ imbre frugifluo, quo tunc Iſraël epulatus interiit: hoc verò qui veſcitur corpore, vitæ perennis poſſeſſor exiſtit. Ecce vetera tranſierunt, & facta ſunt omnia nova: nam circumciſionis moſaïcæ mucro jam ſcabruit, & Jeſu navæ aucta lapidum obſolevit aſperitas. Chriſti verò populus inſignitur fronte non inguine: lavacro non vulnere: chriſmate, non cruore. Decet ergo in hoc Domini Salvatoris noſtri veſpertinæ reſurrectionis adventu, ceream non adolete

pinguedinem, cui ſuppetit candor in ſpecie, ſuavitas in odore, ſplendor in lumine, quæ nec marceſcenſi liquore defluit, nec offenſam tetri nidoris exhalat. Quid enim magis accommodum magiſque feſtivum, quam Jeſſeico flori floreis excubemus ut tedis? præſertim cum & ſapientia de ſemetipſa cecinerit: Ego ſum flos agri & lilium convallium. Ceras igitur nec pinus exuſta deſudat, nec crebris ſauciata bipennibus cedrus illacrymat, ſed eſt illis arcana de virginitate creatio, & ipſæ transfiguratione nivei candoris albeſcunt. Eandem verò papyrum liquida fontis unda producit, quæ inſtar inſontis animæ, nullis articulatur ſinuata compagibus, ſed virginali circumſepta materiæ, fit hoſpitalis ignibus alumna rivorum. Decet ergo adventum ſponſi, dulcatis eccleſiam luminaribus opperiri, & largitatem ſanctitatis acceptam, quanta valet devotionis dote penſare, nec ſanctas interpolare tenebras excubias, ſed tedam ſapienter perpetuis præparare luminibus, ne dum oleum candelis adjungitur, adventum Domini tardò proſequamur obſequio: qui certè in ictu oculi ut coruſcus adveniet. Igitur in hujus diei veſpere cuncta venerabilis ſacramenti plenitudo colligitur: & quæ diverſis ſunt præfigurata vel geſta temporibus, hujus noctis curriculo devoluta ſupplentur. Nam primum hoc veſpertinum lumen, ſicut illa dux Magorum ſtella præcedit: deinde myſticæ regenerationis unda ſubſequitur, velut dignante Domino fluenta Jordanis, tertio reſurrectionem Chriſti vox apoſtolica ſacerdotis annuntiat. Tum ad totius myſterii ſupplementum Chriſto veſcitur turba fidelium, quæ reſurrectionis Dominicæ diem, Chriſto in omnibus proſperante, ſuſcipiat. Per bonum & benedictum Filium tuum Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM, cum quo beatus vivis & regnas Deus, in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſtea aſpergatur cereus aqua benedicta, & incenſetur, & quinque grana incenſi benedicti à diacono inſigantur cereo in modum crucis, videlicet ſuper illam crucem quæ communiter pingi ſolet ſuper hujuſcemodi cereis Paſcalibus

a *Mox à ſacerdote dicatur* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ſecundus lector aſcendat pulpitum, & canat ſequentem lectionem ex libro Geneſis in tono quotidiano epiſtolarum; quo tono etiam canuntur aliæ lectiones quæ hanc ſequuntur.*

Lectio libri Geneſis. In principio creavit Deus cœlum *&c. uſque.* Et benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit illum.

Pſal. Tui ſunt cœli & tua eſt terra &c.

Dominus vobiſcum.

Oratio

Deus incommutabilis virtus, & lumen æternum, reſpice propitius ad totius eccleſiæ tuæ mirabile ſacramentum, & opus ſalutis humanæ

a Miſſale anni 1669. *Sacerdos verò dignior poſt altare vel in cornu epiſtolæ dicit* ℣. Dominus vobiſcum. *Dehinc unus è lectoribus incipit*

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

perpetuæ diſpoſitionis effectu tranquillus operare: Totuſque mundus experiatur & videat diruta erigi, veterata innovari, & per ipſum redire omnia in integrum, à quo ſumſere principium. Per Dominum noſtrum

Lectio libri Geneſis. In diebus illis tentavit Dominus Abraham. *&c. uſque* Abieruntque Berſabeæ ſimul & habitaverunt ibi.

Pſal. Immola Deo &c.

Oratio

Deus fidelium Pater ſumme, qui in toto orbe terrarum promiſſionis tuæ filios diffuſa adoptione multiplicas, & per paſchale ſacramentum Abraham puerum tuum univerſarum, ſicut juraſti, gentium efficis patrem: da populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare. Per

Lectio libri Exodi. In diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti: menſis iſte vobis principium *&c. uſque* Id eſt tranſitus Domini, dicit Dominus omnipotens.

Poſt lectionem ſequitur hymnus Danielis Benedictus es Domine &c.

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui quod Patrum fidei ſpopondiſti, & promiſſionis tuæ filios ſacra adoptione dilata: ut quod priores ſancti non dubitaverunt futurum, eccleſia tua magna jam ex parte cognoſcat impletum. Per Dominum

Lectio libri Exodi. In diebus illis armati aſcenderunt filii Iſraël de terra Ægypti *&c. uſque* Proficiſcebantur in manu excelſa.

Canticum cum quatuor claviculariis

Tunc cantabat Moyſes &c.

Oratio

Deus celſitudo humilium & fortitudo rectorum, qui per ſanctum Moïſen puerum tuum ita erudire populum tuum ſacri carminis tui decantatione voluiſti, ut illa legis iteratio fieret etiam noſtra directio: excita in omnem juſtificandarum gentium plenitudinem potentiam tuam, & da lætitiam mitigando terrorem: ut omnium peccatis tua miſeratione deletis, quod denunciatum eſt in ultionem tranſeat in ſalutem. Per Dominum

Lectio Iſaiæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus: hæc eſt hereditas ſervorum meorum *&c. uſque* quod egreditur de ore meo.

Pſal. Benedictus Dominus Deus Iſraël &c.

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, ſpes unica mundi, qui prophetarum tuorum præconio præſentium temporum declaraſti myſteria; auge

populi tui vota placatus, quia in nullo fidelium, niſi ex tua inſpiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum Per.

Caput XXIV. De Sabbato Sancto.

Lectio Iſaiæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus: Lavamini mundi eſtote *&c. uſque* Bona terræ comedetis, dicit Dominus omnipotens. *Canticum* Sicut cervus &c.

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ad devotionem populi renaſcentis, qui ſicut cervus aquarum expetit fontem: & concede propitius, ut fidei ipſius ſitis, baptiſmatis myſterio, animam corpuſque ſanctificet. Per Dominum.

Hac oratione dicta, pergant ad benedicendum fontes

Benedictio Fontium

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnis pietatis tuæ myſteriis, adeſto ſacramentis: & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte: ut quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per

Deum immenſum majeſtatis æternæ ſuppliciter exoramus, ut per Verbum, & Virtutem, & Sapientiam ſuam Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM in hoc lavacro ſalutari peccatorum omnium admiſſa concedat. Detque illis ſanctificationem ſuam aquis, ut quicumque eas ingreſſi fuerint remiſſionem criminum & benedictionem conſequantur. Per eundem Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Filium ſuum, ſecum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritus Sancti Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus & deprecemur Dei Patris omnipotentis clementiam, ut famulis ſuis competentibus, quos in hac hora ad hunc beatæ regenerationis fontem dextræ ſuæ protectione perduxit, det gratiam miſericordiæ ſuæ. Et corda eorum ſpiritali repleat intellectu, ut cæleſte ſacramentum plena fide credula mente ſuſcipiant. Nobis etiam famulis ſuis det veniam omnium delictorum, gloriæ ſuæ præſentiam tribuat, ut myſteria ſalutaris baptiſmatis ſine offenſione celebremus. Per Dominum *ut ſuprà.*

Exorciſmus aquæ cum exſufflatione in formam crucis

Adjuro te, creatura aquæ, per DEUM † verum, DEUM † vivum, DEUM † ſanctum, qui te in principio à terra ſeparavit, qui te de paradiſi fonte produxit, & ex quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit.

CAPUT XXIV. *De Sabbato Sancto.*

Hic dividit aquam manu dextra in formam crucis

Adjuro te per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Filium Dei vivi, qui te in Cana Galilææ ſigno admirabili in vinum convertit, qui pedibus ſuper te ambulavit, & à Joanne in te eſt baptizatus: qui te amariſſimam aquam per lignum paſſionis ſuæ indicavit, & populum ſitientem, te de petra producens, ſatiavit: & Naaman Syrum in te à lepra ſua mundavit: & nomen tibi impoſuit, Siloa, in qua cœcum, ut lumen reciperet, oculos lavare præcepit: qui te de latere ſuo, una cum ſanguine produxit: qui diſcipulis ſuis dixit. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Efficere ergo aqua exorcizata ad effugandam omnem diaboli infeſtationem, omneque phantaſma inimici, & ipſum inimicum eradicandum effugandum, atque ſupplantandum à ſervis Dei, qui in te hodie baptizandi ſunt, accepturique remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, qui venturus eſt in Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Benedictio aquæ

Sanctificare per verbum Dei, unda cæleſtis; ſanctificare, aqua Chriſti calcata veſtigiis, quæ mentibus preſſa non clauderis, quæ ſcopulis illiſa non frangeris, quæ terris infuſa non deficis. Tu ſuſtines aridam, portas montium pondera, nec demergeris. Tu cœlorum vertice contineris, circumfuſa per totum, lavas omnia nec lavaris. Tu fugientibus Hæbreorum populis in glaciem indurata conſtringeris: tu rurſus altis reſoluta vorticibus nili accolas perdis & hoſtilem globum freto ſæviente perſequeris, una eademque & ſalus fidelium, & ultio criminoſis. Te per Moyſen percuſſa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuiſti, cum majeſtatis imperio juſſa prodires. Tu geſtata nubibus, imbre jucundo arva fœcundas, ne ſiccatis exanimata viſceribus, ſublimes neget terra proventus. A te principium in te finis exultat, vel potius tuum eſt, ut terminum neſciamus. Neque enim, Domine omnipotens Pater, virtutum tuarum neſcii, aquarum merita laudamus, ſed in his operis tui prædicamus inſignia. Suſcipe igitur noxios, ſolve captivos, redde quod in paradiſo Adam perdidit, quod uxor amiſit, quod intemperantia crudelis abſorbuit. Da ſalutarem potum male ſaturis acerbitate pomorum, ut indigeſta mortalium & annoſa pernicies divino ſolvatur antidoto. Ablue terram ſqualloris illuvie, diſcute paradiſi machæram flammeis obicibus fluctuantem. Pateat redeuntibus floribus ruris ingreſſus: recipiant imaginem deitatis olim perditam livore ſerpentis. Quicquid noxium de prævaricatione contractum eſt hujus gurgitis puritate deponant. Surgant ad requiem, producantur ad veniam, ut myſtico corpore & ſanguine innovati, & redemptos ſe noverint

Digitized by Google

noverint & renatos. Per eumdem Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Filium tuum, tecum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

a *Finita benedictione, infundatur chriſma in aquam in formam crucis, dicendo hæc verba :* Sit fons iſte ſacer, ſanctificatus, perunctus, & benedictus, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti Amen.

Deinde ſi qui baptizandi ſunt, in hoc fonte baptizentur. Poſteà dicatur ſequens oratio.

Celebratis atque perfectis divini baptiſmatis ſacramentis, Domine Deus cœli & terræ, Deo Patri omnipotenti, indefeſſas gratias referamus, ipſumque ſupplices poſtulemus, uti nos atque omnem familiam ſuam glorioſæ reſurrectionis Domini noſtri JESU-CHRISTI annuat eſſe participes : Præſtante ipſo Domino noſtro JESU-CHRISTO, Filio ſuo, ſecum vivente atque regnante, in unitate Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſæculorum.

a Miſſale anni 1669. *Poſteà ſacerdos qui benedixit, aſpergit ſe & circumſtantes de aqua benedicta : deinde alius ſacerdos aſpergit clerum & populum. Tunc petentibus de populo diſtribuatur de ipſa aqua benedicta in vaſe cujuſque ad conſervandum in domibus, & aſpergendum, & ſpargendum in vineis & campis.*

His peractis, ſacerdos qui benedixit fontem, infundit de oleo cathecumenorum in aquam in modum crucis, intelligibili voce dicens ſine cantu : Sit fons iſte ſacer ſanctificatus, perunctus, benedictus, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de chriſmate in modum crucis dicens : Infuſio chriſmatis Domini noſtri JESU-CHRISTI, & Spiritus Sancti Paracliti fiat in nomine Sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Poſteà accipit ambas ampullas dictorum oleorum catechumenorum & chriſmatis, & de utroque ſimul in modum crucis infundendo dicit : Commixtio chriſmatis ſanctificationis, & olei unctionis, & aquæ baptiſmatis pariter fiat in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Tunc miſcet ipſum oleum cum aqua & ſpargit manu ſua per omnem fontem. Si verò in metropolitana per archiepiſcopum ſunt aliqui baptizandi, eos baptizat more conſueto, à qua ſolemnitate baptizandi, quæ archiepiſcopalis muneris eſt, alius omnis vel archipresbyter vel præpoſitus, vel parochus tam urbis quam diœceſis abſtinebit.

Peracto baptiſterio, vel ubi is omittitur, peracta commixtione, ut ſuprà, dicitur in tono præfationis ſequens oratio per ſacerdotem celebraturum. Celebratis atque perfectis &c.

Poſteà accepta caſula albi coloris & manipulo, accedit proceſſionaliter ad SS. ſacramentum reportandum, ac miſſam inchoandam ordine quo ventum erat. Cantatur interim ℟. Sacri fontis aqua perennis ubi renovantur. Alleluia. ℣. Beati quorum remiſſæ iniquitates & quorum tecta ſunt peccata, ubi renovantur. Alleluia.

Sequitur duplex miſſa, prima eſt pro baptizatis, ſecunda hac præmittitur Rubrica a

Sabbato Sancto ad miſſam ſacerdos facta confeſſione, & oſculato altari, antequam miſſam incipiat, debet accipere calicem cum patena & corporali in manibus, & dicere ter alta voce Chriſtus Dominus reſurrexit, *in tono, choro reſpondente per ſingulas vices* Deo gratias. *Videlicet primo ad cornu altaris dextrum, ſecundo poſt altare, tertio ad cornu altaris ſiniſtrum. Sciendum eſt etiam quod in ſabbato ſancto non dicitur* Gloria in excelſis Deo, *nec* credo. *Pax tamen publicè datur, & epiſtola & evangelium cantantur in tono.*

a In miſſali anni 1669. miſſa pro baptizatis ſecundo loco dicitur in eccleſia hiemmali, primæ verò hæc rubrica præmittitur.

Miſſa ſabbati ſancti. Hac item miſſa celebratur ab uno tantum ſacerdote in cathedrali, & in unaquaque collegiata, parrochiali, vel alia ejuſdem generis eccleſia, non autem in oratoriis privatis.

Dictis autem dicendis quæ in fine miſſalis & deinceps ponuntur, benedictaque aqua baptiſmali, ubi benedicenda erit, nec non baptizatis baptizandis, archiepiſcopus ſeu dignior ſacerdos accepta caſula, & manipulo albi coloris, cum choro regreditur, eo proceſſionali ordine, quo greſſi ſunt, cantando ℟. *& reportato ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento ad altare, ſtatim incipit miſſam, factaque confeſſione, aſcendens ad altare illud oſculatur in medio, deinde incenſat de more. Tum in cornu epiſtolæ, ad cornu evangelii converſus dicit* : Chriſtus Dominus reſurrexit. *Chorus reſpondet* Deo gratias. *Tunc campana atque organa pulſantur. Procedit deinde ad medium altaris, & voce magis elevata dicit ſecundo* Chriſtus Dominus reſurrexit. *Tertio procedens ad epiſtolæ cornu converſus repetit adhuc altius* Chriſtus Dominus reſurrexit *Reſpondet verò ſemper chorus, pulſanturque campanæ & organa, ut ſuprà, non dicitur* Gloria in excelſis Deo *neque* Credo.

CAPUT XXV.

De Paſchatis feſto.

Caput XXV. De Paſchatis Feſto.

Feſtum Dominicæ Reſurrectionis per ſeptem dies olim celebratam.

I. EA eſt feſti Dominicæ reſurrectionis prærogativa, ut teſte Auguſtino epiſtola 54. primam ſui originem acceptam apoſtolis ipſis referat, unde & feſtivitas feſtivitatum & ſolemnitas ſolemnitatum à S. Gregorio Nazianzeno non immeritò nuncupatur. Hanc ut majori cum veneratione celebraret eccleſia, totos ſeptem & integros dies illius ſolemnitati olim conſecrabat, ut probant non paucæ quæ adhuc ſuperſunt illius leges: Concilium Matiſconenſe II. can. II. [Paſcha, inquit, noſtrum, in quo Summus Sacerdos & Pontifex pro nobis immolatus eſt, debemus omnes feſtiviſſimè colere, & ſedulæ obſervationis ſinceritate in omnibus venerari: ut illis ſanctiſſimis ſex diebus, nullus ſervile opus audeat facere; ſed omnes ſimul coadunati hymnis paſchalibus indulgentes, perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem & regeneratorem noſtrum veſperè manè & meridie.] Suffragatur Concilium Quini-Sextum in Trullo.

Digitized by Google

vulgò appellatum can. LXVI. [A ſancta Chriſti reſurrectionis die uſque ad novam Dominicam tota ſeptimana in eccleſiis vacare fideles jugiter oportet pſalmis & hymnis, & ſpiritualibus canticis in Chriſto gaudentes & feſtum celebrantes, & divinarum ſcripturarum lectioni mentem adhibentes, & ſanctis myſteriis jucundè & cautè fruentes. Sic enim cum Chriſto exaltabimur, & unà reſurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum curſus vel aliquod publicum fiat ſpectaculum.] Et Concilium Moguntinum anno 813. celebratum can. XXXVI. [Feſtos dies in anno celebrare ſancimus. Hoc eſt diem Dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari. Simili modo totam illam hebdomadam obſervari decrevimus.] Quæ verba reperiuntur in lib. 2. Capitularium Regum Francorum. n. 35. In Meldenſi etiam concilio anni 845. can. LXXVII. hoc reperio decretum : [Dies octo ſacroſanctæ Paſchatis feſtivitatis omnibus chriſtianis feſtivos eſſe decernimus, quatenus ſanctæ reſurrectionis laudibus & ſacroſanctæ prædicationi jugiter inſiſtere liceat. Quod ſi quis temerare præſumpſerit, excommunicetur.] His adde Concilii Ingelenheimenſis anni 949. canonem VI. [Ut paſchalis hebdomada feſtivè tota celebretur.] Præterea Concilium Lugdunenſe apud Gratianum de conſecrec. diſt. 3. c. 1. ubi inter feſtivitates per anni circulum obſervandas recenſetur [Sanctum Paſcha cum tota hebdomada.] Hujus antiquæ diſciplinæ ſupereſt adhuc aliquod veſtigium in propriis miſſis, quas per totam Paſchatis hebdomadam quotidie decantamus : eamque confirmare videntur capitula ſelecta Theodori Cantuarienſis archiepiſcopi Spicilegii tom. 9. in quorum articulo 33. viri ab uxoribus abſtinere jubentur [in prima hebdomada poſt paſcha.]

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

II. Idem colligere licet ex civilibus imperatorum legibus, quibus lites & contentiones tota hebdomada paſchali vacare decernunt : qualis eſt illa Theodoſii magni, quæ eſt L. II. Cod. Theod. de feriis. [Sacros quoque paſchæ dies, qui ſepteno vel præcedunt numero vel ſequuntur, in eadem feriarum obſervatione numeramus.] Ad quam legem alludere videtur S. Auguſtinus ſerm. 259. novæ editionis, quem habuit in die Dominico octavarum paſchatis, ubi ſic loquitur : [Peracti ſunt dies feriati, ſuccedunt jam illi conventionum, exactionum, litigiorum : videte quomodo in his vivatis, fratres mei. . . . Petimus vos ut ita vivatis tamquam qui Deo reddituros vos ſciatis de tota vita, non de ſolis iſtis quindecim diebus.] Et epiſtola epiſcoporum Ponti ad Leonem imperatorem, quæ refertur in Concilii Calchedonenſis parte 3. cap. 32. [In venerabili paſchæ tempore, quo etiam latrocinantium collegia requieſcunt, arma non moventur, prætoria nihil agunt, & unum omnibus chriſtianis ſtudium à rebus aliis vacantibus, Chriſto per orationis puritatem in paſſionis & reſurrectionis ſacramento communicare.]

III. Nunc verò tribus dumtaxat diebus ab opere manuum abſtinere jubet eccleſia, ut liberi ab omnibus reſurrectionem Dominicam cum

Caput XXV. *De Paſchatis Feſto.*

omni devotione ac ſolemni pompa recolamus : id quod jam longè anteà in Conſtantienſi concilio anno 1094. celebrato decretum fuerat. In eo ſiquidem, ut ait Bertoldus illorum temporum ſcriptor, Gebehardus ejuſdem eccleſiæ epiſcopus [ſtatuit, ut tam in hebdomada Pentecoſtes, quàm in hebdomada paſchæ tres tantum dies feſtivi celebrarentur.] Perſeveravit itaque uſque ad ſæculi XI. finem in epiſcopatu Conſtantienſi antiqua conſuetudo totam paſchalem hebdomadam ſolemnem agendi, uti confirmant ſequentia ejuſdem Bertoldi verba [: Nam uſque ad illud tempus Conſtantienſis epiſcopatus morem comprovincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanam in Paſcha, & unum tantum diem in pentecoſte obſervando, quamvis utræque ſeptimanæ ejuſdem obſervantiæ eſſe debuerint,& quamvis alii epiſcopatus penè omnes prædictam conſtitutionem jam ab antiquo tenuerint.] Quæ poſtrema verba indicare videntur Gebehardi decretum per *omnes penè* eccleſias jam *ab antiquo* invaluiſſe. Et certè inter Statuta S. Bonifacii archiepiſcopi Moguntini & martyris circa annum 745. edita Spicilegii tom. 9. trigeſimum ſextum complectens dies feſtos *ab ſabbatizandum* diebus Dominicis à presbyteris plebi annunciandos recenſet *in Paſcha Domini poſt Dominicam dies tres.* Totidem dies feriandos eſſe ſcribit Joannes Belethus in explicatione divini officii cap. 120. ita tamen ut [quarto die liceat viris ruſtica exercere opera, feminæ autem debeant à nendo abſtinere.] Carthuſienſes quoque monachi quatuor dumtaxat primos dies celebres agebant ex ſtatutis Guigonis cap. 4.

Ad cathedralem eccleſiam omnes hac die convenire debebant.

IV. Ad ampliorem autem his diebus demonſtrandam religionem & inter populos caritatem, non fiebant peculiares conventus ; ſed omnes in majori eccleſia conveniebant, tam ex urbibus quàm ex circumpoſitis villis, ut uno animo, una omnes mente cum epiſcopo proprio divina celebrarent myſteria. Hinc Concilium Aurelianenſe IV. can. V. [Quiſquis, inquit, de prioribus civibus paſcha extra civitatem tenere voluerit ; ſciat ſibi à cuncta ſynodo eſſe prohibitum ; ſed principales feſtivitates ſub præſentia epiſcopi teneant, ubi ſanctum decet eſſe conventum,] Quibus ſimilia legere eſt in Concilio Agathenſi can LXIII. in Aurelianenſi I. can. XXV. in Epaonenſi canone XXXV. Hinc S Athanaſius in Apologia ad Conſtantium rationem reddens cur in majori eccleſia ſynaxim coegiſſet, [Feſtum erat Paſchæ, inquit & tanta vis populorum aderat, quantum chriſtianorum in urbe eſſe chriſticolæ principes optarint.] &c. Huc referri poſſet id quod legitur in canone LVII. Arabico Concilii Nicæni : [Chorepiſcopus bis per annum congreget presbyteros ad ſalutandum epiſcopum, & tradendum ſe ei, & ad communionem cum eo habendam, & prandeant cum eo, fiatque hoc in principio anni, & in feſto Reſurrectionis Domini noſtri Jesu-Christi.] Diſcipuli S. Pacomii ex variis monaſteriis ad Præcipuum cænobium hac die confluebant ad quinquaginta circiter monachorum millia, ut cum ſuo abbate ſimul omnes Dominicæ Reſurrectionis gloriam recolerent. Antiquæ conſuetudinis veſtigium aliquod reſtat in eccleſia

Lugdunenſi, in qua, ſicut audivi, præcipuis feſtis diebus, ad principalem S. Joannis, baſilicam conveniunt aliæ urbis collegiatæ eccleſiæ, ad miſſam ſolemnem. Sed & in antiquo Silvanectenſi Ordinario, in quo paſtores urbis, quos curatos vulgò nuncupare ſolent, ad lectiones officii nocturni decantandas adſignatos reperio. Jam verò qua ratione, quove ritu totum hujus ſanctæ diei officium perſolverent paucis inveſtigandum eſt.

Caput XXV. *De Paſchatis Feſto.*

V. Dominica reſurrectionis in antiquis mſſ. codicibus *Dominica ſancta* ſimpliciter dicta, breviſſimum habebat officium nocturnum, tribus conſtans pſalmis, totidemque antiphonis, lectionibus, & reſponſoriis. Et ſanè vix prolixius fieri permittebant præteritæ vigiliæ circa neophytos peracta officia ad mediam uſque noctem producta: quibus expletis, vixque leviſſima corpori refectione conceſſa, ſtatim ad perſolvendum ipſius ſolemnitatis paſchalis officium ſeſe accingebant, prævio mutuæ caritatis oſculo. [In vigilia reſurrectionis Domini, inquit vulgatus ordo Romanus, ante mediam noctem populus non eſt dimittendus de eccleſia juxta canonum ſanctiones. In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in eccleſiam veniunt, & mutua caritate ſe invicem oſculantes dicant *Surrexit Dominus de ſepulcro*, deinde *Domine labia mea aperies.*] &c. In noſtris gallicanis eccleſiis præfatum caritatis oſculum non ante nocturnum ſed eo omninò finito porrigebatur. Ita decernit ordinarium Turonenſe, Bajocenſe, Silvanectenſe, &c. in quorum ultimo ita legitur: [Poſt *Benedicamus Domino*, unus cuſtodum chori accedit ad epiſcopum vel decanum, qui oſculatur eum dicens: *Reſurrexit Dominus.* Dictus autem cuſtos chori oſculatur alium qui cum eo chorum cuſtodit: & tunc ambo deferunt aliis pacem in chorum, & oſculantur ſe invicem dicendo: *Reſurrexit Dominus.*] Ex Ordinario Bajocenſi oſculum porrigenti reſpondetur *Deo gratias*; ex Turonenſi *Gaviſi ſunt diſcipuli.* Similis ritus viget nunc apud Græcos, qui ut ait Allatius in libro 3. de conſenſu eccleſiæ Orientalis & Occidentalis cap. 18. [omnes die Reſurrectionis Domini ſacro, poſt matutinum & alias horas mutuis amplexibus, cum omnibus depoſitis odiis reconciliati, in gratiam redeunt, & cùm non omnes in eadem eccleſia conveniant, ne tanto bono aliquid deſit, per totum Paſchatis & ſeptem ſubſequentes dies in plateis quoſcumque obvios ſibi factos iiſdem amplexibus demerentur.]

Nocturnum officium hac die breviſſimum.

Pacis oſculum ſive ante ſive poſt nocturnum officium.

VI. Ad hunc ritum revocari poſſet id quod legitur in epiſtola monachorum qui ſub Eutyche hereſiarcha degebant ad Concilium Epheſinum ſecundum, & refertur in Calchedonenſi act. 1. pag. 277. [Supervenit ſalutaris Paſſionis dies, & ſacra nox, & reſurrectionis feſtivitas, in qua quidem & plurimis peccatoribus à ſanctis Patribus noſtris damnationes ſolvuntur, verum & ab imperatoribus criminalia reis vincula relaxantur.]

Reis vincula relaxata.

VII. In ſupradicta Bajocenſi eccleſia ante nocturnum officium ſolemnis agitur ſanctiſſimi ſacramenti adoratio, quam ita deſcribit illius

Adoratio SS. Sacramenti nocturno officio præmiſſa.

Caput XXV. De Paſchatis Feſto.

Ordinarium : [Ante matutinas facta pulſatione & conglobato choro ante altare, cereis & thuribulis accenſis, epiſcopus ſuperpelliceo & ſtola indutus, facta oratione ante altare, ſtans ad cornu dextrum altaris, lavat manus, incenſum benedicit, illudque ponit in thuribulo, & in medio altaris corporale explicat. Sacerdos ſimiliter indutus. Deinde accedit ad ſepulcrum ex utraque parte expanſum, in quo pyxis cum reliquiis ſupradictis reſervatur : quam flexis genibus incenſat, eamque poſteà deferr ad altare, & cum ea clero & populo in modum crucis benedicit more conſueto, & ſupradictum corporale reponit & incenſat, moxque ex ea ſumptum Corpus Dominicum genibus flexis adorandum oſtendit. Quo in pixide repoſito, redit ad eumdem locum, unde calice cum patena & burſa ſumptis, & ad altare delatis, ultimo verò crucem extollens, & ad altare converſus incipiat antiphonam *Chriſtus reſurgens* cum ſuo verſu & regreſſu. Tunc omnes cum gaudio flexis genibus adorent crucem, cantantes eamdem antiphonam, quæ dum cantatur ſuper altare crucem deponit. Quo facto, ſtans epiſcopus dicat ℣. *Surrexit Dominus de ſepulcro*, & orationem *Deus qui pro nobis Filium tuum* Deinde cantatur antiphona *Regina cæli* cum ſuo verſu & oratione, quæ dum cantatur, epiſcopus iterum populo & clero cum pyxide benedicit, eamque incenſatam ſacerdos in loco conſueto reponit, deinde lavat manus ad idem cornu dextrum altaris, & dicit orationem *Deus qui per reſurrectionem*.... ſtatim poſt epiſcopus cappa ſerica & mitra cum baculo, chirothecis, & annulo redimitus incipit matutinas.]

Proceſſio ejuſdem SS. Sacramenti.

VIII. Ab hoc ritu haud multum abſimilis eſt proceſſio SS. Sacramenti quam ita deſcriptam exhibet Ordinarium inſignis eccleſiæ Laudunenſis : [In die Paſchæ ad matutinum duæ magnæ campanæ de miraculis inſimul pulſantur. Proceſſio vadit ad ſepulcrum ordinata in modum qui ſequitur. Primo præcedit clericulus aquam benedictam deferens, hunc ſequuntur duo clericuli ferentes inſignia, duo alii clericuli ferentes cereos : duo alii clericuli cappis ſericis induti ferentes duas cruces aureas, hos ſequuntur clericuli. Deinde cantor & ſuccentor cappis ſericis induti, portantes baculos deargentatos in manibus. Deinde duo diaconi ſimiliter cappis ſericis induti, & quatuor ſubdiaconi canonici albis tunicis induti, pallium ſupra brachium tenentes. Hos ſequuntur alii combinati, unuſquiſque cereum accenſum deferens. Prædicti verò diaconi ad oſtium ſepulcri venientes incipiunt *ardens eſt*. Clericulus ſtans in ſepulcro reſpondet *Quem quæritis* Diaconi *Jeſum Nazarenum*. Clericulus *non eſt hic*. Poſteà cantor & ſuccentor incipiunt *Surrexit Dominus verè alleluia*. Deinde pſal. *Victimæ paſchali laudes*. Et ſic cantando procedunt ante crucifixum in medio eccleſiæ, ſacerdos alba caſula veſtitus, portans calicem cum Corpore Chriſti, egrediens de ſepulcro reperit ante oſtium quatuor ſubdiaconos, albis tunicis indutos, pallium ſuper baculum tollentes, & illo protectus incedit in fine proceſſionis, præcedentibus duobus clericulis cum cereis, & aliis duobus juxta ipſum cum thuribulis. Dum autem proceſſio pervenerit in

medio eccleſiæ cantor & ſuccentor incipiunt ℞. *Chriſtus reſurgens.* Duo diaconi cantant ℣. *Dicant nunc.* Quo cantato, proceſſio intrat chorum cantando *Quod enim vivit* Sacerdos calicem ſuper altare deponit. Interim campanæ ſimul pulſantur, epiſcopus ſtans in cathedra mitra & cappa præparatus incipit *Domine labia mea aperies.*]

IX. Hic ritus Corporis Chriſti cum ſolemni pompa hac die in proceſſione deferendi non uni fuit Laudunenſi eccleſiæ ſingularis, ſed multis etiam aliis communis, ut Sueſſionenſi & Remenſi apud quam tam in cathedrali B. Mariæ, quam in monachorum S. Remigii baſilica adhuc hodiè viget. Viget etiam nunc in eccleſia Aurelianenſi & apud Armoricos in Retonenſi monaſterio illius praxim videre eſt in Vita S. Udalrici Auguſtenſis epiſcopi, in cujus capite 4. hæc lego: [Deſiderantiſſimo atque ſanctiſſimo Paſchali die adveniente, poſt Primam intravit eccleſiam S. Ambroſii, ubi die Paraſceve Corpus Chriſti ſuperpoſito lapide collocavit, ibique cum paucis clericis miſſam de Sancta Trinitate explevit. Expleta autem miſſa, clerum interim congregatum, in * ſcena juxta eamdem eccleſiam ſitam ſolemniſſimis veſtibus indutum anteceſſit, ſecum portato Corpore Chriſti; & evangelio, & cereis, & incenſo, & cum congrua ſalutatione verſuum à pueris decantata, per atrium perrexit ad eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ.]

* Id eſt porticu

Nocturni officii deſcriptio

X. Ad nocturnum officium præmiſſo verſu *Domine labia mea aperies* & *Deus in adjutorium* cum invitatorio tres tantum decantabantur antiphonæ cum totidem pſalmis, prætermiſſo tam ad nocturnum quàm ad diurnum hujus diei officium hymno, quem in ſolo Turonenſis eccleſiæ Ordinario adſignatum deprehendimus. Notat tamen Durandus in quibuſdam eccleſiis cantari. Lectionum & reſponſoriorum numerus is erat qui & pſalmorum. Lectiones pronunciabant tres ex inſignioribus chori, puta archidiaconus, decanus & epiſcopus. In Rambergenſi eccleſia cum circa annum 1020. Benedictus Papa VIII. Dominica Reſurrectionis matutinali intereſſet officio, Aquileienſis patriarcha lectionem primam, ſecundam archiepiſcopus Ravennas, tertiam apoſtolicus ipſe recitavit, uti legimus in vita S. Henrici cap. 23. apud Surium 14. Julii. Lectiones autem deſumebantur ex homilia aliqua in evangelium hujus diei. Sed in eccleſia Africana tempore S. Auguſtini ex libro Actuum apoſtorum cantabantur. [Actus apoſtolorum liber eſt de canone ſcripturarum. Ipſe liber incipit legi à Dominico paſchæ, ſicut ſe conſuetudo habet eccleſiæ,] inquit idem Sanctus Auguſtinus in Sermone 2. de S. Stephano. Et in ſermone 4. ad infantes in paſchatis die pronunciato. [Hodie cæpit liber qui vocatur Actuum apoſtolorum.]

Lectiones ab inſignioribus recitatæ.

Proceſſio ad Domini ſepulcrum.

XI. Poſt tertium ℞. Solemnis ad Domini ſepulchrum fiebat proceſſio, in illius memoriam, quam tres Mariæ emptis aromatibus Chriſti Corpus inuncturæ peregerunt. Hujus proceſſionis officium ita deſcribit Ordinarium Narbonenſe. [Poſt ultimum ℞. ſequitur proſellus *Almum te* quo finito ſint parati tres clerici cum cappis albis & amictibus in capitibus eorum, portantes quilibet eorum in manibus ampullatam

argenti, & ille qui fungitur officio Magdalenæ vadat in medio, & introitu chori incipiant cantando inſimul primum ℣. *Omnipotens Pater altiſſime*, & in fine ipſorum verſuum flexis genibus dicant: *Heu quantus eſt dolor noſter*. Deinde procedant ad pulpitum & coram eo dicant ℣. *Amiſimus enim ſolatium*. Poſteà accedant ante altare, & ibi dicant alium ℣. *Sed eamus unguentum emere*. Quibus dictis, ſint duo pueri ſuper altare induti albis & amictibus cum ſtolis violatis & ſindone rubea in facies eorum & alis in humeris qui dicant *Quem quæritis in ſepulcro?* Quo dicto, omnes Mariæ inſimul reſpondeant *Jeſum Nazarenum*. Deinde pueri dicant: *Non eſt hic*. Levent cum filo pannum qui eſt ſuper libros argenti ſuper altare in figura ſepulcri, & facta reſponſione à pueris, omnes Mariæ inſimul vertant ſe verſus chorum, & Magdalena cantet ſola ℣. *Victimæ paſchali laudes*. Deinde Jacobi *Agnus redemit oves*. Poſteà Salome *Mors & vita duello*. Hoc dicto, duo canonici tamquam apoſtoli ſint parati retrò pulpitum, & dicant omnes inſimul ℣. *Dic nobis Maria*. Deinde Magdalena ſola reſpondeat *Sepulcrum Chriſti viventis*, & quando dicitur *Angelicos teſtes*, vertat ſe ad altare ſola, ac demonſtret cum digito angelos prædictos, ſtantes ſuper altare, pronunciando verſum ſupradictum; monſtratis angelis, vertat ſe ad chorum, & dicat *Surrexit Chriſtus ſpes mea*. Finito verſu, chorus dicat: *Credendum magis ſoli*, ac etiam: *Scimus Chriſtum ſurrexiſſe*. His omnibus finitis, regentes chorum incipiant: *Te Deum laudamus*. Interim prædictæ Mariæ & pueri intrent veſtiarium ad deponenda veſtimenta.] Iſtud Sancti ſepulcri officium ad noſtram uſque ætatem perduravit in eccleſia Narbonenſi, donec tandem illud omninò ſuſtulit Eminentiſſimus Cardinalis de Bonzi archiepiſcopus Narbonenſis. Simile officium in aliis paſſim eccleſiis, gallicanis præſertim fiebat. Rotomagenſe edidit Joannes Prevotius in appendice ad Joannem Abrincenſem.

Officium Laudum.

XII. Ad Laudum officium in Ordinario Silvanectenſi notantur pro antiphona ſuper primum pſalmum *Alleluia* 7. ſuper ſecundum 3. ſuper tertium 7. ſuper canticum *Benedicite* 2. ſuper pſalmum *Laudate Dominum* 3. quibus expeditis prætermiſſo capitulo, hymno & verſu, dictaque ad canticum de evangelio antiphona, totum officium concludebat oratio.

Diurnum

XIII. Ad horas diei minores poſt verſum *Deus in adjutorium*, prætermiſſo hymno, ſoliti decantabantur pſalmi cum antiphona; quibus ſubjiciebantur ℟. *Hæc dies quam fecit Dominus* cum cæteris. Sed in inſigni Lugdunenſi eccleſia Prima, Tertia, Sexta, Nona, cum completorio in choro olim non dicebantur, ſed privatim tantùm recitabantur. In quibuſdam etiam locis nec ℣. *Deus in adjutorium* ad horas præmittebatur, ut in Laudunenſi eccleſia.

XIV. Dicta Prima, inquit Lucas Cuſentinus archiepiſcopus in Ordinario ſuo, unus chorus cum miniſtris ſuis celebret miſſam in altari apoſtolorum, & plures hoſtias conſecret ad communicandum fideles: duo

duo verò alii cum miniſtris ſuis expanſis corporalibus , & calicibus ſuperpoſitis , accipiant Dominicum corpus pridie in euchariſtiali reconditum , & ſuper patenam ponant , & in calice vinum & aquam fundant; & mox de hoſtia Dominici corporis in calicem mittant : ita ut vinum in Sanguinem conſecretur. Sacerdos aliquis ſtola ornatus , cum clerico ſtet ſuper gradum fontis , & benedicat carnes ovium & avium cum ipſarum fructibus , cunctis offerentibus eas , & aſpergat aqua ſanctificata. Celebrata miſſa, repræſentantur coram celebrante ad benedicendum carnes agni aſſi , lac & mel , de quibus in menſa præguſtetur ab omnibus.]

Caput XXV. *De Paſchali Feſto.*

Benedictio carnium.

XV. Hac die Romæ olim ſtatio habebatur ad S. Mariam majorem , ad quam cùm è palatio Summus Pontifex deſcenderet, ubi pervenerat ad merolanam , unus notarius accepta prius benedictione dicebat : *In eccleſia S. Mariæ in hac nocte baptizati ſunt tot maſculi & tot feminæ* , uti videre eſt in ordine Romano auctore Benedicto canonico S. Petri. Idemque fiebat die ſequenti ad S. Petrum , & feria tertia ad S. Paulum.

XVI. Poſt Tertiam ſolemnis agi ſolet proceſſio , quam ita deſcribit Ordinarium Narbonenſe : [Si verò archiepiſcopus fuerit præſens , tunc eat proceſſio ad ipſius palatium ordinatè ; & dum pontifex cum comitivâ ſua decenter veſtimentis paſchalibus decoratus deſcenderit per gradus palatii , incipiat præcentor ℟. *Angelus Domini.* Et ſic proceſſio ritè & ordinatè intret eccleſiam , & ſtante proceſſione in ordine ſuo à porta chori uſque ad cathedram inferiorem , pontifex cum miniſtris ſuis intret chorum , & ſtans ante altare incipiat antiphonam *Vidi aquam* , & præcentor incipiat ℣. *Hæc dies.* Et dum cantatur antiphona , ſpargat altaria aqua benedicta : & dum aſperſa fuerint , revertatur inferius , ubi cathedra lapidea honorificè eſt parata. Et tunc archidiaconus , recepto hyſopo de manu pontificis , ſpargat aquam benedictam ſuper proceſſione ; & cantata antiphona , pontifex dicat ℣. *Oſtende. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.* Oratio *Exaudi nos Domine.* Deinde præcentor ſtans in medio proceſſionis incipiat antiphonam *Chriſtus reſurgens.* Et ſic proceſſio intret clauſtrum , & in primo curſu cantetur ℣. à duobus canonicis : quo dicto , incipiat iterùm præcentor ℟. *Angelus Domini* , & cantetur in ſecundo curſu. Et denuò præcentor incipiat. ℟. *Dum tranſiſſet.* Et cantetur in tertio curſu ad introitum eccleſiæ ℟. *Et valdè manè* ℣. *Mulieres.* cantetur in eccleſia ante pulpitum à duobus clericis, quibus cantor aſſignaverit. Quo dicto , pontifex ſtans intra portam chori dicat ℣. *In reſurrectione tua Chriſte. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oremus. Deus qui hodierna.*]

Proceſſio poſt Tertiam.

XVII. Proceſſionem ſequebatur miſſa , [quæ antequam incipiatur inquit Turonenſe S. Martini Ordinarium , veniat ordo miſſæ reveſtitus in chorum , & ſit cantor cum ſuccentoribus ante januam chori duobus pueris albis in dalmaticis exiſtentibus,duo verò vicarii levitæ reveſtiti in dalmaticis albis ſtante ante Sepulcrum beatiſſimi Martini verſis vultibus ad cantorem incipiant *Quem quæritis* ? Et duo pueri ſtantes ante cantorem

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

reſpondent *Jeſum Nazarenum.* Levitæ *Non eſt hic.* Pueri *Alleluia reſurrexit Dominus.* Tunc unus puer ſolus dicat ter *Accendite*, exaltando vocem. Et alter puer reſpondet totidem vicibus *Pſallite fratres.* Sequitur ſolus puer una vice *Accendite*, Alter puer reſpondet *Pſallite fratres.* Puer *Accendite.* Alter puer reſpondet *Pſallite fratres.* Deinde puer *Accendite.* Alter puer *Pſallite fratres.* Et his peractis, ſimul pueri verſis vultibus ad cantorem dicant *Hora eſt cantate Deo eia*, ſe inclinando quo dicto, incipit cantor officium miſſæ.]

De officio miſſæ.

XVIII. Circa officium miſſæ hujus diei pauca hæc veniunt obſervanda. Primò in miſſali Mozarabum finito hymno angelico *Gloria in excelſis*, ſequentes verſiculi dicendi notantur. [Sanctus Deus, qui ſedes ſuper Cherubim, ſolus inviſibilis, Sanctus fortis, qui in excelſis glorificaris vocibus angelicis, Sanctus immortalis, qui ſolus es immaculatus Salvator, miſere nobis. Alleluia

℣. Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem & virtutem. ℟. Sanctus fortis

℣. Quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, Domine, & dicent. ℟. Sanctus immortalis

℣. Benedictio, & honor, & gloria, & virtus, & poteſtas tibi Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟ Miſerere nobis alleluia.

Si placuerit dicat presbyter hymnum trium puerorum, Benedictus es Domine, *Item dicat presbyter in medium altaris* Per omnia ſæcula ſæculorum ℟. Amen.

Horum verſiculorum loco Pontificale vetus Pariſienſe ms. poſt collectam aſſignat *Triumphum.* Sic enim vocat Laudes quæ in præcipuis feſtis coram epiſcopo in inſignioribus eccleſiis decantari ſolebant *Chriſtus vincit &c.*

XIX. Secundò ex vetuſto miſſali Toloſano neque ante collectam, neque ante evangelium, neque ante offertorium præmittitur ſolita ſalutatio *Dominus vobiſcum.* Hujus ritus cauſam affert Durandus lib. 6. Rationarii cap. 88. his verbis. [Hac die fit ſtatio apud ſanctam Mariam majorem: quia cùm B. Gregorius hac die ibi celebraret, & *Pax Domini* pronunciaret; angelus Domini alta voce reſpondit *Et cum ſpiritu tuo.* Et propter hoc cùm Papa ibi celebrans hac die dicit *Pax Domini*, in teſtimonium hujus miraculi, nihil ſibi reſpondetur.] Verum fides penes auctorem ſit.

Epiſtola & evangelium græcè & latinè

XX. Tertiò ex antiquo ordine Romano auctore Benedicto canonico S. Petri epiſtola & evangelium græcè & latinè pronunciari debent, qui quidem ritus hactenus viget in percelebri S. Dionyſii in Francia monaſterio.

De alleluia

XXI. Quartò Graduale & alleluia hac die atque per totam hebdomadam tam in miſſa quàm in veſperis *retrò altare* cantari jubet Ordinarium Narbonenſe. Alleluia autem in pleriſque eccleſiis cum duplici verſiculo dicebatur. Ita reperimus vetuſto miſſali eccleſiæ Turonenſis ante 600. annos exarato, in Toloſano; & quibuſdam aliis. Neque

verò hîc prætereundum eſt id quod ſcribit Sozomenus libro 7. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 19. [Romæ quot annis ſemel canitur alleluia primo die paſchalis ſolemnitatis.] Quamvis unde id deſumſerit Sozomenus meritò dubitare licet. Nam teſte Sancto Auguſtino in epiſt. 55. alleluia in quinquageſima hoc eſt à paſchate ad uſque Pentecoſten *ubique* cantabatur. CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

XXII. Quintò conſtat ex Sermone 119. S. Auguſtini initium S. evangelii ſecundùm Joannem in miſſa pronunciatum fuiſſe, maximè in ea quæ pro neophytis quibus datum eſt filios Dei fieri, decantabatur, duplex quippè hac die perque totam paſchalem hebdomadam celebrabatur liturgia, una pro neophytis, in qua & communicabant, altera de ſolemnitate, cujus rei reſtat adhuc veſtigium in Miſſali Ambroſiano, in quo duæ leguntur miſſæ hujuſmodi. In ea autem quæ de ſolemnitate, evangelium de Reſurrectione Domini legebatur ſecundum quatuor evangeliſtas, ut teſtis eſt idem Auguſtinus in ſerm. 247. qui decimus octavus eſt in diebus Paſchalibus, prodiitque nunc primùm in nova editione; cujus initium ita effertur. [Reſurrectio Domini noſtri JESU-CHRISTI ſecundùm veritatem quatuor evangeliſtarum heſterno die videtur eſſe completa. Primò enim die lecta eſt de reſurrectione ſecundùm Matthæum, alio die ſecundùm Lucam, tertiò ſecundùm Marcum, quartò ideſt heſterno ſecundùm Joannem. Sed quoniam Joannes & Lucas de ipſa reſurrectione & quæ contigerunt poſt reſurrectionem, plurima ſcripſerunt, quæ non poſſunt una lectione recitari, & heri audivimus aliquid ſecundùm Joannem, & hodiè & adhuc aliæ lectiones reſtant.] Idem videre eſt in ſerm. 232. 234. 239. 246. Ex ſecundo tamen libro de Sacramentis S. Ambroſio vulgò adtributo cap. 2. colligitur evangelium de angeli in piſcinam deſcenſu infrà paſchalem hebdomadam recitatum fuiſſe. De evangelio verò notandum quod ſcribit Sozomenus in lib. 7. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap 19. [epiſcopos in præcipuis feſtivitatibus alicubi illud legere, ut Conſtantinopoli primo die Paſchalis ſolemnitatis.] In quem locum vide Valeſii notas. Initium evangelii S. Ioannis in miſſa pronunciatum.

XXIII. Sextò [Poſt evangelium, inquit Ordinarium Laudunenſe, diaconus alta voce clamat *Humiliate vos ad benedictionem* Chorus reſpondet *Deo gratias*. Epiſcopus facit benedictionem ſuper populum, poſteà incipit *Credo*.]

XXIV. Septimò in antiquo Ordine Romano habetur *Benedictio agni in Paſcha*. Hanc benedictionem tamquam ſuperſtitioſam improbavit Walfridus in libro de Rebus eccleſiaſticis cap. 18. ubi ſic loquitur. [Unde quorumdam ſimplicium error de Judaïcarum ſuperſtitionum ſeminario natus, & ad noſtra uſque tempora quædam vetuſtatis extendens veſtigia, jam ex magna parte ſapientium ſtudio compreſſus eſt. Et ſicubi adhuc perniciosum hujus peſtis germen reviviſcere fuerit comprobatum, mucrone ſpiritali radicitus eſt amputandum. Illum dico errorem, quo quidam agni carnes in paſcha juxta vel ſub altari eas ponentes, benedictione propria conſecrabant, & in ipſa reſurrectionis De benedictione agni.

Alleluia. Hanc antiphonam, hactenùs cantat eccleſia Turonenſis, eamque ex veteri miſſali eccleſiæ ejuſdem ante 800. annos exarato deſcripſimus eamque ante communionem unà dicendam præſcribunt Ordinarium Cabilonenſe, Carnotenſe S. Joannis, Miſſale Pictavienſe, Lugdunenſe Athanacenſis monaſterii, & Ambroſianum. Quonam vero ritu id fieret ita exponit Cabilonenſe Ordinarium : [Venit chorus in cappis poſt communionem ſacerdotis vel epiſcopi. Diaconus & ſubdiaconus ante altare, epiſcopus ante ſeparatur à dextra parte altaris cum mitra & baculo, & incipit cantor antiphonam *Venite populi*, aliis proſequentibus. Et cùm pars illa dicitur, *Ipſum ſolum adoremus*, flectantur genua. Finita antiphona, accipiunt canonici & clerici deſuper ſtallum & alii de ſubſtallum, qui communicari debent, oſculum pacis ab epiſcopo. Poſteà communicat eos epiſcopus, mitra & baculo depoſitis, & laïcos ſi fuerint.] Simili ferè modo loquitur miſſale Athanacenſis monaſterii : [Dicto *Agnus Dei*, ante receptionem vadat abbas vel qui celebrat ad gradus ; & ibi recipiant omnes pacem ab eo. Abbas oſculando fratres dicat unicuique *Pax tecum frater* ; alter verò reſpondeat : *Et cum ſpiritu tuo.* Primò accipiant pacem diaconus & ſubdiaconus : inde majores primi. Quo facto, ad altare revertatur, & tunc omnes in circuitu altaris veniant & cantent alta voce antiphonam *Venite populi.* Cum enim dicitur *Ipſum ſolum adoremus*, omnes flectant genua, & dum ipſa cantatur, habeant duo majores thuribula thurificantes altare. Poſt modum faciant receptionem & communicent omnes, qui non celebraverunt] Quod de pace hic ab abbate aut ab epiſcopo in eccleſiis cathedralibus ante communionem danda dicitur, confirmatur ex Ordinario Bajocenſi, in quo hæc lego : [Non datur pax in choro, ſed antequam communicentur qui communicandi ſunt, det epiſcopus oſculum pacis unicuique antequam communicet.]

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Communio Paſchalis ſub utraque ſpecie.

XXVII. Hic obſervare licet quod ſcribit Petrus Amelius in ſuo Ordine Romano cap. 85. in miſſa pontificia, quæ die paſchæ celebrata fuiſſet, omnes & ſingulos quicumque [verè confeſſi & pœnitentes eſſent, atque corde contriti,] potuiſſe à Papa ſacram communionem accipere [abſque licentia epiſcopi, plebani, vel alterius majoris.] Deinde iiſdem omnibus [qui communicaſſent de manu papæ,], porrectam à diacono fiſtulam [ad bibendum de Sanguine Chriſti.] atque adeò communionem ſaltem paſchalem in miſſa pontificia celebratam fuiſſe ſub utraque ſpecie ad uſque ſæculum 15. quo ille ſuum ſcripſit ordinem circa Martini V. pontificatum. Denique poſt perceptionem Sanguinis quemlibet bibiſſe [modicum de vino cum calice de manu ſacriſtæ vel acolythi calicem tenentis.] Scribit etiam Joannes Belethus in expoſitione Divini officii cap. 119. [ſtatutum eſſe in quibuſdam eccleſiis, & ubique terrarum ſic deberet fieri, inquit, ut illo die panis & vinum in eccleſia habeatur, & cum homines communicaverint, detur unicuique panis buccea priuſquam recedant, & paululum vini, ne forte quippiam de ſacramento in ore remanſerit, quod expuendo facile emitti queat.]

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Unica miſſa in eccleſiis parochialibus ad fidelium communionem.

XXVIII. Porrò cum ex præſcripto eccleſiæ omnes utriuſque ſexu s Chriſti fideles hac die ad ſacram ſynaxim accedere teneantur, ut ea rit è peragеretur, unica olim in ſingulis parochialibus eccleſiis urbis Remenſis miſſa celebrabatur, ad quam omnes communicabant. Ubi tamen major exiſtebat communicantium multitudo, altera miſſa addebatur: Ita videre eſt in pervetuſto Rituali diœceſis Remenſis: [Die Sancto Paſchæ in aliquibus eccleſiis propter multitudinem communicantium ſolet celebrari una miſſa de mane poſt matutinas, in qua adminiſtrantur hi qui juſta ratione non poſſunt communicari in majori miſſa, & presbyter pro libito poteſt facere abſolutionem generalem, & ſimiliter in majori miſſa. In aliis verò eccleſiis ſola miſſa eodem die celebratur, ad quam accedunt communicaturi ſecundùm morem uniuſcujuſque eccleſiæ.] Unicam adhuc hac die miſſam celebrant monachi carthuſienſes, in qua omnes presbyteri de manu prioris communionem percipiunt, ex ſtatutis Guigonis cap. 4.

XXIX. Circa communionem paſchalem non prætereundus eſt uſus antiquus Senonenſis atque Lemovicenſis diœceſis, quem hic ex vetuſtis Ritualibus repræſentare non gravabor.

INSTRUCTIONES FACIENDÆ IN DIE PASCHÆ

Notandum eſt quod hodie quilibet fidelis chriſtianus tenetur ſua omnia peccata proprio ſacerdoti confiteri, & Corpus Chriſti recipere per capitulum. Omnis utriuſque. De pœnitentia & remiſſione. *Tamen ante receptionem debet audire miſſam integram in ſua propria parrochia, genibuſque flexis audire curatum vel vicarium in Gallico dicentem confeſſionem, & poſt eum verba proferre cum contritione dicendo ſic ante altare & exhortando:*

„ Bonnes gens vous devez & êtes tenus aujourd'huy de recepvoir en „ ſainte Egliſe le ſaint Sacrement de l'autel, le trés-precieux & trés- „ glorieux Corps de nôtre Seigneur JESUS-CHRIST, celuy qui na- „ quit de la Benoîte Vierge Marie le jour de Noël, qui ſouffrit mort „ & paſſion en l'arbre de la croix pour nous pecheurs racheter des pei- „ nes d'enfer à tel jour qui fut le vendredy, qui reſſuſcita de mort „ à vie à tel comme il eſt aujourd'huy, & monta és cieux le jour de „ l'Aſcenſion, & qui viendra juger les vifs & les morts les bons & „ les mauvais au jour du jugement. Et je vous amoneſte qu'en cette „ foy & creance vous le veillez recevoir ſaintement& dignement. Car „ ſachez pour verité, que celuy le recevra dignement & devotement, „ il recevra ſon ſauvement; & qu'indignement le recevpra, pour cer- „ tain il recepvra ſa damnation & ſon jugement.

„ Et eſt entendu ce commandement de recevoir aujourd'huy ſon Sau- „ veur pour ceux qui ont ans de diſcretion, & ſont en âge ſuffiſant à „ connoître & diſcerner le bien du mal, & le mal du bien, & qu'ils „ ſoient vrais repentans & confeſſez de tous leurs pechez mortels à

Digitized by Google

leur pouvoir : ne ne doivent étre en haine de creature quelconque, & «
doivent avoir pardonné & remiſſes toutes injures, qui au temps paſſé « CAPUT XXV.
leurs avoient été faites, & avoir crié mercy à toutes autres perſon- « *De Paſchatis*
nes, auxquelles peuvent avoir meffait au temps paſſé, ſe il on peu « *Feſto.*
bonnement ou avoir eſperance & ferme propos qu'ils leurs crieroient «
mercy au temps advenir, s'ils le peuvent trouver. «

Et s'il eſt aucun ou aucune perſonne, qui ſoit en ſentence d'ex- «
communiement ou interdit ; ils ne doivent point recevoir leur Sau- «
veur ; car ils ne ſont point en état de grace : pour la deſobéïſſance «
qu'ils ont fait à leur prelat juſqu'à ce qu'ils ſoient abſouts. Et pource «
leur deffends la Table de Nôtre Seigneur. Je deffends auſſi que nul ne «
nulle de quelqu'état qu'ils ſoient, ſe ils ne ſont paroiſſiens ou paroiſ- «
ſiennes de cette paroiſſe, ne preigne le Corps de Nôtre Seigneur en «
cette Egliſe, s'il ne m'eſt apparu de la licence de leur curé & ſouverain, «
ou autrement. «

Item je deffends à tous paroiſſiens & paroiſſiennes de cette paroiſſe, «
que nuls ne voiſent recevoir leur Sauveur hors de cette Egliſe, ſans «
avoir licence de moy curé:car chaſcun doibt ſçavoir le commandement «
de l'Egliſe, qui eſt tel : Chaſcun Chrêtien ſe doit confeſſer à ſon curé «
ou commis, & recepvoir ſon Sauveur à Pâques, & plus vault obedian- «
ce que ſacrifice : Et auſſi c'eſt grand peril d'aller recepvoir ſon Sau- «
veur hors de ſa paroiſſe:car qui le recepvront d'un religieux ſans avoir «
congé : le religieux ſeroit excommunié ſelon les ſaints Canons, & «
auſſi ſeroit celuy qui recevroit le Corps de Nôtre Seigneur pour la «
participation qu'il auroit avec le religieux excommunié ; & ainſi ne «
recepvroit point dignement ſon Sauveur, mais recepvroit ſon dam- «
nement. «

Item je deffends que nul ne reçoipve le Corps de Nôtre Seigneur «
en cette Egliſe, s'il n'eſt confeſſé à moy, à mes commis, ou aultre «
qui aye bonne auctthorité & puiſſance de laquelle il me ſoit apparut «
par lettres ou aultrement deüement. «

Item je deffends à tous de quelqu'état qu'ils ſoient ne viegnent à «
la Table de Nôtre Seigneur s'ils ſont en haine de leur prochain : c'eſt «
à dire en haine de quelque creature chrêtienne, ou s'ils ſe ſentent en «
quelqu'autre peché mortel ſecret ou notoire ; car veritablement ils «
ſeroient trés grande folie & encourreroient trés-grande indignation «
de Dieu. «

Item nul ne doit venir à la Table de Nôtre Seigneur, s'il n'a oüy «
meſſe entiere, & ne ſe doit nul hâter de recepvoir ſon Sauveur «
pour plûtôt boire ou manger viandes nouvelles : car ſe ſeroit glou- «

Digitized by Google

„ tonnie, ſe il n'eſt cauſe neceſſaire a.

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

„ Et devez, bonnes gens, aprés ce que vous aurez reçeu vôtre „ Sauveur vous garder ſaintement, dignement, & devotement pour „ l'honneur & reverence de Dieu, principalement qu'il veut aujour- „ d'huy étre habergié & logé en vôtre hôtel & domicille, & pour le „ ſauvement de vos ames. Lequel ſauvement vous ne pouvez avoir „ ſans la grace de ce Benoît hôte nôtre doulx Sauveur JESUS-CHRIST. „ Or luy devons donc faire bonne chere & lieſſe, & grand joye mener en „ eſperance de vôtre ſaulvement; & ne debvez ce trés-Benoît hôte par „ peché bouter hors d'avec vous.

„ Auſſi bonnes gens, qui avez enfans & familles & autres jeunes „ gens en gouvernement qui ſont diſpoſez de recevoir leur Saulveur, „ vous les debvez enſeigner & introduire comme ils ſe doibvent main- „ tenir & garder de peché; & auſſi bonnes gens vous devez ſçavoir „ qu'afin de mouvoir les cueurs des creatures à plus grande devotion „ pour remiſſion des pechez veniels; & pour diminuer & relâcher les „ peines qui nous ſont deuës pour nos pechez, & grace impetrer. Il „ eſt accoûtumé de faire aujourd'huy une forme & maniere d'abſolution „ generale en ſainte Egliſe: mais nul ne ſe doit fier ne croire qu'elle luy „ vaille pour abſolution de quelque peché mortel: dont il aye me- „ moire, s'il n'en eſt confeſſé ſecretement & particulierement de ſa „ bouche a prêtre bien repentant, & ayt fait ſatisfaction, ou promis „ à faire le plûtôt que bonnement pourra, & qu'il le faſſe ſans „ fraude.

„ Et debvez recepvoir aujourd'huy vôtre Sauveur pour quatre cauſes. „ La premiere eſt parce que vous devez étre plus diſpoſez pour le „ ſaint temps de Carême, lequel debvez avoir bien employé en jeunes, „ en aumônes, en oraiſons & penitences.

„ La ſeconde cauſe eſt pour la Paſſion de Nôtre Seigneur, & pour „ nôtre redemption, deſquelles ſainte Egliſe fait aujourd'huy fête & „ ſolemnité, laquelle cauſe vous doit bien mouvoir à devotion.

„ La tierce cauſe eſt afin que ainſi que Nôtre Seigneur reſſuſcita

a *Rituale Senonenſis diœceſis addit:* Item je defens que nul uſurier ne uſuriere occultement ne manifeſtement juſqu'à pleine ſatisfaction faire viennent à la table de Nôtre Seigneur.

Item je defens nul Sorcier ou Sorciere, ne perſonne qui y croye, juſqu'à ce qu'il ſoit vrais confes & repentans; vienne à la table de Nôtre Seigneur.

Item je defens que nul ne nulle qui aura retenu les droits de ſainte Egliſe, & qui empêche la juriſdiction & franchiſe d'icelle, & qui n'aura payé loyaument les dîmes & ſes droitures, & qui aura detourbé à autruy de faire oblations ou autres biens, juſqu'à pleine ſatisfaction faire, vienne à la table de Nôtre Seigneur.

Item je defens que nul ne nulle, qui n'aura été de trois Dimanche l'ung à ſa paroiſſe, s'il n'a eu excuſation raiſonnable vienne à la table de Nôtre Seigneur avant confeſſion.

Item je defens que nul ne nulle ayant quelque choſe de l'autruy, s'il n'a trés-bonne voulunté de le rendre de brief, vienne à la table de Nôtre Seigneur.

aujourd'huy

aujourd'huy corporellement de mort à vie pour recepvoir ſon precieux corps & digne Sacrement, vous puiſſiez aujourd'huy aveque luy reſuſciter ſpirituelement de péché à grace digne d'obtenir ſaulvement. « « « «

Caput XXV. *De Paſchatis Feſto.*

La quarte choſe eſt pour ce que pres de ce jour le Sacrement de l'autel fut inſtitué de Jesus-Christ Nôtre Seigneur, c'eſt à ſçavoir jeudy à la Cene, quand il conſacra ſon pretieux corps & le communiqua à ſes benoiſts apoſtres en ſignifiant qu'ainſi debvons nous faire. « « « « «

Confessio generalis

Et pource ainſi commancerons cette confeſſion generale & tous & toutes direz aprez moy. « «

Je me confeſſe à Dieu le Pere tout puiſſant, à la benoiſte Vierge Marie, à monſeigneur S. Michel ange & archange, à monſeigneur S. Pierre, à monſeigneur Saint Pol, à tous les Apoſtres, à monſeigneur Saint Eſtienne, à monſeigneur Saint Vincent, à monſeigneur Saint Laurent, & à tous martyrs, à monſeigneur Saint N. mon Patron, à monſeigneur Saint Nicolas, & à tous Confeſſeurs, à madame Sainte Catherine, à toutes Vierges & à tous Sainčts & Saintes, & à vous Sire vicaire & lieutenant de Dieu, de tous les pechez que j'ay fais oncques depuis l'eure que je fus né, juſqu'à l'eure de maintenant, deſquels ils me ſouvient & de ceulx que ne me ſouviens pas. Car j'ay peché en ſept peché mortels es branches & dependances d'iceulx. Premierement en orgueil, en deſloyauté, en ingratitude, en deſpit, en deſdaing, en innobeiſſance, en arrogance, en outrecvidance, en preſomption en honte perdue, en vantance, en deriſion en rebellion, en elation de mon cueur, en ambition, en vaine gloire, en deſirant honneurs, en hypocriſie. En vanité mondaines, en moy trop priſes pour ma beaulté, pour ma force, pour mes amys, pour ma louange. J'ay été rebelle à bon conſeil querir & croire, & au commandement de Dieu faire & obeir. J'ay peché au peché d'envie, en ayant deplaiſance du bien d'aultruy, en detraction de pluſieurs perſonnes, en faulx jugemens & faulces ſuſpicions, en mal raporté, en deſirant par envie puiſſance, prouëſſe, haulteſſe, franchiſe, nobleſſe & pluſieurs proſperitez mondaines. J'ay peché en ire, en felonie, en mautalent, en rencune & haine, en tançons, en courroux, en murmure, en dureſce, en diverſité, en nommant l'ennemy: en deſirant la mort, en impatience des pertes, de paroles, de maladies, de paour, d'avoir peu & pluſieurs aultres adverſitez. «

J'ay peché en avarice, en rapine, en convoitiſe, en eſtre trop tenant, & convoiteur du bien d'aultruy & des biens de ce monde: en être peu piteux & peu miſericordieux, en meconter, en acquerir trop ardemment richeſſes & faulſes marchandiſes par baral, par fallaces, par ſubtilité & desloyauttés, en diſant menſonges, en faiſant ferment, par jurement, « « « « «

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

„ pour plus cher vendre mes denrées & plus grand marché prendre & „ avoir.

„ J'ay peché en gloutonnie,en trop manger,en trop boire,trop ſouvent, „ trop ardemment, trop curieuſement & plantureuſement, par faulx de- „ ſirs,par grand delit,par mauvaiſe accoutumance, en follement donner, „ & en follement depenſer, ſans fein, ſans ſoif, & ſans neceſſité, en „ gloutonnie de langue de trop parler, en detraction, en flatterie, en „ menterie, en dire vilainies d'aultruy, en parolles oiſeuſes, en van- „ tance, en blaſpheme; en rebellion, en maugreer Dieu & les Saints, „ en depiter, en mentir; en recorder bourdes, trouſſes, & mocque- „ ries, en jurer & parjurer legierement, follement, à penſement „ vilainement & faulcement, appartement, couvertement; en tançer „ & menaſſer; en eſtriver, en langaiger, en murmurer, en accuſant „ peché d'aultruy, en excuſant le mien peché, en mauvais conſeil „ donner, & ſemer diſcord, en porter nouvelles, en controuver parolles, „ en reveler conſeil d'aultruy, en moy taire quand le temps eſt de par- „ ler, en parler quand le temps eſt de moy taire.

„ J'ay peché ou peché de luxure, par tentation, par illuſion, par „ delectation, par ſuperfluitez, par mauvais raports, par mauvais „ recors, par faulces ſuſpicions, par conſideration deſordonnée, „ par faulx deſirs, par mauvais plaiſir, en deſirant habits trop cu- „ rieux, comme robes, joyaulx, chappeaulx, joyes, lieſſes, danſſes, „ fleurs, odeurs, feſtes, deduits, ſoulas, esbattements, & pluſieurs „ autres beautez & delices attrayant, & emouvants, à ce dit peché de „ luxure en pluſieurs manieres.

„ J'ay peché de pareſſe, en foibleſſe, en mouleſſe, en dormir, en „ geſir, en trop querir les aiſes de mon corps, en nonchalance, en „ oubliance, en ignorance, en negligence commiſe de certaine ſcience, „ en faulce accoutumance, en eſperance de moy amander, en defail- „ lance de Dieu loüer, honorer, & doubter, & par le contraire j'ay „ été onclin à mal faire prouſt, & leger à folie, & hardy à peché.

„ Je n'ay pas eu les ſept vertus contraires aux ſept pechez mortels, „ comme humilité contre orgueil, charité contre haine, patience con- „ tre ire, diligence contre pareſſe, largeſſe contre avarice, abſti- „ nence contre gloutonnie, chaſteté contre luxure. Sire c'eſt ma „ coulpe.

„ J'ay trepaſſé les commandemens de la loy, je n'ay pas aimé Dieu „ de tout mon cueur, de toute ma force, & de toute mon ame, & „ mon prochain comme moy-méme, ne fait à Dieu telle reverence „ que je deuſſe. J'ay juré en vain le nom de Dieu & de ſa benoiſte „ mere Vierge glorieuſe, & de ſes benoiſt Saints & Saintes, j'ay mal „ gardé les feſtes, je n'ay pas honnoré Pere & Mere tant comme ſpi- „ rituels comme corporels. J'ay aucunesfoy voulu & deſiré la mort „ d'aultruy, & meurtry mon ame par le peché. Je n'ay pas eu pureté „ de vie, ne chaſteté en mariage, je n'ay pas porté bon temoignage

du bien d'aultruy & choſe induement & ſans cauſe.

Caput XXV. De Paſchatis Feſto.

Je ne me ſuis pas diſpoſé à recevoir, & mettre en œuvre les ſept dons du S. Eſprit, c'eſt à ſçavoir doulter de meſprendre, étre debonnaire & piteux d'aultruy, mal ſçavant, pour moy meſmes enſeigner, conſeiller aultruy, étre fort à reſiſter aux vices, avoir vray entendement par eſpecial, qu'eſt neceſſaire au ſalut, & avoir ſapience non pas de ce monde : qui eſt folie à Dieu, mais debonnaireté celeſte.

Je n'ay pas été porté, ne fait honneur aux ſept Sacremens de ſainte egliſe, comme je deuſſe, c'eſt à ſçavoir au ſaint ſacrement de bapteſme par lequel je ſuis Chriſtien, au ſaint ſacrement de confeſſion par lequel je ſuis reconcilié à Dieu mon createur, au Saint Sacrement de mariage lequel eſt ordonné pour avoir lignée, au Saint Sacrement d'ordre des preſtres, ne conſideré comme ils ſont vicaire de Dieu pour moy adminiſtrer les Saints Sacrements, au Sacrement de l'autel qui eſt vrayement Nôtre Seigneur JESUS-CHRIST, au Sacrement de confirmation, qui eſt pour ſupplier & parfaire les negligences de bapteſme, ne au Sacrement d'enhuillement, qui eſt le dernier Sacrement des chreſtiens qui ſe departent de cette vie mortelle.

Je n'ay pas loué Dieu es heures du jour, ni accompli les ſept œuvres de miſericorde. Je n'ay pas eu pitié des pauvres de Noſtre Seigneur, ne repeu quand ils avoient faim, ne donné à boire quand ils avoient ſoif, ne veſtu quand ils étoient nuds, ne habergé en leur neceſſitez, ne conforté, ne viſité quand ils eſtoient malade & priſonniers, ne enſevely les morts.

Je n'ay pas accomply les ſept œuvres de miſericordes ſpirituelles. Je n'ay pas enſeigné les ignorants, ne conſeillé les deſconſeillés, ne ne retrait les pecheurs de peché, ne conforté les deconfortés, pardonné à ceulx qui m'ont meſfait, ne prié pour l'amendement des mediſants, ne porté les nonchaſchants.

J'ay commis les pechez deſſuſdits en grande partie d'iceulx par faulx de bien gouverner mes cinq ſens de nature leſquels Dieu m'a preſté, premierement de l'ouir auquel j'ay peché par mal ouy & ecouter volontier & retenir les ſens de la veuë, auquel j'ay peché par mauvais regard, par delectation ; le ſens de l'odorat, auquel j'ay peché par mal ſentir, flerer & odorer ; le ſens de la bouche auquel j'ay peché par mal parler gouſter, & ſavourer ; le ſens de l'attouchement auquel j'ay peché par mal toucher, & mal venir, & mal aller, & en mon cueur follement penſer.

Si je confeſſe tous pechez deſquels je ſuis coupable à l'honneur de Dieu & de la benoiſte Vierge Marie au ſalut de mon ame à la confuſion de tous les ennemis d'enfert, & en promet amendement, & j'ay bonne volunté, & ferme propos de moy tenir & garder de peché. Et pource pour toute offenſe de tout mon temps mal employé au temps paſſé, je dis ma coulpe, ma grieſve coulpe, & ma tres-grande

„ coulpe, & crye devotement mercy à Noſtre Seigneur, & tres-humblement requiert abſolution ſelon la grande miſericorde de Noſtre „ Seigneur, & me recommande à la benoiſte Vierge Marie, & à monſeigneur Saint N. mon Patron à tous Saints & à toutes Saintes, qui „ veilhent Dieu prier pour moy, qu'il me doint ſa grace & me pardonnent tous mes pechez, & vous, mon Pere ſpirituel, mon curé „ vicaire & miniſtre de Dieu, veilhiez abſoudre ſous la tres-grande miſericorde de Noſtre Seigneur à laquelle je me ſoumets.

„ Ceux qui ſçavent *Confiteor Deo* le diſent, & les aultres *Pater noſter*, „ *Ave Maria*, Presbyter *Amen*.

Per reſurrectionem Domini noſtri JESU-CHRISTI, & per intentionem Beatæ Mariæ Virginis, & per merita Beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra, & perducat vos JESUS filius Dei ad vitam æternam. Amen.

Abſolutio

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, ſpatium veræ pœnitentiæ, emendationem morum, & vitæ, gratiam, conſolationem S. Spiritus tribuat vobis omnipotens Deus, pius & miſericors Dominus. Amen.

Alia abſolutio

OREMUS.

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui in cruce moriens pro omnibus, latroni peccata condonavit, quique in hac die ſanctiſſima reſurgens à mortuis mortuos ad vitam reparavit, dignetur vos abſolvere lotos ſuo ſanguine. Et ego licet indignus miniſterium ejus gerens in quantum poſſum & debeo vos abſolvo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Alia abſolutio

Dominus noſter JESUS-CHRISTUS qui dixit diſcipulis ſuis; quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, de quorum numero me licet indignum miniſtrum eſſe voluit intercedente B. Maria, B. Michaële archangelo & beato Petro apoſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, vos abſolvat, & auctoritate Dei & eccleſiæ mihi commiſſa vos abſolvo à ſententia excommunicationis, & interdicti, ſeu à participatione cum excommunicatis, & ab omnibus peccatis veſtris quibuſcumque cogitatione, locutione, vel operatione, negligentia egiſtis; à quorum vinculis abſolutos perducere vos dignetur ad regna polorum. Per omnia

Et benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti,

Digitized by Google

deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper in nomine † Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Accedant illi qui volunt recipere Corpus Chriſti ℣. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Conſimilem ritum videre eſt in pervetuſto Rituali diœceſis Remenſis.

XXX. [*Solebant olim epiſcopi tempore paſchalis feſtivitatis eu hariſtiam ad alios epiſcopos tranſmittere eulogiarum nomine*,] uti obſervat Henricus Valeſius in notis ad Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam lib. 5. cap 2. Id tamen prohibuiſſe videtur Concilium Laodicenum canone 14. vetans [Ne Sancta inſtar benedictionum in feſto Paſchæ ad alias parrochias tranſmittantur.] Extat nihilominus apud Marculfum libro 2. Formula qua epiſcopus alteri epiſcopo in Reſurrectione Domine eulogias mittit. Solebant etiam epiſcopi in gratiam ſolemnitatis clericis ſuis munus aliquod impertire. Id patet ex depoſitione Samuelis cujuſdam adverſus Ibam Edeſſenum epiſcopum, quæ habetur in Concilio Calcedonenſi actione 10. pag. 651. in qua inter alia ſic loquitur: [Conſuetudo eſt in eccleſia in die ſancto Paſchæ, aut ante diem, dare eum (epiſcopum) de manu clericis quædam pro feſtivitate. Hæc daturus alloquitur primitus, & ſic dat.] &c. Eucharistia eulogiarum nomine miſſa.

XXXI. Denique in miſſa Mozarabum, ſacra finita liturgia, presbyter vel diaconus dicit: *Exultemur & lætemur hodie. Reſurrexit Rex æterna gloriæ, noſtra reſurrectio: benedicat omnis caro Domino.* Reſpondet chorus: *Exultandi & lætandi tempus eſt: Paſcha noſtrum immolatus agnus eſt, qui noſtras miſerias expurgavit, illi demus gratias.*

XXXII. Poſt miſſam olim Summus Pontifex faciebat convivium, in quo agno aſſo primùm benedicto, exceptam de illius carnibus particulam porrigebat priori baſilicario, dicens: *Quod facis, fac citius. ſicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remiſſionem.* Et mittebat in os ejus. Reliquum agni undecim diſcumbentibus, & aliis quibus vellet diſtribuebat. Ad dimidium verò convivii ex præcepto archidiaconi ſurgebat quidam diaconus, & lectionem pronunciabat, cantores autem ex præcepto pontificis ſequentiam feſtivitati congruentem modulatis organis decantabant, qua finita, oſculabantur pedes pontificis, qui dabat *eis coppam plenam potione*, atque à ſacellario unum bizantium accipiebant. Hæc omnia fusè deſcribit Benedictus S. Petri canonicus. Hujuſmodi convivium imitatus fuiſſe videtur S. Udalricus epiſcopus Auguſtenſis, in cujus vitæ capite 4. ita ſcribit Gerardus presbyter: [Miſſa itaque devotiſſimè religioſiſſiméque decantata, cunctiſque ſacramenta Chriſti accipientibus, & in ſua revertentibus, ille ad cibum acceſſit: ibi menſas tres omni decore præparatas invenit, unam cui ille cum quibus volebat adſedere ſolebat, & aliam matriculis, tertiam congregationi S. Afræ. Sanctificato itaque cibo, carnes agni & particulas lardi inter miſſarum ſolemnia benedicti, omnibus diſpenſavit, & tunc demum cibum cum eis omni gaudio ſumpſit. Tempore autem ſtatuto ſymphoniaci venerunt, quorum tam copioſa multitudo fuit, ut penè interca- Convivium epiſcopi.

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchali Feſto.*

pedinem aulæ ſecundùm ordinem ſtando implevissent, & tres modos ſymphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, canonici præcipiente epiſcopo caritatem accipientes, & rogantes unum Reſponſorium de reſurrectione Domini interim decantaverant.] Idemque in aliis menſis ſucceſſivè fieri curabat. Hic etiam obſervare juvat id quod ſcribit Joannes Belethus in expoſitione divini officii cap. 118. [In quibuſdam, inquit, regionibus pro more receptum eſt, ut in magno vaſe omnia quæ velint illo die comedere fercula ad eccleſiam deferant, in cujus atrio & veſtibulo à ſacerdote cum cruce & aqua luſtrali, quam benedictam dicimus, in ſacris veſtibus benedicuntur. Poſteà verò ſacerdos aliquid ſibi de ſingulis ad ſuam neceſſitatem ſumit.] Idem docet Guillelmus Durandus in lib. 6. Rationarii cap. 86.

De veſperis. XXXIII. Veſperæ pleriſque in locis non à ſolito verſu *Deus in adjutorium* incipiebantur, ſed ejus loco chorus epiſcopum cum ſolemni pompa in eccleſiam deducendo cantabat *Kyrie eleiſon*. Ita præſcribitur in vulgato ordine Romano, apud Alcüinum, in pervetuſto Pontificali Pictavienſi, in Ordinario Argentino, in Laudunenſi, in Noviomenſi & quibuſdam aliis. In Breviario Catalaunenſi ab annis circiter 400. ſcripto Primum ponitur ℣. *Deus in adjutorium*, deinde *Kyrie eleiſon*: ſequuntur antiphonæ & pſalmi. An verò huc referri debeat illud Herardi Turonenſis archiepiſcopi in Capitulari n. 114. [Quando populus ad eccleſias venerit per dies ſolemnes, aut communiter *Kyrie eleiſon* cantent, aut ſingulariter orationem dicant.]

XXXIV. Solemniſſimo omnium ritu perſolvebantur, omnibus in cappis aut ſaltem in albis exiſtentibus. Tribus conſtabant pſalmis cum antiphonis, prætermiſſoque hymno & capitulo, ſequebatur ℟. *Hæc dies*, Alleluia cum verſu ut in miſſa, antiphona ad canticum *Magnificat*, quam repetitam ſequebatur pro veſperarum concluſione collecta. Ita communis paſſim uſus obtinebat. Eccleſia tamen Sueſſionenſis ſolitos quinque pſalmos decantabat.

Proceſſio ſerotina. XXXV. Poſt veſperas fiebat proceſſio ſolemnis ad fontes, in qua duo vel tres pſalmi decantari ſolebant: in cujus reditu ſtatio fiebat ad crucem, hoc eſt ante crucifixum in eccleſiæ navi ſuſpenſum.

XXXVI. Singularis eſt ritus eccleſiæ Bajocenſis in qua [hora quinta poſt meridiem fit proceſſio ſolemniſſima, in qua defertur ſacroſanctum Corpus Domini à Domino epiſcopo ſub baldachino per circatam eccleſiæ.]

XXXVII. [Ad completorium, inquit Ordinarium Laudunenſe, non legitur collatio, nec dicitur *converte nos*, nec *Deus in adjutorium*, nec antiphona, nec hymnus, nec capitulum, nec *Cuſtodi nos*, nec preces dicuntur, ſed tantùm pſalmi *Cum invocarem. In te Domine ſperavi, Qui habitat. Ecce nunc.* Pſ. *Nunc dimittis. Alleluia* ſemel ac ℟. *Hæc dies* ſine verſu. Oratio *Deus qui hodierna die* & ſic per totam hebdomadam.] Idem ferè aliarum eccleſiarum erat ordo. Hæc ſunt præcipua quæ de paſchalis feſtivitatis ritibus obſervanda habebamus, ad quorum

pleniorem intelligentiam integros quarumdam eccleſiarum ritus hic ſubjicere viſum eſt operæ pretium.

Caput XXV. *De Paſchatis Feſto.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ PICTAVIENSIS IN DIE PASCHATIS

Ex pervetuſto Pontificali ejuſdem eccleſia

AD *invitatorium antiphona* Alleluia ſurrexit Dominus vere; venite adoremus alleluia. *Item alia antiphona* Præoccupemus faciem Domini alleluia *de ipſa antiphona* Alleluia alleluia alleluia *Antiphona* Ego ſum qui ſum *Pſal.* Beatus vir. *Antiphona* Poſtulavi Patrem meum, *Pſal.* Quare fremuerunt gentes. *Antiphona* Ego dormivi & ſomnum cœpi. *Pſal.* Domine quid multiplicati ſunt. ℣. Surrexit Dominus vere.

Lectio 1. Multis vobis lectionibus, fratres cariſſimi, per dictatum loqui conſuevi, &c. *ex homilia* 21. *S. Gregorii in evangelium.* ℟. Angelus Domini deſcendit de cœlo ℣. Et introeuntes &c. *Lectio* 2. Audiſtis, fratres cariſſimi, quod ſanctæ mulieres &c. *Ibidem.* ℟. Angelus Domini loquutus mulieribus ℣. Jeſum quæritis &c. *Lectio* 3. Notandum verò nobis eſt *&c. uſque* cæleſtis patriæ damna reparantur. *Ibidem* ℟. Dum tranſiſſet ſabbatum ℣. Et valdè mane una ſabbatorum.

In matutinis laudibus alleluia *de his antiphonis canenda eſt. Antiphona.* Angelus autem Domini. Alleluia, alleluia, alleluiá, alleluia. *Antiphona.* Erat autem aſpectus ejus alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Antiphona.* Præ timore autem ejus alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Antiphona* Reſpondens autem angelus, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Antiphona* Jeſum qui crucifixus eſt quæritis alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Antiphona* Et valdè mane una ſabbatorum. *In evangelio.*

Dominica ſanctum Paſcha ſtatio in principio, hoc eſt ad baſilicam majorem Sancta Genitricis qua praſepis honorificè attollitur faſtigio.

Ad introitum Reſurrexi. *Pſal.* Domine probaſti. *Ad* ℟. Intellexiſti cogitationes. *Item ad* ℟. Hæc dies ℣. Confitemini. Alleluia. Paſcha noſtrum. ℣. Epulemur. *Offertorium.* Terra tremuit ℣. 1. Notus in Judæa. ℣. 2. Et factus eſt in pace. ℣. 3. Ibi confregit cornu. *Antiphona ante communionem* Venite populi ad ſacrum *Communio* Paſcha noſtrum *Pſal.* Confitemini. *Ad* ℟. Cantate ei & pſallite. *Oratio ad miſſam.* Deus qui hodierna die. *Lectio* Epiſtola B. Pauli apoſtoli ad Corinthios. Fratres, expurgate. *Sequitur Sanctum evangelium ſecundum Marcum* In illo tempore Maria Magdalene. *Super oblata* Suſcipe, Domine quæſumus, *Præfatio* Vere dignum Te quidem omni tempore &c. *Alia præfatio* Te quidem omni tempore ſed in hoc præcipuo die laudare & benedicere & *Infrà canonem* communicantes. *Infrà actionem* Hanc igitur oblationem. *Ad complendum* Spiritum nobis Domine. *Alia* Omnipotens ſempiterne Deus quî ad æternam.

Sanè ad Primam iſto die expletis pſalmis dicitur ℣. Exurge Domine ad-

juva nos *cum* alleluia ; *& completur oratio à presbytero ſine* Kyrie eleiſon *& capitulis conſuetudinariis. Sed & ad reliquos curſus poſt expletionem pſalmorum ſubſequuto* Alleluia *cantatur ab omnibus ſolemniter gradalis* Hæc dies quam fecit Dominus. *Et poſt hæc dicitur oratio à presbytero. Qui modus obſervatur per totam hebdomadam uſque in depoſitionem albarum.*

Ad veſperas verò inluminata eccleſia , convenient temporius omnes albis induti, & à loco crucifixi incipiunt Kyrie eleiſon,*Quo dicto tertio,annuente ſacerdote,primus ſcolæ aliquantulum altius* Chriſte eleiſon *incipit. Et hoc tertio peracto,repetit* Kyrie eleiſon,*annuente ſacerdote quoad uſque ad ſanctum altare cantando venientes,aſcendentibus presbyteris,& reliquis quibus convenit, in proprium ſtatuuntur omnes juxta ordinem ſuum locis ſuis. Et finito* Kyrie eleiſon , *annuente priore , incipit primus ſcolæ* Alleluia *in pſalmo* 108. *Et poſt eum cui ipſe juſſerit per omnes uſque* 113. *quo finito cum* Alleluia *ſibi impoſito , mox incipit primus ſcolæ gradualem* Hæc dies quam fecit Dominus. *Quo decantato , incipiunt* Alleluia. Paſcha noſtrum *cum* ℣. Epulemur. *Quibus expletis cum melodia ſequentiarum , incipitur antiphona in evangelio.* Scio quod Jeſum quæritis. *Et poſt hæc completur oratio à presbytero. Inde pergunt ad fontes cum* Alleluia confitemini & invocate nomen ejus. *Et decantata antiphona.* Et reſpicientes , *data oratione , pergunt ad ſecundum poſitionem loci per alias eccleſias cum* alleluia Dominus regnavit decorem , *& cum* ℣. Elevaverunt flumina Domine alleluia. Jubilate Deo omnis terra alleluia. Omnes gentes plaudite manibus, alleluia. Exultate Deo alleluia. Venite exultemus. ℣. Præoccupemus. Alleluia Te decet. ℣. Replebimur alleluia. Dominus regnavit exultet alleluia. Laudate Dominum omnes gentes. Alleluia Lauda anima mea Dominum. Laudate pueri Dominum. ℣. Sit nomen Domini benedictum. Alleluia. Lauda Jeruſalem Dominum. ℣. Qui poſuit fines tuos pacem. *Poſt decantatum verò* Alleluia , *canitur antiphona de evangelio ſicut in unaquaque feria in antiphonario habentur , prout primus ſcolæ voluerit , & poſteà dicitur oratio ex his quæ ad fontes , ad crucem , ad S. Andream ad S. Joannem in Sacramentorum continentur. Qui modus per totam hebdomadam uſque in albarum depoſitionem obſervatur.*

RITUS INSIGNIS ECCLESIÆ SUESSIONENSIS

Ex ms. Rituali ejuſdem eccleſiæ.

Ordo ad matutinos in nocte sequenti.

SUmmo diluculo pulſentur omnia ſigna : deinde bina & bina , ad ultimum verò ter ſimul iterum omnia ſigna pulſentur. Pavimentum intereà totius presbyterii & chori hedera & aliis viridibus foliis ſternatur. Eccleſia preterea cereis accenſis à capite uſque ad pedes per circuitum veſtiatur. Altare ſacroſanctum amplificato numero cereorum lumine circumdetur. Numerus verò cereorum circa altare & ante ſit nonaginta unius. Funiculus inſuper

ſuper à capite uſque ad pedes eccleſiæ protendatur, in quo circulus quidam ferreus habens 7. cereos ſuper oſtium ſepulcri in altum dependeat. Circulus autem iſte, qui & ſtella à nobis nuncupatur, verum luciferum, qui mane reſurrexit, deſignat. Adhuc autem decem cerei ad crucifixum accendantur. In initio verò omnium iſtorum cuſtos clericus deferat cum ſummo honore ad ſepulcrum in ſuperpelliceo Corpus Dominicum in vaſculo, à die Cœnæ reſervatum, ponens illud ſuper altare. His peractis, duobus antiquioribus ac duobus diaconis in choro ſedentibus cum cappis de pallio, pontifex in ſede ſua cum cappa de pallio mitratus ſtans incipiat Domine labia mea aperies. Deus in adjutorium. *Presbyteri & diacones prædicti invitatorium* Alleluia Chriſtum Dominum reſurgentem *totum decantant, & totum repetitur à choro, quo decantato per ordinem, juſſu cantoris incipiat epiſcopus antiphonam* Ego ſum qui ſum. *Cantor in medio chori cum cappa de pallio Pſal.* Beatus vir *Nullum pneuma dicitur in fine illius antiphonæ in matutinis iſtis. Succentor cum cappa de pallio injungat præpoſito ſecundam antiphonam* Poſtulavi *Pſal.* Quare fremuerunt. *Cantor majori archidiacono tertiam antiphonam* Ego dormivi. *Pſal.* Domine quid. *Duo clericuli in albis* ℣. Oportebat Chriſtum pati. *Chorus* Et reſurgere à mortuis. *Hebdomadarius diaconus primam lectionem in evangelium ſecundùm Marcum cum cappa de pallio.* In illo tempore Maria Magdalenæ & Maria Jacobi & Salome. Omilia B. Gregorii Papæ multis vobis. *Homilia legitur ad tres lectiones. Duo ſubdiaconi primum* ℟. *cum* ℣. *& gloria. Secundam lectionem præpoſitus ſi fuerit diaconus. Sin autem major archidiaconus. Duo ſacerdotes ſecundum* ℟. *cum* ℣. *& gloria. Ultimam eat legere epiſcopus lectionem mitratus & cum cappa de pallio, ac duobus cereis præferentibus. Duo archidiaconi tertium* ℟. *quo finito cum Gloria, iterum incipiant ipſum cantor & ſuccentor.* ℟. Dum tranſiſſet. *Tunc eat proceſſio ad ſepulcrum ſic: Pueri primum ferentes tintinnabula, & alii cum vexillis: deinde candelabra, thuribula, crux, quatuor ſubdiaconi in albis. Hos ſequentur duo presbyteri cum cappis de pallio: ceteri quoque in ordine ſuo: ad ultimum epiſcopus cum baculo paſtorali & mitra & cappa de pallio; cum ipſo verò capellanus. Et cum perventum fuerit ad ſepulcrum, inveniantur ibi duo diacones albis ſimplicibus capitibus amictis, coopertis, niveis dalmaticis ſuperinduti. Hi in ſimilitudine angelorum ad feneſtram ſtantes ſepulcri unus ad dextram, & alius ad ſiniſtram, voce humillima, & capitibus inclinatis verſiſque ad ſepulcrum* Quem quæritis in ſepulcro o Chriſticolæ? *Duo presbyteri in cappis de pallio in loco mariarum*: Jeſum Nazarenum crucifixum, o Cælicolæ. *Duo diacones angeli*: Non eſt hic, ſurrexit ſicut prædixerat: ite nunciate quia ſurrexit. *Presbyteri qui & Mariæ dicuntur voce altiori reſpondeant:* Alleluia Reſurrexit Dominus hodie: reſurrexit Leo fortis, Chriſtus filius Dei: Deo gratias, dicite eya. *Tunc capellanus de ſepulcro ab intus in ſuperpelliceo ſtans porrigat diaconis angelis vaſculum cum Corpore Dominico, & ſtatim pulſentur tintinnabula, & omnia ſigna eccleſiæ. Cantor autem incipiat* Chriſtus reſurgens. *Tunc extendatur velum quoddam ſuper Corpus Dominicum à ſubdiaconis quatuor. Cerei quoque cum*

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Digitized by Google

Caput XXV. De Paſchatis Feſto.

vexillis, thuribulo, & crucibus præcedant. Presbyteri nempe prædicti, acceptis thuribulis, conducant illud ſuper incenſantes, unus à dextris, & alius à ſiniſtris, ſtella prædicta ſuperduce, quo deportato à diaconis honorifice, & ſuper altare oblato, ferra circa altare claudantur. Finitaque antiphona ſuperiori Chriſtus reſurgens; *epiſcopus in ſede ſua ſtans juſſu cantoris incipiat* Te Deum laudamus. *Qui dum cantatur à choro, duo majora ſigna tantummodo pulſentur. Intereà vexilla, crux, cerei, thuribula cum tintinnabulis ſonantibus ante altare moreantur. Finito* Te Deum laudamus, *iterum omnia ſigna pulſentur: incenſum quoque illud quod à presbyteris Dominico Corpori offertur ab ipſis epiſcopo cantori & ſuccentori & omnibus presbyteris in choro defertur: deinde à clericulis ceteris in ordine deportetur. Notandum verò quod ad ſimilitudinem trium mariarum incenſum hodie ad ſepulcrum ter defertur. Primò in initio lectionum ſic. Incœpto evangelio, decanus & hebdomadarius exeant de ſacrario cum cappis de pallio, clericulis præcedentibus cum thuribulis & igne, præſentemque ſe epiſcopo, in igne mittentes incenſum, epiſcopo dante benedictionem. Quo facto, eant ſimul ad altare. Epiſcopus autem accipiens thuribulum offerat incenſum ſacroſancto altari, & decanus cum illo. Intereà clericuli elevatis cereis ſuis teneant illos ante altare. Quo facto, epiſcopo in ſede ſua regreſſo, offerant incenſum decanus & hebdomadarius. Poſtcà cum cereis eant ad ſepulcrum illud offerre, clerico cuſtode cum cappa de pallio acerram cum incenſo proferente. Quo facto, reverſi in chorum cantori & ſuccentori, ceteriſque in ordine ſuo defertur. Proceſſione præſenti peracta vicem ſecundam implevimus, in fine matutinarum tertiam exſolvemus.* ℣. *poſt* Te Deum *epiſcopus* Surrexit Domine vere. *Chorus:* Et apparuit Simoni alleluia. Deus in adjutorium. *Antiphona* Angelus *cum ceteris antiphonis quas in breviario invenies. Pſal.* Dominus regnavit &c. *Pneuma non dicitur in laudibus. Capitulum* Expurgat vetus fermentum &c. *Chorus reſpondet* Deo gratias. *Clericuli duo* ℣. In reſurrectione tua. *Antiphona* Et valde. *Pſal.* Benedictus. *Collecta* Deus qui hodierna die &c. *Clericuli ante epiſcopum tenentes cereos non dicant* Benedicamus Domino, *ſi alii clericuli fuerint in choro præſentes. Poſt* Benedicamus & Deo gratias, *eat iterum proceſſio ad ſepulcrum cum cereis, thuribulis, & crucibus, & decano, & hebdomadario cum cappis de pallio. Cantor & ſuccentor ad exitum incipiant* Dicant nunc Judæi. *Cantor & ſuccentor* ℣. Surrexit Dominus de ſepulcro. *Chorus* Qui pro nobis pependit in ligno. *Epiſcopus* Oremus Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui reſurrectionis &c. *Chorus* Amen. *Epiſcopus* Dominus vobiſcum. *Chorus* Et cum ſpiritu tuo. *Clericuli* Benedicamus Domino. *Epiſcopus* Benedic. Sit nomen. *Poſt hæc extinguitur luminare à cuſtodibus. Ille qui domui eleemoſynæ providet ſolvat cuſtodibus 6. denarios iſtius monetæ pro cereorum impoſitione accenſioneque ac depoſitione. Solvat prætereà duos ſolidos pro hedera & aliis odoribus, unde chorus aſpergitur.* 18. *denarios inſuper pro emundatione vitrearum eccleſiæ facta ante Paſcha. His peractis, remaneant ante altare accenſi* 3. *cerei, duo cotidiani, & magnus cereus Paſchalis, qui ex quo fue-*

Digitized by Google

rit accenſus, uſque in feriam 4. ad veſperaſcentem non extinguatur.

Ad Primam pulſatis majoribus ſignis, incipiat decanus antiphonam alleluia *Pſalmi* Deus in nomine. Confitemini. Beati immaculati. Retribue. Quicumque vult *non dicitur; ſed ſtatim incipit decanus poſt* alleluia. *iſtud* ℞. Hæc dies. *Collecta* Deus qui hodie. *Et ſic per totam hebdomadam. In capitulo lectio martyrologii legitur à ſubdiacono, & calendæ cum luna annunciatur.* Jube Domne *dicitur, & benedictio datur à decano. Perlecta prima lectione, ſtatim incipitur Sermo B. Maximi epiſcopi* Exultandum nobis eſt, fratres cariſſimi. Tu autem *dicitur.* Iſti ſancti & omnes alii *non dicitur, nec* Pretioſa in conſpectu Domini; *ſed poſt ſermonem dicto* Tu autem *&* Deo gratias, *diſcedant omnes.*

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Hora tertia pulſetur novies major campana. Intereà paretur menſa quadam à cuſtodibus ad cornu altaris quod reſpicit ad aquilonem, & cooperiatur mappa mundiſſima, quæ veſtiatur vaſis de auro & argento, in nonnullis autem vaſorum vinum infundatur ſuper mappam. Præterea plures oblatæ ponantur. Quo facto, hebdomadarius in albis benedicat aquam in ſacrario: ceteri induant cappas de pallio. His peractis, incipiat proceſſio exire ſic. Clericulus cum aqua benedicta, duo cum crucibus, ypodiaconi tres cum textis evangelicis. Dein diaconi tres. Dein hebdomadarius, quem ſequantur alii in ordine, ad ultimum epiſcopus mitratus, tenens baculum paſtoralem. Cantor autem in medio chori ſtans, tenens baculum incipiat Chriſtus reſurgens &c. *Statio in clauſtro* Sedit angelus ad ſepulcrum &c. *Ad initium templi.* Tunc loquutus eſt angelus &c. *Tunc decem vel octo ex illis qui habent voces altiores juſſu cantoris aſcendant in ambonem, & cantent iſtum* ℣. Crucifixum in carne. *Hic intret proceſſio chorum. Cantor verò repetat* Nolite timere. *Finita repreſia, incipiat hebdomadarius* alleluia. *Cantor Pſal.* Legem pone *Tunc eat epiſcopus ad ſacrarium, & præparet ſe ad Sancta. Finita Tertia, redeat ſic. Incepta miſſa, cum cereis, thuribulis, & crucibus, cum tribus diaconis & totidem ypodiaconis, cum cardinalibus 12. cum decano & hebdomadario, & capellano, per majus oſtium chori intret, cantante choro introitum* Reſurrexi. Domine probaſti me. Reſurrexi. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis Deo. *Oratio* Deus qui hodierna. *Duo ſacerdotes in cappis de pallio in ambone* Chriſtus vincit. *Epiſtola Pauli ad Corinthios* Expurgate vetus fermentum. *Duo ſubdiaconi cum cappis de pallio* ℞. Hæc dies ℣. Confitemini. *Duo diacones* alleluia. Paſcha noſtrum. ℣. Epulemur. *Sequentia* Fulgens. *Evangelium ſecundum Marcum* In illo tempore Maria Magdalene. *Dehinc epiſcopus in ambone faciens ſermonem ad populum. Poſt ſermonem benedictio. Intereà ſubdiaconus veniat in chorum quærens à clero qui ex eo communicabit; & tot hoſtias ponat diaconus in altari quot invenict ſubdiaconus communicaturos. Epiſcopus* Credo in unum Deum. *Et dum cantatur à clero deferat ſubdiaconus evangelium in choro ſingulis ad ſalutandum. Offertorium* Terra tremuit. ℣. *Non dicitur. Poſt præfationem* Sanctus. Agnus. *Communicato epiſcopo, communicent omnes miniſtri & ceteri pro quibus hoſtia propoſita fuerint. Nec prætereundum eſt quod ad menſam quæ ad cornu altaris paretur,*

CAPUT XXV. *De Paſchali Feſto.*

debent omnes qui communicaverint venire, ut de oblatis & vino reſpurgat quiſque os ſuum. Communio Paſcha noſtrum. *Poſtcommunio* Spiritum in nobis. *Dicto* Ite miſſa eſt, *pulſantur omnia ſigna. Decanus autem incipiat* alleluia, *Cantor Pſal.* Defecit *cum ceteris* ℟. *Collecta ſicut ad Tertiam, & ad Nonam. Ad miſſam autem dividantur duo ſolidi illis qui cantaverint* Chriſtus vincit. 12. *denarii ad epiſtolam; duo ſolidi ad* ℟. *ad* alleluia *duo ſolidi. Evangelio* 12. *denarii, cantori & ſuccentori duo ſolidi, decano & hebdomario duodecim ſolidi ſolvantur à capellano de burſa epiſcopi ipſo die.*

Ad veſperas pontifex in ſede ſua mitratus cum cappa de pallio incipiat, Deus in adjutorium. *Cantor cum baculo argenteo injungat dicto epiſcopo antiphonam* alleluia. *Cantor Pſal.* Dixit Dominus. *Non dicitur neuma in fine antiphonarum ad veſperas, & ſic fiet per totam hebdomadam. Succentor injungat prapoſito* Alleluia *Pſal.* Confitebor. *Cantor injungat majori archidiacono* Alleluia. *Pſal.* Beatus vir. *Succentor injungat, archidiacono Riparia* Alleluia. *Pſal.* Laudate pueri. *Cantor injungat archidiacono Bria* Alleluia *Pſal.* In exitu. *Finito hoc pſalmo cum* Alleluia, *duo illi presbyteri qui ad miſſam cantaverunt* ℟. *incipiant ante aſcenſum presbyterii cum cappis de pallio iſtud* ℟. Hæc dies. *Prædicti presbyteri* ℣. Confitemini &c. *Chorus* Miſericordia ejus. *Neuma non dicitur ad veſperas iſtas, nec hic, nec alibi. Duo presbyteri qui in miſſa cantaverint, nunc cum cappis de pallio iterùm cantent* Alleluia Paſcha noſtrum. *Cantor* Victimæ paſchali. *Cantor injungat epiſcopo hanc antiphonam:* Scio quod Jeſum *Pſal.* Magnificat. *Epiſcopus* Dominus vobiſcum. *Chorus* Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Concede quæſumus omnipotens Deus, ut qui reſurrectionis &c. *Finito* Benedicamus Domino, *exit proceſſio de choro, vaditque ad fontes cum cereis, thuribulis, & crucibus. Cantore & ſuccentore ad pulpitum ſuum incipientibus* ℟. Chriſtus reſurgens &c. *Duo ſubdiaconi cum cappis de pallio juſſu cantoris & ſuccentoris exeant de ſacrario, & cantent* ℣. Dicant nunc Judæi &c. *Cantor & ſuccentor dicant* ℣. Gaviſi ſunt diſcipuli. *Chorus* Viſo Domino. *Hic non dicitur* Dominus vobiſcum, *ſed tantummodo epiſcopus dicit* Oremus Præſta quæſumus &c. *Tunc cantor & ſuccentor incipiat* ℟. *Sequens: quo incepto, vadit proceſſio ante crucifixum* ℟. Ego ſum alfa & omega. *Duo illi ſubdiaconi, qui nuper cantaverunt* ℣. Dicant nunc Judæi. *Cantent etiam cum ſuis cappis de pallio in media navi* ℣. Ego ſum veſtra redemtio. *Cantor & ſuccentor* ℣. Noli flere Maria. *Chorus* Reſurrexir Dominus. *Epiſcopus ſine* Dominus vobiſcum, Oremus. Præſta quæſumus. *Deinde ibidem ſit benedictio ab epiſcopo.* Sit nomen Domini &c. *Et ſtatim pulſatur ad* Completorium. *Decanus cum perventum fuerit ad chorum incipiat* Alleluia. *Pſal.* Cum invocarem *cum ceteris pſalmis.* ℟. Hæc dies *ſicut ad ceteras horas, ſtatimque ſequitur* Dominus vobiſcum. Oremus. Spiritum nobis &c. Dominus vobiſcum. Benedicamus Domino.

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ TURONENSIS

Ex ordinario ejuſdem eccleſiæ.

IN *die Paſchæ tria candelabra ante altare. Ad matutinum pulſato claſſico, & toto luminari accenſo, cantor ad formam reveſtitus, quatuor canonici presbyteri in cappis pallii ad invitatorium ſicut in feſto annali, ut ſuprà in nativitate Domini. Hymnus* Rex æterne Domine *totum dicitur. Antiphona* Ego ſum *ter dicitur, & aliæ antiphonæ ſine jubilo Pſal.* Beatus vir. *Antiphona* Poſtulavi *dicitur bis. Pſal.* Quare fremuerunt. *Poſt* Sicut erat *dicitur* Alleluia *ſuper* poſtulavi. *Antiphona* Ego dormivi, *quæ dicitur ſicut proxima. Pſal.* Domine quid multiplicati ℣. Reſurrexit Dominus. *Sciendum eſt quod in fine antiphonæ non dicitur jubilus uſque ad veſperas ſabbati ſequentis. Tres lectiones de expoſitione evangelii. Ad primam lectionem apportatur cereus & ſtravi ad lectorium. Omnes legunt in cappis brodatis, & ſunt canonici. Ad primam lectionem canonicus diaconus.* ℟. *duo canonici inceptores, & reincipitur.* Et al. *ad ſecundam lectionem canonicus presbyter duo pueri* ℟. *ad tertiam lectionem præſul vel major.* ℟. *Duo canonici presbyteri. Poſt hæc duo pueri in albis, unus ad dextram altaris, alius ad ſiniſtram cantant.* Quem quæritis? *Tres capellani cum dalmaticis albis, coopertis capitibus, ante altare reſpondent* Jeſum Nazarenum. *Item pueri* Non eſt hic. *Deinde illi tres accedentes ad altare, & intro aſpicientes, verſi ad chorum dicunt alta voce* Alleluia ſurrexit Dominus. *Poſt hæc cantor incipit* Te Deum. *Quo finito, ſine jubilo & ſine* ℣. *ſacerdotali, ſequitur antiphona in laudibus* Angelus *Ter dicitur. Pſal.* Dominus regnavit. *Antiphona* Erat autem *bis dicitur & poſt* Sicut erat, alleluia 8. *de prædicta antiphona. Antiphona* Præ timore *quæ ſimiliter dicitur. Antiphona* Reſpondens autem *ter dicitur. Antiphona* Nolite *ter dicitur. Statim ſine capitulo &* ℣. *incipitur hymnus* Aurora *totum dicitur. Statim antiphona ad* Benedictus, & valde mane *triumphatur. Duo canonici & duo de quarta tera thurificant. Collecta* Deus qui hodie. *Non dicitur ibi* Benedicamus Domino; *ſed ſtatim omnes vadant proceſſionaliter ad S. Mariam dicendo* ℟. Angelus, *quod cantor incipit. Poſt hæc ad S. Mariam incipit unus de majoribus antiphonam* Et valde mane. *Semel dicitur. Pſal.* Benedictus. *Collecta ſolita cum* Dominus vobiſcum *&* Benedicamus Domino. *Et ſi præſul ſit ibi, dat benedictionem. Tunc cantor dans præſuli, ſi ſit præſens vel miniſtrans oſculum dicens:* Reſurrexit Dominus. *Qui reſpondet* Gaviſi ſunt diſcipuli. *Et præſul vel miniſtrans dans oſculum ei qui prope eſt, dicit etiam:* Reſurrexit Dominus. *Qui reſpondet* Gaviſi ſunt. *Et ſic ceteri ceteros invicem oſculantur: & ſic finiuntur matutinæ.*

Ad Primam Deus in adjutorium. *Hymnus* Jam lucis. Quæſumus auctor. Gloria tibi, Domine, qui ſurrexiſti à mortuis. *Pſal.* Deus in nomine tuo. Beati immaculati. *&* Retribue. *Non dicitur* Quicumque

CAPUT XXV. De Paſchatis Feſto.

vult *per totam hebdomadam.* *Antiphona* Alleluia. *Statim cantor* Hæc dies *ſine* ℣. *& ſine jubilo, ſed ſtatim* Oremus. Spiritum nobis. *Obſervandus eſt hic ordo ad Primam uſque ad octavam Paſcha.*

Ad proceſſionem omnes in cappis pallii eundo ad S. Mariam. Incipit cantor ℟ Et valde. *Ad altare B. Mariæ* Regina cœli *cum* ℣. *& collecta ſolita* Gratiam tuam. *In reditu* ℟. Ego ſum. *In navi* ℣. Ego ſum veſtra redemptio *cum* ℣. *& collecta ſolita* Quæſumus. *Eundo in choro de S. Mauritio vel de S. Gatiano. Item pueri* Accendite, *ut in Natali Domini & totus ordo etiam ut ſuprà in natali Domini*

Miſſa ſicut eſt, & ponantur ſuper altare hoſtiæ conſecrandæ quæ ſufficiant ad omnes qui communicandi ſunt. Sequentia Victimæ. *Ante evangelium antiphona* Ego ſum. *Præfatio* Te quidem. *Poſtquam autem communicaverit ſacerdos, accendant omnes qui communicandi erunt, & dicto* Confiteor, *& eis abſolutis à ſacerdote, communicent. Et tunc cantor incipiat antiphonam* Venite omnes. *Quo facto vertat ſe ſacerdos ad populum dicens* Dominus vobiſcum *Sequitur collecta* Spiritum. Ite miſſa eſt. *Et ſic finitur miſſa. Sacerdos miniſtrans ad altare* Deus in adjutorium. *Hymnus* Rector potens. *Pſalmi ſicut ſunt. In fine* Alleluia. Hæc dies &c. *Hic ordo obſervandus eſt ad omnes horas per totam hebdomadam.*

Ad veſperas, omnes in cappis pallii. Antiphona Alleluia *Pſal.* Dixit Dominus. *Antiphona* Alleluia. *Pſal.* Confitebor. *Antiphona* Alleluia. *Pſal.* Beatus vir. *Finito pſalmo & antiphona, canonicus ſubdiaconus in pulpito cantat* Alleluia ℣. Epulemur. *Qua cantata, Cantor* Victimæ. *Deinde ſtatim antiphona* Et reſpicientes *ter dicitur. Pſal.* Magnificat. *Thurificatur. Collecta* Concede. *Cum* Dominus vobiſcum *ante & poſt; ſed ſtatim inceptor incipit antiphonam* Alleluia *Cantor pſal.* Laudate pueri. *Et tunc vadit proceſſio ad fontes ſine cruce, ſine cereis. Quibus finitis, antiphona* Et ecce terræ motus, *quæ per canonicum incipitur. Cantor pſal.* Magnificat. *Collecta ſine* Dominus vobiſcum. Deus qui diverſitatem. *Non dicitur* Benedicamus, *ſed ſtatim inceptor antiphonam* Alleluia. *Cantor pſal.* In exitu. *Et vadit proceſſio ad S. Mariam. Deinde ad* Magnificat *antiphona* Et dicebant, *quæ incipitur per unum de majoribus. Collecta ſine* Dominus vobiſcum. Præſta quæſumus. *Non dicitur* Benedicamus; *ſed redeundo incipit cantor* Chriſtus reſurgens. *Et fit ſtatio in navi ante crucifixum cum* ℣. Dicant nunc Judæi. *Præſul vel ſacerdos* ℣. Dicite in nationibus. *Collecta ſolita* Quæſumus. *In fine* Dominus vobiſcum. *Pueri ante introitum* Benedicamus Domino. *Obſervandus hic ordo ad veſperas omni die uſque ad veſperas ſabbati ſequentis, exceptis propriis antiphonis ad* Magnificat; *& collecta quæ ſuis locis aſſignabuntur, & excepto quod ultrà quartam feriam non dicit canonicus ad veſperas, ſed puer ante pulpitum & duo vicarii tenent chorum.*

Digitized by Google

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ VIENNENSIS IN GALLIA

Ex ms. Ceremoniali ejuſdem eccleſiæ.

D*Um claſſis pro officio nocturno pulſatur, duæ candelæ in ſepulcro ponantur, & ceroferarii mittantur ad archiepiſcopum, qui veniens indutus cappa ſerica alba ante ſepulcrum dicat* Confiteor &c. *Deinde intrans, facta oratione, ſepulcrum oſculatur & altaria. Inde verò exiens decanum oſculetur. Poſteà intrans in chorum, ceroferariis præcedentibus, & ſtans inter cantores in medio choro dicat:* Reſurrexit Dominus; *& cantor reſpondeat:* Et apparuit Petro; *& dat ei oſculum pacis: ſimiliter & alii cantori. Alii clerici ordinate idem faciunt ad ſepulcrum; & ſic fiat quando archiepiſcopus agit officium, & quando ejus vicarius pro eo illud facit, hoc modo fiat. Primo cantores induti cappis ſericis albis, deinde vicarius archiepiſcopi accedentes ad ſepulcrum in introitu portæ genibus flexis cantores ſtent, vicarius intret in ſepulcrum, & facta oratione, veniat ad portam, & dicat cantoribus* Reſurrexit Dominus. *Cantores reſpondeant* Et apparuit Petro. *Poſteà intrent omnes in ſepulcrum deoſculando altaria. Deinde nocturnum officium incipitur.*

Dum dicuntur Laudes, curatus S. Crucis faciat benedictionem aquæ in reveſtiario. Finitis laudibus, incipiat cantor alta voce antiphonam Aſperges me, *quam chorus cantans finiat ſine* Alleluia. *Et accedentibus omnibus ad majus altare chorum ibi facientibus, cantor incipiat pſalmum* Laudate Dominum omnes gentes. *Quo finito cum* ℣. *&* Gloria Patri, *repetitur antiphona* Aſperges me *& finitur ſine* Alleluia.

Dum præmiſſa decantantur, ſubdiaconus hebdomadarius afferens urceum à reveſtiario, obviam vadat archiepiſcopo, qui aſpergat majus altare, deinde chorum utrumque, majorem & minorem à dextris & ſic à ſiniſtris. Poſteà dicat hanc orationem Præſta quæſumus omnipotens Deus & miſericors &c. *Tunc intrantes in veſtiarium, ſacerdos planeta alba, diaconus dalmatica alba, ſubdiaconus tunica talari alba, & thuriferarius induantur, & ſic præeuntibus ceroferariis indutis etiam albis procedant ad ſepulcrum, ubi miſſa matutinalis celebretur, & caput ſcholæ ex officio ſuo, quæ in aliis miſſis cantores incipere ſolent, ipſe ſolus incipiat alta voce; & in aliis miſſis matutinalibus per hebdomadam magiſter ſcholæ omnia ipſe ſolus incipere debet, ſicut & caput ſcholæ. Proſa* Victimæ paſchali. *Finito* ℣. Dic nobis Maria, *clericulus ſtans in ſepulcro cum amictu parato & ſtola, dicat* ℣. Angelicos teſtes. *Chorus reſpondeat* Dic nobis Maria. *Clericulus dicat* Angelicos teſtes *Clericus dicat* Surrexit Chriſtus. *Chorus* Credendum eſt magis *uſque ad finem. Evangelium dicat diaconus de terra ſolemniter de mandato magiſtri.* Credo *dum dicitur, diaconus cum ſubdiacono & thuriferario & ceroferariis accedat ad majus altare, & cum magna reverentia vas in quo continetur Corpus Chriſti accipiat & portet ad ſepulcrum ad communicandum clericos minoris chori, & alios qui communicari voluerint,*

Digitized by Google

CAPUT XXV. De Paſchatis Feſto.

ceroferariis praecedentibus, duas faces ardentes tenentibus, & poſt communionem ipſam vas reportet.

Ad majorem miſſam debent eſſe ſex ſuburbani, diaconi ſeptem, ſubdiacons totidem, & ſeptem ceroferarii clericuli in albis, ſeptimus habeat albam paratam cum amictu parato. Archiepiſcopus adornetur in veſtiario ornamentis pontificalibus, ſuburbani, diaconi, ſubdiaconi, & ceroferarii induantur; & clerici de majori choro in cappis ſericis. Fiat proceſſio ad ſepulcrum ſic. Primo pergant ceroferarii, poſteà archidiaconus de Turre portans crucem auream: deinde chorus gradatim, & cantores. Poſteà ſex ſubdiaconi, poſtremò ſubdiaconus major deferens textum aureum: Deinde diaconi ſex & archiepiſcopus, quem ſequuntur ſuburbani: duo verò majores decani ſtent à latere archiepiſcopi ad ſerviendum ei; & ſedeat archiepiſcopus in faldiſtorio ante ſepulcrum. Cantores de retro verſo dorſo ad ſepulcrum, Decanus & capiſcolus, ſumpta ab archiepiſcopo benedictione, aſſumant ſocios ex utraque parte, quos voluerint & pergant per medium chorum retro majus altare & ibi incipiant alta voce antiphonam O mors *cum verſu. Et repetita antiphona, redeant ad proceſſionem. Deinde ceroferarii dicant alta voce antiphonam* Ite nunciate. *Qua finita, duo canonici de mandato capiſcoli accedant ad ſepulcrum ante cantores ſtantes. Cantores incipiant* Quem quæritis? *Duo canonici* Jeſum Nazarenum. *Cantores reſpondent* Non eſt hic. *Et canonici dicant* Alleluia. *Chorus decantet* Reſurrexit Dominus. *Et ſic intrent omnes in chorum, archiepiſcopo & aliis cum eo indutis in navi ſtantibus, donec incipiatur* ℣. Gloria Patri. *Introitus à cantoribus. Tunc intret pompa in chorum cum archiepiſcopo. Diaconi verò majores teneant eum unus à dextris & alius à ſiniſtris. Archiepiſcopus autem in medio choro ſupplicet ad altare, deinde ad dextram & ad ſiniſtram partem chori, & ſic accedat ante altare, & ibi faciat confeſſionem. Cetera fiant ut in majori miſſa in die natalis Domini. Laudes* Chriſtus vincit *dicant duo capellani majores ſeu quaternarii.*

ANTIQUI RITUS ECCLESIÆ ARGENTINÆ

Ex ms. ordinario ejuſdem eccleſiæ.

P*Riuſquam detur ſignum ad matutinum, conveniant in capellam S. Andreæ canonici ſacerdotes & alii, & ſacerdos indutus ſuperpelliceo & deſuper cappa, adjunctis lateribus ſuis duobus ſacerdotibus cappatis, præcedente hebdomadario cappato, cum incenſu & magnis candelis contorſis, & lotis manibus introeant ſepulcrum. Quo ingreſſo, faciant confeſſionem dicendo* Confiteor Deo. Miſereatur veſtri. *Deinde dicatur pſalmus* Domine quid multiplicati ſunt, *cum antiphona* Ego dormivi *ſub ſilentio pronunciata. Tunc ſacerdos accipiat Corpus Chriſti de pixide, & levans in altum oſtendat illud populo coram ſepulcro, poſt oſtenſionem & adorationem populi, reponat in pyxidem, & ſic tollentes inde Corpus Domini, recedunt cum antiphona* Cum rex gloriæ *ſub ſilentio pronunciata. Sed interim in choro canitur*

Digitized by Google

canitur prædicta antiphona canora voce à clero, demiſſoque ibi ſudario uſque poſt matutinas. Cùm autem pervenerint in chorum cum Corpore Domini, ſacerdos ſtet in altari, & oſtendat clero & populo Corpus Chriſti, levando ipſum ſicut ſolet levari in miſſa; deinde reponat in pyxidem Corpus Chriſti, & portet ad altare S. Laurentii, & ibidem ſimiliter oſtendat, dimiſſoque ibi ſacramento revertatur in chorum, lotis ibi prius quatuor ſummitatibus digitorum ſuorum in calice, ſtatimque compulſantur omnia ſigna. CAPUT XXV. De Paſchatis Feſto.

Ad matutinum fiant omnia ſicut in feſtis totis duplicibus. Officium cantor, miſſam epiſcopus, invitatorium quatuor hebdomadarii, primam antiphonam ſuper nocturnum incipit cantor, ſecundam presbyter prebendarius, tertiam ſummiſſarius unus. Ad homiliam hebdomadarius cappa ſit indutus cum incenſu. Primum ℟. *cantent duo pueri, ſecundum* ℟. *duo vicarii epiſcopi, tertium* ℟. *præpoſitus & decanus, ſed ſummiſſarii ſupplent vices eorum..... Finito reſponſorio (ultimo), denuo repetatur. Sed interim dum cantatur, duo diaconi canonici vel alii prebendarii albis cappis induti ad ſepulcrum venientes, unus ad caput, alter ad pedes ſedebit, expectantes viſitatores ejuſdem ſepulcri. Finito autem reſponſorio, tres ſacerdotes quibus cantor injunxerit cappis induti, ſinguli thuribulum cum plurimo incenſu portantes ad ſepulcrum procedant, quos aſtantes diaconi cantantes interrogant,* Quem quæritis in ſepulcro ô Chriſticolæ? *Reſpondent ſacerdotes* JESUM Nazarenum crucifixum, ô Chriſticolæ? *Dicant diaconi*: Non eſt hic, ſurrexit ſicut prædixerat, ite, nuntiate quia ſurrexit de ſepulcro. *Superpoſitum dant eis ſudarium canentes antiphonam* Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus, alleluia, alleluia. *Quo accepto, redeunt in choro cantantes hanc antiphonam* Dicant nunc Judæi. *Venientibus autem ſuper chorum vultibus verſis ad clerum, & ſtantes in ſupremo gradu ante majus altare, expanſo inter ſe ſudario canentes antiphonam* Surrexit Dominus de ſepulcro, *chorus cantet antiphonam* Surrexit Chriſtus & illuxit &c. *Sacerdotes cantent antiphonam* Surrexit enim ſicut dixit Dominus. *Et cantor proſequatur* Te Deum laudamus, *ſtatimque compulſentur duæ nolæ, & ſequitur verſus* Surrexit Dominus de ſepulcro. *Iſte verſus ſingulis noctibus ante laudes uſque ad aſcenſionem Domini, cùm de feſto non agitur, dici poteſt.*

Laudes. Antiphona Et valde mane *Pſalmus* Dominus regnavit *cum ceteris. Capitulum non dicitur, neque verſus, ſed ſtatim incipitur, antiphona* Alleluia, lapis revolutus. *Pſal.* Benedictus. *Oratio.* Deus qui hodierna die. Benedicamus *à tribus pueris cum quinque* Alleluia. *Ab hac die uſque ad ſabbatum ad curſum nullum capitulum dicitur, vel hymnus vel reſponſoria cantentur, vel preces dicantur, omniſque hora præter veſperas cum* Deus in adjutorium *inchoantur.....*

Ad primam antiphona Surgens JESU mane *Pſal.* Deus in nomine. *Pſal.* Confitemini. *Pſal.* Beati immaculati. Retribue. *Pſal.* Quicumque vult. *Uſque in octavam quotidie ſic cantatur. Poſt antiphonam ſtatim ſequitur oratio* Deus qui hodierna die per unigenitum. *Sequitur* Benedicamus Domino.

CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Pſalmus Confitemini, *qui à ſeptuageſima in Dominicis diebus in laudibus cantabatur. Hinc verò ſingulis diebus uſque ad octavam ad primam dicitur, & deinceps uſque ad Aſcenſionem Domini ſingulis tantùm Dominicis diebus dicitur ad primam, cum in nocturnis non agitur vel canitur. Præſcripta etiam oratio ad primam ſingulis diebus uſque ad aſcenſionem Domini eſt dicenda, prætermiſſo* hodierna die, *quod tantùm per hanc hebdomadam dicitur. Iſte ordo ad primam uſque in ſabbatum non mutatur, & non dicatur* Pretioſa in conſpectu *& oratio* S. Maria.——

Prima cantata, ſequitur proceſſio. Ad aſperſionem aquæ imponit cantor antiphonam, In die reſurrectionis, *ſtatim ſequitur antiphona* Vidi aquam. *Poſteà à duobus pueris cantentur verſus iſti* Salve feſta dies, *cum quibus vadant per circulum ambitus: & pueri cantantes hos verſus, vadant in proceſſione poſt omnes vicarios ante canonicos; & cùm venerint ad portam Sancti Vincentii, ubi per gradus exitur monaſterium, prædicti pueri ceſſant cantare, recedentes à proceſſione vadant ad portam S. Laurentii expectantes ibidem. Interim proceſſio circum eat monaſterium. Cùm autem proceſſio advenerit, pueri vadant ad proceſſionem in locum ubi priùs ibant, & reſumant verſus ubi priùs dimiſerant, cantantes quouſque proceſſio ſe diſpoſuerit ad ſtationem. Ordinata ſtatione in eccleſia, proceſſio major, id eſt chorus prapoſiti, ſtans verſus cameram vel ſub organis: alia proceſſio, videlicet chorus decani ex oppoſito ſtet congregatus, & cum duobus vexillis & una cruce poſitis ante altare ſub ambone vultibus verſis ad clerum. Cantor vertens ſe ad majorem proceſſionem, imponat antiphonam* Cum rex gloriæ, *& eadem proceſſio cantet uſque.* Sanctorum populus. *Ibi incipiant ex oppoſito cantantes, cantore vertente ſe ad eos uſque* Te noſtra *à quibus verbis incipiat omnis clerus, & cantent uſque* Alleluia aſcendendo *chorum. Quæ nota ut ſecundùm librum cantetur ſolertia domini cantoris ſummopere provideat. Venientibus ſuper chorum incipiat antiphonam* Sedit angelus, *quæ cantetur uſque* nolite metuere. *Interea ſuper capellam S. Andreæ mittantur electi cantores à cantore de choro præpoſiti: & cantent* ℣. Crucifixum in carne. *Quo finito, incipiat chorus* Nolite metuere, *& cantent uſque* Alleluia. *Ibi incipiant qui à cantore de choro decani ſuper capellam S. Joannis notati ſunt,* ℣. Recordamini. *Quo finito, chorus proſequatur* Alleluia.......

Ante miſſam portetur cereus paſchalis ardens ſuper ambonem ad pulpitum evangelii, & ardebit per totam miſſam, & hoc ſemper faciendum eſt uſque ad diem aſcenſionis incluſivè, quando ſuper ambone evangelium legitur ad miſſam, cantetur neuma ad alleluia *& ad gradualia quæ in horis & in veſperis prætermittuntur.*

Ad miſſam Reſurrexi & adhuc.... *Communio* Paſcha, *& cantentur ſuper communionem iſti verſus ab aliquo canonico, concinentibus vicariis.* ℣. Comedite & bibite ℣. Adducite vitulum. ℣. Quotieſcumque &c......

In hac die miſſa pro defunctis non canitur, niſi ſit corpus præſens: quod & per totam hanc hebdomadam in publico devitatur, niſi quis fratrum tribus diebus ante paſcha moriatur. Sed privatim eas cantare, ſi neceſſe

eſt, in feria 2. & deinceps, ſi neceſſe eſt, quiſque poterit. Si quod feſtum 9. lectionum in hebdomada paſchali occurrerit, differatur uſque poſt octavam ad primum locum opportunum........ CAPUT XXV. *De Paſchatis Feſto.*

Ad veſperas non cantatur in organis, & cantor preparatus ut in miſſa primò imponat Kyrie eleiſon Kyrie eleiſon Kyrie eleiſon. *Antiphona* Alleluia Alleluia Alleluia *Pſal.* Dixit Dominus. *Pſal.* Confitebor. *Pſal.* Beatus vir: *Graduale* Hæc dies. Alleluia Paſcha noſtrum. ℣. Epulemur in azimis. *Antiphona* Nolite expaveſcere *Pſal.* Magnificat. *Oratio* Concede quæſumus omnipotens Deus. *Tertio pſalmo finito in eadem veſpera, veniant duo aptati pueri de camera cum duobus vexillis, & unus cum cruce in medio, & duo cum candelabris & candelis ſtantes ad gradus altaris, & finita oratione à ſacerdote, tres medii cum vexillis & cruce cantent* Benedicamus Domino *cum quinque* Alleluia. *Ad fontem proſequente choro decani, cantor imponat antiphonam* Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, *& chorus præcedens videlicet decani imponat Pſalmum* Laudate pueri, ℣. confitemini Domino, alleluia. ℣. Paſcha noſtrum. *Tum unus verſus cantatur. Antiphona.* Cito euntes *Pſal.* Magnificat. *Ad dandam orationem dicat tum ſacerdos.* Oremus. Deus qui omnibus renatis. *Qua finita, puer ſtans cum candelabro verſus chorum decani cantet* Benedicamus Domino *cum tribus* Alleluia. *Ad capellam S. Andreæ præcedat chorus præpoſiti, cantore incipiente antiphonam* Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Et idem chorus præcedens imponat Pſalmum* In exitu Iſraël. Alleluia. ℣. Epulemur. *Tum unus verſus. Antiphona* Scio quod JESUM. *Pſal.* Magnificat. *Ad dandam orationem* Dominus vobiſcum. Oremus. Præſta quæſumus omnipotens Deus ut qui gloriam. *Puer cum candelabro verſus chorum præpoſiti dicat* Benedicamus Domino *cum uno* alleluia.

Notandum quod hac hebdomada cantor debet eſſe preparatus in veſperis, & ſacerdos & hebdomadarius utantur cappis ad incenſum. Incenſo dato, ſacerdos intrat chorum, & dicat orationem. Interim hebdomadarius ſtabit cum thuribulo extra medium oſtium chori ex uno latere, videlicet verſus chorum decani. Oratione dicta, ſacerdos vadat ad idem oſtium ex alio latere verſus chorum præpoſiti, & ambo expectabunt ibi quouſque Benedicamus *cantatum fuerit quod canitur cum quinque* alleluia, *ad fontem verò cum tribus, in capella S. Andreæ cum uno tantum, ideſt ferialiter. Finito* Benedicamus, *proceſſio vadat ad fontem, ut ſupra dictum eſt, & ſacerdos cum hebdomadario ibunt immediatè poſt pueros portantes vexilla & candelabra: illos ſequitur chorus decani, deinde cantor, poſteà chorus præpoſiti. Intereà fons ſit coopertus panno ſerico pretioſo, & ad impoſitionem Pſalmi* Magnificat *thurificetur, & oratio dicatur in libro poſito ſuper fontem. Eundo ad capellam S. Andreæ chorus præpoſiti præcedat, deinde cantor, poſt eum chorus decani, altare etiam S. Andreæ ſit veſtitum & ornatum cum reliquiis Sanctorum quod & thurificetur ad impoſitionem Pſalmi* Magnificat, *& oratio ſimiliter dicatur in eodem altari.*

Et nota quod in proceſſionibus iſtis ſic diviſis, cantor ſemper ibit medius

inter illas proceſſiones, ita quòd audiri poſſit ab ambabus. Chorus etiam præcedens ſemper incipiat ea quæ ſunt incipienda, cantanda, legenda, vel benedicenda.

Item notandum quod graduale & alleluia *cum ſuis verſibus ad veſperas per hanc hebdomadam pleniter ſicut ad miſſam cantantur, ſed finales prætermittuntur. Iſte ordo proceſſionum ad veſperas uſque in ſabbatum obſervatur.*

Ad completorium antiphona Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. *Pſalmus* Cum invocarem. *Statim ſequitur antiphona* Maria Magdalena. *Pſal.* Nunc dimittis. *Oratio* Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut in reſurrexit. *Iſte ordo completorii non mutatur uſque in ſabbatum ſequens.*

CAPUT XXVI.

De diebus infrà octavam Paſchatis, de Paſchate annotino, deque tempore Paſchali.

CAPUT XXVI. *De diebus infrà octavam Paſchatis &c.*

Proceſſiones ſolemnes per totam hebdomadam.

I. DE ſubſequentibus Dominicam reſurrectionis diebus præter ea quæ ſuperiori capite obſervavimus, vix aliquid ſingulare notandum occurrit, niſi ſolemnes ſupplicationes ſeu ſtationes, quas ſingulis diebus olim fieri mos erat. Harum antiquitatem deprehendere licet apud Paulinum in libro 6. de vita S. Martini ubi meminiſſe videtur proceſſionis quæ quotannis ſolebat fieri ad cellam S. Martini. Sic enim canit.

Obſequium ſolemne pio deferre quotannis
Adſuevit populus, reducis cum circulus anni
Inſtaurat renovans ſanctæ myſteria Paſchæ
Invitat propriæ veneratio plurima Cellæ.....
Huc populum congaudet ovans perducere Paſtor &c.

Perſeverat hactenùs in diebus Paſchalibus proceſſio ad Cellam S. Martini, ad quam altera poſt Reſurrectionem die baſilicæ eidem ſancto in urbe Turonica ſacræ canonici ſeculares accedunt apud Majus monaſterium, ubi magnus tunc fit populi concurſus ad eamdem cellam. Romæ olim fiebat ſtatio feria ſecunda ad S. Petrum, feria tertia ad S. Paulum, feria quarta ad S. Laurentium foris murum, feria quinta ad S. Apoſtolos, feria ſexta ad S. Mariam Rotundam, Sabbato ad S. Joannem Lateranenſem. Die Dominica ad S. Pancratium. Romanam eccleſiam imitabantur & aliæ eccleſiæ quæ ſuas ſingulis diebus habebant ſtationes. De his ita ſcribit Ordinarium Lingonenſe: [Poſt Primam in choro cantatam, fit proceſſio omnibus diebus hujus hebdomadæ, ſi ſerenitas temporis permiſerit, ſcilicet die lunæ ad capellam SS. Si-

monis & Judæ apoſtolorum, die martis ad eccleſiam S. Deſiderii epiſcopi & martyris, die mercurii ad eccleſiam S. Petri. His tribus diebus itur in ſuperpelliceis & almutiis nihil dicendo, præcedentibus duobus ceroferariis ſine cruce. Die Jovis ad eccleſiam S. Martini epiſcopi & confeſſoris, die Veneris ad eccleſiam S. Amatoris epiſcopi & confeſſoris, die ſabbati ad eccleſiam S. Gengulphi martyris ſeu ad eccleſiam Viſitationis B. Mariæ Virginis. Et his tribus diebus fit proceſſio cantando & intrando has eccleſias, dicitur antiphona: *Chriſtus reſurgens*. Sequitur Tertia, poſteà miſſa, ut in feſtis duplicibus, poſt miſſam ſexta. Nona verò & veſperæ dicuntur in eccleſia cathedrali; & per totam hanc hebdomadam non celebrantur miſſæ ſolemnes in eccleſia cathedrali, *nec vigiliæ defunctorum.*] Proceſſionum his diebus faciendarum meminit Gregorius Turonenſis in lib. de vitis Patrum cap. 6. & Georgius in Vita S. Theodori Siceotæ num. 98. apud Bollandum 22. Aprilis.

CAPUT XXVI. *De diebus infrà octavam Paſchatis &c.*

II. Officii divini idem omninò per totam hebdomadam ordo, qui in Dominica: nam vigiliæ nocturnæ cum tribus dumtaxat pſalmis, cum totidem lectionibus, ac reſponſoriis perſolvebantur: hoc ſolum diſcriminis deprehendimus, quod die Dominica pſalmi ſinguli ſub ſingulis antiphonis, infrà hebdomadam cum unica decantabantur. Id quod in quibuſdam eccleſiis obſervatum fuiſſe notat Durandus. Et quia tota hæc hebdomada quaſi una erat dies Dominica pſalmi ex nocturno officio diei Dominicæ vel ei adjacentes deſumebantur. [Quædam tamen eccleſiæ, inquit Durandus, prætermittunt pſalmos majores & laborioſos, ſcilicet *Confitebor* & *Diligam te*, quia Neophytis omnia brevia debent proponi.] Pſalmis etiam canticum *Te Deum laudamus* ſubjungi vetat Ordinarium eccleſiæ Lugdunenſis in feria ſecunda, haud dubium quin & in ſubſequentibus diebus.

Officium nocturnum.

III. Laudes matutinæ ſimili prorsùs modo ſub unica ad omnes pſalmos antiphona complebantur. Hæc ex ordinario Lingonenſi *alleluia* ſeptem vicibus repetito conſtabat. In eodem ordinario adſignatur capitulum *Chriſtus reſurgens* contra aliarum eccleſiarum conſuetudinem, quæ capitula hanc infrà hebdomadam ad horas non admittebanr.

IV. De miſſa vix ſingulare aliquid dicendum occurrit, niſi quod in miſſali Toloſano alleluia cum ſequentibus verſibus notatur

Feria II. Alleluia. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus ait eis: aveſe. Tunc acceſſerunt, & adoraverunt eum.

Feria III. Alleluia. Obtulerunt diſcipuli Domino partem piſcis aſſi, & favum mellis.

Feria IV. Alleluia. Çum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, tunc dicet his qui à dextris ejus erunt: Venite, benedicti, Patris mei percipite regnum cum gaudio magno.

Feria V. Alleluia. Surrexit Altiſſimus de ſepulcro, qui pro nobis pependit in ligno.

Feria VI. Alleluia. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.

Digitized by Google

Sabbato Alleluia. Hæc dies & alleluia. Eduxit Dominus populum ſuum cum exultatione, & electos ſuos in lætitia.

CAPUT XXVI. *De diebus infrà octavam Paſchatis &c.*

In miſſali Catalaunenſi feria 3. *alleluia* notatur cum duplici verſiculo. Ex Lugdunenſi verò feria ſecunda *Credo* non dicitur, nec aliis handdubium feriis. Porrò his miſſis quotidiè intereſſe tenebantur neophyti à ſuſceptoribus deducti, & corpore Dominico paſcendi, uti obſervat Durandus lib. 6. Rationalis, cap. 89. ubi hæc addit : [Cereos autem quos in ſabbato ſancto dum baptizarentur habuerunt, per hanc hebdomadam in quibuſdam locis ad miſſas & veſperas accendunt, & in ſabbato in albis, & in ſequenti Dominica illos accenſos offerunt ſacerdoti.]

V. Veſpertini officii idem ordo qui in Dominica. Ex ordinario tamen Lugdunenſi feria ſecunda *Magnificat* triumphari debet, hoc eſt ter decantari. Proceſſiones verò ad fontes quæ ſingulis diebus poſt veſperas ubique fieri conſueverant, ex Cabilonenſi tribus tantum peragebantur. In eccleſia Argentina non ſolùm ad fontes, ſed ad Sanctum etiam Andream ſinguls diebus fiebat proceſſio cum una antiphona, uno pſalmo, verſu, antiphona, cantico *Magnificat*, & oratione.

De paſchate annotino.

VI. Altera poſt Dominicam in albis die in antiquioribus Sacramentorum libris, & in Breviario eccleſiæ Pariſienſis aliiſque nonnullis notatur *Paſcha annotinum*, ideſt anniverſaria Paſchatis dies anni præcedentis, ut illa die feſtive recoleretur. At in eccleſia Viennenſi in Gallia [feria quinta non impedita aliquo feſto propinquiori ante aſcenſionem officium fit de Paſcha annotino,] uti legitur in ms. libro rituum ejuſdem eccleſiæ. Verùm ex ordinario Sylvanectenſi [annotinum Paſcha celebratur anno revoluto ſuper illam & eamdem hebdomadam ſuper quam dies Paſchæ anni præteriti fuit, niſi hoc in quadrageſima evenerit, quia de eo tunc nihil fit. Item annotinum Paſcha numquam transfertur ad diem quo videbitur melius fieri, ſed celebratur ſuo die.] In aliquibus eccleſiis hoc feſtum ſabbato poſt Paſcha ſolebat celebrari ; id quod colligo ex vita S. Petri martyris apud Bollandum die 29. Aprilis, in cujus numero 38. hæc lego. [Igitur ſabbato qui eſt ſeptuageſimæ finis, quodque ſabbatum in albis & annotinum Paſcha vocatur, &c.]

VII. Cauſam illius feſti inſtituendi ita deſcribit Micrologus in libro de obſervationibus eccleſiaſticis cap. 56. [Romani annotinum Paſcha quaſi anniverſarium Paſcha dicunt ; quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eadem die ad eccleſiam convenere, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebraverunt.] Hujus diei officium idem omninò aut penè idem erat quod in ipſiſſimo Paſchatis feſto, niſi quod tres lectiones legebantur ex homilia in evangelium *Erat homo ex Phariſæis Nicodemus*, & orationes diverſæ erant. Porrò Micrologus qui ante annos 600. aut circiter ſcribebat, [anniverſarium hujuſmodi à paucis uſpiam obſervari] aſſerit hinc fortè illud Herardi Turonenſis archiepiſcopi in

capitulari art. 93. [De Paſcha annotina, ut rememoretur.]

Caput XXVI. *De diebus infrà octavam Paſchatis &c.* De tempore Paſchali.

VIII. Ceterum de tempore Paſchali pauca nobis ſcribenda occurrunt. Nocturnum ejus officium ita deſcribit Joannes Abrincenſis: [In omnibus Dominicis uſque ad Pentecoſten unaquaque nocturna cum una antiphona alleluiatica dicatur: ſex lectiones de Apocalypſi legantur, & tres de reſurrectione..... in nocturnis novem tantum pſalmos pſallere concedimus. Quia octodecim exiſtunt novem una Dominica, & novem dicantur alia. Nonum ℟. ob honorem reſurrectionis à duobus clericis cantetur. Quo finito, ſacerdos altare incenſando *Te Deum laudamus* incipiat, & hoc dicto matutinæ laudes cum una antiphona *Angelus autem Domini* & capitulo & hymno *Aurora lucis* & *Benedictus* & antiphona *Et valde mane*, & oratione finiantur.... Per dies feriales in nocturna ſex pſalmos cum trino *Gloria Patri* & una antiphona pſallant, & & tres lectiones cum reſponſoriis ejuſdem temporis legantur.] In eccleſia etiam Silvanectenſi nocturnum diebus Dominicis officium cum novem pſalmis totidemque lectionibus ac reſponſoriis celebrabatur in feriis verò cum tribus pſalmis, tribus lectionibus ac reſponſoriis. Nonnullæ eccleſiæ eamdem officii perſolvendi rationem etiam diebus Dominicis obſervabant. Horum inſtitutum improbavit Gregorius VII. Papa in quadam generali ſynodo, cujus hunc canonem referunt Micrologus cap. 54. Gratianus de conſecratione diſt. 5. cap. 15. & Radulphus Tungrenſis de obſervatione canonum propoſitione 10. [In die reſurrectionis uſque in ſabbatum in albis, & in die Pentecoſtes uſque in ſabbatum ejuſdem, tres pſalmos tantum nocturnos treſque lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem pſalmos & novem lectiones dicimus. Aliis verò diebus duodecim pſalmos & tres lectiones recitamus. In Dominicis diebus octodecim pſalmos, excepto die paſchæ & pentecoſtes, & novem lectiones dicimus. Illi autem qui in cotidianis diebus tres tantum pſalmos & tres lectiones celebrare volunt, non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia hoc probantur facere.] Verùm hoc Gregorii ſtatutum inolitam conſuetudinem delere minimè valuit: nam ut ſcribit Durandus ſuo adhuc tempore [in quibuſdam eccleſiis non dicebant niſi tres pſalmos uſque ad Pentecoſten. Et hoc ex inſtitutione Alcuini,] inquit, quod ille improbat. Attamen hunc morem ſi non probavit, ſaltem toleravit Innocentius IV. qui in Bulla Canonizationis S. Petri martyris hæc habet: [Faciatis matutinale officium de ipſo martyre omninò cum novem lectionibus celebrari. Illi verò qui non conſueverunt paſchali tempore, quo ipſius martyris ſolemnitas agitur, feſtum aliquod cum novem lectionibus celebrare, nocturnum & diurnum officium cum magna reverentia & celebritate, juxta morem & modum ſuum ſolitum de martyre ipſo agant.] Lectiones porrò toto tempore paſchali aut ex apoſtolorum actibus aut ex epiſtolis canonicis, aut ex Apocalypſi deſumebantur. Ex Concilii Toletani IV. canone XVI. [A paſcha uſque ad Pentecoſten miſſarum tempore] debet legi Apocalypſis. De

jejunii & genuflectionum tempore paſchali remiſſione vide quæ diximus in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 41.

CAPUT XXVII.

De Litania majore in feſto S. Marci & triduo Rogationum ante Aſcenſionem.

CAP. XXVII. *De Litania majore, &c.*

De litania majore in feſto S. Marci.

I. SOlemnes ſolet eccleſia ſupplicationes agere in feſto S. Marci, quas Litaniæ majoris nomine appellare placuit; ſolemnes iterùm triduo ante Aſcenſionem, quæ in quibuſdam antiquis Sacramentorum litaniæ minores, in nonnullis etiam litaniæ majores, vulgò Rogationes nominantur. Primas inſtituiſſe fertur S. Gregorius, tametſi illo antiquiores haud obſcurè videatur indicare Gregorius ipſe in principio libri 2. Regiſtri, ubi tamquam de re jam inſtituta annuam illarum litaniarum celebritatem indicat his verbis: [Solemnitas annuæ devotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, ut Litaniam quæ *major* ab omnibus appellatur, ſollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.] Sed hanc fortè cum litania ſeptiformi, quam ipſe Sanctus Pontifex ob ingruentem peſtilentiam inſtituit, illi confundunt. Nam cùm ad Sedis Apoſtolicæ thronum evectus eſſet, graſſantemque luem in dies populum vehementiùs devaſtantem videret, habita ad plebem publica concione, ad avertenda per pœnitentiam iræ Dei flagella, fideles hobſtari cæpit: quod ut efficacius exequeretur his tandem verbis ſermoni finem impoſuit: [Proinde, fratres reverendiſſimi, cum contrito corde & correctis operibus, craſtina die primo diluculo ad ſeptiformem litaniam juxta diſtributionem inferius deſignatam devota cum lacrymis mente veniamus. Nullus veſtrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præſumat: quatenùs ad Sanctæ genitricis Domini eccleſiam convenientes, qui ſimul omnes peccavimus, ſimul omnes mala quæ fecimus deploremus: ut diſtrictus judex dum culpas noſtras nos puniſſe conſiderat, ipſe à ſententia propoſitæ damnationis parcat. Litania clericorum exeat ab eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, Litania virorum ab eccleſia S. Martyris Marcelli. Litania monachorum ab eccleſia SS. Joannis & Pauli. Litania ancillarum Dei ab eccleſia B. Martyrum Coſmæ & Damiani. Litania feminarum conjugatarum ab eccleſia B. primi martyris Stephani. Litania viduarum ab eccleſia B. Martyris Vitalis. Litania pauperum & infantum ab eccleſia B. martyris Ceciliæ.] Hujus ad inſtar ſeptiformis hodieque proceſſio peragitur in urbe Turonica, feſto S. Marci, in quo ad Baſilicam S. Martini per diverſos aditus confluunt ſeptem eccleſiarum collegia, ut ſimul omnes ſuis in locis propriis conſtituti litanias decantent. Et quidem canonici S. Martini Sanctuarium occupant, monachi majoris monaſterii chorum, monachi S. Juliani ad S. Martini ſepulcrum ſiſtunt,

Litania ſeptiformis.

Digitized by Google

ſiſtunt, Regulares canonici SS. Coſmæ & Damiani in capite eccleſiæ prope altare B. Mariæ congregantur, presbyteri pro conventu ſancti-monialium B. Mariæ de Bello monte, quæ olim huic proceſſioni ipſiſſimæ aderant, ad altare crucifixi remanent, Canonici S. Venantii in capella S. Juliani in parvo reveſtiario collocantur, canonici S. Petri Puellarum in capella S. Halarii. Omnibus ſic congregatis ac propriis in locis conſtitutis, cantore S. Martini litanias incipiente, omnes ſimul congregationes eaſdem eodem tempore decantant; fiuntque Sanctorum invocationes circiter trecentæ, eo nomine *litaniæ majores* merito appellatæ. Porrò quia Romæ hac die ſtatio ad S. Georgium fieri conſueverat, [ſecundùm olitanam traditionem à notario Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in eccleſia B. Georgii martyris in ejus natali ipſa litania prædicabatur.] uti teſtatur Anaſtaſius in vita Leonis III.

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

II. De auctore ſupplicationum ſeu rogationum, quæ triduo ante Aſcenſionem Dominicam fiunt, longè certior conſtantiorque eſt traditio, eas nimirùm à Mamerto Viennenſi Præſule inſtitutas: nam præter Aviti Viennenſis antiſtitis & Sidonii Apollinaris lib. 1. epiſt. 7. & lib. 7. epiſt. 14. ſuffragium, id cum multis aliis auctoribus aſſerit Gregorius Turonenſis in Hiſtoriæ Francorum lib. 2. cap. 34. ubi inſtitutionis illius cauſam modumque deſcribit his verbis: [In his temporibus fuit in Vienna urbe terræ motus maximus, ubi multæ eccleſiæ & domus multorum concuſſæ fuerunt & ſubverſæ, ubi beſtiæ multæ oberrantes, lupi, urſi acerbi ingreſſi per portam civitatis devorantes plurimos, per totûm annum hoc faciebant. Nam veniente ſolemnitate ſancti Paſchæ, Sanctus Mamertus, qui in ea urbe erat epiſcopus, dum miſſarum ſolemnia ipſa vigilia celebraret, palatium quoque regale, quod in ea civitate erat, divino igne ſuccenſum eſt. Cùmque hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione Domini, indixit jejunium vir ſanctus Dei triduanum in populo cum gemitu & contritione.] Et paulò poſt addit: [Tunc ceſſavit ipſa tribulatio & ſubverſio. Deinceps omnes eccleſiæ Dei & ſacerdotes hoc exemplum imitantes uſque ad præſens, ipſas litanias ubique celebriter colunt.] Ubi quod ait Gregorius omnes eccleſias Viennenſis exemplum ſequutas fuiſſe, id de Gallicanis præſertim intelligendum eſt, quæ ex præſcripto Concilii I. Aurelianenſis anno 511. celebrati eamdem inſtitutionem ſuſceperunt. In eo ſiquidem Concilio canone XXVII. ſtatutum hoc lego: [Rogationes ideſt litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus eccleſiis placuit celebrari: ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis feſtivitate ſolvatur, per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.] Huic decreto paruiſſe univerſas Galliæ eccleſias haudquaquam dubitare licet. Certè S. Quintianus epiſcopus qui quinquennio poſt Concilium Aurelianenſe ad Arvernenſem ſedem evectus eſt, à Gregorio Turonenſi libro de vitis Patrum cap. 4. laudatur, quod [Rogationes illas quæ ante Aſcenſionem Dominicam aguntur

Rogationum inſtitutio.

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

devotiſſimè celebraret :] in quibus inquit [die tertia cùm jam portæ civitatis appropinquarent, ſuggerunt ei ut ipſe dignaretur imponere.] impoſuit autem *Si clauſero cœlum.* Et Concilium Turonenſe II. anno 567. celebratum can. XVII. à Paſcha ad Pentecoſten prandia permittit monachis, *exceptis Rogationibus.* Hinc S. Cæſarius Arelatenſis epiſcopus Sermone 173. in Appendice tomi 5. Operum S. Auguſtini novæ editionis, hortatur fideles ut, [præcipuè iſtis tribus diebus quos regulariter in toto mundo celebrat eccleſia, nullus ſe à ſancto conventu ſubducat.] Verùm quod per totam Galliam, aliaſque fortè nonnullas regiones obſervari videbat Cæſarius, id *in toto mundo* & quidem *regulariter* celebrari exiſtimavit. At Romæ litaniæ Rogationum minimè receptæ fuerunt ante Pontificatum Leonis tertii, qui Pontifex [conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrentur.] teſtante Anaſtaſio & poſt eum Orderico Vitali lib. 2. Hiſt. eccleſ. pag. 454. Tardiùs etiam in Hiſpania receptas fuiſſe Rogationum ſupplicationes facilè colligi poteſt ex S. Iſidori libris de Divinis officiis in quibus nullam earum mentionem fieri deprehendimus, atque hinc forte Belethus eas non celebrari aſſerit [niſi in eccleſia Ciſalpina.] In Mediolanenſi non ante Aſcenſionem, ſed ſequenti hebdomada recoluntur, haud dubium quin propter illa evangelii verba, quamdiù cum eis eſt ſponſus non poſſunt jejunare. Sed in Breviario Mozarabum poſt Dominicam infrà aſcenſionis Dominicæ octavam hæc legitur Rubrica [in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI incipit officium jejuniorum. Obſervantur quarta feria & quinta feria & ſexta feria, & ſabbato ante Pentecoſten ad exorandum Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM pro peccatis noſtris ac pacem impetrandam, vel pro ſanctis lectionibus audiendis, & ut veniat Spiritus Paraclitus, & munda noſtra reperiat habitacula eccleſiam Dei frequentemus.]

Officium prolixum.

III. Prolixiſſimum hiſce diebus fuiſſe divinum officium facilè colligere licet ex veteri lectionario Gallicano Luxovienſis monaſterii, in quo prima die Rogationum ad Tertiam adſignatur epiſtola S. Jacobi ex integro legenda cum evangelii lectione ex Matthæi capite 15. ℣. 17. ad 26. ad Sextam integra S. Petri epiſtola prima tribus ultimis verſibus exceptis, cum lectione ex evangelio ſecundùm Matthæum cap. 7. ℣. 1. ad 13. ad Nonam liber Tobiæ integer cum lectione evangelii Matthæi cap. 6. ℣. 1. ad 13. Secunda die ad Tertiam ep[illegible]ia. Secunda S. Petri integra cum evangelio ex Matthæi cap. 13. ℣. 2. ad 23. ad ſextam epiſtola 1. S. Joannis tota cum evangelio ex Lucæ cap. 12. ℣. 15. ad 31. ad nonam Judith uſque in finem cum evangelio ex Matthæi cap. 5. ℣. 31. ad finem. Tertia die ad Tertiam ſecunda tertiaque Joannis epiſtola exceptis duobus verſiculis 13. & 14. cum evangelio ex Matthæi 4. ℣. 13. ad 17. & ex cap. 11. ℣. 28. ad 30. ad Sextam Judæ epiſtolam totam cum evangelio Matthæi cap. 21. ℣. 28. ad 32 ad nonam liber Heſter integer cum evangelio ſecundùm Matthæum cap. 6. ℣. 14. ad 33. Sed illæ omnes horæ diurnæ in ipſo proceſſionis decurſu

Digitized by Google

ad varias quæ fieri ſolebant ſtationes perſolvebantur, adeò ut maximam diei partem in ipſo proceſſionis decurſu impenderent, certè ſex minimum horis perduraſſe facilè perſuadent iſta Cæſarii verba ex ſermone 174. Appendicis tomi 5. operum S. Auguſtini, qui ſecundus eſt in Rogationibus: [Qui in iſtis ſex horis de conventu eccleſiæ non ſubducit ſe magnum remedium animæ ſuæ noſcitur providere.]

IV. Et quia ad avertenda iræ Dei flagella Rogationes præſertim inſtitutæ ſunt, omnia his diebus compunctum & pœnitentem animum ſpirabant; hinc ſolemnis ante proceſſionem olim cineris ſuper capita ſingulorum impoſitio, non ſecùs ac in capite quadrageſimalis jejunii, id quod diſcimus tum ex pervetuſto codice Turonenſis eccleſiæ ante annos 800. exarato, tum ex Pontificali Saliſburgenſi nam in primo ſingulæ ſingulis Rogationum diebus aſſignatur miſſæ, præmiſſa cineris benedictione hoc modo. *Cinerum benedictio & conſperſio.*

Benedictio cinerum in capite Gejunii.

Deus qui humilitione fidelium flecteris, & ſatisfactione placaris, aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſervorum tuorum horum cinerum infuſione tangendis effunde propitius gratiam tuæ bene † dictionis, ut eos & ſpiritu compunctionis repleas, & quæ juſtè poſtulaverint efficaciter tribuas, & conceſſa perpetua ſtabilitate manere decernas. Per.

In altero vero hæc lego: [In litania enim minore ſicut in majore feria ſecunda in primis agitur benedictio cineris, ſequente antiphona: *Exurge, Domine, adjuva nos. Deus auribus.* Qua finita, ponendi ſunt cineres ſuper capita ſingulorum virorum ac mulierum, incipiente clero ſicut antiphon. teſtatur, *immutemur habitu.*]

Mentem familiæ tuæ, quæſumus Domine, intercedente B. Laurentio martyre tuo & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per.

V. Similis ritus adhuc hodie viget in eccleſia Mediolanenſi. In eccleſia Viennenſi aliiſque non paucis, puta in Ebrodunenſi, Glandatenſi, Uticenſi, Silvanectenſi, Carnotenſi S. Joannis, Gaſtinenſi, atque apud Præmonſtratenſes ſolemnis ante proceſſionem fit aquæ luſtralis aſperſio; ſaltem id præſcribunt earumdem eccleſiarum libri Rituales. *Aquæ luſtralis aſperſio.*

VI. Ad majorem autem hujus proceſſionis ſolemnitatem cum matrice eccleſia inferiores ejuſdem civitatis aut vici pleriſque in locis convenire ſolent, ut uno animo unoque ſpiritu divinam clementiam ſimul exorent, ſacraſque deferunt reliquias. Olim in inſignioribus monachorum cœnobiis hanc ad proceſſionem ſua ſinguli deferebant reliquiarum philacteria. Ita videre in antiquis Romani S. Pauli monaſterii Conſuetudinibus mſſ.

Digitized by Google

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

Proceſſiones nudis pedibus

VII. Et quia pœnitentiæ demonſtrandæ cauſa præſertim fiebant illæ ſupplicationes, omnes ipſi etiam laïci & ſæculares viri ac mulieres nudis in illis incedebant pedibus, ut conſtat non ſolùm ex ordine Romano, ſed etiam ex hoc Concilii Moguntini anni 813. canone XXXIII. [Placuit nobis ut litania major obſervanda ſit à cunctis chriſtianis diebus tribus, ſicut legendo reperimus, & ſicut Sancti Patres noſtri inſtituerunt, non equitando nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalciati, cinere & cilicio induti niſi infirmitas impedierit.] A qua quidem lege nec ipſi imperatores reges aut principes erant immunes. Et ſanè Carolum-Magnum laudat Monachus Sancti Gallenſis in libro de Rebus ejus bellicis cap. 16. quòd [tempore litaniarum de palatio diſcalciatis pedibus uſque ad eccleſiam paſtoralem, vel ad Sanctum Hemeramnum, ſiquidem eſſet Ragenespurg crucem ſequi ſolitus] eſſet. Idem de Marciano imperatore, quamvis alia occaſione teſtatur Theodorus lector in lib. 1. Hiſtoriæ his verbis : [Marcianus ad ſupplicationes quæ fiebant in campo pedes extra civitatem progreſſus multas pecunias pauperibus erogavit. Anatolium verò urbis epiſcopum hortatus eſt, ut juxtà morem epiſcoporum urbis regiæ à Tauro uſque ad campum lectica vectus ad ſupplicationem procederet. Verùm ille cùm Marcianum pedibus incedentem vidiſſet, ipſe quoque pedes proceſſit.] Hunc locum, etſi de alia ſupplicatione quam Rogationum intelligatur, hic integrum referre libuit, tum ad demonſtrandam religioſi imperatoris pietatem, tum ad probandam antiquam eccleſiæ conſuetudinem proceſſiones nudis-pedibus peragendi. Nec minori laude digna videtur S. Elizabeta Hungarorum regis filia, quæ ut legimus in ejus vita cap. 10. apud Surium 19. Novembris, [luſtrationem chriſtiano more priuſquam Dominicæ aſcenſionis ſolemnitas agitur, fieri ſolitam, & ipſa laneis amicta, nudaque pedibus obſervabat, Chriſti crucem ac ſanctorum reliquias indifferenter cum vulgo inſecuta, Deique verbum auditura pauperioribus ſe feminis ſemper intermiſcuit, non ignorans cæleſte ſemen in humili cordis globa uberius exſurgere.] Vide Chronicon S. Trudonis lib. 8. Spicil. tom. 7. pag. 445.

In iis variæ ſtationes.

VIII. Ea in proceſſione plures factas fuiſſe ſtationes tum Romæ tum alibi teſtantur libri Rituales quos conſuluimus penè omnes; ſed præſertim Sacramentorum plerique ante annos 800. exarati, in quibus leguntur orationes ad S. Laurentium, ad S. Valentinum, ad crucem ad Pontem Molbi, in atrio & ad S. Martinum, haud dubium quin pro totidem ſtationibus.

De miſſa Rogationum.

IX. In his ſtationibus aut diurnum perſolvebant officium, aut miſſam celebrabant: aut pias aliquas preces ad devotos animi affectus excitandos accommodatas decantabant. In quibuſdam antiquis miſſalibus eccleſiæ Turonenſis quorum caracter annos 800, aut 600. repræſentat, in miſſali Catalaunenſi, & quibuſdam aliis ſuæ ſingulis diebus habentur miſſæ propriæ. In pervetuſto codice Gellonenſi duæ ſingulis feriis leguntur. Duæ etiam in Ordinatio Cabilonenſi præſcribuntur, prima de

defunctis, ſecunda de Rogationibus. Extant etiam in antiquo Sacramentorum libro eccleſiæ Turonenſis annorum circiter 800. feria quarta tres miſſæ de vigilia Aſcenſionis cum quarta de litania majore. In feſto verò S. Marci duæ de eodem ſancto, præter quas haud dubium dicebatur & tertia de letania. Ea in miſſa diaconus & ſubdiaconus ex preſcripto Ordinarii Lemovicenſis miniſtrant *in albis* ſine dalmatica aut tunicella. In quibuſdam eccleſiis, ut in Rotomagenſi & Sylvanectenſi, miſſa proceſſioni præmittitur. Ea in miſſa unicum dicitur alleluia, & quidem in miſſali Toloſano cum hoc verſiculo: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi, amice, accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me, & non habeo quod ponam ante illum.*

X. Et hæc de miſſa Rogationum, cui in pervetuſto codice Regio num. 3865. cujus caracter accedit ad annos nongentos præmittitur hæc apologia, quæ huic miſſæ ſingularis erat.

INCIPIT ACCUSATIO SACERDOTIS QUOMODO SE ANTE ALTARE ACCUSARE DEBET.

Hic tuæ, clementiſſime Chriſte, impenetrabili majeſtati tremebundus adſiſto, dum multifaria ac noxia in me accuſantia crimina recognoſco, debita altaribus tuis indignus ſacrificia tuo conſpectui offerre præſumo: quia ante tuæ majeſtatis præſentiam jaceo corpore proſtrato, menteque corde polluto. Habes inter hæc antidotum, Chriſte, qui ſanare, bone medice, vulnera noſti. Conſcriptum, quæſo, contra me, arbiter, ad me dele chyrographum, nec ultor in me ſævius peccati vulnera valeat exigere nummum. Et ad tuam clementiam indigno ore menteque depoſco, ut ſereno vultu familiam tuam ſacra tui nominis officia præſtolantem digneris aſpicere, nec per me indignum eorum ſalutis pereat precium, pro quibus dignatus es tuum ſanctum fundere ſanguinem & eſſe redemptio, Chriſte Salvator mundi, Rex regum, regnans in unitate cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.

XI. De precibus in proceſſione decantandis ſupervacaneum reor dicere, quoniam pro diverſitate eccleſiarum & ipſæ variare ſolent: ſed juvat hic integram proceſſionis ſeriem ex Ceremoniali Viennenſi, Ordinario Lugdunenſi, ex Argentino & Proceſſionali Mediolanenſi ſubjungere.

Digitized by Google

Cap.XXVII. *De Litania majore &c.*

ORDO PROCESSIONIS IN ROGATIONIBUS

Ex ms. Cæremoniali inſignis eccleſiæ Viennenſis in Gallia

Feria secunda Rogationum

Si feſtivitas 9. lectionum occurrerit, cantetur de ſancto, & miſſa major de jejunio. Si verò feſtivitas SS. Philippi & Jacobi apoſtolorum evenerit, miſſa ſolemnis ad majus altare, cui omnes interſint. Poſteà fiant Rogationes pulſatis priùs claſſibus cum omnibus ſignis per tres pauſas. Debet providere capiſcolus ſive magiſter de altero ex clericis qui deferat urceum, & de duobus aliis clericis ad deferendas tabulas, & Ordinarium. Subdiaconus hebdomadarius deferat crucem, & diaconus textum argenteum. Et omnes tam de majori quam de minori choro ſint cum nova tonſura.

Archiepiſcopus choro exeunte ſtet ante portam chori à parte dextra cum clerico deferente urceum à latere ſuo dextro, vel decanus ſi ſit presbyter, abſente archiepiſcopo, vel hebdomadarius, præmiſſis abſentibus, aſpergat omnem clerum aqua benedicta. Cantores ſtantes in medio navis, clero hinc inde chorum faciente, incipiant alta voce. Propitius eſto. *Archiepiſcopus verò, vel decanus, vel hebdomadarius in medio navis in eodem loco ubi priùs ſtabant cantores, dicat orationem* Mentem familiæ. *Cum egrediuntur, cantor incipiat antiphonam* Cum jucunditate *&c. Intrante proceſſione eccleſiam S. Ferreoli, cantor ſeu ejus vicarius incipiat* Agnus Dei *&c.* Suſcipe deprecationem noſtram *&c.* Agnus Dei. Gloria Patri. Agnus Dei. *Duo canonici ad mandatum magiſtri decantent litanias, clerico deferente tabulas ſtante ante illos. Sic fiat aliis eccleſiis.*

Dum decantatur letania unus ex presbyteris majoribus cum aliis duobus presbyteris de mandato magiſtri debent ſtare proſtrati ante altare, ſicut notatur in ordine libri tabularum, & ibi dicere majores litanias, reſpondentibus ſibi duobus aliis presbyteris. Et completa letania, idem presbyter major dicat orationem Deus qui culpas &c. *Similiter in aliis ſtationibus presbyter qui dixerit litaniam dicat orationem. Cum egrediuntur, incipiat cantor antiphonam* Domine Deus noſter *&c. Deinde fit ſtatio ad S. Andream monachorum, & ibi præcentor & cantor ſeu eorum vicarii canonici decantent letaniam. Unus de majoribus capellanis, & duo presbyteri de mandato magiſtri dicant litaniam proſtrati ante altare, ut in præcedenti eccleſia. Oratio* Parce Domine. *Cum egrediuntur antiphona* Exclamemus omnes. *Antiphona* Parce Domine. Agnus Dei. Suſcipe &c.

Statio ad S. Severum. Duo presbyteri letaniam decantent, & unus ex presbyteris coadjutoribus, & alii duo presbyteri dicant litaniam proſtrati, & poſteà orationem, ut in libro Rogationum continetur. Cum egrediuntur antiphona Imminuti ſumus *&c.*

Statio ad S. Mariam ultra Jariam. Duo ſacerdotes decantent letaniam, ſicut in eccleſia S. Severi: & ſimiliter dicatur letania ante altare. Oratio.

Adeſto Domine. *Cantores duo clerici de minori choro. Ibi decantetur miſſa de jejunio. Introitus* Exaudivit de templo ſancto tuo. *Pſal.* Diligam te. *Cetera ut in Miſſali. Clerici deportantes tabulas debent gradatim thuribulum deferre ad miſſam. In regreſſu duo canonici de mandato magiſtri decantent letaniam* Aufer à nobis *uſque ad eccleſiam majorem.*

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

Die ſecunda Rogationum. Cantores in navi dicant Exſurge Domine. *Pſal.* Deus auribus noſtris. *Orationem dicat archiepiſcopus, vel decanus, vel hebdomadarius, ut ſupra notatur. Oratio.* Mentem familiæ.

Prima ſtatio ad S. Mariam in via veteri. Secunda ſtatio ad S. Bernardum. Tertia ſtatio ad S. Martinum: & ibi miſſa de jejunio decantatur: cetera fiunt ut in ſupradictis eccleſiis, ut præſcribitur in libro tabularum. In regreſſu fit ſtatio ante domum SS. Severini, Exuperii, & Feliciani martyrum; & ibi præparatur ſedes, & duo presbyteri decantent letanias, id eſt majores letanias. Quo peracto, duo canonici ad mandatum magiſtri decantent letanias modulatas uſque ad majorem eccleſiam. Antequam ad ipſam perveniatur, fiat ſtatio ante domum S. Juliani in majori via. Ibi decantetur antiphona Beatus vir Julianus. *Dicat orationem hebdomadarius. Poſteà continuetur litania; & ipſa completa, in navi majoris eccleſiæ idem hebdomadarius dicat orationem.*

Die tertia Rogationum dicitur ad crucem miſſa Exaudivit de templo &c. *Non dicitur miſſa pro defunctis.*

Die tertia Rogationum eccleſiæ collegiatæ S. Severi, S. Andreæ monachorum, S. Petri conveniant in eccleſiam majorem cum capellanis ſeu curatis S. Laurentii, S. Ferreoli, S. Georgii, S. Andreæ monachorum, alias S. Petri inter Judæos, S. Andreæ monialium, & S. Martini cum eorum crucibus. Exeuntes illi de choro aſpergantur aqua benedicta ab archiepiſcopo, ſeu decano, vel hebdomadario. Et omnibus in navi ſtantibus, chorum facientibus, ut moris eſt; cantores incipiant Exaudi nos Domine. *Pſal.* Salvum me fac. Gloria Patri. Exaudi. *Oratio.* Parce Domine. *Dicat archiepiſcopus, aut eo abſente, ſupradictus decanus, vel hebdomadarius. Decantantur antiphonæ deſcriptæ in tabulis. Prima ſtatio ad eccleſiam Carmelitarum: letaniam & orationem decantent & pariter dicant ante altare canonici S. Petri, clerico majoris eccleſiæ tenente tabulas ante ipſos.*

Secunda ſtatio ad S. Andream monialium. Monachi S. Andreæ inferioris litaniam & orationem decantent, pariterque dicant ante altare, clerico majoris eccleſiæ tenente tabulas ante ipſos, ut ſuprà. Ab eccleſia S. Andreæ proceditur ad S. Petrum. Eundo fit ſtatio ad S. Germanum ad crucem ibi poſitam, & dicat Da quæſumus omnipotens Deus *qui habet celebrare magnam miſſam. Et oratione dicta, dum crux majoris eccleſiæ pervenerit ad locum Belli muri, omnia ſigna pulſentur ab ipſo loco. Duo canonici de mandato magiſtri decantent letaniam, & in introitu eccleſiæ S. Petri dicat cantor* Agnus Dei Suſcipe &c.

Tertia ſtatio ad S. Petrum. Letaniam decantent præcentor & cantores. Ante altare verò letaniam dicat unus ex coadjutoribus & duo presbyteri de mandato magiſtri. Oratio. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris.

Digitized by Google

CAP. XXVII. De Litania majore &c.

Miſſa celebretur in dicta eccleſia. Ad Sextam & Nonam dicat vicarius cantoris reſponſoria. Subdiaconus hebdomarius provideat de presbytero ad legendam epiſtolam. Sint induti cum eo portantes tabulas. Diaconus hebdomadarius provideat etiam de uno presbytero ad pronunciandum evangelium. Cantores ad mandatum magiſtri duo clerici de minori choro. Miſſa de Rogationibus Exaudivit *&c.*

Dum proceſſio egreditur à S. Petro, letania decantetur à duobus presbyteris de mandato magiſtri. Oratio. Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra.

ORDO PROCESSIONIS ROGATIONUM

Ex ms. Ordinario inſignis eccleſiæ Lugdunenſis

IN ROGATIONIBUS FERIA SECUNDA POST TERTIAM.

EXaudi nos Domine. Pſal. Salvum me fac. Gloria Patri. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando &c.

Letania prima.

Kyrie eleiſon, 3.
Chriſte eleiſon, 3.
Chriſte audi nos, 4.
S. Maria, ora pro nobis
S. Michaël, ora pro nobis
S. Gabriel, ora pro nobis
S. Raphael, ora pro nobis
S. Joannes, ora pro nobis
S. Petre, ora pro nobis
S. Paule, ora pro nobis
S. Andrea, ora pro nobis
S. Jacobe, ora pro nobis
S. Philippe, ora pro nobis
S. Bartholomæe, ora pro nobis
S. Thoma, ora pro nobis
S. Matthæe, ora pro nobis
S. Jacobe, ora pro nobis
S. Tadæe, ora pro nobis
S. Simon, ora pro nobis
S. Mathia, ora pro nobis
S. Barnaba, ora pro nobis
S. Marce, ora pro nobis
S. Luca, ora pro nobis
S. Anaclete, ora pro nobis
S. Clemens, ora pro nobis
S. Theleſphore, ora pro nobis
S. Siſte, ora pro nobis
S. Corneli, ora pro nobis
S. Cypriane, ora pro nobis
S. Anthere, ora pro nobis
S. Marcelle, ora pro nobis
S. Apollinaris, ora pro nobis
S. Phorine cum ſociis ſuis, ora pro nobis
S. Saturnine, ora pro nobis
S. Trophime, ora pro nobis
S. Martialis, ora pro nobis
S. Torquate, ora pro nobis,
S. Yrenee cum ſociis ſuis, ora pro nobis
S. Polycarpe cum ſociis ſuis, ora pro nobis
S. Sylveſter, ora pro nobis
S. Hilari, ora pro nobis
S. Ambroſi, ora pro nobis
S. Martine, ora pro nobis
S. Geronime, ora pro nobis
S. Auguſtine, ora pro nobis

S. Lupe,

S. Lupe, ora pro nobis
S. Germane, ora pro nobis
S. Cæſari, ora pro nobis
S. Antoni, ora pro nobis
S. Hilarion, ora pro nobis
S. Machari, ora pro nobis
S. Cecilia, ora pro nobis
S. Lucia, ora pro nobis
S. Agnes, ora pro nobis
S. Agatha, ora pro nobis
S. Anaſtaſia, ora pro nobis
S. Euphemia, ora pro nobis
S. Priſca, ora pro nobis
S. Perpetua, ora pro nobis
S. Felicitas, ora pro nobis
Omnes Sancti, orate pro nobis 2.
Propitius eſto. Parce nobis
Ab inſidiis diaboli, Libera nos Domine
A perſecutione inimici, Libera nos Domine
A ventura ira, Libera nos Domine
A periculo mortis, Libera nos Dñe
A ſubitanea & improviſa morte, Libera nos Domine
Ab omni malo, Libera nos Domine
Per crucem tuam, Libera nos Dñe
Per reſurrectionem tuam, Libera nos Domine
Per aſcenſionem tuam, Libera nos Domine
Peccatores. Te rogamus audi nos
Ut pacem nobis dones. Te rogamus audi nos
Ut aëris temperiem nobis dones. Te rogamus audi nos,
Ut fructus terræ dare & conſervare. Te rogamus audi nos.
Ut miſericordia & pietas tua nos cuſtodiat Te rogamus audi nos.
Ut Pontificem noſtrum conſervare Te rogamus audi nos.
Ut ei vitam & ſanitatem dones. Te rogamus audi nos.
Ut univerſos gradus eccleſiæ.
Ut clerum & plebem.
Ut univerſum populum.
Ut regem noſtrum.
Ur ei vitam & victoriam dones.
Ut gentes quæ in ſua feritate confidunt tua dextera comprimat.
Ut eccleſiam tuam defenſare digneris.
Ut inimicos ſanctæ Dei eccleſiæ comprimere digneris.
Ut errantes ad viam ſalutis reducas.
Ut in Chriſto quieſcentibus requiem æternam dones.
Ut nos exaudire digneris.
Filii Dei.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Libera nos, Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis
Chriſte audi nos. 3.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon.

Statio ad S. Georgium

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere.
Suſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ad dexteram Patris.

Digitized by Google

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

Agnus Dei qui. Gloria Patri. Agnus Dei.
Exaudi Deus. Voces noſtras.
Exaudi Chriſte. Miſerere nobis.
Exaudi Deus. Voces noſtras.
Sancte Sanctorum Deus. Miſerere
Sancta Tecla. Intercede pro nobis
S. Daria. Intercede
S. Stephana. Intercede
S. Ruffina. Intercede
S. Julia. Intercede
S. Agnes. Intercede
S. Leocadia. Intercede
S. Eulalia 2. Intercede
S. Georgi 2: Intercede
Omnes Sancti. Intercedite pro nobis
Exaudi Deus. Voces noſtras.
Conſerva Chriſte Principum noſtrorum vitam.
Exaudi Deus. Orationem populi tui.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Nulla dicas capitula ſed orationem tantum.

Deus qui culpas delinquentium diſtricte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuſes; ut qui pondus tuæ animadverſionis cognovimus, interceſſione B. Eulaliæ martyris tuæ etiam pietatis gratiam ſentiamus. Per.

Hic Sexta cantatur.

Antiphona. Populus Sion, convertimini ad Dominum Deum veſtrum, & dicite ei: Potens es, Domine, dimittere peccata noſtra, ut non inveniant nos iniquitates noſtræ Deus noſter. Alleluia, alleluia.

Ego ſum Deus Patrum veſtrorum, dicit Dominus: Videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum ejus audivi, & deſcendi liberare eos. Alleluia, alleluia.

Domine Deus noſter, qui cum Patribus noſtris mirabilia magna feciſti, & noſtris glorificaris temporibus: qui miſiſti manum tuam de alto, & liberaſti eos. Alleluia.

Statio ad S. Laurentium.

Agnus Dei *& cetera ut ſuprà.*

S. Simon. Intercede
S. Marce. Intercede
S. Vincenti. Intercede
S. Georgi. Intercede
S. Romane. Intercede
S. Hyppolite. Intercede

S. Syſte. Intercede
S. Laurenti. Intercede
S. Joannes. Intercede.
Omnes Sancti. Intercedite.
Cetera ut ſuprà

Mentem familiæ tuæ, quæſumus Domine, placatus, & intercedente B. Laurentio martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per.

Antiphona Domine Deus.

Antiphona Confitemini Domino, filii Iſrael, quia non eſt alius Deus præter eum, ipſe liberavit nos propter miſericordiam ſuam, aſpicite quæ fecit nobiſcum, & enarremus omnia inenarrabilia ejus. Alleluia.

Exclamemus omnes ad Dominum dicentes, peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos à malis quæ quotidiè accreſcunt ſuper nos. Alleluia

Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris nobis. Alleluia, alleluia.

Statio ad S. Treneum.

Agnus Dei *cetera ut ſuprà.*
S. Joannes. Intercede
S. Polycarpe. Intercede
S. Benigne. Intercede
S. Andochi. Intercede
S. Tyrſe. Intercede
S. Ferreole. Intercede
S. Felix. Intercede
S. Fortunate. Intercede
S. Achille. Intercede
S. Ypopodi. Intercede
S. Alexander. Intercede
S. Irenee. 2. Intercede
Omnes Sancti 2. Intercedite.
Cetera ut ſuprà.

Deus qui culpas noſtras piis verberibus percutis, ut nos à noſtris iniquitatibus emundes; da nobis, intercedente B. Yreneo martyre tuo atque Pontifice, & verbere proficere, & de tua citius conſolatione gaudere. Per.

Parce Domine, parce populo tuo quem redemiſti.

Iniquitates noſtræ, Domine, multiplicatæ ſunt ſuper capita noſtra, delicta noſtra creverunt uſque ad cœlos: parce, Domine, & inclina ſuper nos miſericordiam tuam. Alleluia.

Statio ad S. Juſtum.

Agnus Dei *&c. ut ſuprà*
S. Ambroſi. Intercede.
S. Martine. Intercede.
S. Iheronyme. Intercede.
S. Auguſtine. Intercede.
S. Gregori. Intercede.
S. Apollinaris. Intercede
S. Nicete. Intercede
S. Eucheri. Intercede
S. Juſte. 2. Intercede
Omnes Sancti 2. Intercedite
Cetera ut ſuprà

Exaudi, quæſumus, Domine, gemitum populi ſupplicantis & qui

CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

demeritorum qualitate diffidimus, intercedente B. Juſto confeſſore tuo atque Pontifice, non judicium, ſed miſericordiam conſequi mereamur.

Hic nonam cantabis cum miſſa. Officium. Exaudivit &c.

In reditu ℟. Domine Deus. ℣. Deus cœlorum. ℟. Domine rex omnipotens. ℣. Et nunc, ℟. Adaperiat. ℣. Exaudiat. ℟. Exaudiat. ℣. Adaperiat Dominus. ℟. Tua eſt potentia. ℣. Qui liberas. ℟. Impetum. ℣. Mementote. ℟. Tu Domine univerſorum. ℣. Qui regis. ℟. Congregati ſunt. ℣. Diſperde illos. ℟. Aperi cœlos tuos. ℣. Miſerere. ℟. Aſpice Domine. ℣. Ne iraſcaris. ℟. Aſpice Domine. ℣. Plorans. ℟. Suſtinuimus ℣. Peccavimus. ℟. Salus noſtra. ℣. Adjuva nos. ℟. Domine Deus. ℣. Adjuva nos Deus. ℟. Deus qui ſedes. ℣. Tibi derelictus. *Poſt hoc letania de quacumque tribulatione. Antiphona* Clementiſſime.

SECUNDA DIE ROGATIONUM.

Antiphona Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris propter nomen tuum, nequando dicant gentes: ubi eſt Deus eorum? *Pſal.* Adjuva nos Deus. Gloria Patri

Oratio

Afflictionem familiæ tuæ, quæſumus Domine, intende placatus, ut indulta venia peccatorum, de tuis ſemper beneficiis gloriemur, Per.

Kyrie eleiſon. 3.
Chriſte eleiſon. 3.
Chriſte audi nos.
S. Maria. ora pro nobis.
S. Michaël. ora pro nobis.
S. Gabriel.
S. Raphael.
S. Joannes.
S. Petre.
S. Paule.
S. Andrea.
S. Jacobe.
S. Joannes.
S. Philippe.
S. Bartholomæe.
S. Stephane.
S. Juda.
S. Silea.
S. Honeſime.
S. Timothee.
S. Tite.
S. Donate.
S. Ignati.
S. Calliſte.
S. Urbane.
S. Juſtine.
S. Apolloni.
S. Laurenti.
S. Vincenti.
S. Pancrati.
S. Chryſogone.
S. Coſma.
S. Damiane.
S. Epagate.
S. Zacharia.
S. Aunemunde. ora pro nobis.
S. Mature.
S. Attale.
S. Alexander.
S. Pontice.
S. Geneſi.
S. Athanaſi.
S. Pauline.
S. Verane.

S. Patiens.
S. Lupe.
S. Sacerdos.
S. Auguſtine.
S. Gregori.
S. Benedicte.
S. Euchiri.
S. Remigi.
S. Sulpici.
S. Tecla.
S. Eulalia.
S. Leocadia.
S. Columba.
S. Criſpina.
S. Sabina.
S. Juliana.
S. Blandina,
S. Genovefa.
Omnes Sancti. Orate pro nobis *cetera ut ſuprà*

Statio ad S. Paulum

Agnus Dei *cetera ut ſuprà*
S. Clemens. Intercede
S. Luca. Intercede
S. Timothee. Intercede
S. Tite. Intercede
S. Dionyſi. Intercede
S. Oneſime. Intercede
S. Juda. Intercede
S. Silea. Intercede
S. Barnaba. Intercede
S. Petre. Intercede
S. Paule. 2. Intercede
Omnes Sancti 2. *cetera ut ſuprà*

Deus qui juſte iraſceris, & clementer ignoſcis, afflicti populi lacrymas reſpice; & iram tuæ indignationis, quam juſte meremur propitiatus averte.

Hic camatur Sexta

Antiphona. Domine non eſt alius Deus præter te, cui de omnibus cura eſt, eo quod omnium Dominus ſis: parce populo tuo, qui das peccantibus pœnitentiam, & convertatur malitia in bonitate. Alleluia.

Exaudi, Domine, deprecationem ſervorum tuorum, & miſerere populo tuo, ut ſciant omnes quia tu es Deus populorum: miſerere civitati ſanctificationis tuæ, Domine Deus noſter. Alleluia, alleluia.

Miſerere, Domine, plebi tuæ, ſuper quam invocatur nomen tuum, ut ſciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus pupillorum tuorum. Alleluia.

Dimitte, Domine, peccata populi tui ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ; ſicut propitius fuiſti patribus noſtris, propitius eſto & nobis, & implebitur gloria tua univerſa terra. Alleluia.

Exaudi Deus deprecationem noſtram, & propitius eſto populo tuo, & converte tribulationem noſtram in gaudium, ut benedicentes benedicamus te, Domine, alleluia.

Deprecamur te, Domine, in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate iſta, & de domo ſancta tua, quoniam peccavimus, alleluia.

CAP. XXVII. *De Litania majore, &c.*

Statio ad S. Martinum.

Agnus Dei qui tollis.

S. Paule. Intercede
S. Antoni. Intercede
S. Hilarion. Intercede
S. Athanaſi. Intercede
S. Hilari. Intercede
S. Martine. 2. Intercede

Omnes Sancti. Intercedite *cetera ut ſuprà*

Afflictionem familiæ tuæ, quæſumus Domine, intende placatus, ut indulta venia peccatorum, intercedente B. Martino confeſſore tuo atque Pontifice, de tuis ſemper beneficiis gloriemur. Per

Deprecamur te, Domine.

Inclina, Domine, aurem tuam & audi. Reſpice de cœlo, & vide afflictionem populi tui. Exaudi, Domine: intende, ne tardaveris, quia nomen ſanctum tuum invocatur ſuper nos. Alleluia.

Statio ad S. Petrum

Agnus Dei *cetera ut ſuprà*

S. Matthia. Intercede
S. Symon. Intercede
S. Taddee. Intercede
S. Jacobe. Intercede
S. Matthæe. Intercede
S. Thoma. Intercede
S. Bartholomæe. Intercede
S. Philippe. Intercede
S. Joannes. Intercede
S. Jacobe. Intercede
S. Andrea. 2. Intercede
S. Petre. 2. Intercede
Omnes Sancti. 2. Intercedite
cetera ut ſuprà

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & ſperantes in tua miſericordia, intercedente B. Petro apoſtolo tuo, cœleſti protege benignus auxilio. Per

Hic cantabitur nona & miſſa. Officium Exaudivit &c.

In reditu in navi Peccavimus Domine. Oremus, dilectiſſimi. *Letania de quacumque tribulatione.*

TERTIO DIE ROGATIONUM.

Exſurge, Domine, adjuva nos &c. Deus auribus. Gloria Patri. *Oratio.* Deus qui culpa offenderis &c.

Letania tertia

Kyrie eleiſon. 2.
Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
S. Maria, ora pro nobis
S. Michaël.
S. Gabriel.
S. Raphael.
S. Joannes.
S. Petre.
S. Paule.

S. Andrea.
S. Jacobe.
S. Joannes.
S. Philippe.
S. Bartholomæe.
S. Thoma.
S. Jacobe.
S. Taddee.
S. Simon.
S. Matthia.
S. Stephane.
S. Xiſte.
S. Laurenti.
S. Hipolyte.
S. Babila.
S. Foca.
S. Fructuoſe.
S. Alexander.
S. Ypipodi.
S. Maurici cum ſociis.
S. Exuperi. ora pro nobis
S. Sebaſtiane.
S. Tiburci.
S. Valeriane.
S. Marcelle.
S. Protaſi.
S. Gervaſi.
S. Nazari.
S. Celſe.
S. Agricola.
S. Vitalis.
S. Georgi.
S. Agapite.
S. Cyriace.
S. Dionyſi cum ſociis.
S. Benigne.
S. Quintine.
S. Symphoriane.
S. Niceti.
S. Euchiri.
S. Etheri.
S. Arigi.
S. Geneſi.
S. Viverिciole.
S. Peregrine.
S. Viator.
S. Baldomeri.
S. Paule.
S. Euſebi.
S. Baſili.
S. Fulgenti.
S. Petronilla. ora pro nobis
S. Symphoroſa.
S. Eugenia.
S. Baſilla.
S. Leonilla.
S. Domitilla.
S. Dorothea. ora pro nobis
S. Antonia.
S. Emilia.
S. Maria Magdalene.
Omnes Sancti. 2.
Cetera ut ſuprà.

Multa ſunt, Domine, peccata noſtra: tibi peccavimus. Patientia Iſraël, libera nos, Domine, in tempore anguſtiæ noſtræ. Alleluia.

Peccavimus, Domine; & tu iratus es nobis, & non eſt qui effugiat manum tuam; ſed ſupplicamus ut veniat ſuper nos miſericordia tua, qui Ninive pepercisti, miſerere nobis. Alleluia.

Invocantes Dominum exclamemus, ut reſpiciat populum ſuum conculcatum & dolentem, & protegat templum ne ab impiis polluatur, & miſereatur nimis civitatis ſuæ. Alleluia.

Domine, miſerere noſtri, te enim expectavimus: eſto brachium noſtrum in fortitudine & ſalus noſtra in tempore tribulationis Domine Deus noſter, alleluia.

Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecare ſuper ſervos tuos pro diebus & annis quibus vidimus mala: Reſpice in ſervos tuos,

Digitized by Google

& in opera tua, & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & dirige nos. Alleluia.

Immutemur habitu in cinere & cilicio; jejunemus & ploremus ante Dominum, quia multum miſericors eſt dimittere peccata noſtra Deus noſter. Alleluia.

Non in juſtificationibus proſternimus preces ante faciem tuam, ſed miſerationibus tuis multis placare, Domine; fac ne moreris propter temetipſum Deus noſter. Alleluia.

Libera, Domine, populum tuum de manu mortis; & plebem iſtam protegat dextera tua, ut viventes benedicamus te, Domine Deus noſter. Alleluia.

Propter peccata noſtra, Deus, commoviſti terram & conturbaſti eam. Sana, Domine, contritiones ejus, quoniam mota eſt. Alleluia.

Domine, imminuti ſumus propter peccata noſtra hodie; ſed in anima contrita & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur, & fac nobiſcum, ſecundum manſuetudinem tuam: quia non eſt confuſio confidentibus in te. Alleluia, alleluia

Statio ad S. Martinum & alios confeſſores.

Agnus Dei *ut ſuprà.* Sancte Sanctorum Deus, miſerere nobis.

S. Paule. Intercede	S. Niceti.
S. Antoni.	S. Juſte.
S. Hilarion.	S. Martine.
S. Athanaſi.	Omnes Sancti. 2.
S. Hilari.	*Cetera ut ſuprà*

S. Gregori. Intercede.

Afflictionem familiæ tuæ &c.

Hic cantatur ſexta & miſſa, & poſt miſſam nona. In reditu letania de quacumque tribulatione.

ORDO PROCESSIONIS ROGATIONUM

Ex ms. Ordinario eccleſiæ Argentinæ.

IN Litania minore ad miſſam omnia ſigna pulſantur, videlicet majores campanæ. Exaudivit de templo *privatim canitur.... Poſt elevationem compulſentur iterùm omnes campanæ, & ſcholares de ſcholis aſcendant ad chorum. Poſt nonam compulſentur omnia ſigna, & fiat proceſſio ad S. Aureliam, & portentur tres cruces, & cum qualibet cruce duo vexilla, & unum feretrum reliquiarum Sanctorum. Hæc portentur à ſcholaribus induti albis, excepto uno feretro, quod à duobus hebdomadariis portatur albis induti, nudis pedibus incedentes, & baculos in manibus tenentes, ſed in portando ſcholares induti ſuperpelliciis in itinere ſupplent vices eorum: ita tamen quòd ipſi hebdomadarii*

domadarii cum feretro vadant , & in introitu eccleſiarum quas intrare ſolet proceſſio ipſi propriis humeris importent , ponentes feretrum in altari ipſius eccleſiæ, expectantes uſque dum clerus veniens in eamdem eccleſiam cantaverit & legerit ea quæ ſunt canenda : Tunc exportant feretrum & reddant ſcholaribus. Præbendarii tamen chori poſſunt ſupplere vices hebdomadariorum in prædictis. Idem etiam feretrum ponitur ſuper altare ante publicam miſſam per ſacriſtam , & poſt miſſam ſumitur de altari. Reliqua etiam feretra portentur à ſcholaribus in eccleſias , ſicut illud de quo dictum eſt ſuprà.

CAP. XXVII. De Litania majore &c.

In exitu chori noſtri primò cantor imponat antiphonam Salvator mundi , *& tranſitur per chorum exeundo per oſtium ſub ambone prope altare B. Virginis , & exitur per medium oſtium monaſterii , & tranſeunt ante hoſpitale, ſed non intrant , & vadant per propius cemeterium B. Martini , & intrat clerus eccleſiam cum reliquiis & crucibus , ſed vexilla tranſeunt in vicum fabrorum cum proceſſione ſcholarium expectando donec clerus ad eos revertatur.*

In introitu eccleſiæ S. Martini canitur ℟. Ora pro nobis B. Martine , ſine verſu ℣. Ecce ſacerdos. *Oratio* , Deus qui conſpicis. *Oratio* Fideles tuos , quæſumus Domine. *In exitu antiphona* Juſtorum animæ. *Deinde tranſeunt per curiam S. Thomæ , intrantibus reliquiis & clero eccleſiam , ut ſuprà , vexillis & ſcholaribus expectantibus extra eccleſiam.*

In introitu eccleſiæ S. Thomæ ℟. Candidi facti ſunt *abſque verſu.* ℣. In omnem terram. *Oratio* , Quæſumus omnipotens Deus ut B. Thomas. *Oratio* , Protegat Domine quæſumus tua. *In exitu antiphona* Iſti ſunt viri. *Deinde tranſeunt per vicum dictum* Schiſtelgaſte , *& intrant in eccleſiam S. Petri ſenioris.*

In introitu ℟. Petre amas me. *abſque verſu.* ℣. conſtitues eos. *Oratio* , Deus qui B. Petrum. *Oratio* , Reſpice Domine , propitius. *In exitu antiphona* Spe. . . *Deinde vadant ad S. Cyriacum. In introitu eccleſiæ* ℟. Summæ Trinitati *abſque verſu.* ℣. Benedicamus Patrem. *Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus qui dediſti. *In exitu antiphona* In cæleſtibus regnis. *In ſepulcro Domini antiphona* Chriſtus reſurgens. *In introitu chori S. Auguſtini* O ſacrum convivium, ℣. Panem cœli. *Oratio* Deus qui nobis ſub ſacramento. *In exitu antiphona* iſte cognovit.

Deinde intrant capellam S. Michaëlis. In introitu antiphona Archangele Chriſti. ℣. In conſpectu angelorum. *Oratio* , Deus qui miro ordine. *Oratio* , Auxiliare Domine populo tuo. *In exitu antiphona* In tabernaculis juſtorum.

Tunc intrent in cimiterium S. Aureliæ per oſtium apud horreum decimale. Reliquiis cum clero intrantibus eccleſiam , ſcholaribus cum vexillis in cimiterio expectantibus. In introitu de S. Mauricio antiphona Lux perpetua. ℣. Exultabunt Sancti. *Oratio* , Præſta , quæſumus , omnipotens Deus. *Oratio* , Benedictionem tuam , Domine , populus. *Deinde de S. Aureliæ antiphona* Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus. ℣. Specie tua. *Oratio* , Indulgentiam tuam , quæſumus Domine. *Sequuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales* Domine ne in furore. *Cum ceteris. Preces ſequuntur.*

Digitized by Google

Exurge quare obdormis *cum ceteris. Oratio*, Conſerva quæſumus. *In exitu antiphona* Vox lætitiæ, *ſequitur* ℞. Regnum mundi.

In reverſione exeunt per portam cimeterii, quæ eſt oppoſita portæ ſuburbii, & directa via intrant civitatem tranſeundo iiberdie almende *ante curiam abbatis in novillari. Item per ararium civitatis, & per plateam dictam* Holevvig, *& per vicum calcariorum, & intrant per oſtium monaſterii, per quod exibant, & manebunt in choro quouſque antiphona B. Virginis cum oratione perficietur, quæ incipit in ingreſſu monaſterii videlicet* Alma Redemptoris *cum* alleluia.

Et nota quod in his proceſſionibus horum trium dierum, quandocumque clerus cum reliquiis eccleſias intrat, tunc ſemper vexilla foras pertranſeunt, cum ſcholaribus expectando reditum cleri.....

Si feſtum aliquod his tribus diebus occurrerit quod plenum habet officium, de feſto per totum agitur, poſteà verò ſequitur de letania antiphona & oratio, & de reſurrectione ſimiliter. Ad miſſam officium de feſto & prima oratio, ſecunda de letania, tertia de reſurrectione. Alleluia primum de letania, ſecundum de feſto, nec tamen propter hoc jejunium relaxamus....

Duobus ſequentibus diebus, idem ordo ſervatur, ſed ſtationes diverſæ & pro pœnitentialibus alii aſſignantur pſalmi.

ORDO PROCESSIONIS ROGATIONUM

Ex Proceſſionali Ambroſiano in Litaniis Rogationum

PRimo die letaniarum ſolemnium triduanarum, quæ hebdomada poſt Aſcenſionem Domini proxima, feria ſecunda, tertia, & quarta celebrantur. Clero & populo in baſilica metropolitana congregato, archiepiſcopus alba, cingulo, amictu, ſtola, pluviali nigri coloris, & mitra ſimplici indutus, aſſiſtentibus ſibi archipresbytero cum pluviali & archidiacono, & altero diacono cum planetis plicatis, cinerem ex olivarum ramis die Dominico palmarum proximo benedictis, ſi haberi poſſunt, confectum, quem cuſtodes paraverint cribroque diligenter purgaverint, ſtatis his precibus, ut infrà, ritè benedicit. Si verò archiepiſcopus abeſt, hoc officium canonicus pœnitentiarius illius baſilicæ rocheto & pluviali nigro indutus præſtat.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℞. Domine ad adjuvandum me feſtina. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. ℞. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluia.

Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem ℞. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi, Domine, miſerere mei. ℞. Sana animam meam quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum. ℞. Et deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

Digitized by Google

℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Dominus virtutum nobiſcum. ℟. Suſceptor noſter Deus Jacob.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exſurge Chriſte adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Dominus vobiſcum.

Oremus

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccantibus Ninivitis triduano jejunio mortis jacturam evadere tribuiſti; adeſto ſupplicationibus noſtris; & huic cineri, quem pro peccatis noſtris ſuſcipere contrito corde decrevimus, tuæ benedictionis virtutem † infunde de cœlis: ut ſicut in veteri populo vitulæ cinis cum aqua reſperſus luſtrationem peccantibus ſe jubente præſtabant: ita & hinc in tuo nomine ſanctificatus, cinis iſte ad abluendas peccatorum noſtrorum ſordes proficiat, & animarum noſtrarum ſalutem operetur. Per Dominum. ℟. Amen.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus in pace. ℟. In nomine Chriſti. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde aqua benedicta cinerem aſpergit & dicit: Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti, † deſcendat ſuper hunc cinerem, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Poſt in thuribulum thus imponit, archidiaconus verò, thurificationem cineri adhibet, abſente archiepiſcopo, diaconus hebdomadarius thurificat

Peracta cineris benedictione, primum archiepiſcopo pœnitentiarius canonicus pluviali nigro indutus cinerem nihil dicendo in capite ad modum crucis imponit. Deinde archiepiſcopus canonicis binis ordine accedentibus, & ſic reliquis ſacerdotibus, & clericis, tum populo humiliter accedenti, in ſingulorum capite ad modum crucis imponit hæc verba pronunciando: Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris. *Qui cinerem recipit, ſubmiſſe reſpondet.* Memor ero.

Cineris diſtributione facta, archiepiſcopus ante altare majus alta voce inchoat ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde archidiaconus voce præcinit ſequentem antiphonam, quam chorus lectorum canendo ſubſequitur. Deinde alter chorus Maceconicorum repetit, eamdemque alterno concentu iterat uſque ad carubium porta Novocomenſis.*

Antiphona. Convertimini ad me in toto corde veſtro, dicit Dominus, in jejunio fletu & planctu: quia nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.

Ad carubium porta Novocomenſis clerus conſiſtit: ibique oratio ſequens

Cap. XXVII. De Litania majore &c.

Mæſtorum *ter omnibus ſtantibus canitur : primum in ſiniſtra parte carubii ab archiepiſcopo, factaque prima interpunctione, ſtatim in parte dextra inchoatur à Priore Maceconicorum, & ilico poſt ſecundam interpunctionem tertio decantatur à Primicerio cleri, nempe à præpoſito collegiatæ dignioris, qui aliquantulum progreſſus in eadem parte eſt.*

℣. Dominus vobiſcum.

Oratio

Mæſtorum refugium Deus, tribulantium conſolator, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut afflictis oppreſſione gentium auxilium tuæ defenſionis impendens, eripere nos & ſalvare digneris. Tribue quæſumus fortitudinem feſſis, laborantibus opem, ſolatium triſtibus, adjutorium tribulatis. Circumda civitatem hanc virtutis tuæ præſidio; & omnes in ea manentes immenſæ pietatis tuæ defende juvamine. Pone in muris & portis ejus angelorum cuſtodiam, ſalutis auxilia, munitionem omnium Sanctorum tuorum: ut qui pro peccatis noſtris juſte affligimur, de ſola tua miſericordia confidentes, miſerationis tuæ munere adjuvemur: quatenùs à preſſura hac quæ nos circumdedit erepti, liberis tibi mentibus gratias agentes ſervire poſſimus. Per Dominum

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Kyrie eleiſon: Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus in pace. ℟. In nomine Chriſti Amen.

℣. Benedicamus Domino. Deo gratias

Præcedenti oratione ac prece ter ab eis, ut ſuprà, peracta, dicitur duodecies Kyrie eleiſon: *ter ſcilicet à Maceconicis, ter à ſenioribus ſeu Veglonibus voce ſubmiſſa, & ter prætereà à Veglonibus reſpondentibus voce etiam ſubmiſſa. Itidemque fit ſingulis tribus litaniarum diebus in unoquoque carubio civitatis.*

Deinde à tribus choris lectorum, ſcilicet primo, deinde maceconicorum & cleri, poſteà primæ collegiatæ iiſque conſiſtentibus alternatim canitur ſequens antiphona, quæ iteratur deinceps ſemper, dum ad baſilicam S. Simpliciani proceditur, hic ordo ſervatur per quamlibet ſtationem.

Antiphona Domine Deus virtutum, Deus Iſraël, qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti, & feciſti tibi nomen gloriæ. Peccavimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus: miſerere nobis Salvator mundi.

Dum baſilicam S. Simpliciani ingrediuntur, chori etiam illi tres, ideſt prima collegiata, deinde maceconici, poſteà lectores alternatim canunt pſallendam hanc ſine Gloria Patri.

Confeſſor Sancte, ſacerdos magne, Beate Simpliciane. Intercede pro nobis

Hic ordo ſervatur in ingreſſu cujuſlibet eccleſiæ ſtationalis

In Baſilicam S. Simpliciani clerus ingreſſus hinc & inde in medio paululum conſiſtit, dum duodecies canitur Kyrie eleiſon. *Primo ter à maceconicis,*

er etiam ſubmiſſa voce reſpondentibus Veglonibus. Rurſuſque ter à lectoribus voce alta, tum ſubmiſſa reſpondentibus ter iiſdem Veglonibus. Poſt ad altare proceditur, ubi genibus flexis recitantur litaniæ: in quibus recitandis nomina Sanctorum ſine Intercede pro nobis *à præpoſito & clero prima collegiatæ alta voce hinc & inde ad cornua altaris præcinuntur, tum à maceconicis, & à reliquo clero ſuccinuntur cum* Intercede pro nobis. *Hicque canendi litanias & antiphonas ritus in omni alia ſtationali eccleſia ſervatur: ita ut una ex collegiatis per orbem conſtituat tertium chorum in decantandis antiphonis, eidemque ſpectet præcinere letanias ſequentis ſtationis.* — CAP. XXVII. *De Litania majore &c.*

SEQUUNTUR duodecim ſtationes, in quibus ſingulis cantatur letania cum oratione, lectione ex veteri Teſtamento, ℟. & lectione ex evangelio. Procedendo ab una ſtatione ad aliam concinuntur antiphonæ & pſalmi. Poſt tertiam ſtationem cantantur Prima & Tertia, poſt ſextam ſtationem Sexta, poſt ſeptimam Nona. In octava verò ſtatione poſt recitatam S. evangelii lectionem, canitur ab hebdomadario canonico metropolitanæ eccleſiæ miſſa ſolemniter; & habetur poſt evangelium ſermo ab archiepiſcopo de pœnitentia, aut alio de genere, pro ratione temporum & datur indulgentia. Poſt reditum proceſſionis in metropolitanam eccleſiam cantantur veſperæ.

Secundo die fiunt decem ſtationes: Poſt primam cantatur Prima, poſt ſecundam Tertia, poſt quartam Sexta, poſt quintam Nona. In eccleſia ſeptima quæ eſt S. Nazarii, diaconus ante lectionem evangelii elata voce ait: Parcite fabulis. *Cuſtos etiam:* Silentium habete. *Alter verò reſpondet:* Habete ſilentium, *tum legitur evangelium ex Luca. In octava ſtatione miſſa celebratur, concioque habetur. In reditu veſperæ. In tertia verò ſtatione neque litaniæ neque lectiones recitantur.*

Die tertio per eccleſias undecim ſtationes totidem inſtituuntur, poſt primam dicitur Prima uſque ad ſymbolum S. Athanaſii, poſt tertiam Tertia & ſexta, poſt quartam nona. In quinta quæ eſt ad S. Laurentium diaconus dicit. Parcite fabulis.. *Reliqua ut ſupra, in eaque miſſa celebratur.*

XI. EX DICTIS hactenùs nemo eſt qui non videat, maximam olim diei partem in ſacris Rogationum ſupplicationibus, ea qua par erat devotione adimplendis, conſumptam fuiſſe, ac proinde non clericos modo, ſed laïcos quoſlibet qui ipſis intereſſe ſolebant jejunos ad veſperam uſque perſeveraſſe: unde non leve quis inde argumentum elicere poſſet de jejunio Rogationum, omnibus quibus per ætatem aut valetudinem liceret, impoſito, ſi illud aliunde non conſtaret, ex conciliis Gallicanis Aurelianenſi I. can. XXVII. & Turonenſi II. can. XVII. à nobis ſuprà citatis, quorum ſuffragiis addere poſſemus Aviti Viennenſis epiſcopi auctoritatem in Homilia de Rogationibus ita loquentis: [Feſtivitas ſi quidem eſt, cujus jocunditas tota ſola ſobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus paſtus eſuries eſt.] Avito concinit S. Cæſarius Arelatenſis epiſcopus in Sermone 173. Appendicis Tomi 5. Operum S. Auguſtini: [Nemo in iſtis tribus diebus aut ſanguinem tollat aut — **Iejunium in triduo Rogationum.**

Cap. XXVII. De Litania majore &c.

potionem accipiat, niſi fortè infirmitas hoc nimium periculoſa compellat. Conviviola nobis etiam quadrageſimali ordine præparemus, & magis legendo, pſallendo vel orando animabus noſtris ſpirituales epulas, quàm corporales delicias requiramus.] Clariùs vetuſtiſſimum miſſale Gothicum, cujus miſſa in Rogationibus ita incipit: [In jejunio hoc afflicti corpore, & corde contriti, frequentamus ad te preces, clementiſſime Deus, ut cum abſtinentia corporali, abſtinentia nobis vitiorum donetur.] Et Concilium Cloveshovienſe II. can. XVI. [Ut litaniæ, ideſt Rogationes à clero & omni populo his diebus cum magna reverentia agantur, ideſt die 7. calendarum Maiarum juxta ritum Romanæ eccleſiæ, quæ & litania major apud eam vocatur. Et item quoque ſecundùm morem priorum noſtrorum tres dies ante aſcenſionem Domini in cœlos *cum jejunio uſque ad horam nonam* & miſſarum celebratione venerentur; non admixtis vanitatibus, uti mos eſt plurimis vel negligentibus vel imperitis, ideſt in ludis, & equorum curſibus, & epulis majoribus, ſed magis cum timore & tremore, ſigno paſſionis Chriſti noſtræque æternæ redemtionis & reliquiis ſanctorum ejus coram portatis, omnis populus genuflectendo divinam pro delictis humiliter exorat indulgentiam.] Huc referri poteſt Herardi Turonenſis archiepiſcopi Capitulare num. 95. [De diebus Rogationum, ut reverenter ac ſtudiosè abſque turpibus jocis & verbis celebrentur, ut nullus in eis prandia, commeſſationes, diverſaſque portiones per diverſa loca præſumat.] Nam qui vetat prandia, ipſe haud dubium præcipit jejunium, quod ſolam admittit cœnam. Jejunii Rogationum etiam meminit Rodulfus in libro 8. Chronici S. Trudonis Spicil. tom. 7. p. 443. His accedit Amalarius in lib. 1. de Divinis Officiis cap. 27. ubi ſic loquitur: [Sequitur una varietas inter octavas Paſchæ & vigilias Pentecoſtes, hoc eſt jejunium triduanum in vigilia Aſcenſionis Domini. Miror quo modo inolevit conſuetudo præſentis jejunii in noſtra eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales eccleſias] &c. Hinc etiam Ratherius Veronenſis epiſcopus in Synodica ad presbyteros epiſtola Spicilegii tom. 2. inter alia quæ populis nuncianda inſtituit, recenſet jejunium Rogationum. In ordinario etiam Lucæ Cuſentini archiepiſcopi vigilia Aſcenſionis cum jejunio notatur.

XII. Idem dicendum eſt de litaniis majoribus in feſto S. Marci, quæ tamen, ſi infrà Paſchalis feſtivitatis octavam incidiſſent, jejunio vacabant, ut inter alios docet Joannes Abrincenſis his verbis: [Litania major, ſi infrà octo dies Paſchæ evenerit, nullum jejunium, nulla abſtinentia, nec aliqua ejus mentio fiat, niſi feſtiva tantum proceſſio. Si autem alio tempore evenerit, omnes exceptis parvulis & infirmis jejunent.] In his autem proceſſionibus Supplicationes Sanctorum *cooperto capite*, in ſignum pœnitentiæ dicebantur ut diſcimus ex Rodulfo in Chronico S. Trudonis lib. 8. Spicil. tom. 7. pag. 443.

XIII. Ludovicus Thomaſſinus in ſingulari Tractatu quem de jejunio compoſuit, exiſtimat ſupplicationes ſolemnes in feſto S. Marci inſti-

tutas, per dies tres perindè ac in Rogationibus celebratas fuiſſe, fultus hoc teſtimonio ex libro 5. Capitularium Regum Francorum art. 85. deſumpto: [Placuit nobis ut litania major obſervanda ſit à cunctis chriſtianis diebus tribus.] Verùm ſi vir doctiſſimus vel paucos Sacramentorum libros mſſ. pervolviſſet, advertiſſet haud dubium in compluribus Rogationes etiam dici *Litanias majores*, de quibus proinde intelligendus eſt Capitularium locus, maximè cum nec leviſſimum quidem ſit deprehendere veſtigium triduanæ ſupplicationis in feſto S. Marci in omnibus quæ hodie extant miſſalibus mſſ. nec plus favet Concilii Moguntini anni 813. canon XXXIII. ex quo Capitularium locus deſumtus eſt, qui proinde eodem modo intelligendus eſt. Adde quod Petrus Damiani opuſculo 55. cap. 5. Hunc canonem aliter legit hoc modo: [Placuit nobis, ut litania major obſervanda ſit à cunctis chriſtianis uno die, ſeptimo calendas Maii ſicut in Romana eccleſia conſtitutum reperimus, & ſicut Sancti Patres noſtri conſtituerunt, non equitando, non pretioſis veſtibus induti, ſed cinere aſperſi & cilicio induti, jejunemus, niſi infirmitas impedierit.] Addit Petrus Damiani: [Ubi notandum eſt quod geminæ feſtivitati S. videlicet Marci atque Pentecoſtes, intra cujus ſpatium ſæpius dies iſta concluditur; jejunium Sancti Patres prævalere ſanxerunt: ita tamen ut eccleſiaſticum nihilominus officium ſolemniter impleamus.] Et tamen in Carnotenſi S. Joannis ordinario totum officium tam nocturnum quàm diurnum eſt de litania majore cum ſola commemoratione S. Marci. Concinit Ordinarium Argentinum anno 1364. concinnatum, in quo tamen hoc additur monitum: [Moderni verò omnes ejuſdem diei horas de S. Marco inofficiantes, eam quam ſuprà diximus conſuetudinem officii in Litaniam minorem, quam nunc dies Rogationum appellamus... tranſtulerunt.

XIV. De confeſſionibus olim in diebus Rogationum faciendis à cunctis fidelibus chriſtianis in Lingonenſi eccleſia alibi diximus. Hac die etiam apud noſtrates unus presbyter omnes civitatis puteos benedicit, in quos benedictione completa ceream parvam crucem immittit. In feſto verò S. Marci ſacerdos ligneas cruces complures benedicit, quas ruſtici per agros campoſque diſpergunt, tamquam præſentiſſimum adverſus incantationes, fulgura, & tempeſtates remedium.

CAPUT XXVIII.

De aſcenſione Domini & ejus octava, de Vigilia feſto & octava Pentecoſtes, & de feſto SS. Trinitatis

I. Aſcenſio Domini inter eas recenſeri debet ſolemnitates, quæ ab apoſtolis inſtitutæ fuerunt, ut in primis docet S. Auguſtinus epiſt. 54. novæ editionis? unde & illius mentionem faciunt Conſtitutiones apoſtolicæ lib. 5. cap. 18. neque tamen inter ſummas olim

CAP. XXVIII. *De Aſcenſione Domini &c.*

Feſti Aſcenſionis antiquitas.

habebatur quæ ubique uniformi ritu obſervabantur, quales erant nativitas Domini, Paſcha, & Pentecoſtes: de quibus Concilium Agathenſe anni 506. can. LXIII. & Concilium Aurelianenſe anni 511. can. XXV. atque etiam S. Paulinus in Carmine 9. de S. Felice. Sed inter minus præcipuas & ſecundi ordinis; quo in numero erant Epiphania, Aſcenſio, & feſtum S. Joannis Baptiſtæ.

CAP. XXVIII. *De Aſcenſione Domini &c.*

De ejus officio.

II. De Aſcenſione pauca nobis obſervanda occurrunt. Nam leve eſt illud quod in quibuſdam eccleſiis, puta in Rotomagenſi & Laudunenſi, nocturnum illius officium cum tribus dumtaxat pſalmis, totidemque antiphonis, lectionibus, ac reſponſoriis perſolvebatur. Quod in Turonenſi prima nocturni officii antiphona ter repeteretur, aliæ tam ad matutinas, quàm ad Laudes bis, ea verò quæ ad benedictus ter decantaretur. Leve eſt etiam quod ex Ordinario Laudunenſi cereus Paſchalis à primis veſperis ad completorium ſequentis diei continuò diu noctuque arderet.

& proceſſione

III. Majoris fortè videbitur momenti proceſſio quæ ſolemni pompa olim in omnibus paſſim eccleſiis celebrabatur, in illius haud dubium memoriam, qua Chriſtus Dominus conſummato redemtionis noſtræ myſterio, quadrageſimo poſt reſurrectionem die videntibus ac ſtupentibus diſcipulis à terra proceſſit ad cælum, cujus meminit Gregorius Turonenſis in libro 5. Hiſtoriæ Francorum cap. 11. Hujus proceſſionis ordinem deſcripſit Petrus Gaſſendi in notitia eccleſiæ Dinienſis part. 2. cap. 19. qualis in illa quotannis obſervari ſolet. Ad eam canonici Lemovicenſes cereos manu geſtabant, Viennæ verò in Gallia diaconus & ſubdiaconus unà cum archiepiſcopo mitrati incedebant: & in reditu omnibus in navi ſtantibus, duo canonici ad cantores accedebant, quibus iſti dicebant *Quem quæritis?* reſpondentibus illis JESUM *qui reſurrexit*, Cantores reponebant *Jam aſcendit ſicut dixit*, tum canonicis ſubjungentibus *alleluia* omnes chorum intrabant, miſſamque ſolemniter decantabant, in qua [dum dicitur Kyrie eleiſon, inquit Vienenſe Ceremoniale, alia fiat proceſſio ad eleemoſynam cum aqua benedicta, cum cruce à diacono deferenda in cappa ſerica, & ceroferariis, & thuriferario, cum carato incipiente antiphonam *Chriſtus reſurgens &c. cum* ℣. Sermo fiat ad populum deinde benedictio agni, & aſpergatur aqua benedicta & thurificetur: redeuntibus illis, fiat benedictio panis cariſtiæ apud Dominum archiepiſcopum.]

Panis Benedictio.

IV. Hæc panis ſolemnis benedictio in quibuſdam aliis eccleſiis fuit in uſu, cujus ritum & preces ita nobis repræſentant Antiquum Pontificale Narbonenſe & Mimatenſe Guillelmi Durandi, quo uſus eſt olim Joannes *Sairebruche* epiſcopus Catalaunenſis.

Digitized by Google

BENEDICTIO PANIS IN FESTO ASCENSIONIS VEL PENTECOSTES SECUNDÙM MOREM LOCORUM PAUPERIBUS DISTRIBUENDI.

Proceſſio ordinata, cruce, thuribulo, cereis, & aqua benedicta præcedentibus, veniunt ſolemniter cantando quod libuerit ad locum ubi totus panis eſt coacervatus, & ſacerdos vel Pontifex ſit ibi paratus amictu, ſuperpelliceo vel alba, pluviali albi coloris, mitra & baculo paſtorali. Et diaconus & ſubdiaconus cum dalmatica & tunica ejuſdem coloris: alii verò miniſtri in ſuperpelliceis. Eis igitur in pulpito ſeu in edito loco manentibus, diaconus benedictione petita dicit evangelium ſecundùm Joannem: Abiit Jeſus trans mare Galilææ. *Quo finito, inchoat Pontifex ſcola proſequente antiphonam* De quinque panibus &c. *qua dicta, dicit* ℣. Diſperſit dedit pauperibus. ℣. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. ℟. In die mala liberabit eum Dominus. ℣. Numquid panem poterit dare. ℟. Aut parare menſam in deſerto? ℣. Pluit illis manna ad manducandum. ℟. Et panem cœli dedit eis. ℣. Cibavit illos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra melle ſaturavit eos. ℣. Manducaverunt & ſaturati ſunt. ℟. Et deſiderium attulit eis. ℣. Panem angelorum manducavit homo. ℟. Miſit eis cibaria in abundantia. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus

Domine JESU-CHRISTE panis angelorum, panis vivus & æternæ vitæ, bene † dicere dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes ex eo digne guſtantes, inde corporis & animæ deſiderabilem percipiant ſanitatem. Per

alia oratio

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, bene † dicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpirituali benedictione, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Filium tuum Panem vitæ qui de cœlo deſcendit & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum cum Spiritu Sancto vivit per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Et mox aſpergit panem cum aqua benedicta.

. V. Huic benedictioni adjungenda eſt alia quæ in pervetuſto Sacramentorum libro ante annos 900. exarato in *Aſcenſa Domini* ad miſſam facienda præſcribitur in hunc modum. Benedictio novarum frugum.

Inde verò modicum ante expleto canone benedices fruges novas his verbis

CAP. XXVIII. *De Aſcenſione Domini &c.*

Sequitur Benedictio

Benedic DOMINE & hos fructus novos fabæ, quos tu DOMINE de rore cœli & inundatione pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione, In nomine DOMINI noſtri JESU-CHRISTI. Per quem hæc omnia DOMINE ſemper bona creas &c.

VI. De reliquo nihil ſingulare in miſſa occurrit niſi quod in miſſali Arelatenſi triplex habetur alleluia cum triplici verſu; in quodam miſſali Turonenſi antiphona ante evangelium *Aſcendo ad Patrem.* In alio ejuſdem eccleſiæ miſſali annorum circiter 600. duæ leguntur hac die miſſæ.

VII. [Ab hac verò die, inquit Ordinarium Lugdunenſe, non cantatur de aliquo ſancto, præter orationem, niſi tantummodò de feſto miraculorum & apoſtolorum Philippi & Jacobi, ſi eveniant uſque octavam Pentecoſtes.] De hoc miraculorum feſto ita lego in Cæremoniali Viennenſi: [Dominica prima poſt Aſcenſionem fit proceſſio totius cleri, & vocatur illa dies miraculorum. Ad crucem miſſa *Exaudi Deus.* Miſſa major de S. Blandina & ſociorum, in qua duæ epiſtolæ.]

VIII. [In octava, pergit ordinarium Lugdunenſe, ſicut in die feſto integrum facias: tantummodo *Credo in unum* & præfationem non dicas.]

De vigilia Pentecoſtes.

IX. Vigilia Pentecoſtes tantam cum vigilia Paſchæ affinitatem habet, ut eoſdem penè in utraque ritus advertere liceat, ejus officium in ms. Pontificali eccleſiæ Biſuntinæ incipit à cerei benedictione, quæ cum illi eccleſiæ omninò ſingularis extiterit, hic integram repræſentare viſum nobis eſt alicujus operæ pretium.

BENEDICTIO CEREI

Exultet jam angelica turba cœlorum *&c. uſque ad præfationem ut in ſabbato ſancto.*

Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.

Vere quia dignum & juſtum eſt inviſibilem Deum Patrem omnipotentem, Filiumque ejus unigenitum Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM toto cordis ac mentis affectu & vocis miniſterio perſonare: qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim ſacra ſolemnia, in quibus mortis perpetuæ victor, vitæque ſempiternæ largitor, humanæ poſtquam conditionis ſubſtantiam non ſolùm ab inferis eruit, ſed ad ſuperna polorum faſtigia triumphans ſubvexit, Spiritus infuſione

Paracliti juxta ſuæ verbum promiſſionis filios ditavit adoptionis. Hæc igitur dies eſt quæ peccatorum tenebras ſua claritate purgavit. Hæc dies eſt, quæ hodie per univerſum mundum in Chriſtum credentes à vitiis ſæculi ſegregatos S. Spiritus infuſione purgatos reddit gratiæ, ſociatque ſanctitati. Hæc dies eſt in qua fugatis originalis peccati tenebris, Spiritus Paraclitus ad ſuorum corda fidelium confirmanda in igneis linguis de ſupernis deſcendit: non ut repentinus viſitator, ſed ut perpetuus conſolator æternuſque cohabitator. O mira circa nos Dei pietatis dignatio! O ineſtimabilis dilectio caritatis, ut hominem ab æternitate dejectum plaſmator univerſalis ad ſuperna reduceret, quos per verbi ſui doctrinam accenderat, per Sancti Spiritus virtutem confirmat! O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa quæ Spiritum Sanctum habere meruit conſolatorem. Hæc dies eſt, quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, in qua Spiritus Sanctus ab arce divinitatis irruens, ut inviſibilis ſuper Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM baptizatum in columbæ ſpecie deſcendit; ita ſuper apoſtolos in igneis linguis apparuit, ut poſt Redemptoris noſtri magnificentiam, credentibus augeret ſapientiam, accumularet gratiam, confirmaret conſtantiam. Hujus igitur ſanctificatio diei fugat ſcelera, culpas lavat & reddit innocentiam lapſis & mœſtis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia. In hujus diei gratia, Suſcipe, Sancte Pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum, quod tibi in hac cerei oblatione ſolemni per miniſterium manus de opibus apum ſacroſancta reddit eccleſia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit: qui licet diviſus in partes mutuati luminis detrimenta non novit. Aliter liquentibus ceris quas in ſubſtantia pretioſæ hujus lampadis apis mater eduxit. O verè beata dies, quæ illuminavit credentes, ditavit fideles, dies in qua linguarum diverſitates in unius fidei confeſſione junguntur. Oramus ergo te, Domine, ut cereus iſte in honorem nominis tui conſecratus ad diei hujus caliginem deſtruendam indeficiens perſeveret, in odorem ſuavitatis acceptus ſupernis luminaribus miſceatur, flammas ejus Lucifer matutinus inveniat, ille, inquam, Lucifer, qui neſcit occaſum, ille qui regreſſus ab inferis humano generi ſerenus illuxit. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum & devotiſſimum populum unà cum famulo tuo Papa noſtro N. & antiſtite noſtro N. & imperatore noſtro N. quiete temporum conceſſa in his ſacris ſolemniis conſervare digneris. Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM Per omnia ſæcula ſæculorum

CAP. XXVIII. *De Aſcenſione Domini &c.*

X. Alii hujus vigiliæ officium à lectionibus quæ pro catechumenorum inſtructione pronuntiantur, incipiunt. Idque hora octava, ut innuere videtur vulgatus Ordo Romanus: cui concinit Joannes Abrincenſis præſcribens ut [octava hora diei populus ad eccleſiam conveniat.] Et tamen Adrianus Papa I. interrogatus à Corbeienſibus monachis, [qua hora in ſabbato Pentecoſten conveniens ſit ad lectionum officium

Officium in vigilia Pentecoſtes qua hora inceptum.

Cap. XXVIII. *De Aſcenſione Domini &c.*

ingredi.] Reſpondit [hora ſexta hoc fieri oportere.] Huic Adriani reſponſo congruit ordinarium eccleſiæ Lugdunenſis ſtatuens, ut [hora 6. vocentur catechumeni, ut in ſabbato Paſchæ.] Quapropter quod ait Ordo Romanus ſabbato in vigiliis Pentecoſtes omne divinum officium ut ſabbato ſancto peragendum eſſe, [tantum hora octava ingrediantur ad vigilias vel miſſarum ſolemnia, ut hora nona expleta omnia conſummentur :] intelligendum præcipuè videtur de tempore quo miſſarum ſolemnia ſunt celebranda ; alioquin ſi hora duntaxat octava lectiones inciperentur, intra tam breve temporis ſpatium lectiones ipſæ, orationes, litaniæ, fontium benedictio, baptiſmus ipſe cum miſſa abſolvi non poſſent, ut hora nona expleta omnia conſummarentur. In Africa tamen ſub veſperam ad eccleſiam conveniebat populus adeò ut miſſa ipſa jam nocte incepta celebraretur, ut facili negotio colligere licet ex S. Auguſtini Sermone 272. qui habitus in die Pentecoſtes ad *infantes* hoc eſt ad baptizatos, quos de Sacramento altaris ſic alloquitur. [Hoc quod videtis in altare Dei etiam tranſacta nocte vidiſtis.] nec ſolum in Africa, ſed in aliis etiam regionibus nam Menardus in notis ad S. Gregorii Sacramentarium obſervat miſſam olim in ipſa nocte quæ luceſcit in Dominica celebratam fuiſſe. In Miſſali Gellonenſi duæ habentur in vigilia Pentecoſtes miſſæ, quarum una haud dubium mane altera veſpere dicebatur.

Lectionum numerus.

XI. Lectionum numerus pro eccleſiarum diverſitate variat. Nam in Lugdunenſi Ordinario duæ tantummodo annotantur, ſcilicet *Tentavit Deus Abraham*, & *ſcripſit Moiſes.* Tres in miſſali Ambroſiano apud Pamelium deſignantur, totidemque in miſſali Bituricenſi. In miſſali tamen Ambroſiano anno 1560. edito quatuor leguntur lectiones, qui numerus paſſim receptus eſt. Nam præſcribitur in vulgato Ordine Romano, apud Alcuinum, Amalarium, Joannem Abrincenſem in codice Turonenſis eccleſiæ annorum 800. in mſſ. Romani S. Pauli monaſterii conſuetudinibus, in Ordinario Rotomagenſi, in Silvanectenſi, in Argentino, & Lingonenſi, in Rituali Sueſſionenſi, in Turonenſi S. Martini, in miſſali Pictavienſi, in Catalaunenſi, Auguſtodunenſi, Athanacenſi, & aliis quibuſdam. Quintam lectionem addit Ordinarium Carnotenſe S. Joannis & Gaſtinenſe. At in vetuſtiſſimo Sacramentorum libro Gellonenſis monaſterii, in Noviomenſi annorum 900. in Dionyſiano ante onnos 800. exarato, in Moyſacenſi, & in miſſali Toloſano ſex lectiones recitandæ habentur. In Pontificali etiam Biſuntino poſt benedictionem cerei ſex lego orationes totidem lectionibus haud dubium ſubjiciendas, ab hodiernis noſtris omninò diverſas. Septem præſcribunt Cæremoniale Viennenſe & Uticenſe Ordinarium. Verùm ex Ordine Romano auctore Benedicto canonico Sancti Petri [Sabbato Pentecoſtes ad officium baptiſmi leguntur ſex lectiones latinæ & ſex græcæ.] Hoc eſt duodecim. Porrò lectiones illæ ex ordinario Rotomagenſi *in angulo chori* debent recitari. Lectionibus ſubjici ſolent orationes ſeu collectæ quæ in Eccleſia Viennenſi à diverſis ſacerdotibus cantabantur, ſcilicet

Orationes à diverſis ſacerdotibus cantatæ.

Digitized by Google

primam capellanus S. Georgii dicebat, alias curati S. Ferreoli, S. Andreæ monachorum, S. Severi, S. Martini, S. Andreæ monialium, ultimam archiepiſcopus.

De litaniis.

XII. Lectiones ut in vigilia Paſchæ ſequebantur tres litaniæ. (Totidem enim præſcribunt Ordinarium Carnotenſe S. Joannis & Gaſtinenſe,) ſcilicet ſeptena quina & terna, ut habent Ordinarium Rotomagenſe & Lemovicenſe. At in miſſali Turonenſi annorum circiter 600. & in Rituali S. Martini Lætaniæ tantùm leguntur quina, terna, & ſimpla. In Ordinario Lingonenſi Quina & terna tantummodo cantanda inſtituitur, duas etiam deſignat Ordinarium Lugdunenſe, Pontificale Salisburgenſe, vulgatus Alcuinus, & ordo Romanus, qui ſecundam appellat *letaniam noricam*; qui locus forte corrigendus eſt ex ms. Pontificali Salisburgenſi, qui pro *litaniam noricam* legit *letaniam nonam*, hoc eſt cujus ſingulæ invocationes novies repetebantur. Hæc litania quia ſingularis, nec alibi quod ſciam reperiri poſſit, hic deſcribere non gravabor.

Rex Sanctorum angelorum totum mundum adjuva.
Ora primùm tu pro nobis Virgo mater Germinis,
Et miniſtri Patris ſummi ordines angelici,
Supplicate Chriſto regi cœtus apoſtolici,
Supplicetque permagnorum ſanguis fuſus martyrum,
Implorate confeſſores, conſonate virgines;
Quo donetur magnæ nobis dies indulgentiæ.
Rex Sanctorum.
Omnes Sancti atque juſti nos precamur cernui,
Ut purgetur crimen omne veſtro ſub tutamine.
Hujus, Chriſtus rector alme, plebis vota ſuſcipe,
Qui plaſmaſti protoplaſti & genus gignentium.
Rex Sanctorum.
Mitte Sanctum nunc amborum Spiritum Paraclitum
In hanc plebem quam recentem fons baptiſmi parturit,
Fac interna fontis hujus ſacratum myſteria
Qui perfluxit cum cruore ſacro Chriſti corpore
Rex Sanctorum
Et lætetur mater ſancta tota nunc eccleſia
Ex profectu renaſcentis tantæ multitudinis.
Præſta Patris, atque Nati, compar Sancte Spiritus,
Ut te ſolum ſemper omni diligamus tempore.
Rex Sanctorum

Denique in Cæremoniali Viennenſi & in codice Turonenſi annorum 800. unica notatur litania quina.

De miſſa & veſperis.

XIII. Expeditis litaniis, fiebat benedictio fontis, tum baptiſmus ad eum ferè modum quem deſcripſimus in Paſchatis vigilia. Sequebatur miſſa ſolemnis, in qua incœpto hymno angelico *Gloria in excelſis*

Cap. XXVIII. De Aſcenſione Domini &c.

Deo, [*omnes flectant genua & omnes campanæ pulſentur.*] inquit Ordinarium Rotomagenſe. Ex Cæremoniali Viennenſi [Antequam Pontifex dicat communionem, clericulus incipiat antiphonam alleluia pro veſperis, & cantor pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes.*] Cui ſubjungenda eſt antiphona ad Magnificat, *Qui diligit me* cum oratione ad complendum. Hic ritus peculiaris fuit eccleſiæ Viennenſi. Nam aliæ communiter eccleſiæ veſperas extra miſſam hora ſolita cum ſolitis pſalmis decantabant. In Silvanectenſi tamen veſperæ cum tribus pſalmis tribuſque antiphonis capitulo ℟. hymno &c. celebrabantur. In Toloſano verò cum unica antiphona ſuper pſalmos quinque *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes gentes. Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quia benignus eſt. Lauda Jeruſalem.*

Et completorio.

XIV. Completorio lectionem de expoſitione evangelii quod lectum erat ad matutinas præmitti jubet Rituale Sueſſionenſe, cui tres dumtaxat pſalmos adhibuit Ordinarium Silvanectenſe. At ex Lugdunenſi dici debet ſub ſilentio.

De nocturno officio Pentecoſtes.

XV. In feſto ipſo Pentecoſtes idem penè nocturni officii ordo, qui in Paſchate: [hoc tantùm diſtat inter *Paſcha & Pentecoſten*, inquit Joannes Abrincenſis, quod in matutinis Paſchæ nullus hymnus, in hoc verò duo cantantur.] Sicut igitur Paſchale nocturnum officium, ita & Pentecoſtes tribus tantum conſtabat pſalmis, tribus antiphonis, cum totidem lectionibus, ac reſponſoriis: & quidem cum tribus benedictionibus de Spiritu Sancto; ad quod officium, inquit Rituale Sueſſionenſe, [ad Dei & ſuæ ſanctæ eccleſiæ honorem eccleſia per circuitum à capite uſque ad pedes & circa altare, ſicut in Paſcha cereis veſtiatur.]

XVI. Ex eodem Rituali Sueſſionenſi hymnus ad laudes non dicitur, ſed neque ad horas diurnas ex Ordinario Lingonenſi: at verò ex Argentino dicitur [ad Primam hymnus *Veni Creator* cum ℣. *Per te ſciamus*; & ad alias horas ſequentes verſus de eodem hymno ſecundùm ordinem cum ℣. *Per te ſciamus.*] ex Laudunenſi quoque ad omnes dicitur hymnus *Veni creator Spiritus*, ad ipſam etiam aquam benedictam, quæ in Lemovicenſi S. Martialis eccleſia etiam feria ſecunda fiebat.

Thurificatio ante Tertiam.

XVII. Alteram hujus diei differentiam deſcribit Joannes Abrincenſis [Hora Tertia, inquit, ſonantibus cunctis campanis poſt *Deus in adjutorium*, hymnus, tribus clericis cappatis altare incenſantibus, inchoetur: eccleſia tota illuminetur, & clerici omnes pro poſſe eccleſiæ induantur: & donec hymnus cantatur flores diverſi coloris ad inſtar chariſmatum Spiritus Sancti deſurſum immittantur; & ſic tota hora feſtivè celebretur.] De hoc ritu hæc habet Ordinarium Rotomagenſe: [Septem presbyteri de majori ſede cum ſeptem thuribulis caſulis induti ante altare veniant cum diacon. & ſubdiacon. reveſtitis, & medius presbyterorum incipiat *Deus in adjutorium*; & ſimiliter incipiat *Veni creator* incenſando altare.] Similia habes in Ordinario Bajocenſi, in Noviomenſi & in Rituali Sueſſionenſi: quibus concinit Ordinarium

Silvanectenſi : his verbis : [Ad Tertiam pulſetur totum claſſicum , ſed modicum : deinde Tertia incipiatur ab aliquo ex antiquioribus canonicis. Cantor autem incipiet hymnum *Veni creator* : & dum cantabitur primus verſus , Decanus & antiquior canonicus thurificabunt flexis genibus ante majus altare. Quo ℣. finito , ſurgent & ibunt ante cornua altaris , & ibi ſtantes thurificabunt , donec dicetur ultimus ℣. *Sit laus.* Quo incepto , iterum flexis genibus thurificabunt , ut ſuprà. Et illo finito , debent thurificare ad altare obituum , ad ſacrarium , & poſteà ire in chorum , & thurificare canonicos , ſicut eſt aliàs fieri conſuetum. Eodem modo fiet feria ſecunda , tertia , & quarta ſequentibus per canonicos , & feria quinta ſexta & ſabbato per capellanos.] Quod verò addit Joannes Abrincenſis etiam [flores diverſos ad inſtar chariſmatum Spiritus Sancti deſurſum immitti.] Id ipſum pluribus in Ritualibus libris præſcriptum reperi ; ſed eo præſertim tempore peragendum , quo in miſſa canitur Proſa. Ita in Ordinario Silvanectenſi , & in Rituali Turonenſi S. Martini. Nonnulli etiam ſtupas inflammatas , alii aves ſeu columbas immittebant , meminique me legiſſe in vita S. Franciſci Saleſii , columbam hoc modo in feſto Pentecoſtes immiſſam ſuper humerum Sancti Præſulis requieviſſe. De hoc ritu audiendus Lucas Cuſentinus archiepiſcopus in ſuo Ordinario : [In miſſa Pentecoſtes dum cantatur ſequentia , quam incipit Pontifex primò , decanus ſecundò , cantor tertiò , ſparguntur deſuper in presbyteris , in choro , & in navi eccleſiæ , roſæ , lilia , & flores , & ad ultimum emittuntur particulæ ſubtiliſſimæ ſtupæ ſuccenſæ.] Hæc nimirum omnia ad plebis potiſſimum inſtructionem , & devotionem agebantur , quæ exterioribus his ſignis multò magis docetur & movetur , quàm quibuſvis prædicationibus.

Florum & columbarum immiſſio.

XVII. Addit Lucas Cuſentinus : [Hac die omnes fideles ſacram communionem ſumere debent. Sequenti feria ſecunda ſolet epiſcopus confirmare pueros.] De communione fidelium in feſto Pentecoſtes conſtat ex his quæ à nobis alias dicta ſunt. Hinc in ordinario Lugdunenſi legimus *Ad eucharistiam Venite populi* , qua ſcilicet antiphona plebs ad communionem vocari conſueverat.

Communio plebis & confirmatio infantium.

XVIII. Ad veſperas antiphonæ ſuper pſalmos ex ordinario Turonenſi ter repetendæ ſunt , unicam ſuper tres pſalmos notat Silvanectenſe. In Breviario etiam Toloſano tres tantùm pſalmi cum totidem antiphonis ad veſperas deſignantur , & pro hymno proſa *Veni Sancte Spiritus.* Ex Ordinario Argentino veſperæ cum quinque pſalmis totidemque antiphonis debent decantari , ſcilicet *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes gentes. Lauda anima mea. Laudate Dominum quoniam. Lauda Jeruſalem.* Qui pſalmi per totam octavam dicebantur. In quibuſdam eccleſiis olim fiebant poſt veſperas in Pratello choreæ , ut in Lemovicenſi. De hujuſmodi chorea hæc leguntur in Ordinario Cabilonenſi : [Poſt completorium fit chorus in prato. Decanus cantionem primam *Veni Sancte Spiritus.* Ceteri ſuas dicant, qui voluerint, latinè tamen.]

De veſperis

Cap. XXVIII *De Aſcenſione Domini &c.*

Et completorio.

XIX. De completorio ſingulare nihil notandum habeo, niſi quod habet Rituale Sueſſionenſe: [Ad completorium, inquit omni tempore lectionem conſuevimus facere. In nocte verò iſta & in ſubſequenti hebdomada, non uſi ſumus lectione ſicut & in octavis Paſchalibus non legimus.] In completorio autem poſt pſalmos ſubdiaconi ad S. Gervaſii altare progreſſi alternis verſibus proſam quamdam cum choro decantant, eodemque modo ſubſequens canticum *Nunc dimittis*, cui ſubjicitur collecta de SS. Trinitate *Omnipotens ſempiterne Deus qui dediſti famulis tuis.* In ordinario Silvanectenſi tres dumtaxat ad completorium notantur pſalmi.

Proceſſiones ſolemnes.

XX. Per totam hebdomadam ſolemnes olim fieri ſolebant proceſſiones ad principales præſertim & matrices eccleſias: unde Gualdricus Autiſſiodorenſis epiſcopus in Hiſtoria epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 44. dicitur [hanc in ſua inſtituiſſe eccleſia ſaluberrimam conſuetudinem, ut omnes ſui epiſcopatus dioceſani ſacerdotes eum ſuis parrochianis per dies Pentecoſtes feſtivos cum crucibus atque vexillis ad principalem S. Stephani conveniant aulam, luſtratis in gyro cunctis abbatiis, ibique ab archidiacono ſpiritualis verbi reficiantur epulis, & dehinc ſi epiſcopus extiterit percepto benedictionis munere alacres redeant ad propria cum gratiarum actione.] Hujuſmodi proceſſionum praxim videre eſt apud Gaufridum in Vita Bernardi abbatis Tironienſis. Singulare verò eſt quod narrat Joannes Bohemus in libro 3. de omnium gentium moribus cap. 15. [In Franconia Pentecoſtes tempore ubique ferè hoc agitur. Conveniunt quicumque equos habent aut mutuare poſſunt, & cum Dominico corpore, quod ſacerdotum unus etiam equo inſidens collo in burſa ſuſpenſum defert, totius agri ſui limites obequitant, cantantes ſupplicanteſque ut ſegetes Deus ab omni cœli injuria & calamitate velit ſervare.]

Iejunium quatuor temporum.

XXI Obſervat Socrates in lib. 2. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 28. hebdomada quæ eſt poſt Sanctam Pentecoſten populum jejunare. Id quod hodie religiosè obſervamus in triduano quatuor temporum jejunio, de quo cum dixerim in lib. 3. de antiquis monachorum ritibus cap. 2. illud tantùm deſcribam ſtatutum Salingeſtadenſis Concilii cap. 2. In miſſa quatuor temporum Pentecoſtes. [Diacones dalmaticis induantur, & alleluia cantetur, & flectamus genua non dicatur.]

De feſto SS. Trinitatis.

XXII. Dominica poſt Pentecoſten in vetuſto codice eccleſiæ Turonenſis & in quibuſdam aliis inſcribitur *Dominica vacat*, ſcilicet officio octavæ Pentecoſtes, quia revera non ſolebat hoc feſtum habere octavam, licet obtineret in Romano S. Pauli monaſterio. In miſſali Gellonenſi annorum 900. & in codice Turonenſi miſſa eſt de Dominica 1. Poſt Pentecoſten, ſed præfatio eſt de SS. Trinitate. Idem videre eſt miſſali Narbonenſi, ubi eadem præfatio ad omnes Dominicas, in quibus officium fit de Dominica adhibetur. In Pontificali verò Egberti Eboracenſis archiepiſcopi inter benedictiones in miſſa per circulum anni ab epiſcopis populo impertiendas, ea quæ Dominicæ 1. poſt Pentecoſten aſſignatur,

aſſignatur feſto SS. Trinitatis convenit In vetuſtiſſimo etiam Sacramentorum libro monaſterii S. Dionyſii in Francia ante annos 800. exarato, in altero Turonenſis eccleſiæ ejuſdem circiter ætatis, in Carnotenſi S. Petri annorum 700. miſſa integra habetur de SS. Trinitate, de qua etiam Joannes Abrincenſis in libello de officiis eccleſiaſticis ita ſcribit: [Proxima Dominica cum novem pſalmis & antiphonis, cum novem lectionibus & reſponſoriis celebretur in honore Sanctæ Trinitatis eadem celſitudine, qua dies Aſcenſionis.] Sed & Rupertus in lib. 11. de divinis officiis c. 1. de hoc feſto tamquam ubique recepto loquitur. Et certè circa Caroli-magni tempora in Galliis incæpiſſe nobis inſinuat Caturhphi epiſtola ad eumdem Carolum, in qua hæc lego: [Ergo, mi rex, ſi vobis placeat hoc conſilium pro his omnibus pro te, & pro exercitu chriſtianorum, ut unum diem poſt jejunium in anno in honore S. Trinitatis & unitatis & angelorum & omnium Sanctorum celebrem conſtituas ſuper regnum tuum cum conſilio Synodi Francorum.] At in eccleſia Romana tardius celebrari cæpit: unde Alexander Papa II. in quadam Decretali [Feſtivitas, inquit, SS. Trinitatis ſecundùm conſuetudines diverſarum regionum à quibuſdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet quod in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem, cum ſingulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto & cetera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.] Hoc decretum quod citatur extra. De Feriis cap. *Quoniam* ſub nomine Alexandri Papæ III. eſt ſecundi hujus nominis Pontificis, ut conſtat ex Micrologo cap. 60. qui illo utitur ad improbandam inſtitutionem feſti SS. Trinitatis, quam etiam damnat Berno abbas Augienſis in libro de quibuſdam ritibus miſſæ cap. 3. Sed neque tempore Durandi ubique adhuc recepta erat, uti ipſi docet in libro 6. Rationarii cap. 114. Et certè nihil de feſto SS. Trinitatis in Ordinario Cabilonenſi, nihil in Uticenſi. In capitulo generali fratrum Minorum anno 1260. [ordinatum fuit ut fieret officium duplex deinceps de Sanctiſſima Trinitate in octava Pentecoſtes,] ut ſcribit Lucas Uvadingus in Annalibus Minorum. In Ordinario Argentino anno 1364. concinnato hac die ponitur officium de octava Pentecoſtes cum tribus dumtaxat ad nocturnos pſalmis, totidemque antiphonis, lectionibus, & reſponſoriis. Sequenti verò feria ſecunda officium de SS. Trinitate conſignatur. Sed tandem Joannes Papa XXII. illud ſolemniter celebrari juſſit ubique, tametſi nonnullæ adhuc eccleſiæ officium SS. Trinitatis celebrent Dominica ultima poſt Pentecoſten, ut Narbonenſis & Cenomanenſis. De hoc officio prætermittendum non videtur id quod legimus in vita Joannis Pechan archiepiſcopi Cantuarienſis, qui obiit anno 1290. [Inter cetera autem ejus monumenta, illud ut quantitate minimum, ita ſententiarum ſublimitate atque dictionis majeſtate eſt digniſſimum, quod de SS. Trinitate ad ſuæ fidei ſempiternam proteſtationem compoſitum (officium) ex Pontificis ſummi approbatione legitur & canitur omnibus eccleſiis, quæ Romanæ

eccleſiæ in canonicis horis perſolvendis uſum tenent, tametſi propter operis difficultatem plerique inferiorum eccleſiarum in ſuo uſu ipſum non recipiant.]

CAPUT XXIX.

De feſto Sacratiſſimi Corporis Chriſti

Cap. XXIX. De Feſto SS. Corporis Chriſti. Feſtum Corporis Chriſti Leodii primo inſtitutum annuente Roberto epiſcopo.

I. FEſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti primam ſui originem debet Leodienſibus, qui ante omnes eccleſias illud receperunt, hortante præſertim beatiſſima virgine Juliana, Montis-Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, & promovente Roberto, ejuſdem civitatis epiſcopo, cui cum Julianæ de inſtituenda nova feſtivitate votum complacuiſſet; ut habent Acta S. Julianæ apud Bollandum 5. Aprilis [univerſis eccleſiaſticis perſonis ſuæ diœceſeos, per elegantem epiſtolam præcepit, ipſam ſolemnitatem ſingulis annis die ad hoc ſtatuto cum officio celebrari, & ab eorum plebibus ſicut diem Dominicam ab omni ſervili opere inviolabiliter obſervari.] Atque ut res faciliori negotio executioni demandaretur, [Circiter viginti officia ipſius feſtivitatis fecit de proprio conſcribi, volens ea ad habendam copiam per loca diſtribui opportuna.] Officium iſtud aliud fuiſſe nobis minimè videtur, quàm illud quod ad S. Julianæ preces quidam Joannes conſcripſit, de quo in ms. Vallis Rubeæ hæc leguntur: [Hoc officium incipit: *Animarum cibus*, & reperitur plenum in urbe Tungrenſi & aliis locis. Deinde Urbanus IV. officium quod ubique cantatur inſtituit.] Addit Chapeavilla: [Illud officium haberi in eccleſia collegiata S. Martini, & parrochiali S. Joannis Baptiſtæ Leodii, & pluribus eccleſiis Leodienſis diœceſis.]

II. Porrò ne piiſſimo fraudaretur voto Robertus, & [ne quiſquam negligentium prælatorum de ignorantia ſe poſſet excuſare, propoſuit in generali ſua Synodo, quæ ſingulis annis convenientibus eccleſiarum rectoribus & Conciliorum decanis in unum fieri ſolet, quod per epiſtolam ſtatuerat viva voce ſolemniter publicare.] Verum ipſe morte præventus ſanctum haudquaquam potuit adimplere propoſitum. At Hugo S. R. E. Cardinalis ad partes Alemanniæ à Summi Pontificis latere deſtinatus, hoc in ſe ſuſcepit negotium, primuſque in S. Martini eccleſia Leodienſi feſtum illud & promulgavit & celebravit: [Diem quoque quo per annos ſingulos celebrari deberet inſtituit, & ab omnibus ad hoc præparatis quorum Deus corda tangeret licentiam tribuit percipiendi ſingulis annis ipſo ſolemnitatis die SS. Corpus Chriſti... ad ipſius etiam cardinalis exhortationem canonici majoris eccleſiæ Leodienſis, dicto cardinali in partibus ipſis adhuc agente, præmiſſam ſolemnitatem in ſua eccleſia in officio plenario celebrarunt.] Neque his contentus Hugo, ſed [antequam ad Romanam curiam reverteretur, dictæ ſolemni-

Et adjuvante Hugone Legato.

tati providere ſtuduit in futurum. Nam à cunctis eccleſiarum rectoribus & prælatis, & aliis Chriſti fidelibus infrà legationis ſuæ terminos conſtitutis ipſam ſtatuit celebrandam, eamdem fieri rogans & præcipiens & injungens ſingulis annis die ad hoc præfixa cum proprio officio ipſi ſolemnitati deputato.] Cardinalis litteras ad omnes archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, decanos, archidiaconos &c. infrà terminos ſuæ legationis conſtitutos exhibent Acta S. Julianæ. [Poſt modum verò, ut inquiunt eadem acta; cum Reverendus Pater Petrus ad velum aureum diaconus cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus Leodium advenisset, dictam ſolemnitatem confirmavit, & de eadem epiſtolam compoſuit eleganter.]

CAP. XXIX. *De Feſto SS. Corporis Chriſti.*

III. Ut autem firmior & inconvulſa præfata inſtitutio per futura ſæcula permaneret; Stephanus canonicus Leodienſis unà cum Maria ſorore ſua non infimam bonorum ſuorum partem eccleſiæ S. Martini contulit, quo in perpetuum ſolemni ritu in ea celebraretur. Joannes verò de Lauduno eccleſiæ prædictæ canonicus Octavam Corporis Chriſti fundavit. Sed tandem Jacobus de Trecis eccleſiæ Leodienſis archidiaconus factus Summus Pontifex Urbanus IV. feſtum Corporis Chriſti per univerſam eccleſiam celebrari mandavit, data Bulla Septembris die 8. anni 1262. quam poſtmodum Clemens Papa V. confirmavit in Concilio Viennenſi, ad cujus conſtitutionem Gloſſa hæc habet: [Quia illa conſtitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideò Clemens Papa V. innovavit illam conſtitutionem & illam præcepit ab omnibus obſervari.] In Galliis tamen ante annum 1318. haudquaquam receptam fuiſſe docet Papyrius Maſſonius in lib. 5. de epiſcopis Urbis in Vita Urbani IV.

Urbano IV. poſtmodum confirmante.

IV. Hujus feſti ſolemnitatem tria præſertim commendant. Officium, proceſſio, & expoſitio.

De auctore officii SS. Sacramenti conſentiunt omnes viri eruditi verum & germanum illius parentem eſſe S. Thomam Aquinatem, nec minimum dubitandi ſcrupulum relinquit erudita R. P. Natalis Alexandri diſſertatio, qua illud vindicat angelico Doctori qui illud jubente Urbano IV. Summo Pontifice compoſuit tanta pietate, tantaque divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes eccleſiæ ſibi decantandum perſolvendumque ultro ſuſceperint, ipſa etiam Leodienſis eccleſia S. Martini, illo relicto quod primum jubente S. Juliana à Joanne compoſitum, perſolvere inceperat: tametſi rituum ſuorum tenax, nonnulla ad proprium uſum accommodata officio Doctoris Angelici adjecerit, ut ſunt *hymni* ad ſingulas horas proprii, propriæ item collectæ, cum quibuſdam antiphonis & verſiculis, hymno illo omiſſo qui ad nocturnas vigilias decantari ſolet. In Turonenſi S. Gatiani Baſilica omnes nocturnorum antiphonæ ex ejuſdem eccleſiæ ordinario ter debent repeti, in Martiniana verò ejuſdem urbis poſt tertium cujuſque nocturni reſponſorium proſa decantari. At in Breviario Toloſano in ſecundis veſperis pro hymno legitur proſa *Lauda Sion Salvatorem.* In ordinario Argen-

Officium feſti à S. Thoma compoſitum

tino ad veſperas hymnus *Sacris ſolemniis*, ad completorium *Pange lingua* aſſignatur.

Cap. XXIX. De Feſto SS. Corporis Christi.

De proceſſione.

V. De ſolemni hujus diei proceſſione, ne minimum quidem verbum in Urbani IV. Bulla, qua ſacratiſſimi Corporis Chriſti feſtivitatem inſtituit. Non diu tamen poſt feſti erectionem inſtitutam fuiſſe docent nos antiqui libri Rituales circa illa tempora ſcripti. An verò ſtatim ab initio patenter delata fuerit euchariſtia dubitare videtur Joannes Baptiſta Thierſius in ſingulari Tractatu, quem de SS. altaris Sacramenti expoſitione inſcripſit lib. 2. c. 4. in eamque propendet ſententiam quæ Corpus Chriſti in calice ſeu vaſe alio abſconditum, deportatum fuiſſe ſuſtinet. Verum huic opinioni obviat antiquum miſſale monaſterii Fiſcamnenſis ad uſum eccleſiæ Rotomagenſis ſcriptum, cujus caracter ad annos 400. proximè accedit: in quo ante hujus diei miſſam præmittuntur ea quæ in proceſſione ſunt canenda, atque in prima initiali littera efformatur imago duorum presbyterorum SS. Sacramentum in vaſe geſtatorio omninò apertum, ut nunc fit, humeris geſtantium. Idem eruitur ex miſſali Melodunenſi in quo feria 5. poſt feſtum SS. Trinitatis habetur miſſa de SS. Sacramento, cui appicta eſt imago ſacerdotis ſacram euchariſtiam manu geſtantis, ſub baldachino à quatuor viris delato, qui perinde ac ſacerdos ipſe reliquique clerici nudum caput florum coronis ornatum habent. Verùm nullum dubitandi locum relinquit Ordinarium Silvanectenſe ab annis circiter 400. manu exaratum, in quo hæc lego: [Poſt Primam proceſſiones SS. Reguli & Frambaldi & omnes curati civitatis cum ſuis parrochianis, & canonici S. Mauritii veniunt ad eccleſiam cathedralem. Tum fiet proceſſio in cappis ſericis, in qua ſacratiſſimum Corpus Chriſti in *Aperto* vaſculo poſitum defertur ab epiſcopo, vel decano, vel antiquiori canonico reverenter.] Thierſii tamen opinionem confirmant Conſtitutiones chori inſignis eccleſiæ S. Martialis Lemovicenſis anno 1470. ſcriptæ, in quibus ipſiſſima hæc verba continentur: [Ad proceſſionem portatur Corpus Chriſti in calice pulchriori,& hebdomadarius qui portat habet cappam rubeam feſtalem.] caſulam per plures non cappam induebant. Ordinem hujus proceſſionis deſcribit Jacobus Eveillon in ſingulari libro quem inſcripſit de Sacris proceſſionibus, ubi Andegavenſis eccleſiæ ritus refert, quæ ut illatam à Berengario ſuo quondam archidiacono Corpori Chriſti ſacratiſſimo injuriam aliquatenùs expiare poſſit, illiuſque memoriam delere, maximam hujus diei partem in impertiendo ſacræ euchariſtiæ cultu debito ac reverentia conſumit. Proceſſionem ſequitur miſſa in qua ex ordinario Bajocenſi omnes infrà presbyteratus ordinem conſtituti tenentur offerre & communicare. Ejus proſa olim in quibuſdam eccleſiis infrà octavam duas in partes alternis diebus canendas dividebatur. Ita in eccleſia Silvanectenſi, in Catalaunenſi, & in Turonenſi S. Martini.

De expoſitione.

VI. De expoſitione dicere ſuperſedeo, quando quidem argumentum iſtud accuratius tractavit ſupradictus Thierſius. Sufficiat hic dicere

Illam olim expoſitionem extra miſſæ tempus locum vix inveniſſe, ut inter alia probat Ordinarium Narbonenſe. In ordinario tamen Argentino anno 1364. ſcripto hæc lego : [Ponatur Corpus Chriſti ſuper altare in prima veſpera , & in matutinis & in miſſa.] At de ejus infrà octavam expoſitione altum in eo ſilentium. In eccleſia Lingonenſi à primis veſperis & per totam octavam exponitur Corpus Chriſti , ſed hoc ex fundatione ab annis circiter 60. Poſt completorium verò data benedictione reconditur in capella SS. reliquiarum , ad quam omnes canonici aliique clerici cereos manu geſtantes ſolemniter procedunt.

CAPUT XXX.

De feſtivitatibus Sanctorum quæ in adventu celebrari ſolent.

I. HActenùs ea quæ præcipuas Domini ſolemnitates ſpectant pro modulo noſtro proſequuti ſumus ; nunc ad Sanctorum ejus feſtivitates animum calamumque adjicere oportet ; tum ut eorum recordatione ad ſummas virtutes accendamur , nec eos imitari pigeat quos celebrare delectat : tum ut eorum imploratis patrociniis ſuffulti, ſecurius inter varia vitæ hujus diſcrimina incedamus , eorumque aliquando conſortes eſſe mereamur in cœlis : tum ut martyrum paſſiones ſanctorumque confeſſorum rectè facta recolentes , gloriam ſimul creatoris prædicemus. CAPUT. XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

II. Eorum feſta , martyrum præſertim , in ipſo naſcentis eccleſiæ principio anniverſaria commemoratione celebrata eſſe , dubitare nos non ſinit eccleſiæ Smirnenſis epiſtola de martyrio S. Policarpi , apoſtolorum diſcipuli , quam retulit Euſebius in Hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro 4. cap. 15. in quo hæc leguntur : [Oſſa illius gemmis pretioſiſſimis & quovis auro puriora colligentes , ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis , ſi fieri poterit , convenientibus , concedet Deus natalem ipſius martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare , tum in memoriam eorum qui glorioſo certamine perfuncti ſunt , tum ad poſteros hujuſmodi exemplo inſtruendos & confirmandos.] Eamdem eccleſiæ inſtitutionem confirmat S. Cyprianus in epiſtola 37. editionis Pamalianæ ad presbyteros & diaconos eccleſiæ Carthaginenſis ſcripta his verbis : [Denique & dies eorum quibus excedunt , (confeſſores in carcere) adnotate , ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus & devotiſſimus frater noſter pro cetera ſolicitudine & cura ſua , quam fratribus in obſequio operationis impertit , qui nec illic circa curam corporum deeſt , ſcripſerit & ſcribat ac ſignificet mihi dies , quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſire , & celebrantur à nobis hic oblationes & ſacrificia ob commemorationem eorum , quæ citò vobiſcum, Domino protegente , celebrabimus.] Feſta martyrum quando celebrari cœperunt.

Digitized by Google

CAPUT XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

Hactenùs Cyprianus qui & in epiſtola 34. ad clerum plebemque ſuam ita ſcripſerat : [Sacrificia pro eis ſemper , ut meminiſtis , offerimus , quoties martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.] His concinunt ea quæ ſcribit S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Gregorii Neocæſareæ in Ponto epiſcopi , cui à miraculorum multitudine Thaumaturgo nomen inditum eſt , quique Decii imperatoris tempore vixit : [Deſcendit , inquit , rurſum in urbem , & omni circa regione undique peragrata ac perluſtrata , additamentum & quaſi corollarium ſtudii ſui erga numen divinum inſtituebat : apud omnes ubique populos ſanciens , ut nomine eorum qui pro fide certaſſent dies feſti atque ſolemnes conventus celebrarentur : cùmque alius in alium locum corpora martyrum deduxiſſent , per anniverſarii circuli ambitum congregati lætabantur in honorem martyrum ferias agentes.]

Quando confeſſorum.

III. Confeſſoribus tamen paulò tardius publicus cultus exhiberi cœpit. Et ſanè dubito an quiſquam ante S. Martinum qui circa finem ſæculi IV. vivere deſiit , annua celebritate recoli meruerit. Saltem ea eſt mens eminentiſſimi Cardinalis Joannis Bona in libro 2. Rerum Liturgicarum cap. 12. ubi hæc habet : [Obiit eodem ſæculo (IV.) S. Martinus Turonenſis , cujus feſtivitas ſtatim coli cœpit , ut alibi notavimus , & ideò ſolus ex confeſſoribus officium proprium in vetuſtiſſimis Breviariis habet , quia ipſi primò publicus ab eccleſia cultus tributus eſt.]

De feſto S. Andreæ.

IV. Primus inter ſanctos quorum in adventu ſolemnitas agitur , occurrit S. Andreas pridie calendas Decembris , cujus officium à S. Gregorio compoſitum fuiſſe contendit Joannes Belethus , ipſique unum diem feſtum tribuit S. Bonifacius Moguntinus epiſcopus in ſtatutis Spicilegii tom. 9. Ejus feſtum notatur in vetuſtiſſimo miſſali Gothico à Joſepho Thomaſio edito , & in Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi ; & quidem in iſto cum vigilia , tertio calendas Decembris celebranda. In libro Sacramentorum S. Gregorii à Menardo edito & in vetuſto codice eccleſiæ Turonenſis annorum circiter 800. atque in Calendario Frontonis in hac vigilia duæ habentur miſſæ , una de vigilia , altera de S. Saturnino. In ordine Gelaſiano & in Sacramentario Gellonenſi altera miſſa eſt de SS. Saturnino , Chryſanto , Mauro , & Daria.

V. Poſt primas hujus feſti veſperas proceſſionem ad altare S. Andreæ adſignat Rituale Sueſſionenſe cum antiphona , cantico *Magnificat* , & oratione de ſancto. Proceſſioni ſolemnes vigilias addebant Turonenſes S Martini canonici hoc modo , qui deſcribitur in vetuſto eorum Rituali : [In vigilia ad veſperas poſt *Benedicamus* , cruce parata & cereis , incipit Reſponſorium *Venite* : & ſic vadunt cantando ad S. Andream , & fit vigilia cum novem pſalmis , & antiphonis , & tribus lectionibus de Paſſione , & tribus reſponſoriis , ſcilicet primo ſecundo & nono. Primam legit clericulus primæ ſtationis , ſecundam ſecundæ , tertiam tertiæ. Primum reſponſorium cantat presbyter , ſecundùm clericulus

primæ ſtationis, tertium ſubdiaconus ſimplex de ſtallo. In laudibus ſicut in feſto, hymni non dicuntur, ſed tantùm verſiculi.] Hunc ritum deſumpſit eccleſia Turonenſis à Romana, quæ in profeſtis diebus majorum ſolemnitatum poſt veſperas vigilias primas celebrare ſolebat in una eccleſia, alteras in alia nocte, uti obſervavimus in natalis Domini die feſto, in quo pridie Pontifex celebrabat vigilias cum prima miſſa ad S. Mariam majorem, deinde pergebat ad S. Petrum nocturnum decantaturus iterum officium. De hoc ritu hæc leguntur in mſ. Pontificali Salisburgenſi: Præmiſſo titulo *De feſtis Sanctorum qualiter apud Romanos celebrantur*, conſequenter additur: [In primis congregant ſe ad eccleſiam ſerò ad vigilias peragendas illius ſancti, cujus natalis fuerit. Ingredienteſque ad vigilias non dicant *Domine labia mea*, nec invitatorium, ſed ſtatim incipiunt antiphonas & pſalmos, cujuſcumque fuerit, aut apoſtolorum, aut cujuſlibet Sanctorum: qui voluerint novem lectiones facere, & pſalmos novem decantant: qui verò ſeptem, ſex: qui verò quinque, ſimiliter ſex. Ad veſperum ſi fuerint antiphonæ propriæ, dicuntur; ſin autem alleluia dicitur. In Bened. & evangelio dicuntur antiphonæ. Item in nocte feſtivitatis eorum antiphonam in *Venite*, ideſt invitatorium de Sanctis minorem, pſalmos cotidianos cantant, ſed verſus de ſanctis, lectiones aut quatuor, aut quinque, aut ſeptem, aut ſi voluerint novem ad ipſum natalitium pertinentes prælegantur. Reſponſoria verò de ipſo die ſanctorum. In matutinis laudibus, ſi propriæ fuerint antiphonæ, pſalmi dicuntur Dominicales, ſin verò pſalmi dicuntur cotidiani, antiphonæ de ſanctis in ipſis pſalmis. In evangelio antiphona ſi propria fuerit, ipſa dicitur: Sin verò, qualem voluerit dic. . . . Paſſionem vel geſta ſanctorum ad Adriani tempora tantummodo ibi legebantur, ubi eccleſia ipſius ſancti vel titulus erat. Ipſe verò tempore ſuo hunc morem renuere juſſit, & in eccleſia S. Petri legendas eſſe conſtituit.]

CAPUT. XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

VI. Redeo ad S. Andream cui octavam aſſignant ordo Gelaſianus, Codex Regius annorum 900. Gellonenſis ejuſdem ætatis, Turonenſis annorum 800. Miſſale Bituricenſe cum recentioribus ordinariis benemultis. De modo celebrandi ejus octavam hæc ſcribunt mſſ. Romani S. Pauli monaſterii conſuetudines: [Per octavam ejuſdem apoſtoli nihil de ea agitur, ſed omnia feriata.] In illo itaque monaſterio, ne quid ex devotiſſimo adventus officio detraheretur, præter diem ipſum natalem S. Andreæ & ejuſdem diem octavum nihil omninò fiebat. An verò alibi? Si verò in Dominicam diem hoc feſtum incidiſſet, ejus octava feria 6. præcedenti propter feſtum S. Nicolai prævio officio celebrabatur. Si in feriam 2. ſabbato propter eamdem rationem: ſaltem ita præſcribit Turonenſis eccleſiæ ordinarium.

VII. Nonnullæ eccleſiæ S. Andreæ feſtum olim Dominica die agebant, id quod acriter reprehendit Radulphus Tungrenſis in libro de Canonum obſervantia propoſitione 15. ubi ſic loquitur [Abuſus nimius eſt, ut feſtum S. Andreæ in Dominica teneatur, cum Romana conſuetudo, Feſtum S. Andreæ an Dominica poſſit celebrari.

Caput. XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

Metropolitanum ſtatutum, & omnes de officio ſcribentes obvient huic modo.] Hinc rectè Cornelius Scultingus infert: [Reprehenditur igitur Colonienſis eccleſia major, quæ Dominicis diebus in adventu feſta SS. Andreæ apoſtoli, Nicolai, Conceptionis Mariæ & Thomæ apoſtoli celebrat: cui conſuetudini ſtatuta Colonienſium & Leodienſium, ut oſtendit auctor nominatus, (Radulphus) repugnant.] Addit verò: [Major tamen eccleſia Colonienſis huic conſtitutioni ſatisfacit à Dominica *Invocavit* uſque ad octavam Pentecoſtes, quibus Dominicis interlabentibus nulla feſta ſervat.] Poſteà ſubdit: [Porrò in diœceſibus Moguntinenſi, Oſnaburgenſi, Hamburgenſi, Spirenſi, ſi feſtum S. Andreæ in Dominicam cadat, propter invitatorium, & laudes Dominicales, & occurrentes proprias hiſtorias, ad ſecundam feriam transfertur. Idem obſervat etiam eccleſia Xantenſis.]

Feſtum S. Eligii. VIII. Calendis Decembris occurrit feſtum S. Eligii epiſcopi [Hoc feſtum Eligii in Francia & Flandria ubique obſervatur, eſtque trium lectionum,] inquit Scultingus. Nihil tamen de eo in noſtris antiquis Sacramentariis me reperiſſe memini. Sed extat in veteri Corbeienſi Calendario.

S. Benedicti. IX. Pridie Nonas Decembris in vetuſtiſſimo Moiſacenſi miſſali conſignatur *Natale S. Benedicti abbatis & confeſſoris.* In Dionyſiano Sacramentario annorum 800. *Tranſlatio S. Benedicti.* Quo nomine extat etiam in miſſali Bituricenſi & quibuſdam aliis.

S. Criſpinæ. X. Nonis Decembris in vetuſtiſſimo Corbeienſi Calendario legitur *Natale S. Criſpinæ martyris:* quo die reperitur in antiquo Carthaginenſi Calendario. Ejus acta ſincera dedit noſter Mabillonius in Analectorum tom. 3.

S. Nicolai. XI. VIII. Idus Decembris habemus feſtum S. Nicolai epiſcopi & confeſſoris, quod *ubique ſervatur* inquit Scultingus; & quidem pleriſque in locis olim ſub præcepto. Hoc feſtum poſt ejuſdem Sancti Barium Tranſlationem præſertim celebre haberi cæpit. Nam ante hæc tempora vix de eo aliquid reperire eſt in mſſ. Sacramentorum libris.

De feſto Conceptionis B. Mariæ. XII. VI. Idus Decembris celebramus immaculatæ Virginis Mariæ Conceptionis feſtivitatem, cujus prima inſtitutio S. Hildephonſo Toletano epiſcopo referenda videtur; nam ut legimus in ejus Vita Sæculo II. Benedictino, [Feſtum Conceptionis S. Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituit, & ejus conſtitutione per totam Hiſpaniam ſolemniter colitur VI. Idus Decembris.] Unde inter feſta chriſtianorum quæ à Judæis obſervari præcepit rex Ervigius lib. 12. Legis Viſigothorum tit. 6. recenſetur [Feſtum S. Virginis Mariæ, quo glorioſa conceptio ejuſdem genitricis Domini celebratur.]

Atque hinc apparet Conceptionis B. Mariæ feſtivitatem, ut quidam autumant, in Anglia minimè incœpiſſe. Occaſionem hujus feſti divinæ attribuunt revelationi Rameſienſi abbati in mari periclitanti facta. Rem enarrat mſ. Breviarium eccleſiæ Turonenſis in lectionibus ad nocturnas vigilias recitandis;

recitandis : quæ quia facilè non reperiuntur, eas hic ſubjungere non gravabor.

CAPUT. XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

Tempore quo divinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis corrigere, & ſuæ ſervitutis officiis arctius conſtringere, glorioſiſſimus Normannorum dux Guillelmus eamdem patriam debellando ſubegit. Qui rex Anglorum factus Dei virtute & induſtria ſua, totius eccleſiaſticæ dignitatis honores in melius reformavit.

Audientes autem * Daci Angliam ſubjectam Normannis graviter indignati ſe ſuo quaſi jure hereditario privari, arma præparant, claſſem aptant, ut eos adeuntes à data ſibi divinitus expellant. * f. Dani.

Hoc comperto, Rex Guillelmus Helchinum abbatem Ramoſſenſis cœnobii in Daciam mittit, ut hujus veritatem rei inquirat. At ille negotio regis fideliter peracto, Angliam reverti cupiens, mare ingreditur, cùmque ſuborta tempeſtate, ipſe & qui cum eo erant de ſalute deſperarent, Beatiſſimam Dei genitricem Mariam invocavit.

Et ecce ſubitò aſpiciunt quendam Pontificali infula decoratum, qui Helchino dixit : Scias me ad te à B. genitrice Dei quam invocaſti directum. Hoc igitur periculum incolumis evades, ſi dictis meis obtemperaveris. Promitte itaque mihi & Deo, quod Diem Conceptionis matris Chriſti ſolemniter celebrabis & celebrandum prædicabis.

At Helchinus : Et quo, inquit, die feſtum hoc celebrabitur. Sexto, ait, Idus Decembris. Et quo, inquit abbas, ſervitio utemur in officio eccleſiaſtico ? Omne, inquit, officium quod dicitur in ejus nativitate, dicetur & in ejus Conceptione, excepto quod nomen nativitatis mutabis in nomine Conceptionis. Sedata igitur tempeſtate, abbas ad propria rediens, ſtatuit idem officium in Ramoſſenſi cœnobio celebrari.

XIII. Ex his quinque lectionibus apparet Helchinum Ramoſienſis monaſterii abbatem primum feſti Conceptionis B. Mariæ auctorem in Anglia extitiſſe. Huic inſtitutioni favit in primis S. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus, qui per totam Angliam & maximè Cantuarienſem diœceſim hoc feſtum celebrari procuravit, uti teſtatur Concilium Londinenſe anni 1328. his verbis : [Venerabilis Anſelmi prædeceſſoris noſtri, qui poſt alia quædam ipſius antiquiora ſolemnia, Conceptionis ſolemne ſuperaddere dignum duxit, veſtigiis inhærentes, ſtatuimus & firmiter præcipiendo mandamus, quatenùs feſtum Conceptionis prædictæ in cunctis eccleſiis noſtræ Cantuarienſis Provinciæ feſtivè & ſolemniter de cetero celebretur.] Quæ verba non ſic ſunt accipienda, quaſi tunc primum Conceptionis feſtum per totam Cantuarienſem provinciam recipi cœperit ; ſed jam obſervatum diu per univerſam Angliam *feſtivè & ſolemniter* recoli præcipit Concilium Londinenſe, Et ſanè longe anteà Gaufridus abbas S. Albani qui anno 1146. obiit illud in cappis celebrari mandaverat uti ſcribit Mathæus Paris in vitis abbatum S. Albani.

XIV. Circa illud tempus eccleſia Lugdunenſis eamdem feſtivitatem

Caput. XXX. *De Feſtivitatibus Sanctorum &c.*

recepit, cujus agendi rationem improbavit. S. Bernardus, ſcripta ad Canonicos Lugdunenſes eleganti epiſtola 174. maximè quod inconſulta Sede Apoſtolica hoc feſtum inſtituiſſent. Non defuere qui eo tempore S. Bernardi zelum improbavere, uti conſtat ex epiſtola Nicolai monachi S. Albani ad Petrum Cellenſem, quæ inter ejus epiſtolas habetur lib. 9. epiſt. 9. nec ſanè impedivit quominùs ſtatim [ferè per totam Galliam devotiſſimè ab omni chriſtiano percelebraretur populo,] uti ſcribit Atto prior monaſterii S. Petri de Regula in ſtatuto quod anno 1154. de celebranda ſolemniter eadem feſtivitate edidit. Unde & publicam cum pompa proceſſionem in ejus honorem factam fuiſſe reperio in Chronico Rothomagenſi ad annum 1197.

XV. Sed neque Orientalis eccleſia ſuam Conceptioni B. Mariæ venerationem denegavit, ut diſcimus ex Emanuelis Comneni conſtitutione de diebus feſtivè celebrandis à Theodoro Balſamone relata in Nomocanone Photii tit. 7. cap. 1. in qua inter alias recenceretur dies [nona Decembris utpote quod in eo peragatur Conceptio caſtiſſimæ matris Dei noſtri.] Sed & Baronius in notis ad Martyrologium Romanum obſervat extare Leonis imperatoris ſermonem de Conceptione B. Mariæ in ms. codice Bibliothecæ Sfortianæ num. 65. & alium inſuper Georgii epiſcopi Nicomedienſis in eodem codice. Narrat inſuper Matthæus Paris ad annum 1228. Armenorum Patriarcham in monaſterio S. Albani exiſtentem, interrogatum ab uno monacho, *ſi in partibus ſuis Conceptio B. Mariæ celebraretur*, reſpondiſſe *celebratur utique.*

XVI. Omnium poſtrema feſtum Conceptionis B. Mariæ recepiſſe videtur eccleſia Romana, quæ tempore S. Thomæ Aquinatis feſtum illud recolere nondum cœperat: [Licet eccleſia Romana, inquit Angelicus doctor. part. 3. q. 27. a. 2. ad 3. Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum eccleſiarum illud feſtum celebrantium.] Idem non obſcurè docet S. Bonaventura lib. 3. diſt. 3. p. 1. q. 1. Neque tamen diù poſt diſtulit eamdem ſuſcipere feſtivitatem, quam tandem [in omnibus eccleſiis, monaſteriis, & conventibus chriſtianæ religionis] feſtivis laudibus coli præcepit Concilium Baſileenſe Seſſione 36. conceſſis etiam indulgentiis illud debita devotione celebrantibus.

XVII. Hujus ſolemnitatis duplex officium compoſitum fuit, primum quod hactenùs decantat eccleſia, ipſiſſimum eſt nativitatis virginis Deiparæ officium, in quo nativitatis dumtaxat in conceptionis vocabulum mutatur. Aliud quod auctorem habuit Leonardum quemdam de Nagarolis Veronenſem, quod officium celebrantibus indulgentias attribuit Sixtus IV. Extra. *Cum præcelſa.* Verùm cum eo in officio aliqua reprehenſione digna animadvertiſſent viri eruditi, ab omnibus omiſſum fuit, uti obſervat Joannes Heſſelius doctor Lovanienſis in epiſtola ad Antonium Sablonium Athenſium Franciſcanorum Guardianum; in qua etiam improbat aliquas eccleſias conceptioni B. Mariæ indidiſſe octavas: [octavam, inquit, habet conceptio Mariæ, & octava caret

Conceptio Domini : tantus eſt amor eorum quæ aliquo modo noſtra videntur.] [Pauci tamen ut ſcribit Scultingus, ex inſtitutione Sixti IV. & Patriarchæ Aquilegienſis ſervant octavam Conceptionis Mariæ 9. Lectionum.] Sed longe ante Sixtum IV. illam jam celebrabat eccleſia Argentina in cujus ordinario anno 1364. compacto præſcripta reperitur.

Caput. XXX. De Feſtivitatibus Sanctorum &c.

XVIII. Circa ritus in hujus feſti obſervatione hæc ſcribit idem Scultingus : [Hamburgenſis diœceſis anticipat, utamur pace latinarum aurium vocibus eccleſiaſticis, feſtum conceptionis Mariæ in ſabbatum præcedens, ſi venerit in Dominica : Moguntinenſis diœceſis poſticipat hoc feſtum in feriam ſecundam tam in choro, quam in foro celebrandum. Herbipolenſis poſticipat in feriam ſecundam in choro tantùm celebrandum. Sed Coloniæ, quia illud feſtum ſolemne licet in Dominicam cadat, tamen ibidem ſervabitur, Dominicarum hujus temporis privilegio non obſtante.]

Feſtum S. Damaſi.

XIX. III. Idus Decembris *natale S. Damaſi Papæ* notatur in codice Regio annorum 900. & in Sacramentario S. Gregorii Papæ editionis Pamelianæ, cujus feſtum *ubique* ex Romana auctoritate recolitur inquit Scultingus.

S. Luciæ.

XX. Idibus Decembris in Sacramentario S. Gregorii Papæ legitur *natale S. Luciæ Virginis.* De quo Scultingus, [Feſtum hoc, inquit, maximè celebre eſt Eboraci & Strigoniæ, licet ubique obſervetur propter martyrium.] Idem auctor obſervat hac die apud Trajectenſes in miſſa legi pro epiſtola *Domine Deus meus exaltaſti me &c*, Evangelium de Theſauro abſcondito, cùm in aliis eccleſiis legatur epiſtola *Qui gloriatur in Domino* evangelium verò de decem virginibus. Addit Belethus in Explicatione Divinorum officiorum. cap. 65. [feſtum S Luciæ hic adjunctum habere italicè *Charbar*. Quia tum maximè carnes ſolent deponi, quemadmodum ſecunda Dominica ſeptuageſimæ dicitur vulgò carnis privium.] Atque hinc fortè ortum eſt illud Concilii Toletani V. decretum can. I. [ut à die Iduum Decembrium triduo litaniæ ubique annua ſucceſſione peragantur, & indulgentia delictorum lacrymis impetretur. Quod ſi dies Dominica interceſſerit, in ſequenti hebdomada celebrentur.] quod ſtatutum confirmavit Cinthila rex Ghothorum in litteris quæ ad calcem dicti Concilii habentur.

Annunciationis Dominicæ.

XXI. XV. Calendas Januarii in Hiſpaniarum eccleſiis ſolemniter recolitur annunciationis Dominicæ feſtum, ex inſtituto Concilii Toletani X. can. I.

S. Thomæ.

XXII. XII. Calendas Januarii in Sacramentario Gelaſii & in Gregoriano & alibi paſſim conſignatur *Natale S. Thomæ apoſtoli.* In vetuſto Corbeienſi calendario *In India Tranlatio S. Thomæ apoſtoli.* Hoc feſtum ab omnibus omninò nationibus celebratum fuiſſe ante Incarnationis annum 402. diſcimus ex oratione quæ de eodem Sancto eo anno pronunciata fuit, quæque extat inter opera S. Chryſoſtomi tom. 6. hom. 32. p. 271. Non reperitur tamen in Calendario Frontonis

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De feſtis Januarii, Februarii & Martii.

CAP. XXXI. *De Feſtis Januarii &c.* Feſtum S. Pauli eremitæ.

I. DE Circumciſione & Epiphania Domini præcipuis Januarii feſtis jam diximus ſuperius. Infrà octavam Epiphaniæ IV. Idus Januarii occurrit feſtum S. Pauli primi Eremitæ De quo Scultingus [Celebre, inquir, hoc feſtum eſt Monaſterii & Strigoniæ. Collecta tamen & horæ de Epiphania, niſi aliud epiſcopus præcipiat.]

S. Remigii.

II. Idibus Januarii octava Epiphaniæ feſtivum in Galliis olim diem habuit, tum propter S. Hilarii ſolemnitatem quæ non ſolùm Pictavis, ſed etiam in aliis locis præſertim in Uticenſi diœceſi ſub præcepto recolebatur; ſed etiam propter natalitium S. Remigii Remenſis epiſcopi diem, qui cum Clodoveum Francorum regem ad fidem adduxerit, ſacriſque undis tinxerit, Francorum apoſtolus non immeritò eſt appellatus: unde in Rituali Sueſſionenſi pridie Idus Januarii Statio ad S. Remigium legitur. Cujus ordo ita deſcribitur: [Pulſata nona, pulſetur ter ſignum quod Lettarda vocatur: & dum nona cantatur, induant ſe duo clericuli albis ſuis; finitaque nona, eat proceſſio ad S. Remigium, cum clericulis prædictis, uno præferente duos cereos de libra, reliquo crucem ferente. Et cùm perventum fuerit ad S. Remigium, ejuſdem loci ſacerdos paratus ſit ad oſtium indutus cappa de pallio, intrantemque incenſet proceſſionem à minimo uſque ad majorem, & ſtatim accendantur duo cerei prædicti ſuper altare. Hebdomadarius quoque incipiat *Deus in adjutorium.* Succentor antiphonam *Ante Luciferum.* Pſ. *Dixit. Confitebor. Beatus vir. De profundis. Memento.* Cap. *Magnifi avit.* Hymnus non dicitur ℣. *Amavit.* Antiphona *Iſte eſt de ſublimibus.* Pſ. *Magnificat*, collecta *Deus qui populo tuo.* Dum verò *Magnificat* cantatur, afferat presbyter prædictus thuribulum cum igne ante ſacerdotem hebdomadarium, acceptaque benedictione incenſi ab eo, ponat incenſum in igne: quo facto, incenſet altare indutus cappa de pallio, omnemque chorum in ordine. Poſt veſperas offerat ſæpedictus presbyter charitatem ſolitam hebdomadario pro omnibus aliis. His peractis, redeamus pompaticè bini & bini cruce præcedente. Cerei verò ſuper altare accenſi remaneant. Intrata denique proceſſione eccleſiam, reportet clericulus crucem ad altare: ceteri verò pergant in refectorium. Recipiantur autem ibi tot pauperes, quot hebdomadarius voluerit & introducantur. Deinde menſis paratis, conſedeanr omnes, oſtium refectorii ſervante noſtro oſtiario. Poſt hæc presbyter ſupradictus afferat aquam cum pelvibus ad majorem menſam pro manuum illorum ablutione, qui voluerint & manutergium. Quo facto * libi diſtribuantur. In amminiſtratione autem vini, cum ante menſas fuerit allatum, clericuli tenentes illud voce excelſa dicant *Benedicite.* Deinde

* Libi ſunt des gateaux.

hebdomadarius *Potum ſervorum ſuorum bene † dicat rex angelorum.* Et tunc miniſtretur vinum cunctis in ordine. Deficiente autem vino illo, iterum vinum ſicut primum cum *Benedicite* offeratur. Tertium verò quod nobis debetur, fratribus eleemoſynæ cum libis quatuor conceſſimus. Intereà ad veſperas pulſetur, & poſt exitum refectorii cum gratiarum actione cantentur. Ordo itaque iſte in ſtationibus omnium parrochiarum obſervetur.]

S. Felicis in Pincis.

III. XIX. Calendas Februarii in Sacramentario Gelaſiano & in Gregoriano editionis Menardi conſignatur *Natale S. Felicis.* Pamelius, vetuſtiſſimus codex Regius, Gellonenſis cum quibuſdam aliis addunt *In Pincis* à loco in quo ſepultus fuit, inquit Scultingus. Sed Menardo [locus eſt Romæ, in quo S. Felicis eccleſia ædificata eſt.] Id quod confirmat Liber Pontificalis in Adriano I. à quo [Baſilica B. Felicis poſita in Pincis, quæ erat in ruina,] reparata memoratur. In Turonenſi S. Martini ordinario anno 1450. exarato legitur hac die *feſtum nominis Jeſu quinque candelabrorum* cum commemoratione *S. Felicis in Pincis.*

IV. XVII. Calendas Februarii Sacramentarium Gelaſii & Gregorianum exhibent *Natale S. Marcelli Papæ*, quod in codice Regio & in Calendario Frontonis ſequenti die notatur. In Gellonenſi verò die præcedenti cum orationibus de confeſſore Pontifice. Deinde XVI. calendas Februarii *Natale S. Marcelli martyris.*

S. Antonii

V. XVI. Calendas Februarii Feſtum S. Antonii abbatis apud monachos celebre ſemper extitit. Singularem hoc in feſto ritum refert Mabillonius in itinere italico pag. 136. his verbis: [In feſto S. Antonii ad eccleſiam Patrum Gallorum propè ſanctam Mariam majorem ritus nobis inſolitus viſus eſt, ut quidquid equorum eſt in urbe, ducantur cum ſuis phaleris ad plateam eccleſiæ, ubi aqua luſtrali ab uno è patribus omnes & ſinguli aſperguntur, dato annuo cenſu. Qui ſecùs faxit, ſi quid equis adverſi contigerit, id piaculo vertitur.]

Aſſumtionis B. Mariæ.

VI. XV. Calendas Februarii olim Aſſumtionis B. Mariæ feſtivitas agebatur, de qua hic deſcribere juvat id quod obſervat Mabillonius in Liturgiæ Gallicanæ lib. 2. pag. 118. [Certum eſt hoc loco ſignificari ipſius depoſitionem ſeu Aſſumtionem, quam XV. Calendas Februarii ideſt die 18. Januarii quondam celebratam fuiſſe antiquiora martyrologia teſtantur. Hieronymianum vetus æri inciſum: XV. cal. Februarii depoſitio S. Mariæ. Epternacenſe, adſumtio S. Mariæ. Lucenſe, quod Franciſcus Maria Florentinius vulgavit, XV. Cal. Februarii depoſitio ſanctæ & glorioſæ B. Mariæ matris Domini noſtri JESU-CHRISTI. Quem in locum Florentinius de hujus feſti ad hanc diem inſtitutione multis diſſerit, quam à Mauritio imperatore in menſem auguſtum, cum primitus in Januario celebraretur, tranſlatam fuiſſe opinatur. In veterrimo Calendario noſtro Corbeienſi, quod vix amplius uno poſt Mauritium ſæculo exaratum eſt. XV. Calendas Februarii depoſitio S. Mariæ Virginis. Denique in perantiquo Floriacenſi quod fuit quondam eccleſiæ Senonenſis, eodem die notatur, iiſdem verbis atque in Martyro-

Digitized by Google

CAP. XXXI. *De Feſtis Januarii &c.*

logio Lucenſi. His accedit quod in miſſali Gothico ſtatim poſt Epiphaniam habetur miſſa in adſumptione S. Mariæ matris Domini noſtri: qua in miſſa Beatæ Virginis corpus de ſepulcro tranſlatum fuiſſe nec reſolutionem pertuliſſe memoratur. Denique (quod rem evincit) Gregorius Turonenſis epiſcopus in libro 1. de Gloria martyrum cap. 9. ubi agit de baſilica per Conſtantinum in honorem beatiſſimæ Virginis conſtructa. Hujus feſtivitas ſacra, inquit, mediante menſe undecimo celebratur. Ideſt menſe Januario, quod de Gallia intelligendum eſſe ſequentia manifeſtant, probantque hoc feſtum vigiliis præventum, ac proinde celebre tunc fuiſſe. Nam in oratorio Marciacenſis domus Arverni territori, ejus reliquiæ continentur. Adveniente verò hac feſtivitate, ego ad celebrandas vigilias ad eum acceſſi. Itaque per id tempus celebris in Gallia erat aſſumtio beatiſſimæ Virginis in Januario, quæ feſtivitas S. Mariæ ſimpliciter à Gregorio, uti in lectionario noſtro appellatur.] His adde etiam Rabienſe Sacramentarium & vetus calendarium ſeu necrologium monaſterii quondam S. Cyriaci, in quo legitur *XV. Cal. Februarii depoſitio S. Mariæ Virginis matris Domini noſtri* JESU-CHRISTI. Eodem die in Gregoriano Sacramentario, Gellonenſi & quibuſdam aliis adnotatur *Natale S. Priſcæ.*

S. Priſcæ.

VIII. XIV. Calendas Februarii. In codice Gellonenſi & Corbeienſi Rodradi aſſignatur *Natale Mariæ & Marthæ.* In Remenſi *Natale Sanctæ Mariæ & Marthæ.* In Corbeienſi Ratoldi & in duobus eccleſiæ Turonenſis *Natale Sanctorum Mariæ & Marthæ.* Ubi vocem *ſanctorum* non adjectivè, ſed ſubſtantivè ſumendam eſſe contendit Menardus, qui hunc locum de Maria & Martha Lazari ſororibus intelligit, idque probat ex variis calendariis & martyrologiis, in quibus hac die legitur *Hieroſolyma Martha & Maria Sorores Lazari.* Menardi opinionem confirmat unus codex Turonenſis ante annos 800. exaratus, in quo hac die habetur miſſa *Vultum tuum* de Virginibus. In pervetuſto codice Regio habetur miſſa *in natali Beatorum Mariæ Marthæ Audiſax & Abacuc.* In Gelaſiano Sacramentario *Natale SS. Martyrum Sebaſtiani, Mariæ, Marthæ Audifax & Abacum.*

SS. Mariæ & Marthæ.

IX. XIII. Calendas Februarii in Sacramentario Gregoriano, in Gellonenſi, in Calendario Frontonis & in uno codice Turonenſi pervetuſto, duæ extant miſſæ una de S. Fabiano, altera de S. Sebaſtiano. Unicam de S. Fabiano exhibet Sacramentarium Gelaſii in miſſali Toloſano unica de utriſque habetur miſſa cum duabus collectis ſub unica concluſione dicendis. S. Sebaſtiani feſtum Romæ, Mediolani, & in Africa celebre ſtatim fuiſſe rectè probat noſter Ruinartius in Actis martyrum p. 295.

SS. Fabiani & Sebaſtiani.

X. XII. Calendas Februarii habetur in codice Gellonenſi *Natale S. Agnæ Virginis.* In veteri etiam miſſali Gothico extat *miſſa in natali Agnes virginis & martyris.* Sic enim ſcribere ſolebant antiqui, ut probat Menardus. In perantiquo tamen codice Regio, in Gelaſii & Gregorii Sacramentariis legitur *Natale Sanctæ Agnetis de Paſſione.* In Calendario Frontonis *Natale S. Agne de Paſſione.* Porrò [die feſto S. Ag-

S. Agnetis

netis lanam ad pallia archiepiſcoporum conficienda, ideſt geminos agnos vivos, in eccleſia S. Agnetis extra muros benedici mos eſt,] inquit Mabillonius in itinere italico pag. 84. De hoc ritu ita ſcribit Cardinalis Bona in libro 1. Rerum Liturgicarum cap. 24. ubi agit de Pallio archiepiſcopali: [Fit ex lana agnorum candidorum ſine macula, qui in die S. Agnetis in ejuſdem eccleſia via Nomentana ſingulis annis offerri ad miſſam & benedici ſolent, ac ſubdiaconis apoſtolicis conſignari, & in aliquo monaſterio ſanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipſos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in baſilicam Vaticanam delata ſuper corpora SS. apoſtolorum Petri & Pauli ponuntur in vigilia natalis ipſorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die ſequenti deputatis cuſtodienda traduntur.]

Cap. XXXI. De Feſtis Ianuarii &c.

XI. XI. Calendas Februarii in Calendario Frontonis, in codice Gellonenſi & Gregorii Sacramentario legitur feſtum *S. Vincentii martyris*, de quo S. Auguſtinus in Sermone 276. [Quæ hodie, inquit, regio, quæve provincia ulla, quo uſque vel Romanum imperium vel chriſtianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii] Hoc feſtum ex Ordinario Uticenſi debet obſervari ſub præcepto in cujus miſſa in eccleſia Trajectenſi legitur epiſtola: *Hæc dicit Dominus creans te Jacob & formans te Iſrael.*

S. Vincentii.

XII. X. Calendas Februarii in pervetuſto codice Regio, in Gellonenſi, & Turonenſi occurrit *Natale SS. Emerentiani & Macharii martyrum*, quod etiam in nonnullis libris reperiri docet Menardus: vulgò tamen non *Emerentiani* ſed *Emerentianæ* feſtum hac die recolimus.

SS Emerentiani & Machatii.

XIII. VIII. Calendas Februarii in codice Gellonenſi & duobus eccleſiæ Turonenſis atque in quibuſdam aliis duæ habentur miſſæ, prima de Converſione S. Pauli, altera de S. Præjecto martyre. Feſtum converſionis S. Pauli in ordinario Uticenſi & in ſtatutis ſynodalibus compluribus feſtivè recoli debet ſub præcepto, atque, ut ait Scultingus, ubique celebre habetur, Monaſterii, Coloniæ, Vvormatiæ, Mindæ, Oſnaburgæ, Trajecti, Leodii, Remis, Pariſiis, Eboraci, Tulli, Metis, Moguntiæ, Lucernæ, Sangalli, Miſnæ, Strigoniæ.

Converſionis S. Pauli & S. Præjecti.

XIV. V. Calendas Februarii in duobus pervetuſtis codicibus eccleſiæ Turonenſis legitur *Nativitas S. Agnæ martyris*. In codicibus Gellonenſi & Moiſſacenſi & in Calendario Frontonis *Natale S. Agnæ de nativitate*. In Regio *Natale S. Agnis de nativitate*. Apud Pamelium *S. Agnetis ſecundo*. Hoc feſtum erat præſertim octava S. Agnetis.

S. Agnetis ſecundo.

XV. IV. Nonas Februarii. In pervetuſto codice Regio, in Gellonenſi & Moiſſacenſi aſſignatur feſtum *S. Simeonis* qua nuncupatione donatur in Vita Sergii Papæ qui ſedit circa annum 687. In duplici codice Turonenſi & quibuſdam aliis *Ypapanti*: In Gelaſii & S. Gregorii Sacramentariis *Purificationis S. Virginis Mariæ* quo de feſto aliàs à nobis dictum eſt. In eccleſia Herbipolenſi ſi in Dominicam Septuageſimæ evenerit, celebratur ſabbato præcedenti ex Scultingo.

Purificationis B. Mariæ.

XVI. Nonis Februarii in Gelaſii & S. Gregorii Sacramentariis no-

S. Agathæ.

Digitized by Google

Caput XXXI. De [illegible] &c.

tatur *Natale S. Agathæ virginis.* Cujus feſtum ab Hildenaro in Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 14. inter ea recenſetur, quæ per univerſum mundum celebrantur. Hac die in miſſali Lugdunenſi Athanacenſis cœnobii poſt miſſam legitur *Benedictio panis* In miſſa verò Trevirenſes legunt epiſtolam *Sapientia vincit maliciam &c.*

S. Scolaſticæ. S. Sotheris.

XVII. IV. Idus Februarii in Gelaſii Sacramentario, in Gellonenſi, & Regio legitur *Natale Sanctæ Sotheris.* In Moiſacenſi *Natalis S. Scolaſticæ.* In duobus codicibus eccleſiæ Turonenſis habentur hac die tres miſſæ prima de S. Scolaſtica quæ eſt propria, ſecunda de SS. Zotico & Hireneo, tertia de Sancta Sothere. Miſſam etiam de S. Scolaſtica propriam exhibet codex Carnotenſis S. Petri quam hic apponere non gravabor.

Collecta

Familiam tuam, quæſumus Domine, B. Virginis tuæ Scholaſticæ meritis propitius reſpice, ut ſicut ipſius precibus obtinendum quod cupivit imbrem cælitus decendere feciſti, ita ejus ſupplicationibus ariditatem cordis noſtri ſupernæ digneris gratiæ rore perfundere. Per

Secreta

Suſcipe, quæſumus Domine, ob honorem ſacræ virginis tuæ Scolaſticæ munus oblatum, & quod noſtris aſſequi meritis non valemus, ejuſdem ſuffragantibus meritis largire propitius. Per Dominum

Præfatio

VD Et te in ſanctarum virginum laude glorificare, qui B. Scholaſticam ſuperna repleſti gratia, ut digna fieret miraculi prærogativa, qui & illi cælitus imbrem largiri, & in columbæ ſpecie cœlum penetrare feciſti: unde tuam poſcimus clementiam, ut des nobis tantam imitari innocentiam, ut mereamur adipiſci præmia ſempiterna Per Chriſtum

Poſt communio

Quos cælesti, Domine, refectione ſatiaſti, Beatæ, quæſumus, Scolaſticæ virginis tuæ meritis à cunctis exime propitiatus adverſis. Per

Ad veſperas

Deus qui beatæ virginis Scholaſticæ animam ad oſtendendam innocentiæ viam in columbæ ſpecie cœlum penetrare feciſti: concede nobis ipſius meritis innocenter vivere, ut ad eadem mereamur gaudia pervenire. Per.

S. Valentini &c.

XVIII. XVI. Calendas Martii Gelaſii Sacramentatium exhibet *Natale*

Natale Valentini, Vitalis & Feliculæ. Codex Regius & Gellonenſis *Natale SS. Valentini, Vitalis, Feliculæ, Zenonis.* In duobus codicibus eccleſiæ Turonenſis duæ hac die habentur miſſæ una de S. Valentino, altera de SS. Valentino, Vitali, Felicula & Zenone. Sed Gregorii Sacramentarium & Frontonis Calendarium unicam de S. Valentino habent, in qua Trajectenſes, ut docet Scultingus, epiſtolam legunt *Beatus homo qui invenit ſapientiam.* In Eiſtetenſi verò de SS. Valentino, Felicula & Vitali *Fratres Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos* 2. Cor. 2.

XIX. XIV. Calendas Martias conſignatur in Gellonenſi Regio, & Turonenſi Sacramentariis *Natale S. Julianæ*, quod in Gelaſiano die ſequenti adnotatur. S. Iulianæ.

XX. VIII. Calendas Martii in Gregoriano Sacramentario, in Gellonenſi, & regio, habemus feſtum *Cathedræ S. Petri.* Ad quod ſpectat Concilii II. Turonenſis canon XXIII. [Sunt qui in feſtivitate cathedræ domni Petri apoſtoli cibos mortuis offerunt, redeuntes ad domos proprias ad gentilium revertuntur errores ; & poſt Corpus Domini ſacratas dæmoni accipiunt eſcas. Conteſtamur illam ſollicitudinem tam paſtores quàm presbyteros gerere, ut quemcumque in hac fatuitate perſiſtere viderint, vel ad neſcio quas petras aut arbores, aut ad fontes deſignata loca gentilium perpetrare quæ ad eccleſiæ rationem non pertinent, eos ab eccleſia, Sancta auctoritate repellant.] Hactenùs feſtum cathedræ S. Petri Antiochenæ hac die recolimus, Romanæ verò die Januarii 18. Sed Cathedræ Romanæ nullum quidem verbum in noſtris Sacramentariis, neque in Gregoriano aut Gelaſiano ; tametſi validiſſimis rationibus probet Mabillonius in libro 2. de Antiqua Liturgia Gallicana olim in Galliis celebratam fuiſſe in Januario. Menardus exiſtimat utramque cathedram hac die publico cultu celebratam fuiſſe. Fuit autem hoc feſtum olim celebre Coloniæ, Monaſterii, Trajecti, Myndæ, Oſnaburgæ, Leodii, Treviris, Virduni, Tulli, Metis, Vvormatiæ, Remis, Pariſiis, Eboraci, Moguntiæ in aliquibus locis, Bambergæ ex parte & Conſtantiæ, Strigoniæ, Lucernæ, Sangallii, ut ſcribit Scultingus, qui ibidem notat apud Herbipolenſes & Argentinenſes hoc feſtum eſſe trium tantùm lectionum & ſervari ferialiter : ſi venerit in aliquam quadrageſimæ Dominicam, in feriam ſecundam rejici ; ſi in Dominicam ſexageſimæ aut quinquageſimæ evenerit, in ſabbatum præcedens anticipari. Hanc feſtivitatem in eccleſia Africana ante S. Auguſtinum ignotam fuiſſe monent fratres noſtri in obſervatione prævia ad ſerm. 190. appendicis S. Auguſtini. Cathedræ S. Petri.

XXI. VI. Calendas Martii celebramus feſtum S. Mathiæ apoſtoli, cujus meminit S. Gregorii Sacramentarium ſed in Gelaſiano & in noſtris mſſ. bene multis atque in Calendario Frontonis altum de eo ubique ſilentium. De hoc feſto ita ſcribit Alexander Papa III. epiſcopo Carnotenſi Conc. Tom. 10. pag. 1718. [Feſtum verò B. Mathiæ juxta regulam eccleſiaſticam vigilia eatenùs præcedat, ut nec pro biſſexto nec quolibet alio modo inter ſe & ſolemnitatem admittat alium diem,

CAPUT. XXXI. De Feſtis Januarii. &c.

in qua utique vigilia, niſi evenerit in die Dominica jejunium celebratur. Ipſum autem feſtum ſive fiat in præſenti die, ſive in ſequenti (qui duo quaſi pro uno reputantur) nullus error, ſed eccleſiæ conſuetudo teneatur.] Et Concilium Narbonenſe anni 1227. can. 20. [Ad tollendam quorumdam dubietatem de feſto S. Matthiæ, . . . præcipimus obſervari ut ſemper in anno biſextili poſteriore die celebretur feſtum prædictum.] Circa hujus feſti miſſam obſervat Scultingus introitum ſecundùm regulares decantari *Judicent ſancti gentes* cum pſalmo *Exultate juſti.* Tractum apud Trevirenſes *qui ſeminant*; Strigoniæ *Deſiderium.* Evangelium *Miſit Dominus duodecim diſcipulos* Mathæi 10. Sed Strigoniæ, Romæ, Treviris, legi evangelium *Confiteor tibi Domine Pater.*

SS. Perpetuæ & Felicitatis.

XXII. Nonis Martii Gelaſii Sacramentarium, Gellonenſe & Regium exhibent *Natale SS. Perpetuæ & Felicitatis* de qua nihil in Gregoriano, neque in Calendario Frontonis.

S. Gregorii.

XXIII. IV. Idus Martii celebramus *S. Gregorii natale*, quod in Regio & Gellonenſi codice & in Calendario Frontonis hac die commemoratur. In cujus miſſa Treviris legitur epiſtola *Dedit Dominus confeſſionem ſancto ſuo*; Trajecti *Scietis quia miſi ad eos mandatum iſtud*; Strigoniæ *Ecce ſacerdos magnus.* Evangelium vero Trajecti *Vos eſtis ſal terræ*; Treviris *Vigilate*, uti obſervavit Scultingus. De hoc feſto hæc Concilium Cloveshovienſe II. can. XVII. [Dies natalitius B. Gregorii Papæ & dies quoque depoſitionis qui eſt VII. Calendas Junii S. Auguſtini archiepiſcopi & confeſſoris. . . ab omnibus honorificè venerentur: ita ut uterque dies ab eccleſiaſticis & monaſterialibus feriatus habeatur.] In hoc & aliorum eccleſiæ doctorum feſto officium fieri ſemiduplex ſanxerunt fratres Minores in capitulo generali anni 1260. teſte Vvadingo.

S. Joſephi.

XXIV. XIV. Calendas Aprilis celebramus S. Joſephi natale, de cujus feſto inſtituendo duas ſcripſit epiſtolas Joannes Gerſon lectione non indignas, de hoc feſto vide quæ ſcripſit Bollandus, & poſt eum D. *De Tilmon.*

S. Benedicti.

XXV. XII. Calendas occurrit natalis S. P. Benedicti abbatis, de quo tres miſſas exhibet vetus Sacramentorum liber eccleſiæ Turonenſis, quas in libro 1. de antiquis eccleſiæ Ritibus retulimus. In antiquo etiam Dioniſiano & Moiſacenſi habetur hac die cum miſſa de Vigilia. Obſervat Scultingus in lectionario Eyſtetenſi legi epiſtolam ex libro Sapientiæ cap. 6. *Qui cuſtodierint juſtitiam ejus juſtificabuntur, & qui didicerint juſtitiam.*

Annunciationis B. Mariæ.

XXVI. VIII. Calendas Aprilis celebris habetur feſtivitas annunciationis B. Mariæ, quæ ab antiquis diverſis nominibus donata eſt. Nam ab aliquibus *Conceptio Chriſti* dicta eſt, ab aliis *Annunciatio Chriſti. Annunciatio Dominica initium redemptionis. Adnunciatio Chriſti in Virgine Maria. Annunciatio B. Mariæ. Denunciatio B. Mariæ & Paſſio Chriſti.*

De antiquitate hujus feſti conſtat ex S. Auguſtini teſtimonio in libro 4.

de Trinitate cap. 5. ubi hæc habet: [Sicut à majoribus traditum ſuſcipiens eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo calendas Aprilis conceptus creditur quo & paſſus.] Et certè Concilium Toletanum X. anno 656. de hoc feſto tamquam de feſto jam diu inſtituto, & ab univerſis paſſim eccleſiis recepto, loquitur canone I. ubi conqueritur quod [in multis Hiſpaniæ partibus hujus ſanctæ Virginis feſtum non uno die per omnes anni circulos] agatur. Et [quoniam die qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum nunciaſſe verbis & indidiſſe miraculis, eadem feſtivitas non poteſt celebrari condignè, cum interdum quadrageſimæ dies vel paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari.] Ideò ſpeciali conſtitutione ſancit, ut [ante octavum diem quo natus eſt Dominus, genetricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, ut ſicut nativitatem filii ſequentium dierum inſequitur dignitas; ita feſtivitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolemnitas. Nam quod eſt feſtum matris, niſi Incarnatio Verbi? cujus utique ita debet eſſe ſolemne, ſicut eſt ejuſdem nativitas Verbi.] Additque hanc inſtitutionem exemplo non carere, quam [per diverſas mundi partes dignoſcitur obſervari. In multis namque eccleſiis, inquit, à nobis & ſpatio remotis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri.] Inter illas eccleſias non immeritò reponi poteſt Mediolanenſis, quæ Dominica Sexta adventus Domini ſolemne celebrat officium de Incarnatione Verbi ſeu de Annunciatione B. Mariæ, ut conſtat ex Breviariis & miſſalibus ejuſdem eccleſiæ. Hactenùs eccleſia Toletana octava ante Domini nativitatem die feſtum Annunciationis ſolemni ritu recolit, tametſi eamdem feſtivitatem iterato die Martii vigeſima quinta obſervet, uti ſcribit Bollandus in ſuo Martio tom. 3. pag. 538. Toletanam eccleſiam imitari voluerunt & aliæ nonnullæ eccleſiæ, quippe Radulphus Glaber lib. 3. Hiſt. cap. 3. narrat circa annum 1000. celebrata eſſe multa Concilia, in quibus [de die Annunciationis Dominicæ, qui celebratur octavo calendarum Aprilium, ſi fortè quolibet alio tempore extra quadrageſimam excoli congruentiùs potuiſſet, ab iiſdem Pontificibus non parva illata eſt quæſtio. Ferebatur enim à quibuſdam eamdem videlicet Annunciationem more Hiſpanorum quinto decimo calendarum Januariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrari.]

CAP. XXXI. *De feſtis Ianuarii &c.*

XXVII. Non in occidente ſolùm, ſed etiam in oriente ab antiquo ſingulari cultu celebrata eſt hæc feſtivitas, quam & recoli permittit Concilium Quini-ſextum, & incruento ſacrificio gaudere jubet quamcumque tandem in diem incidat, can. LII. Sed & Nicephorus Patriarcha in conſtitutione quæ habetur tit. 6. Juris orientalis pag. 29. in gratiam ſolemnitatis declarat, quòd [ſi dies Annunciationis in magnam illam quintam feriam vel magnam Paraſcevem inciderit, non peccamus, ſi tunc vino & piſcibus utamur.]

XXVIII. Ad hujus feſtivitatis ritus pertinet Conſtitutio Sergii

Papæ I. ut hac die aliiſque B. Mariæ ſolemnitatibus [exeat litania à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.] De occurrentia verò hujus feſti hæc ſcribit Sceltingus : [Si feſtum Annunciationis B. Mariæ Virginis venerit in aliqua Dominica in quadrageſima in diœceſi Colonienſi & Hamburgenſi anticipabitur in ſabbatum præcedens tam in foro quàm in choro ſolemniter celebrandum. In eccleſia Herbipolenſi poſtponitur in proximam feriam ſecundam, & tam in foro quàm in choro celebrabitur. Si venerit poſt Palmarum vel poſt Paſcha in vigilia Palmarum ſolemniter celebrabitur tam in foro quàm in choro ſecundùm Colonienſem, Herbipolenſem, Hamburgenſem, Argentoratenſem & Monaſterienſem eccleſias. Sin autem occurrerit in die Sancto Paſchæ vel infrà octavam ejus, ſecundùm diœceſim Oſnaburgenſem, ſervabitur feria tertia poſt octavam Paſchæ. Si venerit in Dominica *Oculi* vel *Lætare*, ſecundùm Monaſterienſem eccleſiam ſervabitur ſabbato præcedenti. Si in Dominica *Judica*, ſervabitur feria ſecunda ſequenti.]

CAPUT XXXII.

De feſtis Aprilis Maii & Junii.

Cap. XXXII. *De Feſtis Aprilis. &c.* Feſtum S. Leonis. S. Euphemiæ.

I. III. IDus Aprilis in veteri codice Remenſi & Gellonenſi notatur *Natale S. Leonis Papæ*, de quo nihil in Gregoriano Pamelii ac Menardi Sacramentario, neque in Gelaſiano : In codice Regio inſcribitur Idibus Aprilis quo die in Gelaſiano Sacramentario, in Gellonenſi, Remenſi, & quibuſdam aliis legitur *Natale S. Euphemiæ martyris*, Calcedonenſis ſcilicet, quæ in Novella Emanuelis imperatoris recenſetur die Junii undecima.

S. Tiburtii &c.

II. VIII. Calendas Maii in Gellonenſi codice conſignatur *Natale SS. Tiburtii & Valeriani & Maximi via Appia.* Quo die notatur in Sacramentario Gregoriano. In quorum Sanctorum miſſa legitur epiſtola *Hi ſunt viri miſericordiæ* apud Trevirenſes; *Lingua ſapientium* apud Trajectenſes; *Juſtorum animæ.* Evangelium verò apud utroſque *Hoc eſt præceptum meum*, teſtante Sceltingo.

S. Georgii.

III. IX. Calendas Maii legimus in Gregoriano Sacramentario *Natale S. Georgii martyris.* In Gellonenſi *Natale S. Jorgii martyris*, quod feſtum ut ſcribit Sceltingus eſt [celebre Spiræ, Coloniæ, Monaſterii, Treviris, Conſtantiæ, Oſnaburgæ, Pariſiis, Tulli, Moguntiæ in aliquibus locis, Trevæ ſive Hamburgæ, Herbipoli, Argentorati, Strigoniæ, Lucernæ, Sangallii.] His addere potuiſſet Turonenſes S. Martini apud quos anno 966. Vivianus Sacerdos, annuente capitulo, inſtituit ut ad S. Georgii oratorium ſolemnis ſtatio fieret, & pridiè poſt veſperas vigilia celebraretur, ac die ſequenti miſſa.

S. Marci.

IV. VII. Calendas Maii feſtum S. Marci Evangeliſtæ celebre propter

litanias majores quæ hac die fieri ſolent, de quibus ſuprà. De tempore quo feſtum iſtud obſervari debeat hæc pauca Scultingus: [Si venerit feſtum S. Marci in aliqua Dominica poſt Paſcha, tunc litania ſervabitur ſequenti die ſecundùm conſuetudinem eccleſiæ Leodienſis. Coloniæ ſervatur feſtum S. Marci cùm letania die Veneris poſt Paſcha.]

CAP. XXXII. *De Feſtis Aprilis &c.*

V. IV. Calendas Maii S. Gregorii Sacramentarium exhibet *Natale S. Vitalis*, quod die ſequenti notatur in Gellonenſi & Calendario Frontonis. Miſſa Ambroſiana addit S. Valeriam.

S. Vitalis.

Calendis Maii in Gelaſii Gregoriique Sacramentariis, aliiſque mſſ. legitur *Natale Philippi & Jacobi apoſtolorum* licet diverſis diebus ac temporibus Paſſi.. quorum feſtum hac die celebrandum volunt inſtitutum fuiſſe à Pelagio Summo Pontifice, cujus tempore, ut docet liber Pontificalis [initiata eſt Baſilica apoſtolorum Philippi & Jacobi, quæ dum initiaretur fabricari mortuus eſt.] Et in Joanne ejus ſucceſſore: [Hic perfecit eccleſiam SS. Philippi & Jacobi, & dedicavit eam.] De hac eccleſia Adrianus Papa ad Carolum-magnum imperatorem ſcribens de ſacris imaginibus hæc habet: [Pelagius Papa atque ſucceſſor ejus Joannes, miræ magnitudinis eccleſiam apoſtolorum ædificantes, hiſtorias diverſas tam in muſivo quàm in variis coloribus cum ſacris imaginibus & à tunc uſque hactenùs à nobis venerantur.] Hæc Adriani epiſtola indicare videtur Baſilicam illam à Pelagio incœptam & à Joanne ejus ſucceſſore conſummatam, non ſolùm in SS. Philippi & Jacobi honorem, ſed aliorum etiam apoſtolorum nomini fuiſſe conſecratam. Et certè olim cum Philippo & Jacobo alios quoque apoſtolos publico cultu hac die celebratos fuiſſe indicare videtur Micrologus cap. 55. his verbis: [Ideò etiam invenitur in martyrologiis ſive in Sacramentariis feſtivitas Sanctorum Jacobi & Philippi & omnium apoſtolorum.] Quæ verba confirmare videntur opinionem Ludovici Thomaſſini, qui in ſingulari Tractatu de Feſtis libro 1. cap. 4. docet nullum olim apoſtolorum ſingulari aliquo feſto honoratum fuiſſe, ſed omnibus ſimul unum diem conſecratum. Huic favet Gelaſii Sacramentarium in quo poſt feſtum apoſtolorum Petri & Pauli, leguntur duæ miſſæ *Una de vigilia omnium Apoſtolorum*; altera *In natali omnium Apoſtolorum*. Verum has miſſas non ad omnes ſimul apoſtolos, ſed ad ſingulos ſuis diebus recolendos, facilè perſuadent collectæ miſſæ de vigilia, quæ aliquibus in particulari coaptantur. v. g. *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut apoſtolorum tuorum illorum &c.* Id etiam clariùs patet ex vetuſtiſſimo miſſali Gothico à Thomaſio vulgato, in quo poſt miſſam apoſtolorum Petri & Pauli legitur miſſa *In natali unius Apoſtoli & martyris.*

VI. V. Nonas Maii in Gelaſiano Sacramentario duæ habentur miſſæ 1. de S. Juvenale. 2. de Inventione S Crucis. In Gregoriano item duæ. 1. de SS. Martyribus Alexandro, Eventio & Theodulo. 2. de Inventione S. Crucis. Sed in vetuſtiſſimis duobus codicibus eccleſiæ Turonenſis, in Remenſi, & Gellonenſi tres leguntur 1. de S. Juvenale. 2. de SS. Alexandro, Eventio & Theodulo, 3. de Inventione S. Crucis.

S. Iuvenalis &c. Inventionis S. Crucis.

Digitized by Google

CAP. XXXII. *De Feſtis Aprilis &c.*

In Calendario Frontonis unica de SS. Alexandro, Eventio & Theodolo. Unica etiam in perantiquo Pontificali eccleſiæ Rotomagenſis ad uſum eccleſiæ Anglicanæ ante annos 900. exarato reperitur de Inventione S. Crucis, cujus feſti inſtitutionem adſcribit Euſebio Papæ Micrologus cap. 55. Sed quo fundamento? De hoc Inventionis, & Exaltationis S. Crucis feſto hæc lego in vita Gregorii Papæ XI. à Boſquero edita: [Ordinavit quod in poſterum fieret officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari de Inventione & Exaltatione Sanctæ Crucis diebus quibus occurreret; cùm per prius in matutinis non dicerentur pro earum qualibet dumtaxat, niſi tres ultimæ lectiones, & aliæ ſex de certis ſanctis, quorum feſtivitates dictis occurrerent diebus.]

S. Ioannis ante portam latinam.

VII. In miſſali Gothico Joſephi Thomaſii poſt feſtum Inventionis S. Crucis legitur *Miſſa S. Joannis apoſtoli & evangeliſtæ.* & in Gregoriano ac Gellonenſi Sacramentario pridie nonas Maii *Natale S. Joannis ante Portam latinam*, quod feſtum, ut ſcribit Scultingus, eſt, [celebre ex parte in diœceſi Bambergenſi, Eboraci, Pariſiis, Strigoniæ, & Miſnæ.]

SS. Gordiani & Epimachi.

VIII. VI. Idus Maii in Calendario Frontonis legitur *Natale S. Gordiani*, in veteri Gellonenſi codice *Natale S. Gurdiani via latina.* In Gregoriano Sacramentario *Natale S. Gordiani & Epimachi*; in quorum miſſa Lectionarius Eyſtetenſis habet epiſtolam *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.*

S. Pancratii &c.

IX. IV. Idus Maii in Gregorii Sacramentario conſignatur *Natale S. Pancratii martyris.* In Gelaſiano *Natale Sanctorum Nerei & Achillei fratrum & Sancti Pancratii* Sed in Gellonenſi codice & in Turonenſi duæ hac die habentur miſſæ una de SS. Nereo Achilleo & Pancratio, altera de S. Pancratio. In Calendario Frontonis una de SS. Nereo & Achilleo, altera de S. Pancratio quod feſtum celebre eſt in diœceſi Conſtantienſi Moguntinenſi & Trajectenſi. Hic dies etiam ſolemnis eſt apud Turonenſes canonicos S. Martini propter feſtum ſubventionis S. Martini; nam ad eos conveniunt monachi Majoris monaſterii, ut ſimul miſſam celebrent, & uno ore ſanctiſſimo Patrono ſuo gratias referant, quod ferociſſimam Normannorum gentem, urbem Turonicam obſidione vallantem, à muris ſuis non ſine ingenti miraculo olim expulerit.

Subventionis S. Martini

De hoc cœtu ita ſcribit Rituale S. Martini: [In ſubventione B. Martini fit feſtum quinque candelabrorum, & omnes tonderi debent. Hodie Tertia ſonata, venit conventus Majoris-monaſterii ad B. Martinum per aquam, dicendo pſalterium, & ſonante claſſico. Intrantes chorum incipiunt antiphonam *O Martine* cum collecta. Poſt dicunt Tertiam, qua dicta vadunt in capitulo ſe reveſtire. Quo facto, veniunt in chorum in ſiniſtra parte: canonici autem in dextra parte, excepto Theſaurario qui ſedet in ſtallo ſuo. Si abbas venit, cantat miſſam, & eſt ordo miſſæ monachorum: & ſi non venit ordo eſt canonicorum. Primò incipit cantor canonicorum in alba reveſtitus & cappa ſerica *Statuit.* Et monachi pſalmum *Inveni* dicendo & *Statuit.* Et poſt canonici *Gloria Patri* &

poſt inſimul *Satuit Kyrie eleiſon*, *Sanctus*, & *Agnus* ſicut in natali Domini, & *Gloria in excelſis*. Planè de toto dicunt canonici primum verſum & monachi ſecundum. Poſt epiſtolam cantant monachi *alleluia. Juſti epulentur*. Sequentiam *Chriſto inclita*. Poſt cantant canonici *Alleluia Lætabitur juſtus*. Sequentiam *Adeſt namque*, & facit cantor pneumas ad formam. Poſt evangelium non dicitur *Credo*, ſed cantant canonici offertorium *Poſuiſti* & ℣. *Vitam petiit*. Poſt cantant monachi offertorium *Magna eſt*. Poſt incipit cantor monachorum communionem *Lætabitur juſtus*. Poſt vadunt in capitulo & veſtimenta deponunt. Canonici dicunt Sextam, qua dicta, veniunt monachi in choro & dicunt ℟. *Sancte Martine* ſine ℣. & poſt recedunt.]

CAP. XXXII. *De Feſtis Aprilis &c.*

X. III. Idus Maii. In vetuſtioribus ſacramentorum libris conſignatur *Natale S. Mariæ ad Martyres* ſeu *Dedicatio eccleſiæ Beatæ Mariæ ad Martyres*. Quod feſtum inſtituiſſe dicitur Bonifacius Papa IV. converſo Romano Pantheo in eccleſiam B. Mariæ & omnium Martyrum. De hoc feſto ita ſcribit Rituale ms. Turonenſe S. Martini. [In feſto B. Mariæ ad martyres non dicuntur matutinæ de B. Maria; ſed aliæ horæ dicuntur, & ad ſuffragia matutinarum nihil niſi de Reſurrectione, & dicitur oratio ſola in principio miſſæ, & alia in fine.] B. Mariæ ad martyres.

XI. XIII. Calendas Junii apud Pamelium in S. Gregorii Sacramentario legitur *Natale S. Potentianæ Virginis*, In Calendario Frontonis *Natale S. Pudentianæ*, de quo in vetuſtioribus noſtris libris altum ſilentium. S. Potentianæ.

XII. VIII. Calendas Junii. In Gregoriano Sacramentario & aliis mſſ. noſtris codicibus notatur *Natale S. Urbani Papæ & martyris*. In Calendario Frontonis *Natale S. Urbani confeſſoris atque Pontificis via Appia*. S. Urbani.

XIII. V. Calendas Junii Pariſiis celebris habetur feſtivitas *S. Germani* ejuſdem civitatis epiſcopi, quæ in vetuſtiſſimo S. Dionyſii Sacramentario ante annos 800. exarato hac die conſignatur. In Turonenſi verò ejuſdem circiter ætatis duæ habentur miſſæ, de S. Germano una pro vigilia, altera pro ejus die feſto. S. Germani

XIV. Calendis Junii in Sacramentario Gregoriano conſignatur *Dedicatio baſilicæ S. Nicomedis*. In Gellonenſi verò codice legitur *Pridie calendas Junii S. Nicomedis* S. Nicomedis

XV. IV. Nonas Junias in Gelaſiano Sacramentario, in Gregoriano, Gellonenſi & quibuſdam aliis occurrit *Natale SS. Petri & Marcellini*. SS. Petri & Marcellini.

XVI. VI. Idus Julii in codice Corbeienſi Ratoldi abbatis legitur *Natale S. Medardi epiſcopi*, cujus feſtum *celebre in diœceſi Uvormatienſi* commemorat Scultingus, Amalarius in Prologo libri tertii de eccleſiaſticis officiis opem & auxilium invocat S. Medardi, cujus feſtum eo quo ſcribebat die celebrari innuit; & in libro de Ordine antiphonarii cap. 28. meminit antiphonarum de S. Medardo. Sed & Fortunatus in in vita ejuſdem ſancti teſtatur ejus feſtivitatem quotannis cum magno populorum concurſu celebrari. In vetuſtiſſimo codice Dionyſiano ante S. Medardi.

annos 800. exarato legitur *Natale SS. Medardi & Gildardi,*

Cap. XXXII. *De Feſtis Aprilis &c.* SS. Primi & Feliciani. XVII. V. Idus Junii Sacramentarium S. Gregorii cum Gellonenſi & quibuſdam aliis exhibet *Natale SS. Primi & Feliciani.*

S. Barnabæ. XVIII. III. Idus Junii celebramus S. Barnabæ feſtivitatem, de qua altum in noſtris Sacramentariis & in Calendario Frontonis ſilentium.

SS. Cyrini &c. XIX. II. Idus Junii Gelaſii Sacramentarium habet *Natale SS. Cyrini, Naboris, & Nazarii.* Gregorianum cum Gellonenſi *Natale SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii.* Calendario Frontonis *Natale S. Baſilidis.*

S. Viti. XX. XVII. Calendas Junii in Gelaſiano Sacramentario & Gellonenſi notatur *Natale S. Viti*, cujus feſtum [celebre ex parte in diœceſibus Bambergenſi, Moguntinenſi, Uvormatienſi, Herbipolenſi, Auguſtenſi, Conſtantienſi, Strigonienſi, & Hamburgenſi,] teſte Scultingo habetur.

SS. Marci & Marcelliani. XXI. XIV. Calendas Julii in Gregoriano Sacramentario & quibuſdam aliis conſignatur *Natale SS. Marci & Marcelliani.* In Gelaſiano & Gellonenſi duæ hac die habentur miſſæ: una de SS. Marco & Marcelliano, altera *De vigilia SS. Gervaſii, Protaſi & Nazarii*, quam etiam in Remenſi codice & in Corbeienſi Ratoldi extare obſervat Menardus, cum prima oratione & ſuper oblata, ut in miſſali Ambroſiano in eorumdem Sanctorum vigilia. In vetuſtiſſimo codice Regio miſſa ſecunda eſt non de vigilia, ſed de feſto ipſo SS. Gervaſii & Protaſii.

XXII. XIII. Calendas Julii Mediolani celebris habetur feſtivitas SS. Gervaſii & Prothaſii fratrum martyrum, quorum natale conſignatur in antiquis Sacramentariis Gelaſii, Gregorii, Gellonenſi, Regio, Turonenſibus & aliis plurimis atque in Calendario Frontonis. Sanctiſſimis hiſce martyribus plurimæ in Galliis conſecratæ fuerunt baſilicæ & eccleſiæ, in primis Sueſſionenſis, in qua ad primas hujus feſti veſperas, incepta ad *Magnificat* antiphona, vadit proceſſio ad eorum altare, & ibi cantantur beatæ virginis canticum, poſt cujus primum verſum repetitur antiphona *Iſti ſunt angelica*, deinde dicto verſu ſecundo, additur antiphona *Quorum*, Tertio verſui ſubjungitur antiphona *Omnes.* Poſt ultimum verò verſum repetitur iterum antiphona *Iſti ſunt angelica* poſt *Gloria* antiphona *Quorum* poſt *Sicut erat* antiphona *Omnes.* Ante completorium ad lectionem collationis deſignatur ſermo S. Maximi.

S. Ioannis Baptiſtæ. XXIII. VIII. Calendas Julii celebramus S. Joannis Baptiſtæ nativitatem, toti antiquitati venerabilem, ac ſpiritualibus gaudiis aliis ſanctorum feſtivitatibus præcellentem, in qua olim tres cantabantur miſſæ, uti obſervant Amalarius lib. 3. c. 38. & lib. 4. cap. 40. Vulgatus Alcuinus, Ordo Romanus, & alii ſcriptores non pauci, de quibus miſſis diximus in libro 1. de antiquis eccleſiæ Ritibus cap. 3. art. 3. Ex his miſſis prima erat de vigilia, quæ in veteri codice Remenſi & in Gellonenſi

Digitized by Google

Gellonenſi inſcribitur *In jejunio S. Joannis Baptiſtæ.* Trium miſſarum inſtitutionem S. Gregorio tribuit Helgaldus monachus Floriacenſis in vita Roberti Francorum Regis. Et certè in antiquis Gallicanis Liturgiis à Thomaſio & Mabillonio vulgatis, unica tantùm habetur miſſa, unica etiam pro die feſto in Gelaſiano Sacramentario, & in Calendario Frontonis in quibus una quoque præmittitur pro vigilia. Superiori ſæculo adhuc duæ in feſto S. Joannis celebrabantur miſſæ, uti ſcribit Scultingus his verbis: [Apud quoſdam hoc die duæ miſſæ cantantur: Prima in aurora quaſi in fine noctis & initio diei; quia Joannes fuit finis legis & aurora ſolis juſtitiæ.... Secunda in die juxta aliarum conſuetudinem ſolemnitarum.] Circa primam miſſam, cujus introitus erat. *In virtute tua*, obſervat Scultingus epiſtolas varias legi poſſe pro diverſa haud dubium eccleſiarum conſuetudine. Scilicet *Memoria juſti in compoſitione*, vel *Tu fili hominis, accinge lumbos tuos* Jeremiæ 1. vel *Hæc dicit Dominus: Ecce adſum primus in Sion & Jeruſalem evangeliſtum dabo* Iſaiæ 41. vel *Ecce ſervus meus ſuſcipiam eum* Iſaiæ 42. vel *Contabuerunt & contriti ſunt ſimul* Iſaiæ 46. Evangelium verò Lucæ 1. *Dixit Zacharias ad angelum.* Addit Scultingus: [Domini Teutonici ſervant hanc miſſam cum hoc alleluia *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes.* In hoc feſto non frequentatur alleluia, quia Joannes præfigurat legem. Et quidam faciunt officium abſque alleluia initio noctis propter figuram legis, & in medio noctis illud repetunt cum alleluia terminantes, in principio lucis propter memoriam Dominicæ reſurrectionis, & noſtræ futuræ glorificationis.] His adde quæ leguntur in vita Urbani Papæ V. à Boſqueto edita: [Eodem anno, ſcilicet 1368. in die Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, dictus Urbanus Papa de conſilio Cardinalium fratrum ſuorum ordinavit quod in miſſa dictæ feſtivitatis, & per octavas ejuſdem diceretur inanteà *Credo in Deum*, quod priùs non fiebat ſecundùm antiquas regulas, licet enim non fuerit de numero apoſtolorum, non tamen reputandum eſt ipſis fuiſſe minor, & ſic ejus feſtivitas, in hoc non debet minus honorari.]

CAP. XXXII. *De Feſtis Aprilis &c.*

XXIV. Et hæc quidem quoad miſſam, circa officium verò tria tantùm obſervo. 1. In Rituali ms. S. Martini Turonenſis præſcribitur, ut poſt primarum veſperarum collectam imponatur à cantore reſponſorium, & fiat proceſſio ad S. Joannem, hoc eſt ad capitulum canonicorum, in quo extat altare S. Joanni ſacrum cum fontibus, atque ibi celebrentur vigiliæ cum novem pſalmis & tribus lectionibus ac laudibus. Sicque duplex hac die habebatur nocturnum officium, id quod in præcipuis ſolemnitatibus nonnumquam contingere à nobis ſuperiùs obſervatum eſt. 2. Ex ordinario Silvanectenſi in Laudibus dicitur [ſuper Benedictus antiphona *Apertum eſt*, quæ à ſacerdote qui eam incipit debet cantari uſque ibi: *Et prophetavit dicens*; & tunc cuſtos chori debet incipere pſalmum Benedictus.] 3. Lectiones olim ſive ad nocturnos ſive ad diurnas horas ex Iſaïæ prophetia deſumebantur eo in loco ubi legitur *Vox clamantis in deſerto*, teſtante id in primis S. Auguſtino in ſermone

Digitized by Google

CAP. XXXIII. *De Feſtis Aprilis &c.*

188. & 189. Neque verò prætereundum eſt quod in vetuſtiſſimo codice Bibliothecæ Regiæ poſt miſſæ tertiæ orationes habentur etiam collectæ *Ad fontes*; ad quos proinde perinde ac in Paſchate & Pentecoſte poſt veſperas fiebat proceſſio, fortè quia olim in Galliis hac die celebrabatur baptiſmus, uti obſervavimus in libro 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus. Scribit etiam S. Auguſtinus in Sermone 196. novæ editionis, quòd in natali S. Joannis, [de ſolemnitate ſuperſtitioſa pagana chriſtiani ad mare veniebant; & ibi ſe baptizabant.] Id quod ipſe improbat. [Abſens eram, inquit, ſed ſicut comperi, per diſciplinam chriſtianorum presbyteri commoti, quibuſdam dignam & eccleſiaſticam diſciplinam dederunt.] Eamdem ſuperſtitionem damnavit S.Cæſarius ſermone 277. in appendice Sermonum S. Auguſtini his verbis: [Ne ullus in feſtivitate S. Joannis aut in fontibus, aut in paludibus, aut in fluminibus nocturnis aut matutinis horis ſe lavare præſumat: quia iſta infelix conſuetudo adhuc de paganorum obſervatione remanſit.] Ceterum tempore S. Auguſtini nativitas S. Joannis Baptiſtæ inter eas habebatur feſtivitates, quas ex *majorum traditione* ſuſceperat eccleſia, uti ipſe innuit in ſermone 292.

SS. Ioannis & Pauli.

XXV. VII. Calendas Julii in Gelaſiano Sacramentario perinde ac in Gellonenſi, Remenſi & Moïſacenſi notatur *Vigilia SS. Joannis & Pauli*, quorum dies natalis ſequenti die habetur in Gregoriano & aliis quibuſdam.

S. Leonis.

XXVI. IV. Calendas Julii occurrit in Gelaſii Gellonenſique Sacramentario vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Sed in Gregoriano duæ hac die habentur miſſæ, una de S. Leone Papa, altera de vigilia SS. Apoſtolorum. In Calendario Frontonis una de tranſlatione S. Leonis, altera de vigilia. Huic vigiliæ conſecratum fuiſſe jejunium diſcimus ex S. Ambroſii libro de virginitate cap. 19.

SS. Petri & Pauli.

XXVII. III. Calendas Julii tres in Gelaſii Sacramentario leguntur miſſæ. Prima inſcribitur *In natali S. Petri propriè*, ſecunda *In natali apoſtolorum Petri & Pauli*; tertia *In natali S. Pauli propriè*. Eaſdem continet codex Regius vetuſtiſſimus, & Noviomenſis annorum circiter 900. cum tamen unicam hac die habeat Gregorii Sacramentarium *In Natali apoſtolorum Petri & Pauli* inſcriptam alteram verò ſequenti die *In natali S. Pauli*: cui favet codex Gellonenſis. Conſtat tamen Summum Pontificem olim duas in feſto S. Petri miſſas celebraſſe, primam in S. Petri Baſilica, ſecundam ad S.Paulum, ut liquet ex Prudentii Peri Steph. Hymno XII. carmine 63.

Tranſtiberina prius ſolvit ſacra pervigil ſacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quin & S. Ambroſii hymnus ad hunc diem præſertim compoſitus innuere videtur concurſu populi Romani tres in feſto S. Petri eccleſias frequentatas fuiſſe.

Digitized by Google

Tantæ per Urbis ambitum
Stipata tendunt agmina:
Trinis celebratur viis
Feſtum Sanctorum martyrum.

qua de re vide ſi lubet Baronium in notis ad Romanum martyrologium. Posteà verò cum propter locorum diſtantiam Summi Pontifices in duabus baſilicis eodem die non ſine gravi labore ſacris operari poſſent, conſultiùs viſum eſt, ut III. Calendas Julii tam Petri quàm Pauli ſolemnitas ageretur; ſequenti verò die Commemoratio S. Pauli ageretur, id quod S. Gregorii inſtitutioni tribuit Micrologus cap. 42. In Gelaſii Sacramentario poſt miſſam SS. Apoſtolorum Petri ſequuntur miſſæ duæ, una *In vigilia omnium Apoſtolorum*, altera *In natali omnium Apoſtolorum*, de quibus omnibus ſimul unicum olim celebratum fuiſſe feſtum contendit Ludovicus Thomaſſinus in ſingulari Tractatu de Feſtis lib. 2. cap. 23. qua de re vide à nobis ſuprà obſervata.

CAPUT XXXIII.

De feſtis Iulii & Auguſti.

Cap. XXXIII. De Feſtis Julii &c.

Feſtum SS. Proceſſi & Martiniani.

Viſitationis B. Mariæ.

I. VI. NOnas Julii conſignatur in S. Gregorii Sacramentario, in Gelloneſi, & quibuſdam aliis *Natale SS. Proceſſi & Martiniani*. Eodem die celebramus feſtum viſitationis B. Mariæ, ab Urbano VI. inſtitutum, & à Bonifacio IX. promulgatum, atque à Concilio Baſileenſi ſeſſione 43. decreto 33. confirmatum. Cauſa inſtitutionis hujus ſolemnitatis, repeti debet ex occaſione urgentis ſchiſmatis ad quod componendum Urbanus Genetricis Dei opem propenſiùs implorandam eſſe cenſuit circa annum 1389. Cujus votis ſtatim paruerunt omnes eccleſiæ, quæ illius parti favebant. Quæ verò Clementi VII. aliiſque Pontificibus Avenioni reſidentibus, eamdem feſtivitatem poſt Concilii Baſileenſis decretum ſuſceperunt. Hæc ſecundùm conſuetudinem regionis Romanæ 2. Julii Pariſiis die 27. Junii, Remis 8. Julii teſte Scultingo olim recolebatur, & quidem cum vigilia jejunio & octava, ſaltem id perſuadere intendit Urbanus, conceſſis etiam indulgentiis his qui feſtum illud devotè celebrarent.

II. Circa hujus diei officium hæc ex veteri Breviario Romano ſcribit Scultingus: [Hujus glorioſæ Viſitationis officii compoſitionem Urbanus VI. Domino Adæ Cardinali Angliæ doctori in Theologia commiſit: ut ex ſcripturis evangelicis, Sanctorum Patrum commentariis & doctorum approbatorum aſſertionibus hiſtoriam hujus feſti Viſitationis ſcriberet & dictaret, & eidem officio notam congruam applicaret. Volens quoque Cardinalis præfatus veſtigia Patrum ſequi, & mandatis apoſtolicis obedire, juxta dictamen Domini Bonaventuræ cardi-

nalis de officio S. Franciſci prædictum officium compilavit, & notam

CAP. XXXIII. conſimilem ſibi ſumpſit.] De officio miſſæ vigiliæ addit idem auctor :

De feſtis Julii &c. [In vigilia Viſitationis Mariæ epiſtola : *Signum magnum apparuit in cœlo* Apoc. 12. cap. Evangelium. *Dum eſſet deſponſata*, Matth. 1. Treviris, Moguntiæ, Monaſterii, Strigoniæ, & apud Dominos Teutonicos introitus in vigilia *Rorate cœli* &c. In octava viſitationis epiſtola *Exultavit cor meum* uſque in finem cantici ex 1. Reg. 2. cap. Evangelium *Magnificat anima mea* ad finem Lucæ 1. cap.] In vetuſto miſſali Bituricenſi ab annis circiter 200. edito in feſto viſitationis miſſæ introitus ſic ſe habet : *Cum diſceſſit angelus à Maria, exurgens illa abiit* &c. Oratio *Deus qui glorioſam genitricem tuam poſt ſalutationem angelicam ſalutare cognatam ſuam Elizabeth celitus inſpiraſti, tribue nobis quæſumus earum interceſſione ſalutem conſequi ſempiternam.* Epiſtola *Egredietur virga de radice* Iſaii II. Proſa *Miſſus Gabriel de cœlis* Evangelium *Exurgens Maria.*

Tranſlationis S. Martini. III. IV. Nonas Julii in vetuſtiſſimo codice Regio annorum circiter 900. legitur miſſa *In natali S. Martini confeſſoris pontificis*, quæ in miſſali Moiſacenſi cum hac inſcriptione reperitur *Ordinatio epiſcopatus & tranſlatio corporis S. Martini epiſcopi.* Utramque ſolemnitatem conſignat etiam miſſale antiquum celebris monaſterii S. Dionyſii in Francia ante annos 800. exaratum. In alio æque antiquo Sacramentario eccleſiæ Turonenſis duæ extant hac die miſſæ prima inſcribitur. *Natale S. Martini confeſſoris* ſecunda *Item miſſa de ordinatione epiſcopatus & tranſlatione corporis.* Duabus his miſſis pridie præmittitur miſſa in vigilia S. Martini. Sed in alio ejuſdem eccleſiæ miſſali ms. cujus caracter annos minimum 800. refert IV. Nonas Julii tres habentur miſſæ. Primæ hæc præfigitur inſcriptio *Natale B. Martini Turonorum archiepiſcopi & confeſſoris.* Secundæ *Ordinatio epiſcopatus S. Martini & dedicatio eccleſiæ ipſius atque tranſlatio corporis.* Tertiæ *Miſſa in dedicatione templi.* Et revera triplicem hanc ſolemnitatem hac die celebrari ſcribit Gregorius Turonenſis in lib. 2. Hiſtoriæ Francorum cap. 14. [Solemnitas enim ipſius baſilicæ, inquit, triplici virtute pollet, id eſt dedicatione templi, tranſlatione corporis ſancti, ordinatione ejus epiſcopatus. Hanc enim IV. nonas Julias obſervabis, depoſitionem verò ejus tertio Idus Novembris eſſe cognoſces.] Triplicis etiam hujus ſolemnitatis meminit Martyrologium Adonis, Rabani, & Romanum.

IV. De modo autem & ritu hujus feſti celebrandi hæc lego in antiquo Rituali S. Martini Turonenſis : [In feſto B. Martini *æſtivalis fit feſtum ſeptem candelabrorum, & omnes tonderi debent ; & incipit officium feſti à Tertia, & legit decanus, & debet dare per domos canonicorum pigmentum. Poſt collectam veſperarum ſonat camerarius in alba parata cymbalum matutinarum, & fit vigilia poſt veſperas, nec dicitur completorium : & ſimiliter ſonat camerarius in laudibus, & duo ſeptimanarii juxta eum. Dicta vigilia, paratur altare S. Petri ſicut ad miſſam cantandam, & ponitur ibi incenſum in thuribulo panis & vinum; & poſt clauditur eccleſia,*

& claves portæ capicerius ſeptimanæ * *& per totam noctem ardet totum luminare in eccleſia, & ſeptimanarii & capicerius ponunt cuſtodes ad omnes portas eccleſiæ, & in capite eccleſiæ, & dant eis vinum & alia neceſſaria: & Theſaurarius ponit cuſtodes ante domum ſuam, & eis ſimiliter adminiſtrat. Ad horas diei dicuntur capitula, reſponſoria, verſus, & orationes de ſancto, & fit proceſſio in cappis ſericis, & habent canonici præſentes ad Tertiam & proceſſionem candelas pictas de cera viridi ad pondus Purificationis de burſa capituli.* Similia leguntur in ordinario ejuſdem eccleſiæ. Quare autem tota nocte clauſæ remanerent eccleſiæ fores, nec nocturnum hoc in feſto celebraretur officium, memini me legiſſe in Bibliotheca Labbeana, quod ipſe S. Martinus cæleſti comitatus frequentia, hac nocte divinas perſolvere laudes crederetur. In ipſa autem S. Martini octava totum officium erat de dedicatione eccleſiæ.

Cap. XXXIII. *De feſtis Iulii &c.*

* Videtur deeſſe *ſervat* aut aliquid ſimile.

II. Nonas Julii in antiquis ſacramentariis Gregorii & aliis notatur octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli de qua notanda ſunt verba Micrologi: [Juxta Romanam auctoritatem nullorum Sanctorum octavas celebrare debemus, niſi unde certam aliquam traditionem à Sanctis Patribus habemus. Eorum quoque quorum octavas celebramus nullam quotidianam mentionem per interjacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de S. Maria & de S. Petro, quorum memoriam & alio tempore non ceſſamus celebrare.]

V. VI. Idus Julii occurrit in Gregoriano Sacramentario *Natale SS. ſeptem fratrum.* In Gellonenſi *Natale SS. ſeptem fratrum, ideſt Felicis, Philippi, Vitalis, Marcialis, Alexandri, Silvani, Januarii.* De quibus tres miſſæ aſſignantur in Calendario Frontonis, prima ad Aquilonem, ſecunda ad S. Alexandrum, tertia ad S. Felicitatem, idque propter loca diverſa in quibus ſancti illi martyres ſepulti creduntur.

SS. Septem fratrum.

VI. V. Idus Julii in eodem Gellonenſi codice conſignatur *Natale S. Benedicti abbatis.* Ita in codicibus Regio, Noviomenſi, Remenſi, Corbeienſi Rodradi; in Dionyſiano & Moiſacenſi *Tranſlatio S. Benedicti.* Cui in Corbeienſi codice Ratoldi & quibuſdam aliis præmittitur miſſa in vigilia S. Benedicti.

S. Benedicti.

VII. XI. Calendas Auguſti celebramus S. Mariæ Magdalene feſtivitatem, de qua hæc mſſ. celebris monaſterii S. Florentii Salmurienſis conſuetudines:

S. Mariæ Magdalene,

Feſtum S. Mariæ Magdalene Virginis

Natale S. M. Magdalenæ capitulum ad veſperas accinxit, ℟. *Pectore*, hymnus *Jeſu corona*, antiphona *in diebus illis* Collecta *Deus qui B. Mariæ*.. . Ad miſſam Dominicam officium *Gaudeamus.* ℟. *Audi filia.* Alleluia *Surrexit Dominus & occurrens.* Proſa *Mane prima ſabbati.* Offertorium *Angelus.* Evangelium *Maria ſtabat* Communio *Dilexiſti juſtitiam.* Huic officio concinit id quod legitur in antiquo Antiphonario Romano, quod publici juris fecit eruditus vir Joſephus Thomaſius, in

CAP. XXXIII. De Feſtis Julii &c.

quo ad nocturnos hujus feſti invitatorium legitur *Regem virginum Dominum venite adoremus.* Natale S. Mariæ Magdalene notatur in Gregorii Sacramentario editionis Pamelianæ.

S. Iacobi. VIII. VIII. Calendas Auguſti occurrit in Gregorii Sacramentario, in Gellonenſi, regio, & aliis quibuſdam *Natale S. Jacobi apoſtoli fratris S. Joannis* de quo nihil omninò in Calendario Frontonis. In pervetuſto Rituali ad uſum diœceſis Remenſis edito habetur *Benedictio pomorum in die feſti beatorum Jacobi & Chryſtophori*, hoc modo: *Poſt miſſam dicta diei presbyter exiſtens in albis cum ſtola benedicit poma nova. Et poſt benedictionem clericus diſtribuit poma aſſiſtentibus: Sequitur benedictio.*

Benedic Domine hunc fructum novorum pomorum, ut hi qui utuntur ex eo ſint ſanctificati Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen

Deinde aſperguntur aqua benedicta, & diſtribuuntur, ut ſuprà.

SS. Simplicii &c. IX. V. Calendas Auguſti legitur in Gelaſii Sacramentario *Natale SS. Simplici Fauſtini & Viatricis.* In Gellonenſi *SS. Simplicii, Fauſtini & Beatricis.*

S. Felicis. X. IV. Calendas Auguſti in Gellonenſi codice & in Sacramentario S. Gregorii Papæ editionis Menardi extat *Natale S. Felicis.* Sed in editione Pameliana duæ habentur miſſæ, prima *S. Felicis epiſcopi & martyris.* Secunda *SS. Simplicii, Fauſtini & Beatricis.* In Calendario Frontonis unica *SS. Felicis Papa, Simplicii Fauſtini & Beatricis.*

SS. Abdon & Sennen. XI. III. Calendas Auguſti Gelaſii Sacramentarium conſignat *Natale Abdo & Senis.* Gregorii *SS. Abdon & Sennen.* Calendarium Frontonis *SS. Abdon & Sennes.*

S. Germani. XII. II. Calendas Auguſti in pervetuſto Sacramentario Dionyſiano & in Moïſacenſi legitur *Natale S. Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi*, de quo in duobus pervetuſtis codicibus Turonenſis eccleſiæ duæ habentur hac die miſſæ.

Machabæorum. XIII. Calendis Auguſti in Gelaſii Sacramentario & in Pontificali ms. Egberti Eboracenſis archiepiſcopi conſignatur *Natale SS. Machabæorum*, quorum feſtivitatis meminit S. Ambroſius in epiſt. 40. novæ editionis ad Theodoſium imperatorem. In codice regio pervetuſto hac

S. Petri ad vincula. die habetur miſſa *Ad S. Petrum ad vincula.* Codex Remenſis addit *& catena ejus oſculamur*, Noviomenſis & Gellonenſis *Catenas ejus oſculandum.* Haud dubium quia olim fideles hac die beati apoſtoli vincula ſuis oſculis venerabantur. Ad quem ritum alludere videntur acta S. Alexandri Papæ: [Deſine has oſculari boïas, inquire autem Domni mei Petri apoſtoli vincula, & ea potiùs oſculare.] In codice Gellonenſi & in Corbeienſi Ratoldi duplex habetur miſſa una S. Petri, altera SS. Machabæorum. Tertiam addit miſſale Moïſacenſe *De Tranſlatione S. Bibiani.* De feſto autem S. Petri ad vincula ita ſcribit Scultingus: hoc feſtum eſt [celebre Trajecti, Leodii, Monaſterii, Oſnaburgæ, Myndæ, Treviris, Virduni, Tulli, Remis, Pariſiis, Eboraci in Anglia, Moguntiæ in aliquibus locis, Hamburgæ, Strigoniæ, celebre Bambergæ,

Digitized by Google

Coloniæ, Vormatiæ, Metis, & Argentorati eſt tantum trium lectio- num.]

XIV. IV. Nonas Auguſti occurrit in Gregorii Sacramentario & in codice Gellonenſi *Natale S. Stephani epiſcopi & martyris*. In Calendario Frontonis *Natale S. Stephani Pontificis via Appia*. Cujus in miſſa ſecundùm Scultingum legenda eſt epiſtola *Omnis Pontifex*. Evangelium *Homo quidam nobilis*, Lucæ 19. notaturque in Calendario Frontonis. S. Stephani.

XV. III. Nonas Auguſti celebramus Beati protomartyris Stephani inventionem, quod feſtum teſte Scultingo eſt [celebre Treviris, Strigoniæ, Eboraci in Anglia, Pariſiis, Tulli, Metis, Moguntiæ.] Inventionis S. Stephani.

XVI. VIII. Idus Auguſti. In Gelaſii Sacramentario notatur *Natale S. Sixti*. In Gregoriano vero & in Gellonenſi & quibuſdam aliis duæ habentur miſſæ: prima *S. Sixti*, ſeu *Xiſti*, altera *SS. Feliciſſimi & Agapiti*. In miſſa vero S. Xixti aſſignatur *Benedictio uvæ* ante orationem Dominicam, qui ritus in utraque eccleſia orientali & occidentali viguit. Nam extat in Grecorum Euchologio ad diem Sextam Auguſti. Ritus autem illius benedictionis peragendæ ita deſcribitur in Miſſali inſignis eccleſiæ Lugdunenſis. [In canone miſſæ antequam ſacerdos dicat, *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas*, ponantur à diacono ſuper altare ad partem dextram propè manum ſacerdotis dextram acini uvarum in vaſe mundo, & ſacerdos dicat: *Benedic Domine hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cœli & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad uſus noſtros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini noſtri* JESU-CHRISTE. Deinde ſacerdos aſpergat acinos uvarum aqua benedicta, & poſteà ſubjungat. *Per quem hæc omnia*. Diaconus verò elevet vas acinorum de altari, & tradat vicemagiſtro chori. Quo accepto, ipſe videlicet Vicemagiſter chori diſtribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro exiſtentibus & omnibus aliis laicis in eccleſia.] Similis ritus obtinebat in Turonenſi S. Martini eccleſia, vigetque hodie in Rotomagenſi S. Audoeni monaſterio. Ex miſſali verò Pictavienſi vinum novum ex uva recenti expreſſum liquabatur in calicem. Obſervat etiam Durandus in lib. 7. Rationarii cap. 22. poſt Belethum, [quod in quibuſdam locis hac die conficitur Sanguis Chriſti de novo vino, ſi inveniri poſſit; aut ſaltem aliquantulum de uva matura in calice eliquatur.] Id quod improbat Concilium Quini-Sextum. can. XXVIII. addit Durandus: [Benedicuntur etiam racemi, ex quibus populus communicat.] S. Sixti.

XVII. Eodem die celebramus Transfigurationis Dominicæ feſtivitatem, cujus inſtitutionem Callixto Papæ III. refert Platina: additque ab eodem conſcriptum eſſe officium eccleſiaſticum de ea die, & cum indulgentiis promulgatum iiſdem, quæ conceſſæ ſunt in ſolemnitate Corporis Chriſti. Callixti Bullam protulit Odoricus Rainaldus ad annum 1457. n. 73. Verùm longè antiquiorem eſſe hanc feſtivitatem conſtat tum ex Eldephonſi epiſcopi libello, ex quo habemus olim tres, Transfigurationis.

Digitized by Google

XXII. III. Idus Auguſti in antiquis Sacramentariis Gelaſii, S. Gregori, Gellonenſi & aliis notatur miſſa *In natali S. Tiburtii* cujus ſecundùm Scultingum epiſtola deſumi debet ex Iſaiæ 43. *Hæc dicit Dominus Deus creans te Jacob*, vel ex libro Eccleſiaſtici c. 14. *Beatus vir qui in Sapientia morabitur*. Evangelium *Hoc eſt preceptum meum*. In Calendario Frontonis hac die duæ reperiuntur miſſæ una de S. Tiburtio, altera de S. Suſanna. S. Tiburtii.

XXIII. Idibus Auguſti in noſtris Sacramentariis Gelaſii, Gregorii, Gellonenſi, & aliis, in miſſali etiam Gothico habetur *Natale S. Hyppoliti*, de quo proprium officium refert Scultingus. S. Hyppolyti.

XXIV. XIX. Calendas Septembris duæ notantur miſſæ in S. Gregorii Sacramentario, in Gellonenſi, & aliis quibuſdam: prima de S. Euſebio, ſecunda de vigilia Aſſumptionis, quam à Leone IV. cum jejunio inſtitutam vult Joannes Fronto. Verum aliud ſuadet codex Gellonenſis ante Leonem IV. haud dubium ſcriptus ſed & de jejunio ante Aſſumptionem Dei Genitricis loquitur Nicolaus Papa I. in reſponſis ad interrogata Bulgarorum tamquam de inſtitutione in eccleſia Romana *antiquitus* obſervata: id quod non de ſimplici vigiliæ aſſumptionis jejunio, intelligo, ſed de toto illo celebri jejunio quod ab initio Auguſti ad Deiparæ aſſumptionem olim obſervabatur, teſte Anaſtaſio Synaita, qui in Tractatu de tribus quadrageſimis, jejunii illius inſtitutionem apoſtolis acceptam refert. S. Euſebii.

XXV. XVIII. Calendas Septembris celebramus intemeratæ Virginis in cœlum aſſumptionem, quam olim die Januarii decima octava publico cultu recolebat eccleſia. Hanc feſtivitatem in menſem Auguſtum à Mauritio imperatore rejectam fuiſſe contendit Florentinius, id quod probat Nicephori lib. 17. cap. 28. auctoritas. Unde iis aſſentiri non poſſum, qui feſtum aſſumptionis ſæculo tantum octavo initium ſumpſiſſe aſſerunt. Certè Sergius Papa, qui ſeptimo florebat, [conſtituit ut diebus Annunciationis Domini, nativitatis, & dormitionis ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ... letania exeat à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.] Ac proinde jam ante Sergium Papam Aſſumptionis feſtum inſtitutum erat. Sed & Conſtantinus epiſcopus Conſtantiæ Cypri in ſeptima Synodo actione 4. meminit [feſtivitatis Sanctæ Dei genitricis, die ſcilicet decimo quinto Auguſti.] Non ibo tamen inficias ſerius apud laïcos præceptum de illo obſervando receptum fuiſſe. Nam id probat Concilii Moguntini anni 813. decretum can. XXXVI. & Capitulare Caroli-magni lib. 1. cap. 158. editionis Baluzianæ. Sed & annales Bertiniani ad annum 862. quo Hunfridus Morinorum epiſcopus id pro feriato haberi & celebrari mandavit. Sed neque apud clericos ſtatim cum ſumma ſolemnitate obſervatum fuit. Nam ſæculo adhuc XII. Guido Cenomanenſium antiſtes, [omnibus canonicis adſtantibus & aſſenſum præbentibus, in ſuo conſtituit capitulo aſſumptionem B. Mariæ, quæ ab antiquo uſque ad ſua tempora apud nos minus quàm deberet, ſolemniter colebatur, eodem modo, eodemque honore, ſed majori à modo celebrari, quo ſolemni- Aſſumptionis.

tas S. Gervaſii æſtivalis in noſtra ſervatur eccleſia ; & octavas Aſſumptionis ſicut feſtum S. Laurentii.] Inquit liber de Geſtis epiſcoporum Cenomanenſium. Ceterum in Calendario Frontonis in pervetuſto codice inſignis eccleſiæ Turonenſis duæ in feſto aſſumptionis miſſæ habentur.

CAP. XXXIII. *De feſtis Iulii &c.*

XXVI. XVI. Calendas Septembris in Turonenſi codice annorum 800. duæ habentur miſſæ 1. de Octava S. Laurentii, 2. de natali *S. Mammæ martyris.*

S. Agapiti. XXVII. XV. Calendas Septembris in Gregorii Sacramentario, in Gellonenſi, & aliis quibuſdam occurrit *Natale S. Agapiti martyris.* In cujus miſſa duas notat Scultingus epiſtolas *Nemo militans Deo* ex epiſt. 2. ad Timoth. c. 2. ſecunda quæ apud Trevirenſes eſt in uſu *Juſtus ſi morte præoccupatus.* Evangelium item apud Trevirenſes *Si quis venit ad me.*

S. Magni. XXVIII. XIV. Calendas Septembris in Gelaſii Sacramentario, in codicibus Regio, Gellonenſi, Remenſi, & Corbeienſi Ratoldi habetur *Natale S. Magni martyris*, ad cujus miſſam in Eiſteſcenſi Lectionario legitur epiſtola *Vos imitatores facti eſtis eccleſiarum Dei* 1. Theſſal. 2. evangelium *Nihil eſt opertum.*

S. Filiberti. XXIX. XIII. Calendas Septembris in Dionyſiano Sacramentario *Natale S. Filiberti.* Hac die feſtum S. Bernardi celebrari ſanxerunt fratres Minores in capitulo generali anni 1260. teſte Uvadingo in Annalibus Minorum.

S. Timothei XXX. XI. Calendas Septembris exhibetur in Gregorii Sacramentario, in codice Gellonenſi, in Remenſi, & quibuſdam aliis *Natale S. Thimothei martyris.* Hodie celebramus octavam Aſſumptionis B. Mariæ, quam à Leone Papa IV. inſtitutam fuiſſe aſſerit Sigebertus ad annum 847. his verbis : [Decrevit ut octavæ Aſſumptionis S. Mariæ in eccleſia Romana celebrarentur, quod anteà non fiebat.] Adſtipulatur Anaſtaſius in vita Leonis Papæ IV. his verbis : [Octavam aſſumptionis beatæ Dei genitricis diem, quæ minimè Romæ anteà colebatur, vigiliis ſacris matutiniſque cum omni clero pernoctans laudibus in baſilica ejuſdem ſemper virginis Dominæ noſtræ, quæ foris muros juxta baſilicam beati Laurentii martyris ſita eſt celebrari præcepit.]

S. Bartholomæi. XXXI. IX. Calendas Septembris conſignatur in Gregorii Sacramentario *Natale S. Bartholomæi apoſtoli*, quod reperitur etiam in codice Gellonenſi & quibuſdam aliis. Sed de eo nihil in Calendario Frontonis. Hac die Romæ [nomina eorum qui Paſchali communioni non fecerunt ſatis, quot annis in tabella deſcribi ſolent, atque in ejuſdem eccleſiæ atrio exponi, ut pro nominatim excommunicatis habeantur.]

S. Ruffi. XXXII. VI. Calendas Septembris in Gelaſii Sacramentario, in codicibus pervetuſtis Regio, Gellonenſi, Remenſi, & Corbeienſi, legitur miſſa in *Natali S. Ruffi*, codex Gellonenſis addit *presbyteri* de quo nihil in Gregorii Sacramentario.

S. Hermetis. XXXIII. V. Calendas Septembris in Gelaſii Sacramentario & in Gregoriano editionis Pamelianæ notatur *Natale S. Hermetis.* In editione Menardi & in codice Gellonenſi ac quibuſdam aliis duæ habentur

miſſæ, 1. *In natali S. Auguſtini epiſcopi.* 2. *In natali S. Hermetis.* In Turonenſi pervetuſto duæ etiam leguntur miſſæ 1. *In natali SS. Martyrum Ermetis & Juliani.* 2. *S. Auguſtini.* In alio verò codice ejuſdem eccleſiæ æque vetuſto tres miſſæ continentur, 1. de S. Ermete. 2. de S. Juliano. 3. de S. Auguſtino. Unica de S. Hermete in Calendario Frontonis.

XXXIV. Calendas Septembris [celebre eſt Coloniæ, Monaſterii, Treviris, Oſnaburgi, Strigoniæ, Remis, Pariſiis, Eboraci in Anglia, Tulli, Moguntiæ, Hamburgæ,] feſtum Decollationis ſeu Paſſionis S. Joannis Baptiſtæ, inquit Sculteingus. Reperiturque in omnibus antiquis Sacramentariis & miſſalibus. Et tamen in epiſtola ad Bibianum ſub nomine S. Auguſtini, quæ extat in vetuſto codice Carnotenſi, Monaſterii S. Petri, Joannes *eodem die* traditur *conceptus, & Herodis funeſti gladio trucidatus* nempe VIII. Cal. Octobris. Additque *Eſt & præter nativitatem alia ſolemnitas Joannis Baptiſtæ, quarto ſcilicet Calendas Septembris quando inventum legitur caput Dominici Præcurſoris.* In Gregoriano Sacramentario, & in codice Gellonenſi, & quibuſdam aliis eccleſiæ Turonenſis duæ hac die habentur miſſæ. 1. In paſſione S. Joannis Baptiſtæ, 2. de S. Sabina.

III. Calendas Septembris in Gregorii Sacramentario habemus *Natale SS. Felicis & Adaucti* quod etiam reperitur in Gellonenſi codice.

CAPUT XXXIV.

De Feſtis Septembris Octobris & Novembris.

Cap. XXXIV. De Feſtis Septembris &c.

I. CAlendis Septembris in Gelaſii Gellonenſique Sacramentariis occurrit *Natale S. Priſci martyris.* De quo nihil in Gregoriano. *Feſtum S. Priſci.*

II. VI. Idus Septembris celebramus intemeratæ Virginis MARIÆ nativitatem, cujus feſtum ſæculo 9. nondum inſtitutum fuiſſe contendit Ludovicus Thomaſſinus in ſingulari Tractatu de feſtis libro 2. cap. 20. hac potiſſimum ratione adductus, quod in variis illo ſæculo editis ſtatutis de feſtis à populo ſub præcepto, ut aiunt, celebrandis, nulla ſit mentio hujus ſolemnitatis. Verùm huic opinioni obſtat ſtatutum Sergii Papæ quo in nativitate B. M. litaniam ab eccleſia S. Mariæ ad S. Adrianum fieri inſtituit, Bedæ Martyrologium in quo recenſetur idem feſtum, S. Bonifacii ſtatuta Spicilegii tomo 9 in quibus inter feſtivitates per anni circulum *Sabbatizandas* à populis cum ſingulari devotione, adnumerat *In nativitate S. Mariæ VI. Idus Septembris diem unum*, Statuta S. Adalardi abbatis Corbeienſis lib. 2. c. 3. Spicilegii tom. 4. in quibus ſit mentio nativitatis B. Mariæ, antiqui libri Sacramentorum Gelaſii & Gregorii, in quibus ne quis additamentum ſuſpicetur, occurrit codex ms. ante annos nongentos exaratus ex quo Gelaſii Sacramentarium vulgavit Joſephus Thomaſius Quibus addo vetuſtiſſimos codices Regium, Remenſem, & Gellonenſem ante 900. annos manu deſcriptos, ut interim taceam codices plures Turonenſis annorum 800. in quibus ſicut & in Calendario *Nativitatis B. Mariæ.*

Frontonis feſtum nativitatis B. Mariæ reperitur. Addo etiam Pontificale Egberti Eboracenſis epiſcopi & Anglicanum eccleſiæ Rotomagenſis ante annos 900. ſcriptum, in quibus habentur Benedictiones epiſcopales in feſto Nativitatis B. Mariæ. Quæ quidem ſufficiunt ad demonſtrandam ante ſæculum 9. hujus feſti inſtitutionem. Vigiliam illi à Gregorio XI. inditam fuiſſe ſcribit Radulphus Tungrenſis in Libro de Obſervantia canonum cap. 19. Et certè ita legimus in Vita dicti Gregorii à Boſqueto edita: [Secundò ordinavit quòd Nativitas B. MARIÆ Virginis haberet vigiliam cum jejunio, pro qua etiam officium proprium miſſæ ordinavit.] octavam verò ab Innocentio IV. præceptam fuiſſe in Concilio Lugdunenſi tradunt acta ejuſdem Concilii. In Sacramentario S. Gregorii editionis Menardi, & in codice Gellonenſi, & quibuſdam aliis, duæ VI. Idus Septembris habentur miſſæ: una de Nativitate B. Mariæ, altera de S. Adriano. In alio verò codice Turonenſi annorum minimum 800. duæ de nativitate S. Mariæ miſſæ continentur cum tertia de S. Adriano.

CAP. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

III. V. Idus Septembris in Sacramentario Gelaſii ſignatur *Natale S. Gurgoni.* Sive ut habent codices Gellonenſis & Corbeienſis Ratoldi *Natale S. Gorgonii*, quod deſideratur in Gregorii Sacramentario.

S. Gorgonii.

IV. III. Idus Septembris in Gregoriano Sacramentario & in codice Gellonenſi cum quibuſdam aliis habetur *Natale SS. Prothi & Hiacynthi:* quorum in miſſa epiſtolam legendam *Sunt juſti quibus multa* ex libro Eccleſiaſtes 8. & 9. cum evangelio ex matthæi cap. 10. *Cum perſequentur vos* aſſignat Scultingus.

SS. Prothi & Hiacinthi.

V. XVIII. Calendas Octobris recolimus Sanctiſſimæ Crucis exaltationem quod feſtum Heraclio imperatore in utraque eccleſia orientali & occidentali longè antiquius extitit, utpote quod cœleſti illi apparitioni Conſtantino I. Auguſto factæ originem debet. Teſtatur id in primis Chronicon Alexandrinum: [His conſulibus, inquit, (Dalmatio ſcilicet & Anicio Paulino) facta ſunt Encænia eccleſiæ S. Crucis à Conſtantino ſub Macario epiſcopo Septembris 17. Inde cœpit feſtum manifeſtationis Sanctæ crucis.] Ubi pro Septembris 17. lege Septembris 14. Nam mendum in textu irrepſiſſe ſuadet Menologium Græcorum apud Caniſium tom. 2. antiquarum lectionum, in quo ad diem Septembris 14. hæc leguntur [Exaltatio prætioſæ & vivificæ crucis ſub imperatore Conſtantino magno.] Et certè S. Joannes Chryſoſtomus qui non multò poſt Conſtaninum tempore florebat, hujus feſti meminit in Homilia 51. tomi 1. quam die quarta Octobris pronunciavit, his verbis: [Nondum elapſi ſunt dies viginti ex quo memoriam Crucis celebravimus; & ecce martyrum memoriam celebramus.] Ejuſdem etiam fit mentio in Actis S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani cap. 50. apud Surium die 6. Aprilis, qui temporibus Juſtini & Tiberii imperatorum, à quibus revocatus ab exilio fuit, longè ante Heraclium vixit. Et in Actis S. Simeonis cognomento Salus cap. 3. apud Surium I. Julii, qui ſub Juſtiniano imperatore florebat. Nec minoris fortaſſe fuit antiquitatis

Exaltationis S. Crucis.

in eccleſia latina. Nam in utroque Gelaſii & Gregorii magni Sacramentario reperitur. Occurrit etiam in pervetuſtis codicibus Gellonenſi, Regio, & Noviomenſi, in quibus poſt orationem ad complendum, ſequens ſubjicitur oratio *Ad crucem ſalutandam.*

Deus qui unigeniti tui Domini noſtri JESU-CHRISTI *pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Per.*

Antiquus quippe in eccleſia uſus viguit, ut ipſo exaltationi S. Crucis die ſacro, debita veneratio & adoratio non ſecùs ac feria ſexta paraſceves adhiberetur. Hujus ritus inſtitutionem Sergio Papæ tribuere videtur Ordericus Vitalis in lib. 1. & 2. Hiſtoriæ. Inſtitutionis cauſam & occaſionem narrat liber Pontificalis in Sergio his verbis: [Hic beatiſſimus vir in ſacrario B. Petri apoſtoli capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo jacentem, & ex nigredine tranſactæ annoſitatis, nec ſi eſſet argentea apparentem, Deo ei revelante reperit. Oratione itaque facta, ſigillum expreſſum abſtulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoſerico ſuperpoſitum, quod ſtauracis dicitur invenit: eoque ablato, inferius crucem diverſis ac pretioſis lapidibus perornatam inſpexit, de qua tractis quatuor petallis, in quibus gemmæ clauſæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilem portionem ſalutaris ligni Dominicæ crucis invenit. Quæ etiam ex die illo pro ſalute humani generis ab omni populo chriſtiano die exaltationis S. Crucis in baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana oſculatur & adoratur.] Verum ſi vim faciamus in verbis, non abſolutè hic dicitur Sergius Papa inſtituiſſe Crucis adorationem in illius Exaltatione; ſed ut adoratio ipſa jam anteà inſtituta & uſitata cruci nuper inventæ exhiberetur. Sed quocumque tandem modo hunc locum interpretemur, ex eo ſaltem conſtat crucis adorationem, quæ etiam apud Græcos vigebat, eodem ipſo Exaltationis die eſſe antiquiſſimam. De ritu autem quo ipſa fieret hæc accipe ex Romanis monaſterii S. Pauli Conſuetudinibus manuſcriptis: [Ad Tertiam omnes fratres albis induti conveniant, & dicta Tertia expandant tapetia ante altare, & procedant duo levitæ ubi poſita fuerit ſancta crux, & elevant eam ante altare majus, diſcooperientes & conclamantes hanc antiphonam *Ecce lignum Crucis*, illico flectant genua omnes, & veniant. Una pars fratrum proſternat ſe, oret in primis, & tum oſculentur crucem & philactericas. Cantor inchoet antiphonam *Crucem tuam adoramus Domine*, Pſal. *Deus miſereatur nobis*: quod per omnes verſus antiphonas repetant, ſed & interim aliæ dicantur antiphonæ *O crux ſplendidior. O crux viridi ligno.* Poſtquam adorata fuerit crux, levataque ante aram, Paraphoniſta ſtatim cum clero imponat hanc antiphonam *Super omnia ligna cedrorum*, & ponant in alto loco.] Eodem ferè modo loquuntur Salmurienſes S. Florentii conſuetudines mſſ. [Poſt Tertiam extendantur tapetia, dictiſque Pſalmis familiaribus, duo levitæ miſſi à cantore facta oratione, atque adorata cruce atque diſcooperta, tenentes ligna Domini pendentia in brachiis, inchoet

Cap. XXXIV. De Feſtis Septembris, &c.

cantor antiphonam *Crucem tuam*, & flectant omnes genua. Pſal. *Deus miſereatur*, repetendo cum hac antiphona. Poſteà dicatur ℟. *Per tuam crucem*. ℟. *O crux viride lignum*. Antiphona *O crux ſplendidior*. *Tuam crucem. Adoramus te*. Juxta ordinem converſionis omnes ad crucem adorandam eant, ac prior ſimiliter: reveſtiti tamen primi poſt abbatem pergant. Infirmis alia crux deferatur ante unum altare, & ibi adorant. Si qui conveniunt ſæculari habitu, afferatur eis in alium locum, & adorent eam. Adorata verò cruce, perſonet cantor altè antiphonam *Super omnia*, petant venias ſuas, ſicut priùs abſque cauſatione albarum, & unus illorum elevans crucem figat in loco ſuo ſuper altare Dominicum, & ſtatim pulſatis ſignis canetur miſſa.] Canonici regulares non ante Tertiam, ſed ad miſſæ offertorium crucem adorabant: id certè planum eſt ex Ordinario Gaſtinenſis monaſterii, in quo hæc lego: In miſſa [credo. Interim duo ſacerdotes induti ſuperpelliceis parant crucem retro altare. Et cum cantor incipit offerendam, afferunt illam ante altare, & deponunt in primo gradu ante altare ſuper tapetum. Offertorium *Salus omnium*. Sequitur offertorium *Protege Domine*: Antiphona *O crux ſplendidior*. Interim adoratur primò ab abbate, deinde à presbytero, caſula exuta; diacono & ſubdiacono; deinde ab omnibus ſicut ſunt in ordine. Adorata verò cruce, defertur in locum ſuum, & cantatur *Super omnia*. Sacerdos unus de portantibus dicat *Oremus. Reſpice, Domine, ſuper hanc familiam*.] &c. Eadem penè ad verbum leguntur in ms. S. Joannis Carnotenſis ordinario. In inſigni eccleſia S. Martini Turonenſis crucis adoratio ſub finem miſſæ poſt Dominicam orationem fiebat, de quo ritu ita decernit vetus illius eccleſiæ Rituale: [Poſt Tertiam venit ordo miſſæ reveſtitus in choro, & incipit ℟. *Crux fidelis* cum ℣ ℟. *Dulce lignum* cum ℣. Et ita vadit proceſſio per circuitum à parte S. Briccii per altare de pariete recta via ad altare Sancti Crucifixi ubi cantatur miſſa. Poſt juvenes venit ordo miſſæ, & portat diaconus magnam crucem, in qua vera crux alligatur: & poſt *Pater noſter*, antequam dicatur *Pax Domini*, ante altare à clericis & populo adoratur, & tenent eam duo juvenes ſubdiaconi tertiæ ſtationis, qui ſunt reveſtiti ad miſſam, & habent totam oblationem. Et dum adoratur, cantatur antiphona *Crucem tuam*, cum pſalmo *Deus miſereatur noſtri*. Et quando levatur, incipit Sacerdos antiphonam *Super omnia*. Nec hodie alibi monſtratur.]

Alius vigebat uſus hac die in eccleſia Rotomagenſi, ex cujus ordinario in proceſſione ad ſtationem in navi, dum cantantur antiphonæ & hymni ad præſentem feſtivitatem pertinentes, [interim crux lavetur vino & aqua, & detur infirmis clero & populo.] Quo facto, cantor incipit ℟. ad introitum chori.

VI. Ceterum, ut ſcribit Scultingus hoc feſtum celebre fuit [in diœceſi Conſtantienſi, Coloniæ, Spiræ, Monaſterii, Treveris, Mindæ, Trajecti, Oſnaburgæ, Remis ab omnibus operibus, Eboraci in Anglia, Pariſiis, Leodii, Tulli, Metis, Moguntiæ, Hamburgæ, Argentorati,

Strigoniæ] E contrà verò [hoc feſtum Exaltationis S. Crucis apud Herbipolenſes trium lectionum, ita ut primæ veſperæ integræ de nativitate Mariæ dicantur, cum ſuffragiis de cruce & collecta de SS. Cornelio & Cypriano. Et ſi occurrat in Dominica; tunc ibidem antiphona cum pſalmis & hymno de nativitate dicitur, & cetera de cruce cum ſuffragiis de nativitate B. Mariæ. Matutinæ ex communi plurimorum martyrum, ſed tertius nocturnus & laudes de ſancta cruce per totum. Collecta ad veſperas & matutinum de SS. Cornelio & Cypriano.] In ms. etiam ordinario eccleſiæ Uticenſis officium hujus diei ita inſtituitur: [Duo facimus officia B. Mariæ & SS. Cornelii & Cypriani, quorum facimus veſperas. Ad veſperas B. Mariæ dicimus antiphonam ſuper pſalmos, antiphona *Nativitas glorioſa* &c. de feſto. In veſperis dictorum Sanctorum antiphona ſuper pſalmos, *Omnes Sancti.* Veſperale diei dicitur, cetera de martyribus. Oratio *Infirmitatem noſtram*, & commemoratio S. Crucis. In die ad matutinum invitatorium & cetera plurimorum martyrum, & legitur eorum proprietas, ſi habetur, & de eis ſex tantum cantantur ℟. In tertio nocturno ℣. *Hoc ſignum crucis*, pronuntiatur evangelium SS. Crucis, ſcilicet *Ego ſi exaltatus fuero*, cantantur ℟. de cruce &c. Sicut in Inventione ejuſdem, excepto evangelio & oratione, ſcilicet *Deus qui unigeniti.* Commemoratio fit de martyribus. In locis ubi duæ miſſæ poterunt celebrari, prima de martyribus celebretur, & dicatur *Credo* ob reverentiam SS. Crucis, & dicitur eorum officium *Sacerdotes*. . . Sequitur officium SS. Crucis.] Ubi obſerva duplices veſperas de nativitate & de SS. Martyribus cum ſola crucis commemoratione celebratas fuiſſe, ad matutinum duos primos nocturnos SS. Martyribus conſecratos fuiſſe, tertium cum laudibus SS. Cruci cum commemoratione SS. Martyrum. Utriſque verò ſuam miſſam cantatam. In vetuſto codice eccleſiæ Turonenſis hac die tres habentur miſſæ: duæ de Exaltatione S. Crucis, tertia de SS. Martyribus Cornelio & Cypriano. In codice Regio & Gellonenſi tres etiam leguntur. 1. de exaltatione S. Crucis, 2. de SS. Cornelio & Cypriano 3. de S. Cypriano *proprie.* Duæ verò tantùm in Gelaſii Gregoriique Sacramentario & in Calendario Frontonis 1. de exaltatione S. Crucis. 2. de SS. Cornelio & Cypriano.

VII. XVII. Calendas Octobris ſignatur in Gregorii Gellonenſique Sacramentario *Natale S. Nicomedis martyris.* — S. Nicomedis.

VIII. XVI. Calendas Octobris duæ in iiſdem leguntur miſſæ: una de S. Euphemia, altera de SS. Lucia & Geminiano. — S. Euphemiæ. &c.

IX. XI. Calendas Octobris *Natale S. Matthæi apoſtoli & Evangeliſtæ.* Cui in Gellonenſi codice & in Gregoriano Menardi Sacramentario præmittitur miſſa de vigilia ejuſdem apoſtoli. Sed in Frontonis Calendario hac die habetur *Natale S. Euſtochii.* — S. Matthæi.

X. X. Calendas Octobris in codice Corbeienſi Ratoldi duæ habentur miſſæ de SS. Martyribus Mauricio ejuſque Sociis. Extat etiam in antiquo miſſali Gothico-Gallicano miſſa de eiſdem. Fuitque celebris — S. Mauricii.

Digitized by Google

CAP. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

olim eorum memoria in Gallia, ubi plura illorum in honorem dedicata fuerunt templa. Hos ſingulari cultu venerabatur S. Martinus Turonenſis epiſcopus, hactenúſque ſub titulo S. Mauricii perſtat Turonenſis eccleſia Cathedralis, ad quam hac die conveniunt majoris monaſterii & S. Juliani monachi Benedictini, ut unà cum canonicis ſimul miſſam ſolemnem decantent. Officium autem hujus diei ita digeſtum habetur in ejuſdem eccleſiæ ordinario. [Mauritii & ſociorum ejus feſtum annuale. Eccleſia mundatur, tota paratur. Raſura communis. Totum luminare novatur. Tria candelabra ante altare. Ad veſperas prima campana mota ad pulſandum, omnes conveniunt penes decanum, & ibi datur ei ad potandum de tribus vinis, tres biberes miniſtrantur. Quo facto redeunt proceſſionaliter ad eccleſiam bini & bini ad quærendum archiepiſcopum & ad deducendum eum. Et finito claſſico de omnibus campanis, & toto luminari accenſo, & cantore reveſtito, & ſtante ad formam cum duobus canonicis in cappis pallii, & baculo apportato per unum puerum ante eum, archiepiſcopus vel major incipit veſperas] in quibus omnes antiphonæ ſuper pſalmos de feria ter dicuntur, & ad magnificat duo canonici in cappis pallii cum duobus de quarta tera thurificant.

[Dictis veſperis, fit pulſatio matutinarum. Cantor cum aliis ut ſuprà. Invitatorium quatuor canonici presbyteri in cappis pallii cantant *Regem regum Dominum.* Cantant primò totum, poſteà chorus totum. Deinde alii duo canonici alium verſum, item chorus repetit totum. Poſteà duo de prædictis *Venite.* Poſteà chorus totum. Deinde alii duo canonici alium verſum. Item chorus repetit totum, & ſic uſque ad *Gloria Patri.* Et alii duo *Sicut erat in principio*; & tunc illi quatuor *Et in ſæcula ſæculorum Amen.* Et tunc chorus repetit *Quia ipſe eſt.* Deinde illi quatuor iterum *Regem regum.* Hymnus. *Martyrum rector.* (Omnes antiphonæ ter repetuntur cum neumate in fine.) Omnes canonici lectores in cappis pallii.... Ad primam lectionem Theſaurarius vel canonicus presbyter loco ſui apportat cereum & ſtravos ad unumquemque nocturnum non cereum. Duo pueri ſecundum ℟. duo de ſecunda tera tertium ℟. ad omnes nocturnos thurificatur, & ad *Benedictus* ſicut ad veſperas duo clerici de tertia tera quartum ℟. duo de quarta tera quintum ℟. duo de Baſilica ſextum ℟. Duo canonici ſubdiaconi ſeptimum ℟. duo canonici diaconi octavum ℟. Duo canonici inceptores nonum ℟. *Deus innocentia Innocentii.* Proſa *Militiam Chriſto.* ℣. *Quæ ideò. Famulante.* Proſa *Sorte funeſta. Gloria Patri. Deus innocentia.* Proſa *Multitudo inclita membra.*] (Omnes laudum antiphonæ triumphantur, ideſt ter repetuntur.)

[Poſt Tertiam omnes in cappis pallii ad proceſſionem. Cantor incipit ℟. *B. Mauritius.* Ad altare B. Mariæ antiphona *Alma Redemptoris* cum ℣. & collecta de ea. Eundo in navi cantor incipit *Deus innocentia.* Et fit ſtatio in navi, cum ℣. & collecta. In ingreſſu chori de S. Gatiano cum ℣. & collecta de eo. Poſt hæc relicto præſule vel majori ſacerdote cum

Digitized by Google

cum ſeptem de omni ordine, & duobus de quarta tera thurificantibus in cappis pallii, &uno de majoribus præparato ad ducendum proceſſionem, duo pueri in introitu chori, poſitis ante ſe candelabris, cantant *Accendite* ter elevando vocem ad unumquemque cantum. Quo facto, duo pueri redeunt ad proceſſionem, & ſtatim toto luminari accenſo, cantor incipit *Venite benedicti.* Quo cantato à nobis ſine ℣. Monachi Majoris monaſterii ex altera parte cantant ℣. *Exultate juſti*, & reincipiunt *Venite.* Et cantor *Gloria Patri*, & ſtatim incipit *Venite.* Quo cantato à nobis, monachi *Sicut erat*, & iterum *Venite.* Deinde cantor *Hæc dies*, & iterum *Venite.* Cantor *Kyrie fons bonitatis*, nos unum, monachi alium. *Gloria in excelſis.* Cantor *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Monachi *Laudamus te.* Et ſic viciſſim cantamus nos & monachi ſicut conſuetum eſt. Duo monachi à ſiniſtra parte chori in pulpitum ℟. *Timete.* Duo monachi S. Juliani cantant *alleluia. Juſti epulentur.* Sequitur ſequentia *Chriſto inclita.* Cantor cum duobus canonicis & cantoribus, monachi cum ſuis in choro alta voce cantant *Maurici glorioſe* totum ℣. Chorus reſpondet *Maurici* totum ℣. Cantor cum aliis *Maurici* trina vice. Et ſequentia finita, diaconus incipit antiphonam *Triumphant*, quæ cantatur in choro dum vadunt ad pulpitum ad evangelium. *Credo.* Offert. *Mirabilis.* Qua cantata à nobis, monachi ex alia parte cantant aliam. *Sanctus* & *Agnus* nos. Si præſul ſit, Benedictio. Nos communionem *Beati mundo.* Monachi aliam, Ite miſſa eſt &c. Ad veſperas omnes in cappis pallii]

CAP. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

XI. VIII. Calendas Octobris in quibuſdam Calendariis notatur *Conceptio S. Joannis Baptiſtæ*, de qua Tornacenſis eccleſia olim feſtum celebrabat, ut ſcribit Joannes Heſſelius doctor Lovanienſis in epiſtola ad Antonium Sablonium.

Conceptionis. S. Joannis.

XII. V. Calendas Octobris in Gelaſii Gregoriique Sacramentariis, in codice Gellonenſi, & aliis ſignatur *Natale SS. Coſmæ & Damiani.* Quibus in Calendario Frontonis aſſignatur evangelium *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.*

SS. Coſmæ & Damiani.

XIII. III. Calendas Octobris in iiſdem Sacramentariis reperitur *Dedicatio Baſilicæ S. Michaëlis archangeli.* Scilicet in monte Gargano, in cujus miſſa [quando ſacerdos incipit Gloria in excelſis Deo, inquit Ordinarium Eccleſiæ Turonenſis, debent eſſe ſeptem vaſa videlicet ante magnum altare, circa caſſas, in medio chori, ante crucifixum, ante altare B. Mariæ cum thure & igne.] Ex Rituali verò S. Martini Turonenſis [ad miſſam poſt evangelium, remotis cappis chori, vadunt quatuor capicerii offerre ſacerdoti, quilibet unam libram incenſi, & ſeptimanarii quilibet dimidiam libram, & camerarius inſuper unam libram de burſa operis in ſcyphis ligneis, & debet mitti incenſum in cacabis ante omnia altaria, & debet claudi eccleſia,] Hujus ritus aliam cauſam non exiſtimo niſi quòd angeli ſancti orationes noſtras mittere dicuntur ſicut incenſum in conſpectu Dei. Hac in miſſa ex Scultingo debet dici præfatio de Trinitate.

S. Michaelis.

Digitized by Google

Cap. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

XIV. II. Calendas Octobris in Gellonenſi codice occurrit *Natale S. Hieronymi*, de quo nihil in Gelaſii Gregoriique Sacramentariis, neque in Calendario Frontonis.

S. Hieronymi.

XV. Calendis Octobris in vetuſto Moiſacenſi Sacramentario ſignatur feſtum *SS. Germani Remigii & Vedaſti* In Dionyſiano *Tranſlatio SS. Confeſſorum Remigii, Vedaſti, Germani & Bavonis.* In Turonenſi *Tranſlatio S. Germani & depoſitio S. Remigii.* In alio codice Turonenſi duæ habentur miſſæ 1. SS. Germani & Remigii 2. S. Medardi. Gregorius Turonenſis in Hiſtoriæ Francorum lib. 8. cap. 21. meminit feſtivitatis S. Remigii, *Quæ in initio Octobris celebratur.* Hericus in libro Miraculorum S. Germani feſti SS. Remigii & Germani calendis Octobris. In vita verò Roberti Regis Francorum mentio fit ſolemnitatis SS. Germani Remigii & Vedaſti calendis Octobris.

S. Remigii. &c.

XVI. VI. Nonas Octobris in pervetuſto S. Dionyſi Sacramentario habetur *Natale S. Leodegarii epiſcopi & martyris.*

S. Leodegarii.

Nonis Octobris in Gelaſii Sacramentario aſſignatur *Natale SS. Marcelli & Apulei.* In Gregoriano *S. Marci Papæ.* In Gellonenſi, & Turonenſi codice, & quibuſdam aliis, duæ miſſæ habentur una de S Marco, altera de SS. Marcello & Apuleio

SS Marcelli & Apulei.

XVII. VII. Idus Octobris in Remenſi codice & in Corbeienſi Ratoldi legitur *Vigilia SS. Dionyſii Ruſtici & Eleutheris* & ſequenti die miſſa in eorum natali. In Dionyſiano Sacramentario per totam octavam propriæ de iiſdem habentur miſſæ. Celebre eſt eorum feſtum Pariſiis, Eboraci, Leodii, inquit Scultingus. Quod Bambergæ & Ratiſponæ recolitur die 3. Octobris.

S. Dionyſii.

XVIII. II. Idus Octobris in Gregorii Sacramentario & in Gellonenſi notatur *Natale S. Calixti Papæ.*

S. Calixti.

XIX. XV. Calendas Novembris *Natale S. Lucæ evangeliſtæ* cujus feſtum, teſte Scultingo, eſt [Celebre Treveris, Uvormatiæ, Pariſiis, Eboraci, Tulli, Metis, Strigoniæ, Lucernæ, Sangalli, ex parte etiam Conſtantiæ.] Varias idem auctor notat epiſtolas ad illius miſſam, ſcilicet ex Apocalypſi 4. cap. *Vidi oſtium apertum*, ex lectionario Eiſtetenſi *Qui altari deſerviunt, altari participant* 1. Cor. 9. Trajecti & apud Regulares *Si voluntas eſt prompta ſecundùm id quod habet* 2. Cor. 8. Idem auctor addit in Trevirenſi eccleſia non cantari *Credo*, & præfationem quotidianam quibuſdam in locis dici. De S. Luca nihil in Calendario Frontonis.

S. Lucæ.

XX. XII. Calendas Novembris S. Hilarionis abbatis memoriam recolimus, cujus diem feſtum in Paleſtina celebrem admodum fuiſſe ſcribit Sozomenus lib. 3. Hiſt. cap. 14.

S. Hilarionis.

XXI. VIII. Calendas Novembris in pervetuſto Dionyſiano Sacramentario *Depoſitio Hilari epiſcopi & confeſſoris.* Quo die in Calendario Frontonis habetur *Natale SS. Chryſanti & Dariæ.*

XXII. VII. Calendas Novembris in Regio codice annorum 900. & in Turonenſi annorum 800. habetur miſſa *In natali S. Amandi epiſcopi.*

S. Amandi.

XXIII. VI. Calendas Novembris in Gregoriano & Gellonenſi Sacramentario *Vigilia SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ* ſequenti verò die miſſa de eorum natali.

Cap. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

SS Simonis & Iudæ.

XXIV. IV. Calendas Novembris in Dionyſiano codice *Natale S. Euſtachii & ſociorum ejus.*

S. Euſtachii.

XXV. Calendis Novembris in miſſali Mozarabum conſignatur miſſa *In jejunio Calendarum Novembrium ad nonam.* Antiquus quippè Hiſpanicarum eccleſiarum uſus fuit, ut ſolemnes in Calendis Novembris, non ſecùs ac poſt Pentecoſten Rogationes ſeu litaniæ agerentur, id quod patet ex Concilio Gerundenſi anno 517. celebrato canone III. [Item ſecundæ litaniæ faciendæ ſunt Calendis Novembris, ea tamen conditione ſervata, ut ſi iiſdem diebus Dominica interceſſerit, in alia hebdomada ſecundùm prioris abſtinentiæ obſervantiam à quinta feria incipiantur, & in ſabbato veſpere miſſa facta finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus & à vino abſtinendum decrevimus.] Sed & S. Iſidorus in libro 1. de Officiis eccleſiaſticis cap. 3. agit *De jejunio Calendarum Novembrium.* Eumdem etiam uſum in Galliis obtinuiſſe docet nos canon VI. Concilii II. Lugdunenſis anni 567. [Placuit etiam univerſis fratribus, ut in prima hebdomada noni menſis, hoc eſt ante diem Dominicam quæ prima in ipſo menſe illuxerit, litaniæ ſicut ante aſcenſionem Domini ſancti Patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus eccleſiis ſeu parrochiis celebrentur.]

Litaniæ in Calendis Novembris.

XXVI. Sed hunc ritum in Galliis antiquaſſe videtur ſolemnitas omnium Sanctorum, quam Bonifacius Papa IV. inſtituit, cum expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, illud idem in honorem B. MARIÆ omniumque Martyrum dedicavit tempore Phocæ imperatoris die Maii duodecima. Quam verò ille Beatæ MARIÆ & SS. Martyribus conſecrarat ſolemnitatem, hanc poſt modum Gregorius tertius in honorem ſanctorum omnium obſervari ab omni eccleſia decrevit ut ſcribit Uſuardus in martyrologio. Tandemque à Gregorio Papa IV. conſtitutum fuiſſe aſſerunt, ut eadem ſolemnitas quæ priùs 3. Idus Maii agebatur, in poſterum Calendis Novembris celebraretur. Et certè de hac re ita ſcribit Sigebertus ad annum 835. [Tunc monente Gregorio Papa, & omnibus epiſcopis aſſentientibus, Ludovicus imperator, ſtatuit ut in Gallia & Germania feſtivitas omnium Sanctorum in Calendis Novembribus celebraretur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant.] Quibus ex verbis vulgò colligunt ante eum annum in Galliis feſtum omnium ignotum fuiſſe, idque confirmant ex Concilii Moguntini anni 813. canone & ex capitularibus regum Francorum in quibus tametſi de feſtivitatibus infrà anni circulum publico cultu celebrandis agatur; nihil tamen de ſolemnitate Sanctorum omnium nihil etiam in ſtatutis S. Bonifacii, nihil in Calendario Frontonis in Gelaſii, Gellonenſi regioque Sacramentariis circa tempora Caroli magni ſcriptis. Sed & Hariulfus in Chronico Centulenſi ſcribit [ex moderna Patrum inſtitutione] eam celebrari. Verum S. Adalardus in

Feſtum omnium Sanctorum.

Cap. XXXIV. De Feſtis Septembris &c.

ſtatutis anno 822. editis, illius mentionem facit in libro 2. cap. 3. in pontificali etiam Egberti Eboracenſis archiepiſcopi & in Anglicano eccleſiæ Rotomagenſis annorum circiter 900. extant Benedictiones epiſcopales in feſto omnium Sanctorum Calendis Novembris pronunciandæ: unde inferes ante Gregorium quartum non ſolùm Romæ, ſed etiam in Anglia, & in quibuſdam Galliarum eccleſiis feſtum omnium Sanctorum celebratum fuiſſe. In Sacramentario S. Gregorii duæ habentur miſſæ calendis Novembris. 1. de S. Cæſario, 2. de omnibus Sanctis, quibus una quoque præmittitur in vigilia omnium Sanctorum. In codice Gellonenſi & in Calendario Frontonis unica habetur de S. Ceſario, in Regio duæ, una ſcilicet de S. Ceſario, altera de S. Helario. In Pontificali Anglicano eccleſiæ Rotomagenſis duæ leguntur benedictiones pro totidem miſſis de omnibus Sanctis. In Pontificali Egberti Eboracenſis archiepiſcopi quatuor benedictiones continentur prima inſcribitur *In feſto omnium Sanctorum in die*. 2. *ad veſperum*. 3. *Item Calendis Novembris natalis S. Hilarii epiſcopi*. 4. *Item omnium Sanctorum*. In uno codice inſignis eccleſiæ Turonenſis annorum 800. Calendis Novembris tres miſſæ habentur. 1. de omnibus Sanctis. 2. de S. Ceſario. 2. de S. Hilario. In alio denique codice ejuſdem eccleſiæ conſimilis ætatis quinque occurrunt miſſæ. Primæ præfigitur hic titulus *Natale omnium Sanctorum*, Secundæ *Eodem die natale S. Ceſarii*, Tertiæ *Item alia miſſa in natalitiis omnium Sanctorum*, quartæ *Item alia miſſa*, quintæ *Eadem quippe die ſolemnitas S. Hilarii epiſcopi & confeſſoris*. Nec mireris hic de S. Hilario epiſcopo Pictavienſi miſſam appoſitam fuiſſe, nam memini me legiſſe in charta quadam majoris monaſterii feſtivitatem S. Hilarii in Calendis Novembris, quo die etiam reperitur in vetuſtis martyrologiis mſſ. Caſalis-Benedicti & monaſterii S. Georgii propè Rothomagum. Unde etiam canonici Pictavienſes S. Hilarii *In feſtivitate omnium Sanctorum & S. Hilarii* ad Cathedralem eccleſiam *Ex more cum proceſſione* olim accedere ſolebant, ut diſcimus ex Gregorii Papæ VII. epiſtola 54. libri 1.

XXVII. De officio in vigilia & feſto Omnium Sanctorum celebrando ejuſque ritibus hic ſolum adverto ex Ordinario Uticenſi nonum nocturnorum ℟. eſſe debere de Sancto cui ſacrum eſt majus altare. Ex Ordinario Carnotenſi S. Joannis ad miſſam ante evangelium antiphonam celebrandam eſſe. Omneſque qui ea die non celebraverint ex eodem Ordinario & ex Gaſtinenſi communione ſacra Dominici Corporis donandos eſſe. Ex Ordinario autem Argentino tria in miſſa cantari debent offertoria, ſcilicet *Ave Maria*, *Stetit Angelus*, *Lætamini in Domino*. In diœceſi Andegavenſi ante annum 1314. octavæ de hoc feſto non celebrabantur, quo anno in plena Synodo, annuente capitulo, eas inſtituit Guillelmus major epiſcopus, Spicilegii tom. 11.

Feſtum Fidelium defunctorum.

XXVIII. IV. Nonas Novembris ſolemnis agitur memoria omnium fidelium defunctorum, à S. Odilone Cluniacenſi abbate ſuis in monaſteriis hac die primum inſtituta, deinde auctoritate Summorum Pontificum ubique locorum obſervata, idque ut aiunt, occaſione revela-

Digitized by Google

tionis, eremitæ cuidam factæ, qua defunctorum Spiritus animæ maculas purgatoriis flammis eluentes, Odilonis ejuſque monachorum ſuffragiis nonnihil ſolaminis accepiſſe perhibebantur. Verum revelationem non de Odilonis ejuſque monachorum, ſed de majoris-monaſterii ſuffragiis retulit Glaber Rodulphus, monachus Cluniacenſis & Odiloni æqualis, in lib. 5. Hiſtoriæ. Sed & Amalarius in libro de ordine Antiphonarii cap. 65. longè ante S. Odilonem officium defunctorum poſt feſtum omnium Sanctorum collocaverat: [Poſt officium omnium Sanctorum, inquit, inſerui officium pro mortuis: multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illicò ſanctis conjunguntur, pro quibus ſolito more officium agitur.]

XXIX. Jam verò quod ſpectat ad officium hujus diei, horis de octava omnium Sanctorum prætermiſſis, totum de defunctis paſſim cantabatur. Ita in Rotomagenſi eccleſia, in Turonenſi, Pariſienſi, Silvanectenſi, Carnotenſi S. Joannis, & aliis plurimis. Sed in Lemovicenſi utrumque perſolvebatur officium, de utriſque miſſa celebrabatur. In Turonenſi verò S. Martini eccleſia triplex agebatur officium, de omnibus Sanctis, de B. Maria, & de defunctis. In Argentina duplex de S. Euſtachio & de defunctis.

XXX. Itaque dictis pridiè veſperis de omnibus Sanctis, ſolemnes ſubjungebantur veſperæ de defunctis, & quidem ex Ordinario Argentino & ex Silvanectenſi cum iiſdem cappis, quibus cantores in omnium Sanctorum officio uſi fuerant.

XXXI. Matutinæ hora ſolita decantabantur, ab invitatorio exordium ducebant. Invitatorium autem non idem ubique; aliis enim *Regem cui omnia vivunt venite adoremus.* Aliis *Regem vivorum ac quieſcentium Dominum venite adoremus.* Aliis *Circumdederunt me gemitus mortis, & dolores inferni circumdederunt me.*

XXXII. Antiphonæ & pſalmi iidem penè qui nunc uſurpantur, quidam tamen in primo nocturno hos adhibebant pſalmos. *Lauda anima* & *Niſi quia Dominus erat in nobis.* In ſecundo nocturno iſtos: *Uſquequo Domine oblivifceris me in finem* & *Conſerva me Domine.* In tertio nocturno pſalmus ſeptimus is erat *Domine ne in furore* II. Octavus *Beatus qui intelligit* Nonus *Quemadmodum deſiderat.* Quidam pro ſeptimo dicebant *Expectans expectavi* pro octavo *Quemadmodum deſiderat* pro nono *Audite hæc omnes gentes.* Alii etiam pro ſeptimo *Exaltabo te Domine* vel *Judica Domine nocentes me.*

XXXIII. In lectionibus dicendis mira locorum varietas. Nam aut ex parabolis Salomonis, aut ex Prophetis, aut ex Apoſtoli epiſtolis, aut ex libro Job, aut ex Sermonibus S. Auguſtini deſumebantur, atque hac clauſula *Beati mortui qui in Domino moriuntur* terminabantur. Cornelius autem Scultingus has lectiones deſignat. 1. ex libro Proverbiorum cap. 5. *Ne des alienis.* 2. ex libro Eccleſ. cap 7. *Melius eſt nomen bonum.* 3. ex libro eccleſiaſtis cap. 12. *Memento creatoris tui.* 4. Ex Iſaiæ 26. *Vivent mortui, Domine,* 5. ex Oſeæ 13. *Hæc dicit Dominus de manu.*

Digitized by Google

mortis. 6. Ex Danielis 12. *Multi de his qui dormiunt.* 7. Ex 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur.* 8. Ex Cor. 15. *Ecce myſterium vobis dico.* 9. Ex 1. Theſſalon. 5. *Ipſi fratres diligenter ſcitis.* Ex ordinario eccleſiæ Rotomagenſis novem lectiones ex epiſtolis Pauli pronunciari debent in pulpito. Sed de his vide ſi lubet Joannem Belethum de Divinis officiis cap. 161. & Joannem Launoium in Tractatu ſingulari de vera cauſa ſeceſſus S. Brunonis in eremum pag 95. & ſeq.

CAP XXXIV. *Defeſtis Septembris &c.*

XXXIV. Laudes eodem ferè modo, qui nunc viget cantabantur, ſed ex ordinario Carnotenſi S. Joannis poſt pſalmos dici debet capitulum *Infelix ego homo.*

XXXV. Ad horas diurnas prætermiſſo ſolito verſu *Deus in adjutorium* & hymno, ab antiphona, quam tamen nonnulli omittebant, officium incipiebant ſolitos decurrebant pſalmos cum ℣. *Requiem æternam* in fine. Pſalmis abſolutis, ſubjungebatur ℟. cum *Kyrie eleiſon* & oratione de defunctis. In eccleſia tamen Rotomagenſi ad horas diurnas, præmiſſa antiphona, tres ad ſingulas ex pſalmis gradualibus cantabantur, quibus addebant *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter* & orationem de Defunctis. Ita in ordinario ejuſdem eccleſiæ & apud Joannem Abrincenſem, qui tamen ſupponere videtur præter officium defunctorum, officium quoque de die perſolvendum eſſe. Commemorationem defunctorum terminabat nona. Quidam tamen ſecundas de defunctis veſperas addebant & completorium. Ita in ordinario Carnotenſi S. Joannis. Joannes Abrincenſis nihil de ſecundis defunctorum veſperis, ſed pſalmos pro ſecundo completorio deſignat. In ordinario Lemovicenſi ſecundæ quidem de defunctis veſperæ annotantur, ſed non completorium.

XXXVI. In eccleſia Lemovicenſi duæ hac die miſſæ ſolemnes cantabantur, una de omnibus Sanctis poſt Tertiam, altera de defunctis poſt nonam. In aliis tamen communiter eccleſiis unica poſt Tertiam ſufficiebat. De hac miſſa ita ſcribit Lucas Cuſentinus epiſcopus in ſuo Ordinario: [In commemoratione omnium fidelium defunctorum pontifex cum miniſtris quadrageſimali ornatu celebrat. In miſſa omnes tam clerici quàm laïci cum fervore fidei offerunt ſacerdoti, & tota oblatio cum omnibus eleemoſynis, quas fideles ad eccleſiam ea die deferre debent, erogatur pauperibus ſtatim poſt miſſam.] Ex Rituali verò Sueſſionenſi ad hanc miſſam [chorus non tenetur, diaconus & ſubdiaconus in albis ſimplicibus cum dalmatica & tunica miniſtrent. Lumen non defertur à ſacrario ante ſacerdotem nec ante evangelium. Legetur & cantabitur in ambone, una collecta tantum dicitur *Fidelium.* Epiſtola *Vir fortiſſimus.* Duo clericuli ℟. *Requiem*, Duo ſubdiaconi in albis tractum *De profundis*, qui dum cantatur, pulſantur tantùm duo ſigna majora. Ante evangelium defertur tantùm incenſum. Offert. *Domine* JESU-CHRISTE. Patenam non defert acolythus. Communio *Lux æterna.*]

XXXVII. Ante hanc miſſam fiebat ſolemnis animarum defunctorum commendatio, quàm ita deſcribit Ordinarium Carnotenſe S. Joannis: [Ad proceſſionem dum nona ſonat, reveſtit ſe hebdomadarius,

Digitized by Google

diaconus & ſubdiaconus. Hebdomadarii parati procedunt in choro ante gradus altaris. Ibique ſonitu ſigni remanente, facit aquam benedictam hebdomadarius, diacono ad dextram, ſubdiacono ad ſiniſtram ejus ſtantibus. Aqua benedicta, parata cruce, texto & cereis, aſpergit eam circa oratoria & altaria. Interim ſecretarius offert Domno abbati non reveſtito, exiſtenti in gradu ſuo, ſtolam & virgam paſtoralem, & deinde ſingulis ſacerdotibus in medio choro ſtantibus ſingulas ſtolas dividit. Redeunte verò hebdomadario in choro, ſtat præ omnibus ante altare. Hoc facto, ſonat ſecretarius majus ſignum tribus vicibus, & interim incipit cantor ℟. *Subvenite* ℣. *Suſcipit.* Finito itaque ℟. cum ℣. & regreſſu, incipit Domnus abbas *Tibi, Domine, commendamus*, & ceteri fratres poſt illum, quæ finiuntur ab abbate *Per Chriſtum.* Similiter Domnus abbas incipit ceteras orationes, & finit *Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus.* Cantor antiphonam *Chorus angelorum.* Pſ. *Dilexi quoniam.* Deinde exeunt ad dextram partem aſpergendo aquam per cœmeterium. Dehinc tranſeuntes [illegible] capellam circueunt clauſtrum, & vadunt per cœmeterium ante eccleſiam canendo curſum *Beati immaculati:* unde reverſi in choro, cantor antiphonam *Chorus Angelorum*, & finiunt commendationem.] In ordinario Lemovicenſi proceſſio facienda decernitur circa horam nonam, in qua viginti fieri debent abſolutiones, quas ſi hic deſignaverimus haudquaquam ingratum lectoribus fortè videbitur.

Sequitur ordo abſolutionum defunctorum quæ fiunt in craſtinum omnium Sanctorum.

Prima abſolutio fit in choro pro omnibus in eccleſia quieſcentibus.

2. Super tumulum Domini Aymerici de Ferra epiſcopi Lemovicenſis in medio chori ſepulti ſubtùs tahurum.

3. Super tumulum Domini Raginaldi de Porta Cardinalis intra muros chori à parte dextra.

4. Super tumulum Domini N. Novionen. intra muros chori à parte dextra.

5. Super tumulum Domini Petri de monte Bruno epiſcopi Lemovicenſis juxta tumulum prædicti de Ferra.

6. Super tumulum æneum Dominorum Joannis Barthonis archiepiſcopiſcopi Nazareni, & Joannis Barthonis epiſcopi Lemovicenſis ejus nepotis.

7. Super tumulum Domini Joannis Langrac epiſcopi Lemovicenſis juxta muros chori à parte ſiniſtra.

8. Super tumulum Guillelmi Barthonis decani Lemovicenſis electi in epiſcopum Lemovicenſem ante aquilam chori.

9. Super tumulum Domini Nicolai Cardinalis Lemovicenſis in capella B. Mariæ Magdalenæ.

10. In medio dictæ capellæ ubi fuerunt repoſita plurima oſſa mortuorum.

Digitized by Google

Cap. XXXIV. *De Feſtis Septembris, &c.*

11. Super tumulum Domini Bernardi de Bonavalle epiſcopi Lemovicenſis in capella S. Martialis à parte ſiniſtra.

12. In dicta capella ante altare ſuper tumulum Domini N. de Ventadore archidiacono Lemovicenſi. Poſt itur in Corollam à parte ſiniſtra & fit.

13. Super tumulum Domini Guillelmi Amici epiſcopi Carnotenſis & Patriarchæ Jeroſolymitani in capella S. Thomæ.

14. Super tumulum Domini Gilberti de Malamorte epiſcopi Lemovicenſis in capella B. Mariæ ſubtus tahutum.

15. In dicta capella ſuper tumulum Domini Guillelmi de Sandelis canonici Lemovicenſis.

16. In capella de Theard ſuper tumulum Domini Joannis de Peyrato canonici Lemovicenſis, decani Thoarnenſis in diœceſi Pictavienſi.

17. In capella de Jouviend ſuper tumulum Domini Guidonis Barbaret archidiaconi, qui dedit huic proceſſui vigintiquinque ſolidos venduales. Ejus oſſa cum tumulo in quo ſunt clavi ahenei fuerunt tranſlata è clauſtro.

18. In medio clauſtri pro omnibus quieſcentibus in eo.

Poſt intratur in eccleſiam per portam pinaculi, & in medio navis novi ædificii à parte ſiniſtra fit decima nona ſuper tumulum Dominæ Dela Bonne Ardeaud.

20. Super tumulum Domini Joannis Brocheti cantoris Lemovicenſis ante magnum pulpitum.

Poſtremò fit abſolutio generalis.

XXXVIII. Paucis poſt feſtum omnium Sanctorum diebus olim in eccleſia Rotomagenſi Synodus hyemnalis celebrabatur, cujus ritus in ordinario ejuſdem eccleſiæ ita deſcribitur: [Primo major miſſa fit de Spiritu Sancto, niſi fuerit feſtum S. Leonardi, quia tunc fit de S. Leonardo. Et finita ſexta, veniat Dominus archiepiſcopus, ſi præſens fuerit, cum diacono & ſubdiacono reveſtitis, & cruce & candelabris, tranſeuntibus per chorum uſque ad magnum oſtium chori, & juxta truncum fabricæ. Sit cathedra epiſcopalis parata, ſuper quam ſedeat Dominus archiepiſcopus, ſi præſens fuerit; & à dextris & ſiniſtris ejus ſint abbates præſentes in cappis, & ante pulpitum ſint ſuper unam ſedem omnes Domini canonici eccleſiæ qui voluerint intereſſe, & dignitates ſint in cappis, ſicut & alii canonici in cappis ſuis nigris, & curati civitatis Rotomagenſis ſint in albis cum ſtola & manipulo ſedentes retro canonicos, & omnes alii curati ſint in ſuperpelliceis cum ſtola. Et omnes ibi ſic aſſiſtentes, eat diaconus ad Dominum archiepiſcopum ſi præſens fuerit, & dicat *Jube Domne*. Domnus archiepiſcopus reſpondeat *Dominus ſit in corde tuo*. Et poſt hoc legatur à diacono ante gradus pulpiti evangelium *Sint lumbi veſtri*. Qua finita, oſculetur textus evangelii à Domino archiepiſcopo; & incipiatur à cantore *Veni Sancte Spiritus* ℣. *Qui paraclitus*, & dicatur hymnus totus. Quo finito, defector eccleſiæ

eccleſiæ afferat Gr. & Dominus cantor tradat eum duobus abbatibus, qui cantent letaniam... qua finita, Dominus archiepiſcopus, vel alius ab ipſo commiſſus faciat ſermonem. Quo finito, officialis vel vicarius Domini archiepiſcopi, & tradat ei cedulas ſibi traditas à ſuccentore. Deinde incipiat cantor *Libera me, Domine, de morte* ℣. *Dies illa* ℣. *Quid ergo* ℣. *Requiem æternam*, & in fine dicatur *Fidelium Deus omnium. Qui venturus eſt* & Et ita celebretur ſynodus æſtivalis die Martis poſt Aſcenſionem Domini, excepto quod Domini canonici non obtinentes dignitatem ſint in ſuperpelliceis, & nullæ cedulæ tradentur à ſuccentore.]

Quatuor Coronatorum.

XXXIX. VI. Idus Novembris in Sacramentario Gelaſii ſignatur *Natale Sanctorum quatuor Coronatorum Coſtiani, Clandi, Caſtori, Simproniani*, qui hoc modo enunciantur in codice Gellonenſi: *Clodii Nicoſtrati, Simproni, Caſtori.* Hoc etiam ordine recenſentur in Gregoriani Sacramentarii oratione. Præmiſſa hac rubrica: [Quatuor Coronatorum nomina hæc ſunt, Severus, Severianus, Victorinus & Carpophorus, quorum dies natalis per incuriam neglectus minimè reperiri poterat; ideò ſtatutum eſt ut in eorum eccleſia, horum quinque ſanctorum, qui in miſſa recitantur, natalis celebretur, ut cum iſtis eorum quoque memoria pariter fiat.]

S. Theodori.

XL. V. Idus in eodem Gregorii Sacramentario & in codice Gellonenſi occurrit *Natale S. Theodori martyris.*

S. Martini.

XLI. III. Idus Novembris in iiſdem Sacramentariis duæ leguntur miſſæ: prima de S. Menna 2. de S. Martino. In pleriſque etiam ſacramentariis pridiè præfigitur *Vigilia Sancti Martini*, quæ etiam notatur in miſſali Bituricenſi. S. Martini feſtum notatur in antiquis Gallicanis Liturgiis, illiuſque meminit S. Nicetius Trevirenſis Epiſcopus in epiſtola 2 ad Chlodoſvindam reginam Longobardorum his verbis: [Hic ſi jubet ad Domnum Martinum per feſtivitatem ſuam quam undecima die facit November ipſos mittat: & ibi ſi audent aliquid præſumant, ubi cœcos hodie illuminari conſpicimus, ubi ſurdos auditum, & mutos ſanitatem recipere.] Solemnis etiam hodie perſtat in Turonenſi S. Martini Baſilica hæc feſtivitas, ad quam ex antiquo ritu conveniunt Canonici S. Venantii, S. Petri Puellaris & Monachi S. Juliani nocturnas laudes ſucceſſivè decantaturi. His matutinis cum intereſſet S. Odo Cluniacenſis, & S. Juliani Turonenſis abbas, febre correptus, octava die abiit ad ſuperos, æternam cum Martino feſtivitatem celebraturus, ut docet nos ms. hiſtoria ejuſdem monaſterii ſæculo XI. exarata.

Præſentationis B. Mariæ.

XLII. XI. Calendas Decembris celebramus feſtum Præſentationis B. Mariæ, [celebre Coloniæ, Mindæ, Monaſterii, Oſnaburgæ, Ultrajecti, Moguntiæ, Spiræ, Uvormatiæ, Conſtantiæ, Hamburgæ, Herbipoli, Argentorati, Treviris, Metis, Sangallii, Lucernæ,] inquit Scultingus, qui addit hoc feſtum ſolemniter agi in diœceſi Oſnaburgenſi Dominica proxima poſt feſtum omnium Sanctorum. In diœceſi Hamburgenſi celebrari cum octava Dominica proxima poſt feſtum

Digitized by Google

CAP. XXXIV. *De Feſtis Septembris &c.*

S. Martini: Pium verò II. ad inſtantiam Uvillelmi ducis Saxoniæ 21. menſis Novembris idem feſtum cum vigilia celebrandum inſtituiſſe anno 1460. De inſtitutione autem ejuſdem feſti hæc ſcribit idem auctor: [Sub Balduino Treverenſi cœpit hoc feſtum anno Domini * 1345. Rex Franciæ quolibet anno voluit & juſſit feſtum Præſentationis MARIÆ in ſua præſentia celebrari, & miſit cuilibet prælato magnarum eccleſiarum regni ſui officium integrum, ut divulgaretur & publicaretur, & ſolemniter celebraretur per omnes regni ſui provincias, miſitque idem rex hoc ipſum officium invictiſſimo Domino imperatori, qui cum magno gaudio illud recepit, promiſit, præcepitque quolibet anno ubique celebrari & publicari. Præterea idem rex Francorum officium Præſentationis tranſmiſit Reginæ antiquæ Hungariæ, quæ admodum honorificè & benevolo animo illud excepit, & per totum ſuum regnum Hungariæ juſſit ſolemniter quolibet anno publicè ab omnibus coli.] Quanam verò occaſione Carolus V. Francorum Rex idem feſtum celebrari ſtuduerit diſces ex ejus epiſtola ad doctores Navarrenſis collegii Pariſienſis, quam in Hiſtoria ejuſdem collegii lib. 1. cap. 10. vulgavit Joannes Launoius. De hoc feſto hæc lego in ſtatutis Synodalibus Joannis epiſcopi Trecorenſis anno 1455. editis. [Statuimus, ſicuti & jam ſtatutum eſſe novimus per Reverendos in Chriſto Patres & Dominos hujus Britanniæ ducatus epiſcopos ad requeſtam illuſtriſſimi Domini noſtri Ducis, feſtum Præſentationis noſtræ Dominæ ſolemniter celebrari, & à clero & populo coli & feriari, ac ab omni ſtrepitu judiciali & opere rurali inviolabiliter obſervari ſingulis annis futuris & perpetuis temporibus.]

* l. 1375.

S. Ceciliæ.

XLIII. X. Calendas Decembris in antiquis Sacramentariis Gelaſii, Gregorii, Gellonenſi Regio, & aliis notatur *Natale S. Ceciliæ* cum miſſa de vigilia ejuſdem.

XLIV. IX. Calendas Decembris duæ habentur miſſæ in Gelaſii, Gregorii, Gellonnenſique Sacramentariis. 1. de S. Clemente 2. de S. Felicitate. In miſſa S. Clementis nonnulli adhibent epiſtolam 1. Cor. 4. *Spectaculum facti ſumus*; nonnulli *Roga vos cariſſimi & deſideratiſſimi*: Evangelium *Homo quidam nobilis*, ex Scultingo.

XLV. VIII. Calendas Decembris Gregorii Sacramentarium exhibet *Natale S. Chryſogoni martyris* quod etiam occurrit in Gellonenſi.

Digitized by Google

AD illuſtranda ea quæ hoc in tractatu à nobis hactenùs dicta ſunt, operæ pretium viſum hic ſubjicere brevem Ordinem Romanum auctore Paride Craſſo ſacrarum ceremoniarum præfecto, quem deſcripſimus ex ms. codice Cl. viri Petri Menardi civis Turonenſis eruditi. Hunc ſubſequentur Statuta eccleſiæ Argentinæ, quæ ex veteri ms. codice exſcripta tranſmiſit noſter Euſtachius *Dacheri*. His addam vetuſtiſſimum precum libellum ex ſcriptis SS. Patrum excerptarum: quem mihi miniſtravit vetuſtiſſimus codex Floriacenſis monaſterii, annorum circiter 900.

ORDO ROMANUS

AUCTORE PARIDE CRASSO SACRARUM Ceremoniarum Præfecto

PRÆFATIO

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI & Domino D. Gulielmo Epiſcopo Albanenſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Narbonenſi Paris Craſſus Bononienſis ſacrarum cerimoniarum Magiſter ſe commendat.

QUAM ſtrictiſſimè licuit ſub compendio rerum ſacrarum celebritates omnes Pontificias: numeroſque ac vices, & loca, quæ qualiterve ac ubi: & per quos intra totum annum ſolemniter agantur. Cultus quoque cum ſacris paratibus: Quibus tam Pontifex Maximus: quàm Patres ampliſſimi ad rei divinæ celebrationem proficiſcentes eidemque præſentes utantur, tuo juſſu, Pater Reverendiſſime, collegi: ut ſic poſſis unico, celerique (ut aiunt) obtutu, quaſi ex quodam promptuario memoratu quæcunque agi oporteat; prævidere. Super qua re: quamvis tuam præcellentiſſimam venerationem, cui jam diù nulla pars diſciplinæ ceremonialis obſcura eſt, meis hujuſmodi auxiliaribus ſcriptis, utpote minutulis parum indigere cognoſcam. Nihilominùs imperata ſum executus: Utinam tamen ſic efficaciter, ut libenter. Verum qualecumque hoc ſit opuſculum, tuo Reverendiſſimo nomini dedicatum, cum venia, quæſo, ut benignus accipias clientis affectum ſolita favoris proſecutione legendo in effectu: quidquid univerſus noſtræ ætatis mos habet: & laudabilis uſus obſervat.

Digitized by Google

I.

Quoties infrà annum ordinariè fiat res divina in capella papali.

Divina officia quæ capellæ papales vulgò appellantur, quæque ordinariè & communiter in majore palatii capella, ſive in baſilica principis Apoſtolorum, aut alibi ſolemniter. Intra annum fieri ſolita, præſente vel abſente Pontifice, cum Cardinalibus, & prælatis, ſunt in totum numero quinquaginta: videlicet matutinæ quinque, veſperæ decem; Miſſæ XXXV.

II.

De Veſperis Papalibus totius anni, quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Veſperæ papales ordinariæ intra annum totum quæ, ubicunque ſint; fiunt autem ſemper ac dumtaxat in die feſtum antecedente, & numquam in ipſa die feſti ſunt decem; quarum duæ in baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli, videlicet in vigilia nativitatis Domini noſtri Jesu-Christi, & in vigilia ipſorum apoſtolorum. Aliæ 8. fiunt in capella palatii videlicet in vigilia omnium Sanctorum, in die eorumdem pro Defunctis, in Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis: & Corporis Chriſti vigiliis.

III.

De Matutinis Papalibus. Quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Matutinæ V. intra annum: videlicet in die omnium Sanctorum pro Defunctis, in nocte nativitatis Domini noſtri Jesu-Christi. In Mercurii, Jovis, & Veneris diebus ſequentis hebdomadæ. Et omnes in capella palatii fiunt.

IV.

De miſſis ordinariis totius anni in genere, & quot ſunt.

Miſſæ ordinariæ tam per Papam quam per Cardinales ac etiam prælatos communiter intra annum celebrandæ, tam in baſilica Apoſtolorum quam in capella palatii; aut alibi, ſunt, ut dixi numero 35. præter illam quæ fit per ſacriſtam palatinum. In galli cantu noctis natalitiæ, nam plerumque eidem nulli intereſſe ſolent; ſed ea excepta;

omnes ſimul etiam cum extraordinariis nunquam ſolent regulariter cebrari per inferiores à prælatis conſecratis ; quantumcunque nobilibus, generoſis & illuſtribus , ac in aliis dignitatibus eccleſiaſticis conſtitutis.

V.

De miſſis ad Papam pertinentibus quot , & quæ , ac ubi fiunt.

De miſſis ſuprà dictis ad Papam III. pertinent celebrandæ, videlicet in nativitatis Domini noſtri JESU-CHRISTI , in Reſurrectionis ejuſdem , & in ſanctorum Apoſtolorum ſolemnitatibus; quibus Papa ſub baldachino proceſſionaliter ad baſilicam defertur. Alibi autem communiter celebrare non ſolet.

VI.

De miſsis ad Cardinales pertinentibus in genere , & quot , & quæ ; ac ubi fiunt.

Per Cardinales tam epiſcopos quam presbyteros Miſſæ ordinariæ intra annum communiter 23. videlicet quinque apud baſilicam , in Epiphaniæ, Aſcenſionis , Pentecoſtes, Corporis Chriſti & omnium Sanctorum ſolemnitatibus. Aliæ autem duæ de viginti celebrantur in capella palatii , videlicet in Dominica 3. de adventu , in nocte nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI , in die S. Stephani , S. Joannis Evangeliſtæ , Circumciſionis , Purificationis , Cinerum , quartæ Dominicæ de quadrageſima quæ dicitur de Roſa , Dominicæ Palmarum , Jovis , Veneris , ſabbati hebdomadæ ſanctæ. Item lunæ Martis Paſchæ de Reſurrectione , Trinitatis, Commemorationis omnium Defunctorum, annuæ creationis Papæ & coronationis ejuſdem. Eſt & alia Miſſa ad Cardinales quolibet ſeptennio pertinens , videlicet ſabbato in albis , quando conſecrantur Agni Dei.

VII.

De Miſsis ad Epiſcopos Cardinales ſpectantibus , & quot & quæ , ac ubi fiunt.

De quibus 23. Miſſis Cardinalium Epiſcopi , ſex totidem miſſas annis elapſis , ut audio , celebrabant : ita ut quiſque eorum ſemel in anno ordinarie celebrabat , ſed noſtro tempore ſolum duas cantant : in baſilica videlicet in die Epiphaniæ , & Pentecoſtes. Credo non aliam interceſſiſſe cauſam , niſi quia tunc quatuor ex eis propter ſenectutem inhabiles excuſabantur , & propterea uſus invaluit , ut etiam nunc duas tantum celebrent. Sed ſi Papa impeditus non poſſet , aut nollet

celebrare; prior Epiſcoporum pro eo ſupplebit in prima, ſi poterit; & alii ſucceſſivè procedendo.

VIII.

De Miſſis ad Presbyteros Cardinales pertinentibus, & quot, & quæ, ac ubi fiunt.

Reliquas Miſſas videlicet 20. & unam tam in baſilica quàm in capella celebrandas per Cardinales presbyteri agunt; & ſi epiſcopi cantare ſuas non poſſunt, ſeniores presbyteri ſupplent.

IX.

De miſſis ad prælatos pertinentibus & quot, ac quæ, & ubi fiunt.

Ad prælatos Miſſæ ordinariæ novem in totum pertinent; videlicet tres in adventu, & quatuor in quadrageſima, & una ſabbato in albis: præterquam in conſecratione agnorum Dei, & nona in anniverſario Pontificis proximè defuncti. Celebratur & illa; quam dixi in galli cantu noctis natalitiæ per ſacriſtam: ſed quia pauciſſimi interſunt: ideò inter ordinarias ſolemnes vix computatur.

X.

Sermones ordinarii quot, & à quibus, ac quando, atque ubi fiant.

Sermones intra rem divinam per totum annum ordinarii ſunt numero decem & novem; ex quibus quatuor in totidem Dominicis de Adventu; & quinque in totidem aliis Dominicis de quadrageſima, excepta die Palmarum. Qui omnes non niſi in capella, & per regulares fiunt. Sed alii decem tam per regulares quam per ſeculares arbitraliter fieri poſſunt, videlicet in die omnium Sanctorum, ſancti Stephani protomartyris, S. Joannis Evangeliſtæ, Circumciſionis, Epiphaniæ, Cinerum, Paraſcevæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Trinitatis. Et quoniam hi novemdecim ordinarii in cantati Evangelli, currentis expoſitionem, & in Dei laudem aguntur, ſacri vocantur: Ideóque non niſi inter ſacra miſſarum ſolemnia, & poſt evangelium cum petitione benedictionis, ac Angelicæ ſalutationis præfatione recitantur. Si qui verò extraordinarii, ut pro pacis, ſeu victoriæ ſignificatione, ſive aliâ causâ; aut in laudem alicujus defuncti fiunt; quia ſacri non cenſentur: ideò poſt miſſas & abſque benedictione ac ſine Angelicæ ſalutationis præfatione recitantur. Intra miſſas in honorem ſanctorum evangeliſtarum aut

doctorum Eccleſiæ habendas ſermo haberi poteſt; ſed pro aliis ſanctis non ſolet. Et regulariter nunquam una eademque die ſermo; & proceſſio concurrunt.

X I.

De miſſis extraordinariis.

Extraordinariæ miſſæ incertæ, & earum cauſæ incertiores ſunt: ideò ipſarum numerus & modus terminari certa lege non poteſt. Tamen ultrà 55. Interdum aliquæ ex caſu contingente & Pontificis juſſu celebrantur, ut quando is ad aliquam baſilicam patriarchalem proficiſcitur, aut aliam eccleſiam in diebus in quibus antiquitus erat capella, & miſſa per Cardinales celebrari ſolita; tamen aliquo pio; aut magno caſu. Et tunc Cardinales celebrabunt: alioquin nequaquam ipſi, ſed prælati. pro Cæſare verò, aut quovis Rege abſente defuncto; alioquin de ſede apoſtolica bene merito Pontifex in capella communiter exequialem miſſam celebrari mandat per prælatum de natione defuncti Regis.

In vigilia omnium Sanctorum, qua eſſe cenſetur principium anni quoad res divinas; quas capellas dicunt, fit generalis caparum pelliearum cum ſubſericeis mutatio; & more ſolito veſperæ fiunt in capella palatii; ad quas Papa cum rubeis paramentis pretioſis, & Cardinales cum cappis rubeis accedunt.

In die omnium Sanctorum miſſa in baſilica S. Petri per priorem presbyterorum Cardinalium celebratur; & fit ſermo; Pontifex & Cardinales, ut in heſternis veſperis induuntur.

In ejuſdem diei horâ veſpertinâ, veſperæ pro Defunctis in capella; ubi illis finitis, matutinæ ſimiliter pro Defunctis aguntur. Ad quas Papa cum cappa quaſi cardinalari; ſed ampliori de panno laneo ruſſato cucullatus accedit; quem Cardinales cappis pavonatiis ſequuntur induti, quia crux ante Pontificem non defertur, propterea Cardinales euntem ac redeuntem ſequuntur, & non fit aſſiſtentia; nec reverentia ſolemnis.

In die Commemorationis Defunctorum in capella celebratur miſſa per Cardinalem ſummum pœnitentiarum. Non fit ſermo, Papa cum pluviali, & mitra ſimplicibus, & Cardinales ut heri induti veniunt; ſed Papam præcedunt, quia crux ante fertur. In fine miſſæ non datur benedictio, & Papa abſolvere ſolet; cui nulla reverentia nec circuli, ſed aſſiſtentia & genuflexiones intra miſſam fiunt.

In prima Dominica de adventu miſſa in capella celebratur per prælatum aſſiſtentem. Diaconus & ſubdiaconus utuntur planetis. Fit ſermo. Pontifex cum pluviali rubeo, & mitra ſimplicibus, Cardinales cum cappis pavonatiis induuntur ab hac die uſque ad vigiliam natalitiam in veſperis Pontifex utitur cappuccino & bireto de panno rubeo armellinorum pelliculis ſuffulto; & Cardinales intra totum adventum cappis; ac phaleris mularum & ſtratoriis; ſive coopertis rubeis non utuntur.

In ſecunda Dominica de adventu, idem fit, ut in prima.

In tertia Dominica; qua dicitur *Gaudete*, miſſam in capella celebrat presbyter Cardinalis cum paramentis; & mitra pretioſis. Diaconus & ſubdiaconus utuntur dalmatica & tunicella. Fit ſermo. Pontifex pretioſius induitur, ſed Cardinales eiſdem cappis, id eſt pavonatiis.

In quarta Dominica fit ut in prima & ſecunda, ſed ſi hæc Dominica venerit in vigilia nativitatis, non celebratur miſſa in capella majori, ſed minori per ſolos cantores ſine Papa & Cardinalibus; ſi tamen celebratur in majore, Papa præſente; non fit ei reverentia quia fiet in veſperis; aut è converſo.

In vigilia nativitatis fiunt veſperæ in baſilica S.Petri,ad quas Papa cum paramentis albis & mitra pretioſioribus ſine baldachino defertur, Cardinales autem cum cappis rubeis quotidiè ad officia uſque ad Epiphaniam incluſivè accedunt. Et ſi Pontifex cras ſit celebraturus, Cardinales intra aditum ſive tribunam ſacris paramentis poſt præſtitam Papæ reverentiam in ſuis locis induuntur, & tunc prior epiſcoporum aſſiſtit. Prælati omnes eodem contextu ſua paramenta extra tribunam, ſcilicet officiales ideſt ſubdiaconi, auditores clerici cameræ; & acolyti ante eam aulam, quam paramti cameram appellant; ſuper lineis richis, ideſt Rochetis, lineas tunicas quas vulgus cottas; ſive ſuperpellitia vocat; induunr. Quo habitu Papam comitantur euntem, ſi autem Papa non ſit miſſam celebraturus; non induuntur paramenta, nec ſuperpellitia.

In nocte nativitatis circiter horam ferè nonam celebrantur matutinæ in capella per Papam, qui eo pedeſter, ſi poteſt, indutus cappa grandi cardinalari; ſed ampliori utique, non de lana, ſed purpura rubra, ideſt velluto carbaſino cucullatus accedit, ſine mitra. Cardinales cum cappis rubeis. Spata, ſive major enſis cum galero, ſive bireto benedictus antefertur per clericum cameræ ad capellam. Crux Papam non præcedit, ideò Cardinales ſubſequuntur, nec faciunt reverentiam, nec aſſiſtentiam. Ceterum officiales, & Cardinales, & ipſe Pontifex cantat lectiones. Dum autem Pontifex ſuam proſequitur, tres ei Cardinales aſſiſtunt more ſolito, quorum archipresbyter ſive prior presbyterorum capite ſuſtinens librum miniſtrat.

In eadem nocte finitis tribus matutinorum nocturnis, & hymno *Te Deum laudamus*, ibidem celebrat primam miſſam Cardinalis presbyterorum; Papa finito hymno, cappa adhuc indutus cantat orationem deinde depoſita cappa, induitur paramentis pretioſis, & mitra. Aſſiſtentia fit quidem in miſſa, ſed reverentia minima præſtatur. In fine miſſæ datur benedictio, ſed nulla indulgentia.

Si Papa eſt abſens, idem Cardinalis facit officium matutinarum in cappa rubea. Cantores cantant lectiones, & ipſe celebrans ultimam, & deinde Miſſam; ut ſuprà, & tunc ſpata non benedicitur, nec defertur.

In eadem nocte ſub aurora, ſi ſacriſta eſt Epiſcopus, Epiſcoporum quidem; ſin autem, in ordine & habitu ſuo celebrat ſolemniter ſecundam Miſſam more ſolito.

In

Digitized by Google

In die nativitatis Chriſti celebraturus Pontifex ad baſilicam procedit cum Thyara & ſub baldachino à Cardinalibus & prælatis aliiſque ſacris veſtibus paratis proceſſionaliter aſſociatus. Et ſpata ante eum defertur ad baſilicam, ubi per Cardinales ac prælatos omnes paratos præſtatur reverentia eidem in cornu epiſtolæ ſedenti, aſſiſtentia per priorem epiſcoporum, & per ſolitos diaconos fit. Sed circuli non fiunt. Inchoatur ſolemniter Tertia per Papam, & in miſſa duæ epiſtolæ & duo evangelia in latino & græco: ſed per diaconum Cardinalem cantatur evangelium latinum. Tres ultimi presbyteri obviant Papæ ad altare primum eunti. Cardinalis diaconus incenſat evangelii capellam. Prior epiſcoporum aſſiſtens dat pacem omnibus Cardinalibus & prælatis paratis, & principibus. Papa in ſede communicat ſe ac diaconum & ſubdiaconum latinos. Prior presbyterorum infundit purificationem manibus Papæ, & prior epiſcoporum offert mappullam, & Reges, Duces, & Principes, aut ipſorum oratores infundunt aquam manibus Papæ. Peracta miſſa, prior epiſcoporum aſſiſtens publicat indulgentiam plenariam, Papa donat ſpatam & biretum, ſi placet. Cardinales ac prælati deponunt ibidem paramenta ubi acceperunt; præter diaconos aſſiſtentes, & diaconum evangelii; hi enim ſic parati Papam aſſociant, qui ſine pallio & ſine baldachino revertitur, & ſi placet oſtenditur ferrum lanceæ Chriſti,& Vultus ſanctus, & demùm Pontifex pro miſſa bene cantata donat ſtrenam ſine viatico 40. ſolidorum per altariſtam ejus baſilicæ. Si Papa non celebrat, aut non ſit præſens, non fit proceſſio, nec paramenta induuntur, nec duæ epiſtolæ, nec duo evangelia leguntur. Sed epiſcopus Cardinalis celebrat more ſolito. Spata tamen ante præſentem Pontificem, ut ſuprà, portatur. Si autem non ſit præſens non portatur ad eccleſiam enſis, & miſſa fit more ſolito.

In die ſancti Stephani miſſam in capella palatii celebrat presbyter Cardinalis cum paramentis rubeis; ad quam Papa cum pretioſis paramentis & mitra; ac Cardinales in cappis rubeis procedunt, & fit ſermo.

In die S. Joannis idem fit, ut ſuprà, niſi quod celebrantis & miniſtrorum paramenta ſunt alba, & fit ſermo.

In vigilia Circumciſionis fiunt veſperæ in capella palatii per Pontificem, aut eo abſente per Cardinalem qui in craſtinum ſit celebraturus. Papa cum paramentis & mitra pretioſis albis, & Cardinales cum cappis rubeis procedunt. Finitis veſperis, novi officiales Romani jurant fidelitatem.

In die Circumciſionis miſſam in capella celebrat prior presbyterorum in paramentis albis. Papa cum ſimilibus & mitra pretioſis, & Cardinales cum cappis rubeis interſunt. Diaconus evangelium inchoans, non dicit *In illo tempore*, ſed abſolutè (*Poſtquam conſummati ſunt dies octo.*) fit ſermo.

In Epiphaniæ vigilia fiunt veſperæ, & Papa & Cardinales ut in vigilia Circumciſionis induti ſunt.

Digitized by Google

In die Epiphaniæ miſſam in baſilica celebrat epiſcopus Cardinalis cum paramentis, ut in die Circumciſionis. Papa cum pretioſis pluviali & mitra, ac Cardinales cum cappis rubeis. Cum in evangelio dicitur, *Et procidentes adoraverunt eum*, & Pontifex apud ſolium ſuum, & omnes, genufleſtunt. Et fit ſermo.

In die Purificationis fit benedictio & diſtributio candelarum in capella, ad quam Pontifex cum pluviali rubeo, & mitra ſimplicibus, ac Cardinales cum cappis pavonatiis ad capellam procedunt, ubi ipſi poſt reverentiam paramentis violaceis induuntur, & diaconi planetis replicatis. Intra tribunam prælati quoque omnes, ſex extrà, congruè parantur. Item officiales in eodem loco quo in die natalis. Ergo Papa benedicit candelas, & poſtquam tres ſuas à priore epiſcoporum acceperit; dat aliis. In fine accenduntur omnes candelæ, & fit proceſſio uſque ad pepergulam, id eſt logiam, ubi projiciuntur populo candelæ, deinde paramentis depoſitis, & cappis indutis, & mutatis palliis altaris & ſolii papalis, ac pluviali Papæ violaceo in album converſo, fit ibidem per presbyterum Cardinalem miſſa in paramentis albis, aſſiſtente ſibi priore presbyterorum Pontifici. Ad evangelium Papa, Cardinaleſque & prælati propriis manibus tenent candelas accenſas; ſed in elevatione ſacramenti ſolus Papa ſuam tenet, aliorum autem ſervitores id faciunt. Non fit ſermo. In fine celebrans publicat indulgentias. Si Papa non intereſt, celebrans diſtribuit & benedicit. Cardinales & prælati accipiunt paramenta; & officiales linea ſuperpellicia, ut ſuprà.

In die Cinerum Papa cum pluviali rubeo & mitra plana alba ſimplicibus, ac Cardinales cum cappis pavonatiis procedunt ad capellam, ubi ipſi ac prælati ac officiales ut in die Purificationis parantur & Papa benedicit cineres. Quibus ipſi datis per celebrantem, aliis ipſe diſtribuit. Miſſam celebrat ibidem Cardinalis pœnitentiarius. Diaconus & ſubdiaconus cum planetis miniſtrant. Ad orationes, & ad verſum *Adjuva nos*, ut in miſſis pro defunctis, Papa, & omnes genufleſtunt. In principio * liber exoſculatur Papa ter, & altare bis; & capella omnis ſemel incenſatur. Circuli fiunt. Patena tenetur, pax datur, fit ſermo, & in fine datur benedictio. Item à LXX[ma]. Dominica uſque ad Paſcha non utitur cappuccino, nec bireto de vilutto ſericeo; ſed de plano laneo. Et ſimiliter Cardinales nunquam hoc tempore cappas rubeas induunt, tam in capella quam extrà pro quocumque feſto.

* f. librum

Abſente Papa paramenta per nullos induuntur, nec ſuperpellitia. Idem celebraturus benedicit & diſtribuit Cineres, quorum partem mittit ad Papam miſſa fit ut ſuprà.

In prima Dominica quadrageſimæ miſſam in capella aſſiſtens prælatus celebrat cum paramentis pavonatiis, miniſtri utuntur planetis; & dicuntur quinque orationes. Papa cum pluviali rubeo, & mitra de perlis ſimplicibus, Cardinales cum cappis pavonatiis, & fit ſermo.

In ſecunda Dominica fit ut in prima.

In tertia fit ſimiliter, ut in prima & ſecunda.

Digitized by Google

In quarta Dominica de Roſa ſive *Lætare* miſſam in capella celebrat Presbyter Cardinalis cum quinque orationibus ; & paramentis violaceis. Miniſtri utuntur tunicella & dalmatica. Priuſquam Pontifex ad capellam procedat, benedicit Roſam, & conſultat cum Cardinalibus ſuper donatione ejus. Et illam manu propria geſtat paratus cum pluviali, & mitra pretioſis, & Cardinales cum cappis pavonatiis. Fit ſermo. In fine donatur Roſa, & ſi præſens eſt ille Dominus cui donatur Roſa, portat illam ante Papam, & aſſociatur ſive à Cardinalibus, ſive à familiaribus eorum juxta ſtatus ſui qualitatem, uſque ad ædes habitationis ſuæ.

In quinta Dominica de Paſſione idem fit ut in prima, niſi quod hodiè Crux cooperitur, & tres tantum orationes dicuntur, & cum dicitur *Chriſtus autem abſcondit ſe* &c. cooperiuntur imagines altaris, & chorus non cantat cantum figuratum uſque ad Paſcha, niſi in die Jovis ſanctæ hebdomadæ.

In ſexta Dominica Palmarum benedictio & diſtributio fit per Papam in capella, ad quam cum pluviali rubeo & mitra ſimplicibus, & Cardinales cum cappis pavonatiis accedunt, ubi poſtpoſita reverentia, tam ipſi quam omnes alii paramenta induunt, ut in Purificatione, finita diſtributione fit proceſſio ut in Purificatione. Deinde omnibus paramenta exutis, miſſam celebrat Presbyter Cardinalis cum paramentis violaceis. Dicitur unica oratio & Paſſio, ad quam Papa & Cardinales palmas ſemper manibus tenent ; & ad evangelium non portantur luminaria, ſed incenſum, & non fit ſermo, & in fine celebrans publicat indulgentiam.

Abſente Papa, celebrans omnia exequitur, & proceſſio cum paramentis ac miſſa ut ſuprà fit.

In die Mercurii ſanctæ hebdomadæ fit officium matutinarum in capella, ad quas Papa cum cappa ; ut in veſperis pro defunctis, accedit. Item Cardinales cum cappis de panno pavonatio ſequuntur euntem ſine mitra ; & ſine cruce euntem. Non fit aſſiſtentia, nec reverentia, non portatur liber ad Papam, Candelabrum cum XV. Candelis ante altare ponitur. Poſt pſalmum *Benedictus*, Papa deſcendit ad faldiſtorium genuflexurus. Dicta per Papam oratione, fit fragor. Abſente Papa, prior epiſcoporum Cardinalium facit officium, in ſua communi cappa veſtitus & in loco ſuo cum Cardinalibus manens.

In die Jovis ſanctæ hebdomadæ miſſam celebrat ſolemnem & paſchalem in capella prior Presbyterorum cum paramentis albis pretioſis. Item Pontifex paſchaliter veſtitur, ſed Cardinales cum cappis pavonatiis procedunt. Non fit reverentia. Conſecrantur duæ hoſtiæ. Poſt communionem prælati & officiales, ſed poſt benedictionem Cardinales parantur, ubi ſuprà. Qui habitis candelis accenſis, proceſſionaliter aſſociant Pontificem ſacramentum ferentem ſub baldachino ; cum pluviali albo induitur & repoſito ſacramento, itur proceſſionaliter ad periſtillum magnum, ſive logiam ſuper plateam pro publicatione proceſſuum, ubi Papa deponit pluviale album, & induit rubeum ; & ibidem Papæ

fit ſolemnis reverentia per ſolos cardinales, & leguntur proceſſus in latino, & vulgari, & projiciuntur candelæ accenſæ ad populum, & remoto velamine nigro datur per Papam ſolemnis benedictio, & plenaria indulgentia, quæ populo intimatur per diaconos Cardinales in latino & vulgari. Demùm depoſitis ibidem paramentis, itur ad aulam pro mandato faciendo ſine baldachino, ubi prælati & officiales aſtant in cappis ſolitis, & mutato Papæ pluviali pretioſo in rubeum ſimplex & mitra in albam planam; cantatur evangelium per Cardinalem diaconum paratum. Tum cantatur *mandatum*, & fit lotio pedum. Inde Papa reſumpto pluviali rubeo, cantat verſus & orationem. Abſente verò Papa, celebrans portat ſacramentum; non fiunt proceſſus, ſed fit mandatum, & lotio pedum & cantatur evangelium per diaconum capellæ, aliqui Cardinales qui volunt intereſſe poſſunt actui.

In eadem die fiunt matutinæ ut heri, niſi quod tota capella & ſedes Papæ, & altare, & omne pavimentum & muralia nuda ſunt.

In die Veneris ſanctæ hebdomadæ in paraſcevæ officium in capella facit Cardinalis pœnitentiarius in paramentis nigris, Papa pedeſter cum cappa de panno laneo, mitraque alba plana & Cardinales cum cappis de panno pavonatio procedunt, aſſiſtentia fit, reverentia nequaquam. Nemo hodiè pedem oſculatur Pontificis. Paſſio cantatur, ad evangelium non portatur incenſum, nec lumen, fit ſermo, ſed non confeſſio, nec benedictio: datur tamen indulgentia. Crux diſcooperitur, & adoratur cum genuflexionibus tribus, & cum oblatione per Papam & Cardinales & alios. Tum ſine baldachino, & ſine paramentis itur proceſſionaliter pro ſacramento quod portatur per Papam ad altare: & ipſum ſolum ſacramentum incenſatur, & finitur miſſa & veſperæ. In quibus dum antiphona replicatur poſt *Magnificat*, Papa apud faldiſtorium genuflexus dicit orationem, & revertitur pedeſter ut venerat.

Abſente Papa idem fit niſi quod celebrans in adoratione crucis vadit ſimul cum primo epiſcopo Cardinali ad dexteram ejus, & offert Cruci bis, videlicet primo pro Papa quidquid ei miſerit: demùm pro ſe. Item pro ſacramento itur, ad quod accipiendum celebrans infulatus; ſed revertitur exinfulatus, qui re divina peracta, exutus cum aliis prioribus ſedit, ubi in fine dicit orationem, quæ eſt, *Reſpice quæſumus.*

In eadem die matutinæ ut priùs ad unguem.

In ſabbato ſancto officium & miſſam in capella ornata paſchaliter facit presbyter Cardinalis, qui ibidem ante Pontificis adventum novum ignem ac incenſum benedicit; ipſe Pontifex cum pluviali rubeo, & mitra ſimplicibus, & Cardinales cum cappis violaceis adeunt. Aſſiſtentia fit & reverentia præſtatur; qua finita, miniſtri habentes arundinem cum lumine Chriſti ingrediuntur. Diaconus cantat præconium, ideſt cerei benedictionem. Inde cantantur 12. prophetiæ cum oſculo pedis in fine cujuſcumque, tum Pontifex genuflectit ante faldiſtorium dum cantantur litaniæ, circa quarum finem Papa depoſitis violaceis ſimplicibus paramentis, induitur ibidem albis pretioſis, & celebrans

ſimiliter. Et fit confeſſio pro initio miſſæ. Interim omnia luminaria accenduntur, & paramenta altaris, & ſedes Papæ albo colore teguntur, & miſſa fit more ſolito; in qua non legitur introitus, ſed *Gloria in excelſis*, & *Pax vobis* dicitur. Et poſt epiſtolam annuntiatur pontifici *alleluia*. Ad evangelium itur cum incenſo, ſed ſine luminaribus. Sermo, *Credo*, offertorium, *Agnus Dei* non dicuntur, nec pax Dei datur. Alia ut alias. Veſperæ fiunt, in quibus incepta antiphona ad *Magnificat*, presbyter aſſiſtens miniſtrat naviculam, & incenſatur rurſus tota capella ut in miſſa. In fine celebrans publicat indulgentias. Pontifex reversùs ad cameram, induitur capucciuum & biretum albi coloris uſque ad noctem ſabbati quod in albis vocatur.

In die Paſchæ Reſurrectionis ſi Papa celebrat, omnia fiunt ſicut in die natalis etiam quoad miſſam, maximè uſque ad *Credo*. In quo cantato *Et homo factus eſt*, portantur hoſtiæ pro communione generali. Incepta præfatione, duo ultimi diaconi ſtant in cornibus altaris uſque quo Papa rediit ad ſedem. Ad *per omnia ſecula ſeculorum*, ante *Pater noſter* non reſpondetur *amen*. Ante communionem generalem diaconus Cardinalis evangelii cantat confeſſionem, qui ſolus Cardinalibus communicatis miniſtrat calicem cum vino, & datur benedictio, ſed non hic indulgentia, finita miſſa, eadem proceſſio cum paramentis ad logiam, & oſtenditur ferrum lanceæ; & Vultus ſanctus. In logia datur benedictio ſolemnis & publicantur indulgentiæ in latino, & vulgari per diaconos duos Cardinales. Et ibi omnes ſe exuunt præter diaconos tres miniſtros.

Abſente Papa ſeu præſente, ſed non celebrante, non itur ad eccleſiam proceſſionaliter, epiſcopus Cardinalis celebrat ut alias. Ante præfationem diaconi non veniunt ad altare ante *Pater noſter* reſpondetur *Amen*. Non itur ad logiam niſi Papa velit benedicere ſolemniter, & indulgentia datur in eccleſia niſi detur in logia. Cardinales cum cappis rubeis.

In diebus lunæ & Martis poſt Paſcha miſſas celebrant in capella Presbyteri Cardinales, Papa cum pluviali albo, & mitra pretioſis, Cardinales cum cappis rubeis accedunt. Sermo non fit. In fine celebrantes publicant indulgentias ſolitas.

In ſabbato in albis ſi dantur agni Dei, miſſam in capella celebrat presbyter Cardinalis. Papa in paramentis albis & mitra pretioſis, & Cardinales cum cappis rubeis accedunt ad capellam, ubi poſt communionem à celebrante factam tam Cardinales quam prælati omnes & alii accipiunt paramenta congrua alba. In miſſa dicitur *Gloria in excelſis*, *pax vobis*, & *Credo*, non fit ſermo. Poſt communionem portantur agni Dei in capellam cum verſu ter cantato, videlicet *Pater ſancte*, *Iſti ſunt* &c. & Papa omnibus diſtribuit. Deinde finitur miſſa, & in fine celebrans publicat indulgentias. Si autem non dantur agni Dei, celebrat aliquis prælatus aſſiſtens more ſolito, non tamen ferialiter; quin feſtivè & ſolemniter. Tunc Cardinales cum cappis pavonatiis accedunt.

Digitized by Google

In die Annunciationis Glorioſæ virginis, non fit miſſa papalis in capella, ſed fieri ſolet in eccleſia de Minerva, quam celebrat aliquis prælatus, etiam præſente Papa, niſi celebraretur in die lunæ vel martis Paſchæ; quia Cardinalis celebraret ibi, ſicut celebraret in capella. Cardinales cum cappis violaceis accedunt. Si feſtum eſt in quadrageſima; ſi extra quadrageſimam, in cappis rubeis, præſertim Papa æquitante ad eccleſiam. Sermo non fit, indulgentia non publicatur, quia eſt per bullam; niſi feſtum eſſet tranſlatum. Prælati non induunt cappas, niſi miſſa capellæ papalis eſſet tranſlata ad illam eccleſiam, aut Papa eſſet præſens. Poſt miſſas donatur eleemoſyna puellis nubilibus.

In die S. Marci, ordinariè non fit miſſa in capella palatii, ſed Cardinales ire ſolent cum cappis violaceis ad eccleſiam S. Marci, ubi Cardinalis hujus Tituli cum cappa rubea ſingulos excipit & honorat. Miſſa conſueta dicitur per prælatum familiarem Cardinalis titularis. Non fit ſermo, nec indulgentia, quia per bullam. In fine data benedictione, celebrans cum mitra & Cardinales ſedent, expectantes donec proceſſio ſub tribuna tranſierit. Si ante eam Papa accedit ad eccleſiam, tunc & prælatus ut ſupra celebrat. Cardinales tunc cum cappis rubeis, & Cardinalis Titularis ſedet in loco ſuæ promotionis, & Papa in ſuo habitu perveniens ad eccleſiam orat, & procumbit pro litaniis, & fit miſſa, & alia more ſolito, niſi quod propter anguſtiam loci non fiunt circuli, neque presbyter ſedet in ſcabello, ſed cum Cardinalibus. Et facta communione proceſſio tranſit ut ſuprà ante Papam.

In die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Cardinales ad eccleſiam ipſorum Sanctorum ire ſolent, induti cappis rubeis, in quo faciunt arbitraliter, potiuſquam ritè, nam in pavonatiis eſſe deberent, ut in die Sancti Marci, niſi Papa illuc accederet. Solus verò titularis Cardinalis debet cappa rubea indutus alios Cardinales venientes excipere, & honorare, non autem is, qui domum habet ſine titulo.

In vigilia Aſcenſionis fiunt veſperæ in capella, ad quas Pontifex cum pluviali albo, & mitra pretioſis; & Cardinales cum cappis ex conſuetudine rubeis accedere ſolent.

In die Aſcenſionis fit miſſa in baſilica, quam Prior Presbyterorum Cardinalium cum paramentis albis celebrat. Pontifex cum pluviali albo pretioſo; & cum Thyara propter benedictionem in logia dandam, ſed ſine proceſſione, & ſine baldachino. Cardinales cum cappis rubeis, & non portantur paramenta. Fit ſermo, ſed indulgentia non petitur, nec datur, quia dabitur in logia poſt miſſam, ſimiliter ut ventum eſt, itur ad logiam pro benedictione, ac pro indulgentia. Item Vultus ſanctus oſtenditur.

In vigilia Pentecoſtes, fit altera generalis capparum ſubſericearum à ſubpellitiis mutatio, & aguntur veſperæ in capella: ad quas Pontifex cum pluviali rubeo & mitra pretioſis accedit. Cardinales cum cappis rubeis. Pontifex dicto capitulo deſcendit ad faldiſtorium, ubi genuflectit uſque ad finem primi verſus ex hymno.

Digitized by Google

In die Pentecoſtes miſſam in baſilica celebrat epiſcopus Cardinalis in paramentis rubeis, ad quam Pontifex accedit cum pluviali rubeo pretioſo, & thyara, ſi placet; ſed ſine baldachino & ſine proceſſione. Cardinales cum cappis rubeis. Dicta epiſtola, deſcendit Papa ad faldiſtorium genuflexurus pro verſu, *Veni ſancte Spiritus*. Et fit ſermo.

In diebus Lunæ & Martis poſt Pentecoſten non fiunt miſſæ papales in capella, nec alibi ordinariè, niſi forte Papa eat ad eccleſiam, Sancti Spiritus miſſam auditurus, quæ cantatur per prælatum de curia; alioquin ut heri.

In vigilia Trinitatis fiunt veſperæ in capella more ſolito, ad quas Papa venit cum pluviali albo & mitra pretioſis, & Cardinales cum cappis rubeis.

In die Trinitatis Miſſam in capella celebrat presbyter Cardinalis. Pontifex paratus ut heri, & ſimiliter Cardinales vadunt. Et fit ſermo.

In vigilia Corporis Chriſti fiunt veſperæ in capella, ad quas Pontifex cum paramentis albis, & Cardinales cum cappis rubeis accedunt. Poſt veſperas Cardinales parari faciunt vias proceſſionis craſtinæ cum auleis, prout unicuique aſſignata eſt menſura viæ parandæ.

In die Corporis Chriſti fit ante miſſam proceſſio ſolemnis, ad quam Papa cum pluviali albo pretioſo, & mitra levi, veniens portat ſacramentum ſub baldachino, Cardinales veniunt ad palatium cum cappis rubeis, & tam ipſi quam prælati paramenta, & officiales cottas lineas induunt in locis ſolitis. Qui omnes cum albis cereis per ſervitores delatis procedunt, & in fine proceſſionis paramentis & cottis depoſitis, reaſſumptiſque in loco conſueto cappis, & repoſito ſuper altare Sancti Petri ſacramento miſſam ibidem celebrat presbyter Cardinalis, in paramentis albis more ſolito. Non cantatur ſequentia intra miſſam, nec fit ſermo, indulgentiam publicat celebrans, & in fine orat ſine mitra propter ſacramentum.

Si autem Papa non intervenit omninò proceſſio fit, & ſuprà ſcriptus apparatus, & Cardinalis celebraturus omnibus paramentis indutus, cum pluviali ſub baldachino ſacramentum portat, ut ſuprà cardinalibus, prælatiſque paratis, ac mitratis ut ſuprà procedentibus, ſicut Papa præſente, & miſſa fit eadem in fine celebrans dat benedictionem ſine mitra propter ſacramentum.

In vigilia Apoſtolorum S. Petri & S. Pauli fiunt veſperæ in baſilica, ad quas Papa cum pluviali rubeo, & mitra pretioſis, non autem cum thyara, & Cardinales cum cappis rubeis accedunt. Qui, & prælati, & officiales, ſi Papa eſt in craſtinum celebraturus, poſt factam ſolitam reverentiam, paramenta, & cottas veſtiunt in baſilica, & Papa, & Cardinales cantant antiphonas. Si autem Papa in craſtinum non celebrabit, & hodie præſens, vel etiam abſens ſit, non portantur paramenta; ſed veſperæ fiunt more ſolito ſicut in vigilia nativitatis Chriſti. In deſcenſu Pontificis duo curſores cum clericis de camera inſtante procuratore fiſcali, citant omnes debitores; & cenſuarios cameræ apoſtolicæ.

Digitized by Google

In die apoſtolorum S. Petri & S. Pauli, fit miſſa in baſilica, ad quam ſi Papa eſt celebraturus venit cum pluviali rubeo, & thyara ſub baldachino proceſſionaliter, cum Cardinalibus & prælatis paratis, & mitratratis in omnibus, & per omnia ſicut in die natalis Chriſti, niſi quod hodiè finita miſſa Rex Siciliæ pro cenſu ordinario equum nobilem, quem vocant chineam, phalleratam offert Pontifici in palatium revertenti. Cardinales in cappis rubeis.

In die anniverſario obitus Papæ præcedentis defuncti, miſſam pro anima ejuſdem defuncti in capella celebrat aliquis prælatus conſanguineus, vel alumnus defuncti, ad quam Papa cum pluviali rubeo, & mitra alba plana, & Cardinales cum pavonatiis cappis vadunt, quorum conſanguinei habent cappas de panno, & non de canbelloſo & non fit ſermo, ſed in fine Papa ſolet abſolvere. Omnibus finitis, Cardinales à defuncto creati vadunt ad baſilicam, ubi ſepulcrum circumſtantes ſimul orant.

In die creationis, & coronationis Pontificis viventis, miſſas de Spiritu Sancto in capella celebrant presbyteri conſanguinei, vel alumni Papæ, vel ab eo creati Cardinales, ad quas Papa in pretioſis paramentis, & Cardinales, cum cappis rubeis vadunt. Dictâ epiſtolâ, Papa apud faldiſtorium genuflectit pro verſu *Veni ſancte Spiritus*, & non fit ſermo.

Pro Imperatore aut aliquo Rege Chriſtiano defuncto, miſſam ſolet celebrare in capella Prælatus quiſpiam de natione defuncti. Papa & Cardinales ſicut in anniverſario. Papæ accedunt ad capellam, ubi non fit ſermo, ſed in fine Papa abſolvit, ſi placet; ſin autem, celebrans.

Ceterum ſi Papa miſſam extraordinariam celebrari faciat, ob publicam lætitiam & confœderationem, ſeu victoriam contra infideles, vel contra Papæ, aut ſedis apoſtolicæ hoſtes conſecutam, vel poſitionem primarii lapidis, aut aliquem ſimilem caſum. Tunc eam regulariter celebrabit prælatus palatinus, niſi ea miſſa alioquin eſſet celebranda in capella per Cardinalem in habitu, & paramento miſſæ convenienti, videlicet rubeo, ſi de Spiritu Sancto; vel albo, ſi de glorioſa Virgine, & ſimiliter Papa erit in habitu concolori pretioſo, & Cardinales in cappis rubeis, niſi temporis conditio obſtet, ut in adventu, aut in quadrageſima.

Item in feſtivitatibus titulorum Cardinalium miſſa per prælatos de familia titularium Cardinalium celebratur & Cardinales titulares ſemper in diebus titulorum ſuorum utuntur cappis rubeis, niſi intra adventus aut intra quadrageſimam hujuſmodi tituli eveniant quia pavonatiis utuntur. Si verò in eccleſiis eiſdem fiant aliquæ miſſæ celebres ex devotione, ut in die ſtationum, aut ex aliquibus cauſis, ipſi Cardinales utuntur omninò pavonatiis, niſi eſſent dies ſolemniſſimæ, ſemper autem honorant alios Cardinales in ipſis eccleſiis ſedentes ſub omnibus, ſi modò ſint titulares, & non commendatarii, aut ſi modo alii

alii Cardinales illuc acceſſerint cauſa ipſos titulares honorandi, & non aliter.

Item quia ſupradictum eſt quod Cardinales intra feſta natalia, & paſchalia, ac etiam in diebus aliquibus ſolemnibus utuntur cappis rubeis, id intelligendum eſt quando ad divina officia proficiſcuntur; non autem ſi ad Papam pro privatis negotiis, aut per urbem, aut ad aliquas alias eccleſias, vel ad Cardinales viſitandos adirent.

Item Cardinales ad conſiſtoria, ſive publica, ſive privata quacunque cauſa, ſive quacumque die etiam ſolemniſſima indicta euntes nunquam cappis rubeis utuntur, nec etiam legati à legationibus reverſi, neque novi primo urbem ſive cum capello ſive ſine eo ingreſſi, quin ad conſiſtorium publicum à collegio aſſociantur, rubeis cappis, ſed omninò pavonatiis utuntur, bene autem toleratur, ut poſſint veſtes ſuccinctas rubeas habere in die publicationis eorum, vel extra quadrageſimam.

Item Cardinales qui ex alicujus conſanguinei, vel Regis, aut Domini in temporalibus eorum obitu mœſti ſunt. Et Papa cappis pavonatiis continue utuntur. In diebus ſolemnibus paſchalibus, aliiſque quibus mater eccleſia gaudet, debent privatis cauſis depoſitis, concorditer cum matre eccleſia congaudere & cappas rubeas hylares deferre, hac tamen moderatione, videlicet quod intra vel per urbem pavonatias, ſed intra palatium illis depoſitis rubeas induunt.

XII.

Aſſiſtentia Reverendi prioris epiſcoporum Cardinalium parati in veſperis Papalibus.

Reverendiſſimus D. Prior epiſcoporum Cardinalium Pontifici in baſilica pontificaliter celebranti ſemper aſſiſtere plùviali paratus, & ſuper, non ſcabello, ſed cathedra nuda ſedere, quod ſi epiſcopi deficientis vicem ſuppleat prior presbyterorum, tunc quamvis pluviali indueretur, non tamen ſuper cathedra, ſed ſuper ſcabello nudo ſedere debet.

Surgente Pontifice, ac *Pater noſter* pro initio veſperarum dicente, ipſe illicò antequam ſe moveat ad aſſiſtentiæ cathedram iturus invitat ſubſequentem ad aſſiſtentiæ honorem, & ſic vadit, ubi primo diaconum à dextris ſalutat. Dum prima antiphona pontifici intimatur, accedit ſine mitra ad ſuſtinendum ſuper caput librum antiphonarum ante ipſum cantantem. Quo ceſſante, redit ad cathedram ubi quoties ſeſſurus eſt, ſemper diaconum prædictum ad priùs ſedendum invitat.

Tertiam antiphonam ſibi à ſubdiacono intimatam acceptat mitratus, quam demùm ſtans ſine mitra cantando reſumit.

In fine capituli recitati, dum per ſubdiaconum intimatur hymnus Pontifici, ipſe ad librum ſuſtinendum, ut priùs, accedit, & mox redit ad cathedram.

Quando per chorum reſponditur ad verſiculum ante *Magnificat*, vadit ad librum ſuſtinendum, ut priùs; ſed inde non deſcendit miniſtraturus naviculam Pontifici, nec etiam thure poſito diſcedit.

Euntem ad altare Pontificem comitatur firmans ſe apud epiſtolæ cornu, ubi acceptum ab acolytho thuribulum offert Pontifici cum oſculis thuribuli & manus.

Dum per Pontificem incenſatur altare ipſe introcedens ſtat immobilis; & demùm altari thurificato, recipit thuribulum cum eiſdem oſculis, quod illicò reddit acolytho ibidem aſtanti.

Redeuntem ad ſolium Pontificem ipſe ſubſequitur uſque ad infimum gradum ſolii, ubi accepto thuribulo ſtans ſtantem, mitratuſque pontificem incenſat. Tum reddito thuribulo, revertitur ad cathedram, ubi ante diaconum incenſatur à ſubdiacono.

Ultimo acolythis, ceroferariis ab altari ad Pontificem euntibus, ipſe ſimiliter à ſuo loco vadit ad librum ſuſtinendum, ut priùs pro oratione qua cantata, revertitur ad alios Cardinales, ubi paramenta deponit, ſicut acceperat.

XIII.

Ejuſdem Reverendiſsimi prioris epiſcoporum in miſſa proceſſionali cum paramentis aſſiſtentia.

In miſſa verò idem prior poſtpoſita Pontifici obedientia ſtat in loco ſuo cum aliis Cardinalibus, ubi expectat quouſque per illum ſit oratio pro hora tertiarum cantanda. Nam tunc dimiſſa mitra, vadit ad librum ut ſuprà ſuſtinendum. Oratione cantata, firmat ſe à dextro latere Pontificis ubi bacile pro prima ejus lotione manuum adjuvat ſuſtinendo, deinde revertitur ad alios Cardinales.

Dum Pontifici miſſalibus indumentis parato mitra imponitur, vadit ut eidem pontificalem annulum cum oſculis ſolitis imponat, à quo non diſcedit.

Ante Pontificis à ſede angulari diſceſſum ipſe naviculam offert eidem qui imponit incenſum.

Euntem ad altare Pontificem præcedit cum mitra junctus cum Cardinali diacono evangelii ad ejus dextram.

Ante altare ad dextram Pontificis ſe firmat: cui confeſſionem facienti reſpondet ſimul cum diacono evangelii in ſiniſtra Pontificis manente.

Confeſſione finitâ, prævenit ad cornu evangelii, ubi poſt oſculatum à pontifice altare, etiam textum evangelii illa die currentis oſculandum ſimul cum ſubdiacono latino offert.

Dum incenſum apud altare per Pontificem imponitur, ac altare incenſatur, ipſe ad partem retrocedit.

Communiter pontifice celebrante, diaconus evangelii ſemper apud altare, ſed epiſcopus aſſiſtens ſemper apud ſedem naviculam miniſtrat:

Digitized by Google

& quiſquis ex illis miniſtrat naviculam, ſimiliter & incenſat.

Euntem ad ſolium Pontificem ſequitur, ubi librum pro introitu legendo ſuſtinet, ut ſuprà quô lectô, redit ad cathedram, & ſedet mitratus, faciens ut in veſperis.

Pro hymno *Gloria in excelſis* cantando vadit ad librum ſuſtinendum quo intonato, & prælatis reſtituto libro, proſequitur hymnum cum pontifice, ſtans ad ejus dextram, & mox redit ad cathedram.

Pro oratione unica vel pluribus ante epiſtolam cantanda ſimiliter vadit ad librum ſuſtinendum, ut ſuprà.

Si ſermonem intra miſſam fieri contingat, vadit ad ſedendum cum aliis Cardinalibus, & librum pro abſolutione poſt ſermonem cantanda ſuſtinet, ut ſuprà.

Nunquam tamen pro graduali legendo ipſe, ſed prælatus librum ſuſtinet.

Deſcendente diacono evangelii ab oſculo manus Pontificis, vadit ad naviculam offerendam pro incenſando libro evangeliorum, & thure poſito, revertitur ad cathedram.

Cantato evangelio latino & græco, ac textu utriuſque oſculato, ſtans ante gradus ſolii infimos, Pontificem ſine mitra ſtantem incenſat.

Pontifice poſt evangelium incenſato, vadit ad librum ſuſtinendum pro ſymbolo, id eſt *Credo* cantando. Quo incepto, illud cum Pontifice proſequitur, ut de hymno angelico dictum eſt.

Pro offertorio dicendo vadit ad librum ſuſtinendum, quo demùm lecto, ibi ſubſiſtit adjuvans bacile pro ſecunda manuum lotione, & Pontifici deponit, & rursùs ponit annulum pontificalem, & alios ut ſuprà.

Manibus terſis, euntem ad altare Pontificem præcedit, firmans ſe apud cornu evangelii, ubi librum ſiniſtra manu ſuſtinet, & indice dextro ſemper oſtendit Pontifici omnia legenda, quæ etiam ipſemet verbatim cum illo profert, exceptis tamen ex reverentia, verbis conſecratoriis. NOTA

Loturo tertia vice Pontifici ſervit adjuvans bacile, quo loto, ad librum revertitur, ubi verſa ad incenſantem Cardinalem facie, cum mutuis reverentiis incenſatur.

In miſſa proſequitur expedite, ſicut Pontifex ſingula legendo, non autem aliquos actus faciendo, niſi pro elevatione hoſtiæ & calicis genuflectit, & ſurgit ut Pontifex.

Inchoante Pontifice orationem. *Domine* JESU-CRHISTE *qui dixiſti apoſtolis tuis pacem meam &c*, accedit ad ejus dextram, ubi genuflexus oſculatur altare, inde ſurgens à Pontificis facie, & pectore pacis oſculum capit.

Pacem à Pontifice habitam offert cum mutuis reverentiis primo Cardinalibus trium ordinum, inde ſine reverentia Principibus & prælatis aſſiſtentibus, ac ſacriſtæ, ac demum uni ſubdiacono, qui aliis etiam more ſolito diſtribuit.

Poſt hæc ſtans ad dextram Pontificis mundat cum vino calamum

Digitized by Google

aureum Papæ, & ipſum lotionis vinum dat totum ſacriſtæ bibendum.

Corpore Chriſti per Pontificem ſumpto, ponit calamum in calice ſanguinis à ſe priùs oſculatum, quem conſignat in dextra ejuſdem.

Dum per Pontificem ſanguis Chriſti cum calamo prædicto ſugitur, infundit purum vinum pro purificatione in alium calicem, & ipſum offert in manibus Pontificis.

Priore Presbytorum vinum ſuper digitis Papæ infundente, ipſe purificatorium lineum cum oſculis ſolitis offert.

Purificatione facta, adjuvat tenens bacile pro quarta manuum lotione pontificis.

In die autem Paſchæ, ſi per Pontificem agenda ſit generalis communio, ipſe tenet librum, ut ſuprà, ex quo Pontifex dicit *Miſereatur veſtri &c.* ac etiam *Indulgentiam &c.*

Similiter apud Pontificem communicantem aſſiſtit donec diaconus aſſiſtens à dextris fuerit communicatus, quo ad ſuam aſſiſtentiam reverſo, ipſe vadit ad cathedram, ubi manet uſque ad perfectam populi communionem.

Deſcendentem ad altare Pontificem præcedit apud cornu epiſtolæ ſtans, & ibi de libro miniſtrat uſque ad finem miſſæ.

Poſt benedictionem à Pontifice datam ſtans in prædicto cornu epiſtolæ, id eſt ad dextram illius petit, & publicat indulgentiam, quæ ſolet eſſe plenaria, niſi in die Paſchæ, quia publicatur per diaconos in Logia.

Forma indulgentiæ eſt videlicet:

Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter D. Julius divina providentia Papa II. dat & concedit omnibus hic præſentibus plenariam indulgentiam in forma eccleſiæ conſuetam. Rogate Deum pro felici ſtatu ſuæ ſanctitatis & ſanctæ matris eccleſiæ.

Ultimo expeditis omnibus, ibidem ſub tribuna ſe exuit ſimul cum aliis, niſi in die Paſchæ, quia ſic paratus & mitratus vadit ad logiam, ubi datur benedictio ſolemnis & indulgentia.

X I V.

De nonnullis aliis diverſis ejuſdem Reverendiſſimi prioris Epiſcoporum officiis, intra annum peragendis.

In die Purificationis idem Reverendiſſimus prior epiſcoporum facta per Pontificem, aut eo abſente, per celebrantem benedictione candelarum, diſtribuit primo tres ſuas magnas candelas Pontifici, aut eo abſente unicam celebranti.

In die Cinerum abſente Pontifice, ipſe Cineres ſuper caput celebrantis imponit; non autem præſente Pontifice, quia id facit celebrans.

In die palmarum ſuas tres palmas pontifici, & eo abſente unicam celebranti ſicut candelas diſtribuit, & eodem modo niſi quod hac

die palmaru in poſt finitam diſtributionem lavaturo adjuvat, tenens bacile, quod in die candelarum non ipſe; ſed prior Presbyterorum tenet.

Pro veſperis, matutiniſque defunctorum in abſentia Pontificis peragendis, ſi celebraturus craſtinam miſſam non adſit, ipſe prior ſupplere ſolet. Quod etiam in omnibus veſperis ſervatur.

In matutinis tenebroſis ſanctæ hebdomadæ, abſente Pontifice pro agendis, ipſe ſolet genuflexus dicere orationem videlicet *Reſpice quæſumus &c.*

In creatione Cardinalium novorum, videlicet die publici conſiſtorii, idem in capella parva ſuper ipſos proſtratos novos, ſtans in cornu epiſtolæ cantat verſiculos & orationes ad id ordinatas.

In obitu alicujus ex epiſcopis Cardinalibus prior ſolet primam miſſam exequialem celebrare, niſi aliquis ex epiſcoporum ordine fuerit executor defuncti, qui id velit, ut plerumque facere ſolet ſi poteſt.

Cum quis pronuntiatus eſt epiſcopus Cardinalis, illicò à conſiſtorio ad proprias ædes ab omnibus Cardinalibus collegialiter aſſociatur; qui etiam viſitat, & viſitatur, quæ ſolemnitates in tranſlato epiſcopo Cardinali ceſſant.

Licet Epiſcopi, Presbyteri, & diaconi Cardinales in aliis eorum titularibus, cathedralibus & commendatariis eccleſiis, ſeu quomodolibet illas habentes omnibus Cardinalibus cedant manentes in loco ſub omnibus ultimo, nihilominus ſex epiſcopi Cardinales in ſuis ſex eccleſiis epiſcopalibus ſuburbanis nulli cedere, ſed ſuprà omnes ſedere debent, ideſt quiſque in ſua eccleſia.

Ceterum quæcumque alia circa apoſtolatus vacationem, & novi Pontificis creationem, ac ejuſdem & imperatoris coronationem pertinent ad priorem epiſcoporum, alio loco dicentur.

In matutinis noctis natalitiæ abſente Pontifice celebranti pro ultima lectione cantanda benedictionem petenti reſpondet, videlicet, *Verba ſancti evangelii doceat nos filius Dei.*

Digitized by Google

STATUTA
ECCLESIÆ ARGENTINÆ ANNO M. CCCC. facta.

Ordinationes novæ chori Argentinensis

QUAMVIS in eccleſiis, præſertim cathedralibus, horis debitis officium divinum, tam diurnum quàm nocturnum, per dedicatas ipſis eccleſiis perſonas, quibus propter hoc beneficia dignoſcuntur aſſignata, devotè pſalli debeat, ac convenienter ac debitè celebrari ſecundùm canonicas ſanctiones. Nos tamen Eberhardus de Kirchberg decanus eccleſiæ Argentinenſis gravi nimiùm perturbatione movemur, quòd ex nonnullorum decanorum ejuſdem eccleſiæ prædeceſſorum noſtrorum negligentia, quæ dum ſpem impunitatis promittit, multam nutrire peſtilentiam conſuevit in ſubditis; plerique chori dictæ eccleſiæ miniſtri, dum offerre Deo ſacrificium laudis [de] fructu labiorum ſuorum, de puritate conſcientiæ, & animi devotione deberent, horas canonicas dicere ſeu pſallere negligant, aut ſincopando tranſcurrendovè, necnon extranea & plerumque vana prophana & inhoneſta intermiſcendo. Colloquia depromunt, ad chorum tardè conveniunt, ipſum quoque abſque rationabili cauſa, priuſquam officium compleatur frequenter exeunt, & quaſi nihil prætendentes de clericali militia in corona, veſtibus & tonſura divina celebrare, aut eis intereſſe nimis indevotè præſumunt. Eorum etiam nonnulli dum in choro prædicto hujuſmodi orationi & officio deberent inſiſtere, non verentur in dicta eccleſia laſcivè feminarum ſpectaculis inhiando, laïcis confabulando, & perpetrando multas inſolentias pervagari, ex quibus honor dictæ eccleſiæ dehoneſtatur, variaque delicta quandoque ſequuntur, & eccleſiaſticum plerumque diminuitur, & intermittitur, aut perturbatur officium, in divinæ majeſtatis offenſam, & adſtantium ſcandalum populorum. Ne igitur tranſgreſſiones invaleſcant hujuſmodi, aliiſque veniant in exemplum, capituli noſtri approbatione diſtrictiùs hæc fieri de cetero prohibemus. Et quia plus timeri ſolet quod ſpecialiter interdicitur, quàm id quod generaliter prohibetur, idcircò quædam ſtatuta & conſuetudines antiquas dictæ eccleſiæ cum certis adjectionibus renovantes, eaſque volentes inviolabiliter obſervari, de conſilio, aſſenſu, & approbatione dicti capituli ſtatuimus & ordinamus.

I. Statutum. In primis igitur volumus & ordinamus ex antiqua & laudabili & hactenùs approbata eccleſiæ ſœpefatæ conſuetudine ſtatuimus denuò, ut quilibet prælatus, officiatus, canonicus, præbendarius, ſcholaris, ſeu quævis alia perſona, choro dictæ eccleſiæ adſtricta, quoad divinum

officium ſeu miniſterium, ſingulis horis canonicis & vigiliis ac miſſis n choro & viſitationibus ſepulcrorum ſtudeant. Intereſſe tempeſtivè, ſicut etiam tenentur, & conſuetudo antiqua expoſcit, cum tali & tanta devotione, converſatione, ac humilitate, & manſuetudine, quæ reverentiæ loci & diſcretioni conveniunt perſonarum, devotèque legant & cantent. Abſurdum enim eſſet & verecundum, etiamſi peccatum non eſſet, quemque clericum ut mutum, ad inſtar figuræ mortuæ locum occupantis, in choro ſtare & nullum facere fructum. NOTA

Item, quòd omni vice, qua aliquæ dictarum perſonarum chorum intrabit, pileum capitis ſui deponat, & verſus altare ſummum primò, & altare miſſæ pro defunctis poſtmodum ſe inclinet, & poſtmodum præpoſito primò, deinde decano ipſius eccleſiæ, ſi præſentes fuerint, aut uni ipſorum, abſente altero, ſe inclinet. II. Statutum

Item, quòd nulla etiam dictarum perſonarum de uno choro ad alterum tranſeat, niſi retrò pulpitum in quo cantor officium imponere conſuevit. III. Statutum

Item, ut nulla dictarum perſonarum per aliud quàm ſuperiùs medium oſtium ipſius chori intret, ſeu exeat ipſum chorum, exceptis præpoſito & decano ejuſdem eccleſiæ, qui dumtaxat per oſtia collateralia ſuperiora, videlicet præpoſitus verſus ſuum chorum tendens, & decanus per aliud ſimiliter verſus ſuum chorum tendens, oſtia introibunt & exibunt. Ingreſſum quoque & exitum omnibus perſonis antedictis per alia duo oſtia ad eccleſiam introducentia omninò interdicimus & inhibemus. Nullusque chorum per prædictum intrare vel exire audeat tempore pronunciationis evangelii, vel quo preces in ipſo choro ad horas venialiter dicuntur. IV. Statutum

Item, quòd ſummiſſarii chori eccleſiæ prædictæ intitulati ad miſſas ipſorum, debitis temporibus in choro pro horis canonicis & divinis officiis incipiendis & finiendis, & ſimiliter annimiſſarii pro tumulis viſitandis, & hi & aliæ perſonæ prædictæ pro divinis officiis & miniſteriis ipſis hinc inde incumbentibus repræſentent ſe dicto choro temporibus opportunis, V. Statutum

Item, quòd omnes præbendarii chori memorati teneantur unà cum annimiſſariis ſepulcra viſitare, & viſitent poſt miſſam de defunctis celebratam. In vigiliis autem defunctorum annimiſſarii hujus eccleſiæ ſaltem ad viſitanda ſepulcra hujuſmodi teneantur. VI. Statutum

Item, quòd dictæ perſonæ tempore celebrationis ſummæ miſſæ continuè ſtare teneantur, exceptis temporibus lectionis epiſtolæ, decantationis gradualis, & poſt offertorium uſque ad inchoationem præfationis, quibus ſtare poterunt vel ſedere. Item ſtare teneantur temporibus decantationis tractus, alleluia, gradualis: duobus tamen graduale vel alleluia hujuſmodi cantantibus, ſecùs uno ſolo cantante, niſi eædem perſonæ hæc facere propter adverſam valetudinem nequiverint. Item quòd iis temporibus omnes & ſinguli versùs utrumque altare ſe inclinare teneantur & debent, quando videlicet *Gloria in excelſis Deo* VII. Statutum

cantatur, primò videlicet ad hæc verba. *Et in terra pax hominibus*, ſecundò ad hæc verba *Adoramus te*, tertiò verò ad hæc verba *Suſcipe deprecationem noſtram*; & ante initium evangelii cum dicitur *Gloria tibi Domine*; & in cantatione ſymboli, videlicet *Credo in unum* ad hæc verba *Et homo factus eſt*. Item in omnibus veſperis in primo pſalmo & ultimo & abinde uſque ab finem, & per totum completorium omnes & ſinguli ſtare teneantur. Item in matutinis 9. lectionum tempore lecturæ primi pſalmi cujuſlibet nocturni, & in matutinis trium lectionum, tempore lecturæ primi & ultimi pſalmi, & ab inde uſque ad finem, niſi perſonatum aliud exigat valetudo.

VIII. Statutum. Item quòd venientes in chorum poſt lecturam pſalmi ſecundi in matutinis & in veſperis, diſtributionibus careant tunc dividendis; & idem venientibus poſt lectionem primæ lectionis in vigiliis, & poſt lectionem epiſtolæ tam miſſæ publicæ, quàm etiam miſſæ pro defunctis.

IX. Statutum. Item, nullus vicarius vel præbendarius tempore divinorum abſque pileo cum caputio, aut cum bireto chorum vel refectorium dictæ eccleſiæ intrare præſumat.

X. Statutum. Item, quòd intitulatus ad cantandum ſeptimum verſum in matutinis 9. lectionum cantare teneatur tertium verſum in vigiliis incipientem *Commiſſa mea &c.* Intitulatus etiam ad octavum verſum in ſingulis matutinis cantare teneatur in vigiliis ſextum verſum incipientem *Cui monti &c.* Item intitulatus ad ſextum verſum in matutinis, cantare teneatur in vigiliis octavum verſum incipientem *Delictum meum &c.*

XI. Statutum. Item, aut nullus audeat incipere lecturam alicujus pſalmi, niſi priùs ejuſdem pſalmi antiphona imponatur, quod in omnibus horis & etiam in vigiliis obſervandum eſt.

XII. Statutum. Item, quotieſcumque verſus in choro per duas perſonas veniunt decantandi, perſonæ ipſæ retrò pulpitum congregati ad ℟. inchoandum & verſum decantandum inibi teneantur, ſicuti in totis duplicibus feſtis hactenùs fieri conſuevit.

XIII. Statutum. Item, quòd quilibet præbendariorum chori ſæpefati ordinariè ſtet in ſtallo ſibi deputato ſeu deputando, niſi per canonici adventum, cui cedere teneatur, excuſentur iſta vice, nec alibi quam in proprio ſtallo diſtributiones percipiat quotidianas, & per ſe dumtaxat & non per ſcholarem vel aliam perſonam recipere teneatur exceptis infirmis, & iis qui tunc temporis circa miniſterium divinorum officiorum, ſeu evidenter utilia, ſive neceſſaria dictæ eccleſiæ negotia in loco alio fuerint deputati.

XIV. Statutum. Item, de diſtributionibus quotidianis miniſtrandis Infirmis ſervetur ſicut hactenùs ſervatum extitit, videlicet quod quicumque ut infirmus abeſt choro, quocumque die ſuum exiverit hoſpitium, ea die careat hujuſmodi diſtributionibus, etiam perceptas ea die reſtituat.

[a] Item, quòd abſentibus temporibus quibus communitas vel præbendæ * diſtribuere conſueverunt & debent, nihil detur: quamvis eædem diſtributiones poſt diem qua * cedebat, fiant. Qui etiam abſentes ſemper hoc caſu accidente per tabulam praticantem nominatim annotetur. * f. diſtribui * f. cedebant

Item, quod nullus præbendariorum infrà ſtalla chori cum quibuſcumque perſonis habere colloquium audeat, exceptis illis quæ ad chorum pertinent, aut in ipſo jus habere noſcuntur: nec etiam cum illis aliquas murmurationes, ſuſurrationes, fabulationes, vel alios ſermones inter ſe habeant, niſi fuerint de negotio eccleſiæ & officio divino peragendo. XV. Statutum.

Item, quòd nullus vicarius vel præbendarius ipſius eccleſiæ in ſuperpellicio de ſerico contexto, aut manicis ſciſſis vel circa latus, aut in manicis foramina pro extenſione manuum habentibus, uti præſumat; ſed ab omni parte manicæ & ſuperpellicei circumquaque integræ & integra ſint, nullusque cultellum longum, vel fixorium in choro vel refectorio prædictis deferat, aut in ipſis vel ipſorum altero deſuper cinctus incedat. XVI. Statutum.

Item, quòd tempore precum majorum & minorum fiat debita genuflexio videlicet, ut in ſuperioribus ſtallis ſuper formas, & in inferioribus ſtantes ſuper gradum procumbant. XVII. Statutum.

Item, quòd ponatur tabula, ſeu prattictur regiſtrum nomina ipſorum præbendariorum continens in vigiliis, miſſis mortuorum, per eum quem ordo tetigerit: qui ſi negligens in ponendo hujuſmodi tabulam fuerit, octo diebus diſtributionibus careat. XVIII. Statutum.

Item, quòd negligentes exiſtentes in ſibi adſcribendis per cantorem in cantando & legendo, qui ex conſuetudine eccleſiæ ſæpetactæ adſcribere & intitulare conſuevit, per octo dies quotidianis diſtributionibus careant. XIX. Statutum.

Item, ut nullus præbendariorum chori tempore decantationis divinorum in ipſo choro libros quibus ipſe chorus utitur legendo & cantando occupet, niſi volens cooperari cantantibus & legentibus choro in eodem. XX. Statutum.

Item, quòd nullus tempore quo divina in choro decantantur, horas canonicas abſque nota legere præſumat, niſi ad miſſam celebrandam pro ſeipſo ea die ſit adſtrictus, & tunc hoc ſolum ſibi liceat tempore matutinali. XXI. Statutum

Item, tam majores quàm minores levitæ chori ſæpedicti ſummiſſarios & annimiſſarios deſcendendo de camera, & aſcendendo eamdem, ante & poſt miſſam eorumdem præcedant & aſſocient, & quòd iiſdem levitæ ipſis celebrantibus debitè miniſtrent temporibus quibus per eoſdem decantantur *Dominus vobiſcum*, *Gloria in excelſis Deo*, aut collectæ leguntur, ac in aliis in talibus fieri conſuetis, quodque majores levitæ prædicti ſequantur & aſſocient ſummiſſarium, poſt miſſam uſque ad gradus dormitorii. XXII. Statutum.

[a] Hoc ſtatutum lineis aliquibus tranſverſis afficitur in ms. codice cum hac marginali inſcriptione *vacat & malè*. Quibus verbis indicatur & ſimul improbatur hujuſmodi ſtatuti abrogatio.

Digitized by Google

XXIII. Statutum. Item, quod levitæ minores qui per Dominum decanum memoratum ſunt inſtituendi, & per eumdem ad nutum amovendi, matutinis horis quærant legenda & cantanda, & lucibula ferant à principio earumdem horarum uſque in finem, quæ ipſorum officium exigit ſicuti conſueverunt, cùm ob hoc eis dentur diſtributiones matutinales, neque à lecturis epiſtolarum & pronunciationibus evangeliorum propria temeritate vel aliàs ceſſent vel deſiſtent, niſi præhabita licentia decani prædicti.

XXIV. Statutum. Item, antiquis eccleſiæ prædictæ Argentinæ conſuetudinibus inhærentes volumus & ordinamus, ut quilibet ſummiſſariorum ea die qua intitulatus eſt ad ſummam miſſam, requiſitus per ſe vel per alium ex ſummiſſariis, canonicis, præbendariis, ceteriſque officiatis chori eccleſiæ prædictæ, viaticum miniſtret & extremam unctionem, reſervata tamen optione ipſi decumbenti & infirmo eligendi quemcumque voluerit ex ſummiſſariis prædictis, qui ut ſic per ipſum requiſitus ad prædicta teneatur.

XXV. Statutum. Item, quòd nullus præbendariorum ultra triduum ſe abſentet à civitate Argentinenſi, niſi obtenta licentia à decano: ita tamen quòd idem procuret omnia onera, ſeu ordinariè ſibi adſcripta & adſcribenda in cantando & legendo, & etiam cum licentia, ratione beneficii ſui tempore abſentiæ alium idoneum ſuffici & expediri, alioquin ſtatutum ſuperiùs conſcriptum de hujuſmodi negligentibus ſibi locum vindicet.

XXVI. Statutum. Item, quòd in proceſſionibus aut inceſſibus de choro ad capellas, & ad refectorium, prout fieri conſuevit, faciendis proceſſionaliter incedatur eo ordine quo in aliis proceſſionibus fieri ſolitum extitit.

Præterea mandatum circa lotionem pedum decem pauperum ſub pœna ſubtractionis portionis illa die vel ſequenti cedentis, eo modo quo in breviario & libro coquinæ deſcriptum reperitur, ab univerſis in refectorio jus habentibus peragi ſtatuimus, adjicientes quòd Dominicis diebus quadrageſimæ ſingulæ perſonæ de refectorio ſub pœna prædicta poſt prandium tranſeant cappati ad chorum nonas ibidem celebraturi.

Præmiſſa omnia & ſingula tam vetera ſeu nova correcta, quàm nova ſtatuta, adjectiones, ſeu conſuetudines & obſervantias prælibatas, & quod ſeu quemlibet præmiſſorum modo quo ſuprà deſcribuntur obſervari & tranſgreſſiones eorum ſeu alterius eorumdem pœna condigna & formidabili puniri, ut de cetero quis ad ſimilia proſiliri pertimeſcat, volumus pœnas & emendendas hujuſmodi tranſgreſſorum & earum mitigationem decano reſervantes, quas & quæ ſingulis annis ad cautelam præſentium & memoriam futurorum, ne ipſorum memoria depereat, & ad eruditionem omnium perſonarum chori prædicti prædictarum, feria 4. poſt Dominicam qua cantatur in eccleſia Dei *Invocavi*, in refectorio in pulſu primarum per ipſum decanum, ſeu alium quem ad hoc deputaverit, legi & publicari volumus, ne quis ex perſonis antedictis eorum & earum, ſeu cujuſvis ex eis prætendere valeat ignorantiam vel allegare. Data 7. Idus Martii anno Domini M. CCCC.

LIBELLUS
SACRARUM PRECUM

Ex mſ. Floriacenſi annorum circiter 900.

IN CHRISTI NOMINE ORATIONES INCIPIUNT quas Beati Patres Divinam laudando & deprecando clementiam quotidiè cantare ſolebant.

Oratio Sancti Hilarii quam duodecim libris quos de ſancta conſcripſit Trinitate ſubjunxit.

SANCTA Trinitas, conſerva hanc, oro, fidei meæ incontaminatam religionem, & uſque ad exceſſum ſpiritus mei dona mihi hanc conſcientiæ meæ vocem; ut quod in regenerationis meæ ſymbolo baptizatus in Patre & Filio & Spiritu Sancto profeſſus ſemper obtineam. Patrem ſcilicet te noſtrum, Filium tuum unà tecum adorem, & Sanctum Spiritum tuum, qui ex te per-Unigenitum eſt, promerear: quia mihi idoneus ad fidem teſtis eſt dicens: *Pater omnia mea tua ſunt, & tua mea.* Deus meus JESUS-CHRISTUS manens in te, & ex te, & apud te ſemper Deus qui es benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio Sancti Joannis Evangeliſtæ.

Domine JESU-CHRISTE, te obſecro per miſericordiam & clementiam tuam, ut præſtes mihi veniam delictorum meorum. Aperi mihi pulſanti januam vitæ, & princeps tenebrarum non occurrat mihi. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus extranea à te non contingat mihi; ſed ſuſcipe me ſecundùm verbum tuum, & perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim JESUS-CHRISTUS filius Dei vivi, qui cum Patre & cum Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio Sancti Martini

Deus gloriæ, Deus qui unus & verus Deus, qui ſolus & juſtus es. Deus in quo omnia, ſub quo omnia, per quem omnia facta ſunt; exaudi me orantem ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis ardentis; exaudi me orantem ſicut exaudiſti Jonam de ventre ceti; exaudi me orantem ſicut exaudiſti Suſannam, & liberaſti eam de manu iniquorum teſtium; exaudi me orantem ſicut exaudiſti Petrum in mari & Paulum in vinculis. Parce animæ meæ; parce factis meis, parce cunctis criminibus meis, qui cum Patre &c.

Oratio Sancti Ambroſii

Largire mihi, Domine, Pater pie & ſancte intellectum qui te intelligat, ſenſum qui te ſentiat, animum qui te ſapiat, diligentiam quæ te quærat, ſapientiam quæ te inveniat, animam quæ te agnoſcat, oculos cordis qui te videant, converſationem quæ tibi placeat, perſeverantiam quæ te expectet, finem perfectum, præſentiam tuam, ſanctam reſurrectionem, bonam retributionem, vitam æternam: qui regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio Sancti Auguſtini

Deus juſtitiæ, te deprecor, Deus miſericordiæ, Deus inviſibilis, Deus incomprehenſibilis, Deus inenarrabilis, Deus æterne, Deus perpetue, Deus benedicte, Deus cujus omnia, Deus in quo omnia, Deus ſub quo omnia, Deus per quem omnia ſunt. Parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Viſita infirmum, cura ægrum, ſana languidum. Da cor quod te timeat, ſenſum qui te intelligat, aures quæ vocem tuam audiant, oculos cordis qui te videant. Da ſcintillam ſapientiæ tuæ quæ mihi juſtificationum tuarum iter oſtendat, & à faucis inimici declinare me doceat. Miſerere mei Deus, parce quia peccavi tibi: indulge quia peccavi tibi, & propter duritiam cordis mei in ipſa peccatorum meorum morte percurro. Ego ore, ego corde, ego opere, ego in omnibus vitiis inquinatus, & omnibus ſceleribus coopertus ſum; veniam peto quia crimina cognoſco, ſcelera mea fateor, quæ & ſi non confiteter, te tamen latere non poterant. Tu enim ſcrutator es cordis & renium: tibi abſcondita revelantur, & ſcelera patefiunt. Miſerere mei Deus. Domine ne me perire patiaris, ne me ſinas æternis tenebris & perpetua morte conſumi. Aufer à corde meo alienatum ſenſum. Cura in me ſtuporem mentis, extirpa de viſceribus meis conſilia iniquitatis, erade à lingua mea detrahendi conſuetudinem, mentiendi fallacitatem, ſcurrilitatem, & omnes actus vanitatis meæ arte medicinæ tuæ ſana, & circumcide in me vitia cordis & corporis. Miſerere mei Deus, quia tu noſti facta mea, tu tranſgreſſiones meas, qui ſi in judicio perſequi ac punire voluiſſes, olim me vivum terra abſorbuiſſet: ſed quia tanta eſt clementia tua, ut nullum tibi perire patiaris; ſed omnes expectas ad pœnitentiæ locum reverti. Qui ergo das ſpatium pœnitendi, da & poſſibilitatem operandi, ut non ſit hoc vacuum indulgentiæ tuæ tempus, quod nobis largiri pro tua pietate digneris. Miſerere mei Deus, Domine ne me deſpicias, neque avertas faciem tuam à me, qui non pro juſtitia mea peto miſericordiam tuam; ſed propter magnam clementiam tuam reſpice in me Domine de ſancta ſede majeſtatis tuæ, & tenebras cordis mei radio ſplendoris tui illumina. Protege me,

Domine, ſcuto veritatis fidei tuæ, ut me diaboli jacula ignita non penetrent: quicquid enim illud eſt quod infelicitas mea de te petere aut non accipit, aut non præſumit, aut non ſapit; hoc tu per virtutem tuam tribue, & per majeſtatem & pietatem tuam largire quod animam ſalvet à morte; & exeunti mihi de hoc chao tenebrarum manum porrigas & lumen oſtendas. Miſerere mei, Deus Domine, reintegra confractum, ſana corruptum, emunda vitiatum, & indulge quod feci, & hoc præſta ut ampliùs non faciam Salvator mundi, qui cum Patre, & cum Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Incipit oratio beati Hyeronimi Presbyteri

Mane cum ſurrexero intende ad me Domine, & guberna omnes actus meos & verba mea & cogitationes meas, ut totum diem tranſigam in tua voluntate dona mihi Domine timorem tuum, cordis compunctionem, mentis humilitatem, conſcientiæ puritatem, ut terram deſpiciam, cœlum aſpiciam, infernum timeam, peccata odiam, juſtitiam diligam. Abſcide à me, Domine, gulæ appetitum, concupiſcentiam fornicationis, amorem pecuniæ, peſtem iracundiæ, juſtitiam ſæculi, mentis accidiam, vanam lætitiam, tyrannidem ſuperbiæ. Planta in me, Domine, virtutem abſtinentiæ, & continentiam carnis, & caſtitatem mentis, voluntariam paupertatem, veram patientiam, lætitiam ſpiritalem, animi ſtabilitatem, cordis contritionem, humilitatem non fictam, fraternam caritatem. Cuſtodi os meum ne loquar vana, ne fabuler ſæcularia, ne detraham abſentibus, ne maledicam præſentibus, ne reſpondeam maledictum pro maledicto; ſed è contrario benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Cuſtodi oculos meos ne videant mulierem ad concupiſcendam eam, ne deſiderent rem proximi, nec delicias hujus ſæculi; ſed dicam cum ſpiritu David *Oculi mei ſemper ad Dominum* & reliqua. Et iterum *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo.* Cuſtodi aures meas ne audiant linguam detrahentem, ne audiant mendacium, nec verbum otioſum; ſed apertæ ſint quotidiè ad audiendum verbum Dei. Cuſtodi pedes meos ne circumeant domos otioſas: ſed ſtent in oratione Dei firmiter immobiles, Cuſtodi manus meas ne porrigantur ſæpe ad accipienda munera, ſed potiùs eleventur quotidie in precibus Domini mundæ & puræ ſine ira, & diſceptatione, quò poſſim dicere illum propheticum ſermonem: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Cuſtodi, Domine, exitum noſtrum qui in tuo nomine proficiſcimur, & angelus tuus ſanctus cæleſtis comitetur nobiſcum, qui poſſit deducere nos uſque ad locum deſtinatum, & dirigere pedes noſtros in viam pacis & veritatis. Cuſtodi, Domine, cogitationes noſtras, ſermones, & opera, ut poſſimus in conſpectu tuo perficere voluntatem tuam, & ambulare in via tua toto tempore vitæ noſtræ, per Redemptorem animarum noſtrarum Dominum noſtrum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum.

Digitized by Google

Oratio Sancti Ephrem Diaconi

Domine Deus & Salvator meus, quare me dereliquiſti ? miſerere mei, quoniam tu es amator omnium ſolus. Salva me peccatorem, quoniam tu es ſine peccato ſolus. Erue me de cœno iniquitatum mearum, ut non infigar in æternum. Libera me de ore inimici mei : ecce enim ut leo rugiens devorare me cupit. Excita potentiam tuam & veni, ut ſalvum me facias. Emitte coruſcationes tuas, diſperge omnem virtutem inimici, amator hominum benigniſſime Deus. Adjuro te per miſerationes tuas ne me cum hædis à ſiniſtris tuis ſtatuas cum iis qui te exacerbaverunt. Ne dicas mihi, neſcio te ; ſed tribue mihi propter multam miſericordiam tuam indeſinentem cordis compunctionem & fletum, & ſanctifica me, ut fiam templum gratiæ tuæ. Qui vivis

Oratio beati Gregorii in qua omnipotenti Deo debitas agit gratiarum actiones.

Tibi ago laudes, & gratias tibi refero, Deus meus miſericordiæ meæ, qui me ad tuam cognitionem perducere, & per ſacri baptiſmatis ablutionem inter adoptionis tuæ filios adgregare dignatus es. Tibi ago laudes & gratias, qui me ab ipſis rudimentis infantiæ uſque ad hanc horam per multa defluentem vitia immenſæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem expectas. Te laudo & glorifico, qui me ſæpiſſime de multis tribulationibus, & anguſtiis, calamitatibus & miſeriis liberaſti, qui me hactenùs de æternis ſupliciis, de corporis hujus cruciatibus exemiſti. Te laudo & glorifico, qui mihi ſoſpitatem membrorum,tranquillitatem temporum,& honorem,affectum & caritatem, ſi quæ etiam in me ſunt dona pro tuæ pietatis gratia conferre dignatus es. Quæſo, Domine Deus, ineſtimabilem ſuavitatis tuæ clementiam, ut inchoata in me bona perficias, quidquid in me tibi diſplicet repellas, à cunctis me quæ ſuperſunt tribulationibus, iniquitatibus ac diverſis malis eripias, cogitationes meas, locutiones pariter & actus in tua voluntate dirigas, & ne auferas animam meam de hoc mundo priuſquam emendare ſtudeat. In tua voluntate inter adverſa me & proſpera gradientem ſemper & ubique cuſtodias, & ad tuæ me viſionis deſiderata gaudia quandoque perducas.

Oratio Ambroſii in qua pro ſuis peccatis veniam poſtulat

Miſerator & miſericors, patiens & multum miſericors, magne & terribilis Deus, tibi confiteor peccata mea, crimina mea, facinora mea, delicta mea tibi patefacio, vulnera mea, ſcelera mea. Tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi miſero medicinam. Tu enim mitiſſime dignatus es dicere : *Nolo mortem peccatoris, ſed ut con-*

Digitized by Google

vertatur & vivat. Confiteor, iniquè egi, perverſa eſt in conſpectu tuo via mea. Lapſa eſt in lacum miſeriæ vita mea. Extincta eſt iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, invidia, gula, ebrietas, concupiſcentia, rapina, mendacium, perjurium, ſcurillitas, ſcultiloquium, ignorantia, negligentia, ſeu ceteræ peſtes occiderunt animam meam. Pollutum eſt cor meum & labia mea, & viſus meus & auditus, guſtus, odoratus, & tactus, & omnimodis cogitatione locutione ſive actione perditus ſum. Quæſo, Domine Deus, cujus miſeratio nullum habet finem, atttahe me poſt te ſicut attraxiſti mulierem peccatricem, dona mihi compunctionem mentis & corporis, & ubertimos lacrymarum fontes ſicut donaſti illi non ceſſare oſculari pedes tuos, rigari lachrymis, & extergere capillis, concede mihi ut ſecundùm magnitudinem iniquitatum mearum ſit magna dilectio mea in te, ut propter immenſitatem pietatis tuæ omnia dimittas mihi peccata. Largire mihi de præteritis veniam, de præſentibus malis continentiam, de futuris cautelam. Fac me priuſquam moriar conſequi pleniſſimè miſericordiam tuam, & ne dies meos ante finiri ſinas, quàm peccata dimittas, ſed ſicut vis & ſcis miſerere mei.

Item beati Papæ Gregorii de confeſſione peccatorum, & de venia pro his poſcenda

Da mihi, Domine, confeſſionem quæ tibi ſit placita. Parturi in corde meo inenarrabiles gemitus qui ſuſcipiant profundam bonitatem tuam in humilitate cordis. Ipſum mihi da petere quod te delectet audire. Ipſum animæ meæ inſere ut jugiter delectatio mea ipſe ſis. Da mihi lachrymas ex tuo affectu quæ peccatorum meorum poſſint diſſolvere vincula. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quod peto, & da quid petam, ut audias. Si deſpicis, pereo, & ſi reſpexeris, vivo; ſi in juſtitiam meam non reſpexeris, fœteo; ſi miſericordiam tuam reſpexeris, fœtentem ſuſcitas de ſepulcro. Quid non mali ego corruptilis creatura, & quid non boni tu creator & creaturæ fortiſſimus innovator? Cecedi de manu tua vitio meo, potens es artifex tibi iterum placitum figurare. Corripe me in miſericordia tua, ne in ira corripias me. Quod odis in me longe fac à me, & caſtitatis ac continentiæ ſpiritum inſere in me, vitium omne mortifica in me, & animam meam vivifica in te. Hoc da petere, ut te petendo non offendam: hoc præſta quod ipſe ſemper cuſtodias: tolle de me quod nocet: ipſum præſta quod proſit. Vulnera mea pando tibi, medicinam tuam ne deneges mihi. Quod ſuſcipis cura, quod curas ſic contine ne dimittas, ſpes mea, fortitudo mea, miſericordia mea, pietas ſempiterna, qui es & qui eras & qui permanes in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Item oratio Iſidori de eadem re

Miſericordiam tuam, Domine, deprecor, miſericordiam tuam imploro, tuam imploro miſerationem, tuam clementiam quæro. Dele peccata mea, ablue facinora mea, peccatorum meorum maculas munda, labem criminum meorum purga, ſordes delictorum meorum abſterge, ſordes iniquitatum mearum ablue, non differas mundationem meam. Deus totum me tibi ſanandum offero. Recipiat ſalutem anima mea, da vulneri meo ſalutem. Deus languoribus meis medelam tribue, per plagas vulnerum redde incolumen. Vulneratus ſum, medicum quæro. Languidus ſum, medelam poſco. Conſumpta eſt caro mea, contabuit ſpecies mea, oſſa mea exaruerunt, membra mea contabuerunt. Appropinquavi corruptioni, umbra mortis comprehendit me, tenebræ operuerunt me, caligo inferni involvit me, oppreſſit me tenebrarum horror, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor, & gloria, virtus & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio Iſidori pro omnibus chriſtianis.

Pie & exaudibilis Domine Deus noſter JESU CHRISTE, clementiam tuam cum omni ſupplicatione depoſcimus, ut per interventum & meritum beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis MARIÆ, omniumque Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, monachorum, & omnium civium ſupernorum Eccleſiæ tuæ ſanctæ catholicæ fidem augeas, pacem tribuas, rectoribus noſtris & nobis indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedas: infirmis ſalutem, lapſis reparationem, aërum commoditatem, navigantibus atque iteneranribus fidelibus iter proſperum ac ſalutis portum, tribulantibus gaudium, oppreſſis relevationem; captivis, vinctis, & peregrinis remiſſionem, abſolutionem, ad patriam reverſionem, mutuam diſcordantibus caritatem, infidelibus veram fidem, & deffunctis fidelibus perpetuam requiem. Angelum tuum ſanctum nobis hic & ubique cuſtodem & deffenſorem propitius donare digneris qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Hymnus beati Ambroſii pro infirmis

CHriſte cæleſtis medicinæ Patris
Verus humanæ medicus ſalutis
Provide plebi precibus potenter
Pande favorem.

Digitized by Google

En ob infirmos tibi ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
Ut piùs morbum releves jacentum,
Quo quatiuntur.
Qui poteſtate manifeſtus extans,
Mox Petri ſocrum febribus jacentem,
Reguli prolem puerumque ſalvas
Centurionis.
Feſto languenti populo vigorem.
Efflue largam in populo ſalutem.
Priſtinis more ſolito reformans
Viribus ægros.
Corporum morbos animæque ſana
Vulnerum cauſis adhibe medelam,
Ne ſine fructu cruciatus urat
Corpora noſtra.
Omnis impulſus perimens recedat,
Omnis incurſus crucians liqueſcat,
Vigor optatæ foveat ſalutis
Membra dolentis.
Jam Deus noſtros miſerate fletus,
Sic quibus te nunc petimus medere,
Ut tuam omnis recubans medelam
Sentiat æger.
Quo per inlata mala dum teruntur
Eruditorum numero decori
Compotes intrent ſociante fructu
Regna polorum.
Gloria Patri genitæque Proli,
Et tibi compar utriuſque ſemper
Spiritus alme Deus unus omni
Tempore ſæcli.
Gloriam pſallat chorus & reſultet,
Gloriam dicat, canat, & revolat,
Spiritus alme Deus unus omni
Tempore ſæcli.

Hymnus Fortunati presbyteri de paſſione & cruce Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI

PAnge lingua glorioſi
Prœlium certaminis
Et ſuper crucis trophæum
Dic triumphum nobilem
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

Digitized by Google

De parentis protoplaſti
Fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morſu corruit,
Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni ut ſolveret.
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat:
Multiformis perditoris
Arte ut artem falleret,
Et medelam ferret inde
Hoſtis unde læſerat.
Quando venit ergo ſacri
Plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab arce Patris
Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali,
Carne factus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia
Membra pannis involuta
Virgo mater alligat,
Et pedes manuſque crura
Stricta pangit faſcia
Luſtra ſex qui jam peracta
Tempus implens corporis
Se volente tempus ad hoc
Paſſioni deditus
Agnus in cruce levatur,
Immolandus ſtipite.
Hic aceto fel arundo.
Sputa clavi lancea
Mitte corpus perforatur,
Sanguis unda profluit,
Terra, pontus, aſtra, mundus,
Quo ſanantur flumine.
Crux fidelis inter omnes,
Arbor una nobilis
Nulla talem ſylva profert
Florem fronde germine.
Dulce lignum dulci clavo
Dulce pondus ſuſtinent.
Flecte ramos arbor alta
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille·

Digitized by Google

Quem dedit nativitas:
Ut ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.
  Sola digna tu fuiſti
Ferre pretium ſæculi,
Atque portum præparare
Nautæ mundo naufrago,
Quem ſacer cruor perunxit
Fuſus agni corpore.

Item hymnus ejuſdem Fortunati de cruce Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI.

VExilla Regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.
  Confixa clavis viſcera,
Tendens manus veſtigia,
Redemptionis gratia
Hîc immolatus eſt hoſtia.
  Quo vulneratus inſuper
Mucrone diro lanceæ
Ut nos lavaret crimine
Manavit unda & ſanguine.
  Impleta ſunt quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit à ligno Deus.
  Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tangere.
  Beata cujus brachiis
Pretium pependit ſæculi,
Statera facta eſt corporis
Prædam tulitque tartari.
  Fundis aroma cortice,
Vincis ſapore nectare,
Locum da fructu fertili,
Plaudis triumpho nobili.
  Salve ara, ſalve victima
De paſſionis gloria,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam reddidit.

Digitized by Google

Oratio pro familiaribus noſtris & cunctis fidelibus defunctis

Te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritibus famulorum & famularum tuarum N. quos ab origine hujus ſæculi ad te accerſire præcipiſti; ut digneris, Domine, dare eis locum lucidum, locum refrigorii & quietis, & ut liceat eis tranſire portas infernorum, & vias tenebrarum, maneantque in manſionibus ſanctorum, & in luce ſancta quam olim promiſiſti Abrahæ & ſemini ejus. Nullam læſionem ſuſtineant animæ eorum, ſed cum magnus ille dies reſurrectionis ac remunerationis advenerit, reſſuſcitare eos digneris, Domine, unà cum ſanctis & electis tuis: & ut deleas eorum delicta atque peccata uſque ad noviſſimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam & regnum conſequantur æternum per requiem æternam. *Et reliqua.* Ne tradas beſtiis, *Et reliqua.* Animæ juſtorum *Et reliqua*

Oratio pro qualicumque homine fideli defuncto

Omnipotens & miſericors Deus, tuam deprecamur clementiam, quia judicio tuo aut naſcimur aut finimur, ut animam fratris noſtri N. quam tua pietas de incolatu hujus mundi tranſire præcepit, in requiem æternam ſuſcipias, & in conſortio electorum tuorum in reſurrectione ſociari permittas: ut in æterna beatitudine unà cum illis ſine fine permaneat per animam quam redemiſti. Suſcipe, Domine, cum ſervis tuis, & qui te confeſſus eſt in vita communi, conſtituas eum in vita perenni. Per &c.

Oratio pro defunctis

Libera, Domine, animam ſervi tui N. de periculis infernorum, & de periculis tenebrarum, & de perſecutionibus multis, & de flammarum gehennæ ignibus. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Noë per diluvium ſæculorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Abraham de Ur Caldæorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Loth de Civitate Sodomorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti populum Iſraël de manu Ægyptiorum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis, qui antecedebat populum Iſraël in deſerto. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti David de manu Goliæ gigantis. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Eliam & Henoc de hoc mundo. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Suſannam de manu principum. Libera, Domine, animam ſervi tui ſicut liberaſti Daniel de lacu leonum. Libera, Domine, animam ſervi tui N. ſicut liberaſti Jonam de ventre cœti. Sic animam fratris noſtri N. ab omnibus periculis pœnarum liberare dig-

Digitized by Google

neris & bonis æternis cum electis tuis eam perfrui jubeas. Per. In memoria æterna erit *Et reliqua.* Requiem æternam. Partem primæ reſurrectionis obtineat vitamque mereatur æternam. Amen

In Dei nomine beatorum Apoſtolorum, martyrum quoque & confeſſorum atque virginum ex libro quem beatus Hyeronimus de eorum per anni circulum natalitiis conſcripſit. Incipiunt nomina quæ ſicut à ſanctis patribus eſt traditum in quotidianis ſunt legenda.

Miſerere nobis miſeris miſericors Trinitas ſancta, & dimitte univerſa delicta noſtra quæ commiſimus coram angelis tuis in conſpectu tuo, per merita & orationes & interceſſiones & invocationes omnium ſanctorum tuorum quorum hodie feſtivitas celebratur. N. & quorum nomina nunc recitamus. Libera nos, clemens Trinitas, cum omnibus fratribus & ſororibus noſtris ab omni malo præterito præſenti & futuro, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de inferno ad paradiſum, de malo ad bonum, de ignorantia ad ſcientiam, de peccatis ad veram pœnitentiam, de omnibus vitiis ad perfectas virtutes, de cunctis inſidiis inimici ad medicinam cœleſtem; & divinam protectionem per invocationem trini nominis tui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia qui fideliter & humiliter nomen tuum invocaverit, ſalvus erit. Humiliter ergo & fideliter te poſtulamus, ut deleas & oblivifcaris cuncta ſcelera noſtra per ſuffragia & merita omnium Sanctorum tuorum. Angeli, archangeli, virtutes, poteſtates, principatus, dominationes, throni, cherubim, ſeraphim, patriarchæ, prophetæ, apoſtoli, martyres, & confeſſores, & epiſcopi ſancti, & presbyteri ſancti, & diaconi ſancti, & omnes ſancti eccleſiaſtici, & anachoritæ, & eremitæ, & monachi, & ſanctæ virgines, & ſanctæ viduæ, & ſanctæ ſapientes, & omnes ſancti qui nos præceſſerunt ab Adam uſque in hodiernum diem orent pro nobis.

Inde nomina beatorum apoſtolorum, martyrum, quoque & confeſſorum atque virginum, quæ ſecundùm ordinem à beatis patribus conſtitutum tempore jejunii aut in aliis ſanctis diebus recitantur quando miſſa celebratur incipiunt.

Kyrie eleïſon, Chriſte eleiſon
Chriſte audi nos, Chriſte miſerere nobis
Præſta mihi primum ut te bene rogem, deinde ut me dignum facias exaudiri, deinde ut exaudias.
Sancta Maria ora pro nobis
Sancta Maria intercede pro me peccatore
Sancta Maria adjuva me in die exitus mei
Sancte Michaël — Sancte Raphaël
Sancte Gabriel — Omnes Sancti Angeli orate.

Digitized by Google

Omnes Sancti Archangeli.
Omnes Sancti Patriarchæ.
Omnes Sancti Prophetæ.
Sancte Joannes.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Jacobe.
Sancte Joannes.
Sancte Thoma.
Sancte Mathæe.
Sancte Philippe.
Sancte Bartholomæe.
Sancte Thadæe.
Sancte Simon.
Sancte Jacobe.
Sancte Mathia.
Sancta Barnaba.
Sancte Luca.
Sancte Marce.
Omnes Sancti Apoſtoli orate
Sancte Stephane.
Sancte Line.
Sancte Tecle.
Sancte Clemens.
Sancte Sixte.
Sancte Corneli.
Sancte Cypriane.
Sancte Dyoniſii cum ſociis tuis.
Sancte Laurenti.
Sancte Mauriti cum ſociis tuis.
Sancte Marcelle.
Sancte Fabiane.
Sancte Sebaſtiane.
Sancte Vincenti.
Sancte Valentine.
Sancte Tiburti.
Sancte Ignati.
Sancte Valeriane.
Sancte Maxime.
Sancte Georgi.
Sancte Vitale.
Sancte Gordiane.
Sancte Epimache.
Sancte Pancrati.

Sancte Urbane.
Sancte Nicomedis.
Sancte Marcelline.
Sancte Petre.
Sancte Vite.
Sancte Neree.
Sancte Achillee.
Sancte Joannes.
Sancte Paule.
Sancte Coſmas.
Sancte Damiane.
Sancte Felix.
Sancte Simplici.
Sancte Fauſtine.
Sancte Beatrix.
Sancte Stephane.
Sancte Feliciſſime.
Sancte Agapite.
Sancte Cyriace.
Sancte Hypolite.
Sancte Thimothee.
Sancte Hermen.
Sancte Criſogone.
Sancte Adriane.
Sancte Cæſari.
Sancte Claudi.
Sancte Nicoſtrate.
Sancte Simphroniane.
Sancte Caſtori.
Sancte Simplici.
Sancte Theodore.
Sancte Monne.
Sancte Saturnine.
Sancte Gervaſi.
Sancte Protaſi.
Sancte Apollinaris.
Sancte Policarpe.
Sancte Celſe.
Sancte Halari.
Sancte Gorgon.
Sancte Anaſtaſi.
Sancte Eleutheri.
Sancte Ruſtice.
Sancte Quintine.
Sancte Exſuperi.

Ora pro nobis

Digitized by Google

Sancte Candide.
Sancte Albane.
Sancte Geneſi.
Sancte Bonefaci.
Sancte Ciliane.
Sancte Columbane.
Sancte Gereon.
Sancte Floriane.
Sancte Tranquilline.
Sancte Symphoriane.
Sancte Hemerentiane.
Sancte Criſpine.
Sancte Criſpiniane.
Sancte Columbane.
Sancte Caſſiane.
Sancte Geminiane.
Sancte Romane.
Sancte Eventi.
Sancte Theodote.
Sancte Innocenti.
Sancte Juvenalis.
Sancte Pantaleon.
Sancte Abdon.
Sancte Sennen.
Sancte Benigne.
Sancte Maxime.
Sancte Chriſtophore.
Sancte Juſte.
Sancte Januari.
Sancte Proceſſi.
Sancte Martiniane.
Sancte Landiberte.
Omnes Sancti Martyres. orate
Sancte Hylari.
Sancte Martine.
Sancte Sylveſter.
Sancte Leo.
Sancte Ambroſi.
Sancte Gregori.
Sancte Euſebi.
Sancte Auguſtine.
Sancte Hyeronime.
Sancte Iſidore.
Sancte Remige.
Sancte Germane.

Ora pro nobis

Sancte Marce.
Sancte Marcelliane.
Sancte Fœlix.
Sancte Audacte.
Sancte Prote.
Sancte Hyacinthe.
Sancte Caliſte.
Sancte Severine.
Sancte Pauline.
Sancte Benedicte.
Sancte Servaſi.
Sancte Medarde.
Sancte Vedaſte.
Sancte Amande.
Sancte Roberte cum ſociis
Sancte Maximiliane.
Sancte Corbiniane.
Sancte Humalde.
Sancte Giſlari.
Sancte Audomare.
Sancte Richari.
Sancte Bertine.
Sancte Arnulphe.
Sancte Leodegari.
Sancte Bavo.
Sancte Goar.
Sancte Gaugerai.
Sancte Valeriane.
Sancte Theodore.
Sancte Aniane.
Sancte Athanaſi.
Sancte Candide.
Sancte Rumolde.
Sancte Piaton.
Sancte Anfride.
Sancte Sulpici.
Sancte Perpetue.
Sancte Brice.
Sancte Vigil.
Omnes Sancti Confeſſores.
Sancte Paule.
Sancte Antoni.
Sancte Hilarion.
Sancte Machari.
Sancte Pachomi.

Ora pro nobis

Sanƈte Benediƈte.
Sanƈte Martine.
Sanƈte Columbane.
Sanƈte Severine.
Sanƈte Honorate.
Sanƈte Ephrem.
Sanƈte Furſee.
Sanƈte Patrici.
Sanƈte Columbe.
Sanƈte Congalle.
Sanƈte Adomnane.
Sanƈte Cherane.
Omnes ſanƈti monachi.
Sanƈta Felicitas.
Sanƈta Perpetua.
Sanƈta Agatha.
Sanƈta Lucia.
Sanƈta Cæcilia.
Sanƈta Agnes.
Sanƈta Anaſtaſia.
Sanƈta Petronilla.
Sanƈta Suſanna.
Sanƈta Juſtina.
Sanƈta Tecla.
Sanƈta Eugenia.
Sanƈta Eulalia.
Sanƈta Sabina.
Sanƈta Scholaſtica.
Sanƈta Aldegundis.
Sanƈta Genovefa.
Sanƈta Radegundis.
Sanƈta Afra.
Sanƈta Columba.
Sanƈta Gertrudis.
Sanƈta Juliana.
Sanƈta Erindradis.
Sanƈta Emeliana.
Sanƈta Regula.
Sanƈta Chriſtina.
Sanƈta Priſca.
Sanƈta Lucia.
Sanƈta Euphemia.
Sanƈta Baldina.
Sanƈta Potentiana.
Sanƈta Theodoſia.

Sanƈta Sinclita.
Sanƈta Candida.
Sanƈta Baſaliſſa.
Sanƈta Brigida.
Sanƈta Ita.
Sanƈta Samſdenna.
Omnes Sanƈtæ Virgines.
Ora Omnes Sanƈti & Sanƈtæ Dei intercedite pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, libera nos Domine.
Ab omni malo
Ab omni tentatione
Ab omni cogitatione mala
Ab omni iniquitate
Ab omni immunditia cordis & Corporis.
pro Ab omni inopia & fame.
Ab omni tribulatione.
A periculo mortis
Ab inſidiis diaboli
A morte perpetua
Ab omni concupiſcentia mala
A ſubitanea & improviſa morte
Ab omni ſcandalo.
Ab omni adverſitate
Per crucem tuam

Libera nos Domine

Peccatores, Te rogamus audi nos
Ut pacem nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus
nobis Ut indulgentiam deliƈtorum noſtrorum nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus audi nos.
Ut remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus
Ut interceſſionem omnium Sanƈtorum tuorum nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut

Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus noſtris clementer infundere digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut ſanctam charitatem tuam nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut fidem rectam nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut ſpem firmam in tua bonitate nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus.

Ut vitam æternam nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut lumen perpetuum nobis donare digneris Dñe Jesu. Te rogamus

Ut laudem ſancto nomini tuo, nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut veram pœnitentiam nobis concedas agere Domine Jesu. Te rogamus

Ut nos à morte perpetua liberare digneris Dñe Jesu. Te rogamus

Ut cladem & peſtilentiam de terra noſtra auferas Domine Jesu. Te rogamus

Ut miſericordiam tuam nobis præſtare digneris, Domine Jesu. Te rogamus

Ut abundantiam frugum nobis donare digneris Domine Jesu. Te rogamus

Ut ſanitatem nobis dones Domine Jesu. Te rogamus

Ut cœli ſerenitatem nobis dones. Te rogamus

Ut pluviam temporaneam nobis dones. Te rogamus

Ut cunctum populum chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſervare digneris. Te rogamus

Ut omnes fratres noſtros ſpiritales in vera religione conſervare digneris. Te rogamus

Ut ſenioribus noſtris à Deo præordinatis perpetuam pacem largiri digneris. Te rogamus

Ut his hominibus qui noſtris ſunt commendati orationibus miſereri digneris. Te rogamus

Ut omnibus animabus chriſtianorum catholicorum miſereri digneris. Fili Dei. Te rogamus

Agne Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis

Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon

Oratio cujuſdam ſapientis

Per horum omnium Sanctorum martyrum, & confeſſorum, & beatarum virginum merita & orationes & interceſſiones & paſſiones & ſuffragia, Trinitas clementiſſima, exaudi me, libera me, deffende me, redime me, protege me, adjuva me, & ſalva me, conſerva me, illuſtra me. Da mihi, Domine, cor contritum, purum, quod te videat, & cogitet, & credat; & pedes caſtos qui præceptis tuis obedienter miniſtrent, & manus continentes ſine ira, & vanitate ad te elevatas, quæ utilitatem proximorum & miſericordiam laborent. Largire, Do-

Digitized by Google

mine Chriſte, labia diſcreta, quæ te benedicant, & magnificent, & prædicent, & cum timore & tremore & exultatione te ſemper adorent, & aures intentas quæ nomen tuum & legem tuam & verba tua audiant, & oculos humiles qui te videant, ſenſum qui te ſentiat, intellectum qui te intelligat, & animum qui te ſemper cogitet, & diligat; & non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Non habitet in me caſtrimargia, & non coinquinet me fornicatio, non gubernet me vana gloria, non obducat me filargiria, non dilaniet me, ira, non mortificet me triſtitia, non evacuet accidia, non humiliet me cœnodoxia, & non deſtruat me ſuperbia: ſed largire mihi clemens Trinitas abſtinentiam & caſtitatem, voluntariam paupertatem, & manſuetudinem, largitatem, pietatem, & quietem, & miſericordiam, lenitatem, indulgentiam, humilitatem, benignitatem, hilaritatem, patientiam, modeſtiam, ſinceritatem. Miſerere mihi, Domine, miſerere mihi. Da mihi de criminibus præteritis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris largire cuſtodiam. Per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM filium tuum qui tecum

Oratio Sancti Auguſtini quam quindecim libris quos de ſancta compoſuit Trinitate ſubjunxit

Domine Deus noſter, credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: Neque enim diceret veritas apoſtolis: *Ite baptiſare gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, niſi Trinitas eſſes. Nec baptiſari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine, ſi non eſſet Dominus Deus. Nec diceretur voce divina: *Audi Iſraël Dominus Deus tuus Dominus unus eſt*, niſi Trinitas ita eſſes, ut unus Dominus Deus eſſes, niſi tu Deus pater ipſe eſſes, & Filius verbum tuum JESUS-CRHISTUS ipſe eſſet, & Donum veſtrum Spiritus Sanctus. Non legeremus in litteris Veritatis: *Miſit Deus Filium ſuum*, nec tu Unigenite diceres de Spiritu Sancto: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et *Quem ego mittam vobis à Patre.* Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam quantum potui, quantum me poſſe feciſti, quæſivi te, & deſideravi intellectu videre quod credidi, & multum diſputavi, & laboravi, Domine Deus, mea unica ſpes mea, exaudi me ne fatigatus nolim te quærere: ſed quæram faciem tuam ſemper ardenter. Tu da quærenti vires qui inveniri te feciſti & magis magiſque inveniendi te ſpem dediſti. Coram te eſt firmitas & infirmitas mea: illam ſerva, iſtam ſana. Coram te ſcientia & ignorantia mea. Ubi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem. Ubi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerem tui, intelligam te, diligam te. Auge in me iſta donec me formes ad integrum. Scio ſcriptum eſſe: *In multiloquio non effugies peccatum:* Sed utinam prædicando verbum tuum & laudando te tantummodo loquerer, non ſolùm fugerem peccatum, ſed meritum bonum acquirerem quantumlibet multum. Sic loquerer, neque enim homo de te beatus peccatum per-

Digitized by Google

ciperet germano in fide filio ſuo conſcripſit dicens : *Prædica verbum, ſta oportunè importunè.* Numquid dicendum eſt iſtum non multum locutum qui non ſolùm oportunè, verùm etiam importunè quæ verbum tuum Domine non tacebat. Sed ideò non erat multum, quia tantum erat neceſſarium libera me Deus meus à multiloquio quod patior intus in anima mea miſera in conſpectu tuo, & confugientem ad miſericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus, & ſi quidem non cogitarem niſi quod placeret tibi, non utique rogarem ut me ab hoc multiloquio liberares ; ſed multæ ſunt cogitationes meæ tales quales noſti cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Dona mihi non eis conſentire ; & ſi quando me delectant, eas nihilominùs improbare, nec in eis velut dormitando immorari, nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, ſed ab eis mea ſaltem ſit tuta ſententia, tuta conſcientia tuente. Sapiens quidam cùm de te loqueretur in libro ſuo qui eccleſiaſticus proprio nomine illum vocat : *multa*, inquit, *dicimus, & non pervenimus, & conſummatio ſermonum univerſa eſt ipſe.* Cùm ergo pervenerimus ad te, ceſſabunt multa iſta quæ dicimus & non pervenimus, & manebis unus omnia in omnibus, & ſine fine dicemus unum, laudantes te in unum, & in te facti etiam nos unum, Domine Deus, une Deus Trinitas quæcumque dixi in his libris de tuo agnoſcant te tui, ſi quæ de meo & tui ignoſce & tui.

Incipit oratio Sancti Prudentii

O Dee cunctiparens animæ dator ô Dee Chriſte,
Cujus ab ore Deus ſubſiſtit Spiritus unus.
Te moderante regor, te vitam principe duco.
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio fore quidquid ago veniabile apud te
Quamlibet indignus venia, faciamque loquarque :
Confiteor dimitte libens & parce fatenti.
Omne malum merui, ſed tu bonus arbiter aufer
Quod merui meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ cùm corporis hujus
Liquerit hoſpitium nervis, cute, ſanguine, felle,
Oſſibus extructum, corrupta quod incola luxu
Neu nimium complexa fovet cùm flebilis hora
Clauſerit hos orbes & * conculta jacebit — * f. conculcata
Materies, oculiſque ſuis mens nuda fruetur.
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rapidum, vultuque & voce minacem,
Terribilem, qui me maculoſum aſpergine morùm,
In præceps ut prædo trahat nigriſque ruentem
Immergat ſpecubus cuncta exacturus ad uſque

Digitized by Google

Quadrantem minimum da noſtræ debita vitæ
Multa theſauris patris eſt habitatio, Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis, nunc poſco beata
In regione domum: ſint illic caſta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia cenſum.
Divitiæ * ſemper vere tuas, ſit flore perenni
Candida virginitas animum caſtrata reciſum.
At mihi tartarei ſatis eſt ſi nulla miniſtri
Occurrat facies avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam merſam fornacibus imis,
Æſtu cavernoſo quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporea triſtis me ſorbeat ignis averno,
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æſtuque calor languente tepeſcat,
Lux immenſa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent me, pœna levis clementer adurat.

* Locus corruptus

Oratio Eugenii Epiſcopi

Rex Deus immenſe, quo conſtat machina mundi
Quod miſer en famulus poſco tu perfice clemens.
Sit mihi recta fides, & falſis obvia ſectis.
Sit mihi præcipuè morum correctio præſens.
Sim carus, humilis, verax, cum tempore præſens,
Secreti tacitus, & linguæ famine cautus.
Da fidum ſocium, da fixum ſemper amicum,
Da blandum, ſobrium parcum, caſtumque miniſtrum.
Non me pauperies cruciet aut languor obuncet.
Sit comes alma ſalus & ſufficientia victus.
Abſint divitiæ faſtus & jurgia litis,
Invidiæ, luxus, & ventris penſio turpis.
Crimine ne lædam quemquam, nec crimine lædar.
Sic benevelle queam, quo pravum poſſe recedat.
Nil turpe cupiam, faciam, vel proloquar umquam.
Te mens deſideret, lingua canat, actio promat.
Da, Pater altitonans, undoſum fletibus imbrem,
Quo valeam lacrymis culparum ſolvere moles.
Da precor, auxilium, poſſim quo vincere mundum,
Et vitæ ſtadium placido percurrrere paſſu,
Cumque ſuprema dies morte patefecerit urnam,
Concedas veniam cui tollit culpa coronam

Oratio Bedæ presbyteri

O Deus æterne mundo ſpes unica vitæ,
Da mihi ſuffragium in tanto diſcrimine firmum,
Ne caro ſuccumbat validis infirma tyrannis
Me ſimilem cineri, ventoque, umbræque memento:
Sed tuæ perpetuo pietatis quæ fulget ab ævo
Tegmine qui carnis veniens veſtitur ab alto
Aerios caro quo poſſet devincere flatus
Prœlia ſi fremitent, condamet & hoſtica ſalpix,
Te duce fidente facilis victoria ditet,
Liber ut à laqueis tete protegente profundis,
Et rex magne tui florere per edita templi.
Nam tua * noſtra amor ſitit atria dulce decuſque — * ſ noſter
Audiat angelico dulces qua carmina laudes.

Item ejuſdem

Fida manens miſeris ſolus in axe ſalus.
Et famulum à nece, Rex magne, tuere tuum.
Si ſola innumeris obvia tela paret.
Graminis utque decor ſic mea vita fugit
Eripiat ſemper fraudis ab ore tuum.
Ancipiti chelydrum percutis enſe ferrum
Et vaga ſignifero vetere caſtro Deo,
Truxque cruenta citet miles in arma ſuos,
Nexat tibi nullus pectora turbat hydros.
Altithrone mercar lucis adire vias,
Atque ſacris ſuperum celſus adeſſe choris
Cernere glorificet læta per arva domus
David quoque ſacrum perſonet ore melos.

Oratio Sancti Auguſtini

Deus univerſitatis conditor, præſta mihi primùm ut te bene rogem, deinde ut me agas dignum quem liberes, poſt modum ut liberes. Deus, cujus nos excitat fides, ſpes erigit, charitas jungit: Deus, per quem vincimus inimicum, te deprecor, Deus, per quem accipimus ne omninò pereamus. Deus, à quo admonemur ut vigilemus; Deus, per quem bona à malis ſeparamus; Deus, per quem mala fugimus, & bona ſequimur; Deus per quem non lœdimus adverſitatibus; Deus, per quem bene ſervimus & bene dominamus; Deus per quem dicimus; aliena eſſe quæ aliquando noſtra & noſtra eſſe quæ aliquando aliena putabamus, exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus,

Digitized by Google

Rex meus, Pater meus, cauſa mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea: exaudi, exaudi, exaudi me Domine more tuo illo paucis notiſſimo. Jam te ſolum amo, te ſolum ſequor, te ſolum quæro, tibi ſoli ſervire paratus ſum, quia tu ſolus juſtè dominaris. Tui juris eſſe cupio, jube, quæſo, atque impera quidquid vis: ſed ſana & aperi aures meas quibus vocem tuam audiam: ſed & ſana & aperi oculos meos quibus nutus tuos videam. Pateat mihi pulſanti janua tua, quomodo ad te perveniatur, doce me: nihil aliud habeo quàm voluntatem, nihil aliud ſcio niſi fluxa & caduca ſpernenda eſſe, certa & æterna requirenda. Hoc facio, Pater, quia hoc ſolum novi, ſed unde ad te perveniatur ignoro. Tu mihi ſuggere, tu oſtende, tu viaticum præbe. Si fide te inveniunt qui ad te refugiunt, fidem da: ſi virtute virtutem: ſi ſcientia, ſcientiam. Auge ſpem in me, auge fidem, auge caritatem. Sancte Petre intercede pro peccatis meis, ſancte Paule intercede pro infirmitatibus meis, ſancte Andrea intercede pro piaculis meis, ſancte Jacobe intercede pro malis meis, ſancte Joannes amator Domini intercede pro miſerrimis factis meis, ſancte Philippe intercede pro vanis cogitationibus meis, ſancte Bartholomee intercede pro criminibus meis, ſancte Mathee pro iniquitatibus meis, ſancte Thoma intercede pro delictis meis, ſancte Jacobe intercede pro ſceleribus meis, ſancte Thadee intercede pro tranſgreſſionibus meis, ſancte Simon intercede pro omnibus vanitatibus meis, ſancte Matthia intercede pro occultis meis. Obſecro vos omnes apoſtolos Chriſti per commemorationem veſtram ut mihi ſervolo veſtro miſereamini, & me in omni neceſſitate adjutorio adjuvetis. Rogo novem ordines angelorum, Angelos, Archangelos, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Thronos Cherubim, & Seraphim, ut intercedatis pro me, ut ſit mihi propitius Chriſtus Filius Dei vivi, & miſericordiam ejus conſequi merear hic & in futuro. Obſecro divitias bonitatis tuæ, & longanimitatis tuæ, & patientiæ tuæ, JESU-CHRISTE, Fili Dei vivi, Salvator & Redemptor mundi, ut propitius fias mihi peccatori, qui non vis mortem peccatoris ſed ut convertatur & vivat. Non extingues linum fumigantem & arundinem quaſſatam non confringes. Fac me ſicut unum de mercenariis tuis, ut efficiar à te de ſervo amicus, & fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Da mihi, Domine, compunctionem cordis & lachrymas, ut deffleam diebus ac noctibus omnes dies negligentiæ meæ cum humilitate & puritate cordis & caritate. Appropriet oratio mea in conſpectu tuo, Domine. Si iratus fueris, Domine, adverſum me, quem adjutorem quæro, aut quis miſerebitur infirmitatibus meis. Memento quod Chananæam & publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem ſuſcepiſti, clementiſſime Pater, ſic & meas orationes ſuſcipe miſericors Deus, & ſalva me Salvator mundi qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Item ejuſdem

Salva me, Domine, rex æterne gloriæ, qui ſolus potes ſalvare. Da mihi & velle & operari & perficere quæ tibi placent & mihi expediunt. Da in perturbatione & tribulatione auxilium, in perſecutione ſolatium, & in omni tempore tentationis virtutem. Tribue mihi de præteritis malis veniam, de præſentibus vitiis emendationem, de futuriſque peccatis largire digneris cuſtodiam. Deus qui præſcius es futurorum, qui tranſacta velut præſentia conſpicis. Tu Domine oculos cordis mei aperire dignare, & acceptabilem tibi fac animam meam, ut ſemper tuus amor pectus meum inflammet, & per diem tecum ſit fabulatio mea, & per noctem viſitationem tuam cognoſcam: quia dulcia ſunt eloquia tua, Domine, in faucibus meis, ſuſcipe ſpiritum meum in tua perpetua pace. Te invoco, Domine, cui aſſiſtunt omnes chori ſanctorum, & glorificant cum timore & tremore: noli derelinquere animam meam, ut non dominetur ei quem tu confudiſti in deſiderio tuo. Te invoco illuminatorem hominum & ſalvatorem & redemptorem. Clamo ad te, exaudi me,, Domine, & ſolve vincula peccatorum meorum, in quibus conſtrictus teneor qui cum patre &c.

Item unde ſuprà

Domine Deus meus, qui non habes Dominum, ſed omnia tuæ ſunt conditioni ſubjecta. Ne deſpicias me indignum famulum tuum, ſed in numero fidelium ſervorum tuorum me reputans, ante conſpectum gloriæ tuæ fac gaudere. Tu enim dixiſti: ***Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.*** Et iterum: ***Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.*** Ego te, Domine, inſpirante volo converti, imple deſiderium meum in bonum, & da præteritorum veniam delictorum, futurorum cuſtodiam vitiorum, præſentium emendationem criminum, ut vivam. Gradiens ad te pium & immenſæ pietatis dulcedinem Dominumque perveniam, qui propter genus hominum ad terras deſcendere dignatus es, & tuum pretioſum ſanguinem fundendo, gentes ad baptiſmi gratiam vocaſti, & de errore gentili liberaſti. Ego infelix quod in baptiſmo pollicitus ſum numquam ſervavi. Pœnitet me ergo egiſſe quod nequirer geſſi. Suſcipe pœnitentis lachrymas, miſerere miſericors & indulge quod feci, & hoc præſta ne faciam ampliùs. Tu conſpice, Domine, pericula mea in quæ ſubſiſto, & quibus malis circumdatus ſum, quantiſque per meum meritum adverſitatibus quatiar. Libera me, ſalva, protege, & deffende me ut non rideant de me inimici mei, quia tu es Deus meus. Sola ſpes mea in te ſolum confido, de nullius hominis ſolatio ſpero. Guberna me ut pius pater, ut poſt tantas taleſque procellas ſæculi undique ſævientes ad portum ſalutis æternæ, te duce, merear pervenire, & cum aliis quos eripuiſti laudare te Dominum meum per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Oratio ad Patrem

Domine Deus, Pater omnipotens, qui conſubſtantialem & coæternum tibi ante omnia ineffabiliter ſæcula Filium genuiſti, qui cum eo atque cum Sancto Spiritu tuo ex te eodemque Filio procedente quæcumque exiſtunt viſibilia atque inviſibilia creaſti, te adoro, te laudo, teque glorifico. Eſto, quæſo, propitius mihi peccatori, & ne deſpicias me opus manuum tuarum, ſed ſalva, & adjuva me propter ſanctum nomen tuum.

Oratio ad perſonam Filii.

Domine, JESU-CHRISTE, Fili Dei vivi, qui es verus & omnipotens Deus ſplendor & imago Patris, & vita æterna, cui una eſt cum Patre Sanctoque Spiritu ſubſtantia, æquus honor, eadem gloria, coæterna majeſtas, te adoro, te laudo, teque glorifico, ne me, obſecro, perire patiaris, ſed ſalva, & adjuva me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere pretioſo ſanguine tuo.

Oratio ad perſonam Spiritus

Domine Sancte Spiritus, Deus omnipotens, qui coæqualis, & coæternus, & conſubſtantialis Patri Filioque exiſtens, ab eis inenarabiliter procedis: qui ſuper eundem Dominum JESUM-CHRISTUM in columbæ ſpecie, & ſuper ſanctos apoſtolos in linguis igneis deſcendiſti, te adoro, te laudo, teque glorifico. Depelle à me, quæſo, tenebras totius iniquitatis & perfidiæ, & accende in me lumen tuæ miſericordiæ, & ignem ſanctiſſimi ac ſuaviſſimi amoris tui.

Oratio ad ſanctiſſimam & individuam Trinitatem

Domine Deus, omnipotens, æterne, ineffabilis, ſine fine atque initio, quem unum in trinitate & trinum in unitate confitemur, te ſolum adoro, te laudo, te glorifico, tibique miſericors & clemens gratias refero, qui me exutum nocte perfidiæ & erroris participem fieri tribuiſti gratiæ tuæ; perfice, quæſo, in me Domine cæptum in me opus miſericordiæ tuæ, & dona mihi ſemper cogitare loqui & agere quæ placita ſunt tibi, & gratuita me ubique pietate cuſtodiens; fac me indignum & miſerum ad tuam pervenire viſionem qui es unus

Oratio ad Dominum JESUM-CHRISTUM

Domine JESU-CHRISTE, rex virginum, integritatis amator, munda

Digitized by Google

munda cor meum ab omnibus ſagittis & inſidiis inimici, & extingue in me omne incendium libidinis. Da veram humilitatem, & tranquillitatem, & patientiam pectori meo. Succende mentem meam tuæ caritatis ſtimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis, poſſim cunctis diebus vitæ meæ complacere tibi, qui cum Patre

Oratio ad Sanctam MARIAM

Singularis meriti, ſola ſine exemplo, Mater & Virgo MARIA, quam Dominus ita mente & corpore inviolatam cuſtodivit, ut digna exiſteres ex qua ſibi noſtræ redemptionis pretium Dei Filius corpus aptaret. Obſecro te, miſericordiſſima Domina, per quam totus ſalvatus eſt mundus, intercede pro me ſpurciſſimo, & cunctis iniquitatibus fœdatiſſimo, ut qui ex meis iniquitatibus nil aliud dignus ſum, quàm æternæ damnationis ſubire ſupplicium, tuis Virgo ſplendiſſima ſalvatus meritis perenne conſequar regnum Per Dominum.

Oratio ad Sanctos Apoſtolos

Sanctiſſimi Apoſtoli Domini mei JESU-CHRISTI, beatiſſime Petre, Paule, Andrea, Jacobe, Joannes, Thomas, Jacobe, Philippe, Bartholomee, Mathee, Simon, Thadee, Mathias, Barnabas, Luca, & Marce, cum omnibus diſcipulis Domini mei JESU-CHRISTI orate pro me, ut abſtrahat me Dominus à mundo, ſicut abſtraxit vos, & donet me ſequi veſtigia ſua vel in extremo agmine veſtro.

Oratio ad venerabilem Benedictum

Obſecro te, Beatiſſime Benedicte, dilecte Dei, intercede pro ſervo tuo & omni ſancta hac tua congregatione, & pro univerſis ſub tuo magiſterio militantibus, ſimul & pro omni populo chriſtiano. Intercede & pro me miſero ſervo tuo, ut purget Dominus cor meum, os meum, & actus meos à cunctis vitiis. Tribuat mihi ſervare cuncta quæ præcepit, & cuſtodire ſanctæ regulæ tuæ tramitem, quam me ſervaturum ſpopondi

Oratio ad plures Confeſſores

Obſecro vos, beatiſſimi confeſſores Chriſti atque doctores, Cypriane, Baſili, Gregori, Athanaſi, Euſebi, Ambroſi, Martine, Auguſtine, Hyeronime, Germane, Leo, Joannes, Iſidore, dignemini intercedere pro me peccatore, ut concedat mihi Dominus ſervare quæ docuiſtis, & in veſtro me faciat conſortio gratulari.

Digitized by Google

Oratio ſancti Gregorii Papæ.

Dominator Domine Deus omnipotens, qui es Trinitas una Pater in Filio, & Filius in Patre, unà cum Spiritu Sancto, qui es ſemper in omnibus, & eras ante omnia, & eris per omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen. Commendo animam meam in manus potentiæ tuæ, ut cuſtodias eam diebus ac noctibus, horis atque momentis, miſerere mei Deus angelorum. Cuſtodi me per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per ſuffragia Apoſtolorum, per victorias Martyrum, per fidem Confeſſorum qui tibi placuerunt ab initio mundi, Oret pro me ſanctus Abel, qui primus coronatus eſt martyrio. Oret pro me ſanctus Enoch, qui ambulavit cum Deo, & tranſlatus eſt à mundo: Oret pro me ſanctus Noë, quem Dominus ſervavit in diluvio propter juſtitiam: roget pro me fidelis Abraham, qui primus credidit Deo, cui reputata eſt fides ad juſtitiam: intercedat pro me ſanctus Iſaac qui fuit juſtus & obediens patri uſque ad mortem, in exemplum Domini mei JESU CHRISTI, qui oblatus eſt Patri pro ſalute mundi. Poſtulet pro me felix Jacob, qui vidit angelos Dei venientes in auxilium ſibi: oret pro me beatus Moiſes, cum quo locutus eſt Dominus facie ad faciem. Subveniat mihi ſanctus David, quem elegiſti, Domine, ſecundùm cor tuum. Deprecet pro me Elias propheta, quem elevaſti in curru igneo uſque ad cœlum. Oret pro me Eliſeus propheta, qui ſuſcitavit puerum mortuum poſt mortem ſuam. Oret pro me ſanctus Iſaïa, cui mundata ſunt labia igne cœleſti. Adſit mihi beatus Hyeremias, quem ſanctificaſti, Domine, in utero matris ſuæ. Oret pro me Ezechiel ſanctus propheta, qui vidit viſiones admirabiles. Precetur pro me electus Daniel ac deſiderabilis Dei, qui ſolvit ſomnia regis, & interpretatus eſt, & bis liberatus eſt de lacu leonum. Subveniant mihi tres pueri, quos liberaſti ab igne. Et duodecim prophetæ Oſee, Joel, Amos, Abdias, Abacuc, Micheas, Jonas, Naum, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Eſdras. Hos omnes invoco in auxilium mihi. Aſſiſtent mihi omnes apoſtoli Domini noſtri JESU-CHRISTI Petrus & Paulus, Andreas & Joannes, duo Jacobi, & Bartholomeus, Thomas, & Matheus, Barnabas, & Mathia, & omnes martyres tui, & omnes ſancti tui Domine intercedant pro me. Depelle à me, Domine, concupiſcentiam gulæ, & da mihi virtutem abſtinentiæ. Fuga à me ſpiritum fornicationis, & da mihi ardorem caſtitatis, & extingue in me cupiditatem, & da mihi voluntariam paupertatem. Cohibe iracundiam meam, & accende in me nimiam animæ ſuavitatem & caritatem Dei & proximi. Subtrahe à me, Domine, ſæculi hujus cupiditatem, & da mihi voluntariam paupertatem. Abſcide à me, Domine, triſtitiam ſæculi, & auge mihi gaudium ſpiritale. Expelle jactantiam mentis meæ, & tribue mihi compunctionem cordis. Minue ſuperbiam meam, & perfice in

me humilitatem veram, quia indignus ego ſum & infelix homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Niſi gratia Domini noſtri JESU-CHRISTI; quia ego peccator ſum & innumerabilia delicta mea, & non ſum dignus vocari ſervus tuus. Suſcita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum, & accende in me ignem timoris & amoris tui, quia ſum cinis mortis. Libera animam meam ab omnibus inſidiis inimici, & conſerva me in tua voluntate. Doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu, tibi honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item alia oratio

Chriſte parce, & miſerere mei, non ſecundùm merita mea, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Deprecor bonitatem tuam, noli me deſpicere peccatorem, noli me reprobare, ſed ſuſcipe me ſecundùm eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Miſerere mei, Domine, quia peccavi tibi. Da mihi fontem lachrymarum, fons vitæ & lux luminis. Concede mihi in præſenti vita veram pœnitentiam de peccatis meis, & in bono perſeverantiam. Domine exaudi orationem meam, qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio

Miſerator & miſericors Deus, qui & barbaros vis ſalvare, & ad agnitionem veritatis tuæ venire, ad te confugio fidelium ſalvatorem. Miſerere mihi quia te plurimum exacerbavi, & inimico conſentiens congaudere eum feci, quia in mortem peccati decidi. Tu, Domine, qui & impiis & his qui ſunt ſine miſericordia, miſeris & proximis miſericordiam impendis, miſerere humilitati meæ: Apud te enim, Domine, nihil eſt impoſſibile. Fac miſericordiam figmento tuo, quia benignus & miſericors es, qui & corpora hominum in die reſurrectionis reſſuſcitaturus es, exaudi me, Domine, quia defecit ſpiritus meus, & infelix anima mea; tabefactum eſt, etiam corpus meum propter immunditiam, & jam vivere non ſum dignus propter iniquitatem meam. Ignoſce mihi, Domine, pœnitenti peccata mea, vivifica me miſericordia tua, & tribue mihi cor contritum & humiliatum quod non deſpicis. Da fiduciam miſericordiæ & indulgentiæ tuæ, ut reſiduum tempus vitæ quod mihi donaveris tua mandata cuſtodiam, & à timore tuo nunquam recedam: ſed ut devotè tibi deſerviam, & voluntatem tuam ſincerè perficiam. Parce mihi quia tuæ bonitati confiteor omnia peccata mea coram ſanctis angelis tuis, & coram juſtis hominibus, Domine, miſerere mei ut & alios erudiam, & ad ſervitium tuum ſanctum perducam. Domine vivifica me, & conforta in voluntate tua, & perſeverantiam boni operis tribue mihi, & cautelam neceſſariam contra omnes inſidias inimici, ſcientiam quoque, & fortitudinem ejus

Digitized by Google

tentationibus reſiſtendi. Miſerere mei, & exaudi me, Domine Deus meus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro invidia hominum

Libera nos, Domine, à latratu hominum peſſimorum, ut detrahentia vomituum eorum cœnoſa contagia noſtram quæ à te eſt non polluant puritatem. Te deprecamur pius dominator Deus, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio quotidiana

Omnipotens ſempiterne Deus, te humiliter deprecamur, ut non nos permittas perire quia tuæ creaturæ ſumus. Concede nobis ſpatium vitæ vivendi, ut ante diem exitus noſtri per veram pœnitentiam tibi placere mereamur. Per Dominum.

Confeſſio & oratio Sancti Auguſtini de libris confeſſionum ejus

O Domine JESU, qui omnibus te puro corde quærentibus miſereris, quantum ſpatiatus ſum in mea memoria quærens te; & quia nemo aliubi te invenit niſi miſeratione tua demonſtrante in memoria ſua. Nam ex quo te puro corde didici, non ſum oblitus tui. Ubi enim inveni veritatem, ibi te inveni Dominum meum. Itaque ex quo te didici, manes in memoria mea, & illic te invenio cum reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt enim ſanctæ deliciæ meæ quas dediſti in miſericordia tua, reſpiciens paupertatem meam. Tu enim dediſti hanc dignationem in memoriam meam, ut maneas in ea. Ubi ergo te inveni, ut diſcerem te niſi in te etiam ſuprà me, quia es ubique plenus atque perfectus Deus meus. Et quiſquis te puro corde quæſierit, miſericordia tua inſeres te in memoriam quærentis te: ut ibi inveniet te. Tu enim ſolus es Veritas, & ubique præſides, omnibuſque conſulentibus te ſimul reſpondes omnibus, etiam diverſa conſulentibus liquidè tu reſpondes: ſed non liquidè omnes tuam reſponſionem audiunt. Optimus miniſter tuus eſt, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipſe carnaliter voluerit: ſed potiùs hoc velle quod à te audierit. Heu mihi miſero quod tam ſero amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova. Tu enim ſancta gratia tua me vocaſti, & rupiſti ſurditatem meam, illuminaſti cor meum, & fugaſti cœcitatem meam. Dediſti enim mihi ſenſum purum ut cognoſcerem te; dediſti & amorem ut diligerem te, dediſti & voluntatem ut exardeſcerem in ſanctam pacem tuam. Cum enim ſancta tibi inhæſero voluntate, nullus mihi nocebit dolor & labor: ſed viva erit vita mea tota plena gratia tua, quoniam quem tu imples ſublevas eum; cum enim tui plenus non ſum oneri mihi ſum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus, & ex qua parte ſtet victoria neſcio. Contendunt mœrores

mei mali cum gaudiis bonis, & ex qua parte ſtet victoria neſcio. Hei mihi, Domine, miſerere mei! Hei mihi ecce vulnera mea non abſcondo: medicus enim tu es ego æger ſum! tu miſericors es, ego verò miſer. Nam quid tentatio eſt vita humana ſuper terram? Et tota ſpes mea non niſi in magna valdè miſericordia tua? Da Domine nobis & velle & poſſe perficere quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam, ſed nemo poteſt eſſe continens niſi tuo dono. Et hoc ipſum eſt ſapientia ſcire cujus hoc donum eſt. Per continentiam quippe colligimur in membra corporis tui, & redigimur in unum à quo in multa defluximus. Minùs enim te amat quam debeat qui tecum aliquid amat. O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! Tu es caritas vera, tu es caritas pura. Deus meus, extingue in me omnem concupiſcentiam malam, & accende in me ſuaviſſimam caritatem. Continentiam jubes, tu miſericors Deus, da quod jubes. Jubes certè ut contineam à concupiſcentia oculorum, & ambitione ſæculi iſtius: ſed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi conſuetudo mea fixit, & occurſantur mihi. Numquid non poteſt manus tua Deus omnipotens ſanare omnes languores animæ meæ? atque abundantiore gratia tua laſcivos motus etiam mei operis extinguere? auge in me, Domine, auge magis magiſque in me munera tua ut anima mea in me ſequatur te. Qui cum Patre & Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus, vivens & dominans per omnia, & ſuper omnia in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio ejuſdem contra illuſiones ſomnii

Domine, JESU-CHRISTE, miſerere mei, & cohibe in me omnis iniquæ concupiſcentiæ motum; ita ut neque in ſomnis ſit mihi rebellis; ut non me compellat corruptelarum turpitudines perpetrare, quæ per imagines animales, me uſque ad carnis fluxum in ſomnis conantur ſeducere. Sed nec conſentiat quidem animus malignæ ſuaſioni. Nam ut nihil tale vel tantulum libeat quantulum poſſit nutu cohiberi, etiam in caſto dormientis affectu non magnum eſt agere tibi omnipotenti Deo, qui vales facere ſuprà quàm petimus aut intelligimus: nunc tamen quid adhuc ſum in hoc genere mali mei dixi tibi bono Domino meo, exultans cum tremore in eo quod donaſti mihi, & lugens in eo quod adhuc imperfectus ſum, ſperans perfecturum te in me miſericordias tuas, uſque ad plenariam pacem quàm tecum habebunt interiora & exteriora mea cum abſorta fuerit mors in victoria. Præſta hoc & fac omnipotens Deus qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio contra gulæ vitium

Omnipotens mitiſſime Deus, tua gratia inſpirante, & tua miſe-

Digitized by Google

ricordia auxiliante, malignis tentationibus quotidiè conor reſiſtere, & invoco ſuper me auxilium gratiæ tuæ & ad te reſſero æſtum animi mei, qui conſilium mihi de hac re non eſt aliunde niſi à te Deus meus miſericordia mea. Audio denique jubentem vocem tuam, non graventur corda veſtra in crapula & ebrietate. Ebrietatem rogo miſericors, ut longè facias à me miſerere ne decipiat me. Crapula autem non nũnquam ſubripit ſervo tuo, miſerere ut avertas eam à me. Nemo enim poteſt eſſe continens niſi tu des. Multa bona nobis orantibus tribuis, & quidquid boni antequam oraremus accepimus, à te accepimus. Et ut poſteà hoc cognoſceremus à te accepimus, audivi aliam vocem tuam poſt concupiſcentias tuas non eas & avertere à voluntate tua. Audivi & illam ex munere tuo quam multum amavi, neque ſi manducaverimus abundabimus, neque ſi [non] manducaverimus deſficimus. Hoc ita intelligitur nec eſca me copioſum faciet, nec eſuries ærumnoſum, quia anima de jejunio reſſicitur. Audivi & alteram. Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe. Scio & abundare ſcio penuriam pati, omnia poſſum in eo qui me confortat. Chriſtus Deus miſericors conforta me, da velle, & poſſe quod jubes, jube quod vis: unde apparet, ſancte Deus meus, te dare cum fit quod imperas fieri. Eripe me, piiſſime Deus, ab omni tentatione & ab omni malitia, & quis eſt, Domine, qui non rapitur extra metus neceſſitatis. Nam quiſquis ille eſt miſericordia tua magnus eſt: dignum eſt ut magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator homo ſum, ſed tamen magnifico ſemper nomen tuum, qui interpellat te pro peccatis meis, Pater ſancte Chriſte, qui viciſti ſæculum numera me vel inter firma membra corporis tui; quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Juſti autem tui omnes in libro tuo ſcribentur per te datorem bonorum omnium, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas unus Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

De oratione quotidiana

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. *Tribus vicibus cum* gloria. Domine JESU-CHRISTE Fili Dei vivi, nomine tuo levabo manus meas. Deus omnipotens adjuvare mihi digneris, & ſcientiam, & intellectum, & voluntatem bonam unà cum fide catholica dona mihi in ſervitium tuum. Domine, tu es qui veniſti ſalvare peccatores, ſalva nos. Deus quomodo vis ſicut tibi placet. Domine Deus clementiſſime auxiliare mihi digneris. Tu enim ſcis quid nobis oportet.

Incipit confeſſio

Deus ineſtimabilis miſericordiæ, Deus immenſæ pietatis, Deus conditor & reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe ante conſpectum divinæ clementiæ tuæ, ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, virtutem tuam totis exoro gemitibus, ut ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum de omnibus peccatis meis, de quibus me accuſat conſcientia, puram mihi concedas coram te agere confeſſionem, veramque ex his omnibus & condignam mihi tribuas pœnitentiam, quæcumque peccavi in cogitationibus peſſimis, in meditationibus pravis, in conſenſu malo, in conſilio iniquo, in concupiſcentia, atque delectatione immunda, in verbis otioſis, in factis malitioſis, in viſu, in auditu, in guſtu, in odoratu, & tactu. Tu enim, miſericors Deus, ad operandam mihi animæ meæ ſalutem membra ſingula humanis uſibus apta dediſti: ſed ego miſerrimus omnium & peccator te æternæ ſalutis authorem contempſi, & æterna mihi inimico incendia præparanti ſuadente conceſſi. Lapſus ſum in peccatis, corrui in delictis, in membris ſingulis naturæ modum exceſſi, & impiiſſime pravis & perverſis laboribus obnoxium me feci. Pedes mei ad currendum in malum ſequendo libidinem ſuprà modum veloces fuerunt, & in obedientia mandatorum tuorum imbellices, crura mea ad me ſuſtinendum in malum fortia, genua mea ad fornicationem potiuſquam ad adorationem libenter flexi, in femoribus, & in genitalibus meis ſuprà modum, in omnibus me immunditiis contaminare non metui, & reum me omni hora peregi. Venter meus, & viſcera omnia crapula ſunt jugiter & ebrietate diſtenta. In renibus & lumbis illuſione diabolica ac flamma libidinis turpiſſimo ardeo deſiderio. Latera enim mea luxuriam malitiæ non formidant perpetrare. Dorſum meum ad iniqua roboravi opera, & collum meum in carnali erexi ſuperbia; humera mea ad portanda nequitiæ onera ſubdidi, & brachia inlecebroſis jugiter amplexibus præbui. Manus meæ plenæ ſunt ſanguine omnibuſque ſordibus ſunt pollutæ, promptæ ad omne opus pravum, pigræ ad aliquod operandum bonum. Os meum nefario pollutum eſt oſculo, & iniqua eſt concupiſcentia maculatum, verbiſque luxurioſis ac fabulis otioſis ſuperabundanter me, & mendacio coinquinavit. Gulæ ſemper & ebrietati deditus carnalibus nunquam deſideriis ſatiatus: ſed & lingua mea detractione eſt & omni fallatia profanata, guttur meum inſatiabili ſemper ardet ingluvia, aures meæ doloſis aptus eſt loquelis, promptæ ad omne malum, ſurdæ ad omne bonum. In naribus namque ſœpius iniquis delectatus ſum odoribus, in quibus etiam putredinem delictorum minimè horrui. Quid igitur dicam de oculis qui multis me criminibus fecerunt obnoxium, omnemque ſenſum cordis mei averterunt, quibus in omni conſenſi

Digitized by Google

libidine, qui & me quamvis raro in ſanctuario tuo, te Domine adorante intuitu perverterunt iniquo, omnemque motum corporis mei ad immunda pertraxerunt deſideria? caputve meum omnibus ſupereminens membris rarò unquam, Domine, ad te creatorem meum inclinavi: ſed etiam cæteris membris in omni malitia conſentaneum feci. Cor meum plenum dolo, & nequitia numquam pura purgavi pœnitentia, ſæpeque diabolica pollui illuſione; nec numquam ſatis vera ablui confeſſione. Non enim hæc narrans tuam, Domine, in me blaſphemo creaturam: ſed meam à te, piiſſime Deus, expoſco medicinam, qui etiam in omnibus membris meis me reum intelligo ſuper menſuram, quia ut aſtra cœli atque arena maris mea ita innumerabilia eſſe cognoſco delicta. Inſuper etiam ita triſtitia, accidia, jactantia, avaritia, atque deſidia, omnibuſque octo principalibus vitiis obnoxium me eſſe profiteor: ſed tu Domine occultorum cognitor qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem, tibi omnia cordis mei revelo arcana: reſpice in me & miſerere mei, fontemque lachrymarum, & remiſſionem omnium peccatorum intima mihi cordis confeſſione tribue poſcenti. Renova, innova in me, piiſſime Pater, quicquid actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum eſt & unitati corporis eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia ad ſacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per JESUM-CHRISTUM unigenitum filium tuum Dominum & Salvatorem noſtrum, qui tecum unà cum Sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus per immortalia regnans ſæcula ſæculorum. Amen.

Item oratio

Deus juſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui dixiſti: nolo mortem peccatoris: ſed magis ut convertatur & vivat, ſuſcipe me, piiſſime Pater, pœnitentem famulum tuum, quia tibi confiteor omnia delicta & peccata mea quæcumque peccavi coram te & coram ſanctis angelis tuis, in cogitatione, in verbo, & opere, in omnibus ſimul vitiis & peccatis, ſive in ſuperbia & elatione: unde me graviſſime reor eſſe pollutum, & in omnibus peccatis quæ naſcuntur ex ea, in obedientia, in præſumptione iniqua, atque in pertinacia & contentione, vel etiam in arrogantia & obſtinatione ſive in gula, in qua me ſuper menſuram occupatum æſtimo, & in univerſis vitiis quæ generantur ex ea, in inhoneſta lætitia, in ſcurilitate & riſu, in vaniloquio, in immunditia ſimul cordis & corporis, in inſtabilitate mentis, in libidine & ebrietate, in comeſſatione non modica, in fornicatione quoque multis modis me pollutum eſſe ſentio, & in cunctis ſceleribus quæ pullulantur ex ea, in cœcitate mentis, in viſu malo & noxio, in auditu

Digitized by Google

auditu vano ac turpi, in guſtu immoderato, in odoratu ſceleſto, in tactu nequiſſimo, in conſenſu delectationis malignæ, in immenſo amore propriæ voluntatis, in periculo vitæ, in laſcivia & petulantia, in incontinentia mali deſiderii, in conſilio iniquitatis, in odio mandatorum tuorum, & in negligentia atque in inconſideratione vitæ futuræ, in avaritia quoque ſuperabundanter me ſpero eſſe demerſum, & in tota ſerie criminum quæ procedunt ex ea; in invidia & dolo, in furto & rapina, in perjurio atque mendacio, nec non & falſo teſtimonio, in inquietudine mentis, in injuſto judicio vel fraude, in veritatis contemptu, in oblivione beatitudinis ſempiternæ, & in obdurationе mortis. Deinde in ira & in iracundia nimium me eſſe arbitror depravatum, & in omnibus delictis ejus radice ſurgentibus, in tumore mentis, in rixa & diſſenſione, in contumelia, in injurgandi vel ulciſcendi amore, in odio, in impatientia, in maledictionibus & blaſphemiis, in indignatione iniqua, in recordatione injuriæ meæ, in acidia etiam immenſa ſpero me nimium obnoxium eſſe, & in omni labe facinorum ex ejus fomite prorumpentium, in ſomnolentia & boni operis pigritia, in inconſtantia, in pervagatione mentis, in trepidatione laborandi, in tædio cordis, in moratione atque delectatione, in triſtitia injuſta ab antiquo in me hoſte commiſſa, & in ejus ſemine nequiſſimo valdè timeo me obvolutum, in malignitate animi, in aſperitate linguæ, in amaritudine verborum, in rancore animi, in puſillanimitate, in cœnodoxia namque vitio & in omnibus malis quæ prodeunt ex ea valdè me depravatum eſſe arbitror, in jactantia, in arrogantia, in indignatione proximorum, in diſcordia, & hypocriſi, & innumeris peccatis. Inſuper etiam multis in afflictione & in anguſtia conſtitutis per gratiam tuam ſubvenire potui, multoſque de tribulatione & anguſtia liberare, ſed meis peccatis tardantibus minus hoc egi, quàm debui, & ſœpe ſciens malum perſilui, & bonum loqui neglexi: unde nunc reum me eſſe graviſſime ſentio, meque reum eſſe confiteor, ſed tu, Domine, qui omnia noſti etiam antequam fiant, tibi patefaciam omnia facinora cordis mei, tuam miſericordiam humiliter invoco, ut omnia quæcumque peccavi coram te, & de quibuſcumque mea me accuſat conſcientia, ſeu quæ confeſſus ſum, ſeu quæ per negligentiam vel oblivionem detegi in cogitatu, in verbo & opere, vel in negligentia mea, hæc omnia oblivioni in perpetuum tradas. Tu Deus infinitæ miſericordiæ, qui omnibus invocantibus te in veritate ſubvenire ſoles, te ſupplici mente depoſco, ut ex his omnibus mihi in hujus vitæ ſpatio compunctionem ſaluberrimam ex intimo corde, veramque pœnitentiam, confeſſionem puram, emendationemque per omnia dignam, uberem etiam lachrymarum fontem quo defleam mala quæ commiſeram largire digneris. Nam ſi qua ſunt deſupra nominatis, quibus non ſum pollutus, tuæ eſt, Domine, pietatis deffenſio, malum verò ſemper à me factum ſcio, ab incautione mea vel etiam ignorantia. Tuum tamen, Domine, plaſma ſum, meque ſa-

Nnnu

cratiſſimo & pretioſiſſimo ſanguine tuo redemiſti. Miſerere mihi & gemitum fructiferum tribue, ne iterum lugenda committam. Tu, Domine piiſſime, omnium largitor bonorum, tribue mihi contra ſpiritum ſuperbiæ humilitatem veram, per quam univerſa mala ſuperbiæ valeam vincere; contra gulam & concupiſcentiam malam continentiam dignam; contra immunditiam fornicationis cordis & corporis caſtitatem, & totius pravæ delectationis mortificationem, jejunii vel orationis inſtantiam, atque vigiliarum conſuetudinem ſanctam: ita ut omnia valeam tentamenta diaboli per miſericordiam gratiæ tuæ ſuperare, contra avaritiam tibi placitam largitatem, vires & ſcientiam ſuperandi omnia quæ naſcuntur ex ea contra iræ impetum patientiam, & temperantiam animi: ita ut omnia quæ prodeunt ex ea extinguantur in me: contra acidiam boni operis perſeverantiam & ſtudium ſancti certaminis ad implendam in omnibus voluntatem tuam quantum tuæ ſit donum pietatis in me: contra triſtitiam gaudium mihi, Domine, tribue ſpiritalem per quod omnia vitiorum mala penitùs evellantur; contraque vanam gloriam, pleniſſimam fidem, ſpem firmam, & caritatem perfectam, ut te toto corde, tota mente, tota etiam merear virtute diligere, hic quoque omnium peccatorum remiſſionem pleniter percipere, & in futuro æternam lætitiam poſſidere quod ipſe nobis præſta, Filius Dei manens & regnans cum Patre & Spiritu Sancto unus Deus in trinitate & in unitate perfecta in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio quam dicit ſacerdos ſuper pœnitentem

Deus clementiæ, Deus miſericordiæ, Deus indulgentiæ, propitiare dignare ſupplicationibus noſtris, & clementer ſuſcipe famulum tuum pœnitentem, atque per tuorum omnium ſanctorum interceſſiones, & merita, cordis compunctionem illi ſanctam largire & pœnitentiam veram, puramque confeſſionem de omnibus peccatis ſuis præteritis, præſentibus atque futuris, locumque ſatisfactionis & ſpatium emendandi fontem quoque uberem lachrymarum dignè deflere ſuorum cumulum delictorum, cautionemque neceſſariam, ne iterùm lugenda committat. Dimitte ei, Domine, facinora, dimitte peccata omnia in cogitatu, in verbo ſimul & opere, eumque deinceps in ſemitis juſtitiæ, & in tuæ voluntatis opere perfectè corrobora atque conſerva ut inter tuos fideles miniſtros in cuſtodia mandatorum tuorum fidelis omninò permaneat, hic remiſſionem veram percipiat & in futuro vitam æternam poſſideat per te CHRISTE JESU, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen

Confeſſio pura

Truhtin dir uvir duih pigihlik allero minero ſuntono enti miſſatatio. Alles deſihio miſſa ſparh eddo miſſateta eddo miſſadahta uvoſto

Digitized by Google

enti uvercho enti Kidancho deſihkihukkiu eddoni gahukkſu Deſih uvizzanto hiteta eddo un uvizzanto notax eddo un notax ſlaſſanti eddo uvacheuti mein ſuartio entilugino. Hyridono enti un rehterufizur heiti huorono ſouvieloihſio hiteta enti un rehtero firinluſtio inmuoſe in tranche enti in un rechteno ſlaſe daztunir truh tin hiniſt enti hinada hauverdos farge pan dazih foradinem augom uns hamentiſi enti dazih in deſeru uveralti minero miſſaiatio hrivum enti haum sharahapen muozzi ſolih hoſodino miltidaſin alles uvaltantio truhtin. Te Domine, pius dominator, & miſericors Deus, ſupplices trementeſque deprecamur, ut per miſericordiam tuam actiones noſtras tua gratia illuminate digneris, & adjuvando in bonum finem perducere qui regnas Deus in trinitate. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item alia confeſſio

Domine ſancte, Pater omnipotens, & miſericors Deus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem, te ſupplices deprecamur, ut ſancta gratia tua corda noſtra illuminare digneris, & compunctionem nobis largiri ſaluberrimam, qua poſſimus, & noſmetipſos & peccata noſtra humiliter agnoſcere, & deflere ſalubriter, omniumque delictorum & peccatorum noſtrorum de quibuſcumque noſtra nos accuſat conſcientia, puriter coram te & coram ſanctis angelis tuis confeſſionem agere, & fructum dignum pœnitentiæ exercere, ſicut tibi, Domine, confiteamur omnia peccata noſtra capitalia atque minuta, de omni ſuperbia & vana gloria atque jactantia, de ſacrilegio & homicidio, ſi ullo modo polluti ſimus, de fornicatione & adulterio, de omnique libidine quocumque modo maculati ſumus, de omni avaritia & concupiſcentia mala, de omni gula & ebrietate, de odio & invidia, de ira & omni perturbatione animi, de mendacio & falſo teſtimonio, de multiloquio, detractione, & de omni otioſo ſermone, atque perjurio, de fraude & furto ſive rapina, de maledictione ſive adolatione iniqua atque de indiſcreto ſilentio, ſi pauperes clamantes exaſperavimus, & eorum curam neglexìmus, quòd infirmos & in vinculis conſtitutos non viſitavimus, quòd diſcordes ad concordiam revocare neglexìmus, quòd ad orationem ſanctam pigriores & tardiores quàm oportuit fuimus, quòd ad eccleſiam tardiùs venimus, quòd aliis jejunantibus nos noſtram gulam non conſtrinximus. De ſomno atque acidia, de omni torpore & otio, ſive de zelo iniquo, de omnibus ſimul vitiis & negligentiis noſtris, ſive in cogitatu, ſive in loquela, ſive in opere malo, quocumque modo peccavimus, ſcienter, aut ignoranter, voluntariè vel inviti, dormiendo ſive vigilando, tu clementiſſime Pater, de omnibus peccatis & negligentiis noſtris de omnique incuria noſtram veram & fructuoſam nos pœnitentiam agere tribue ante diem exitus noſtri, & emendationem condignam atque neceſſariam bonis operibus exercere, ut per merita & interceſſiones

Digitized by Google

ſanctorum & omnium perfectorum tuorum veram indulgentiam mereamur te largiente Domino atque auxiliante qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen

Confeſſio inter miſſarum ſolemnia recitanda.

Suſcipe confeſſionem meam unica ſpes ſalutis meæ, Domine Deus meus, gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triſtitia, acidia, ſomnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falſitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac ſuperbia perditus ſum, & omninò cogitatione, locutione, actione, atque omnibus ſenſibus extinctis, qui juſtificas impios & vivificas mortuos, juſtifica me, & reſuſcita me, Domine Deus meus, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio à Euchariſtia perceptione

Domine JESU-CHRISTE, fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificaſti, libera me per hoc ſacrum corpus & ſanguinem tuum à cunctis iniquitatibus & univerſis malis, & fac me tuis obedire præceptis, & à te nunquam in perpetuum digneris ſeparari

Oratio ante altare

Deus propitius eſto mihi peccatori, quia tu es immortalis & ſine peccato. Tu ſolus, Domine Deus meus, tu es benedictus, qui benedicis omnia; tu es ſanctus qui ſanctificas. Domine Deus meus indulge mihi indigno famulo tuo peccatori, quia peccator ſum & indignus, quia præſumo ad ſanctum altare tuum invocare te; quia peccavi coram te & coram angelis tuis; ſed tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in ſancta eccleſia tua, in fide orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ſancti Ambroſii ante miſſam

Ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ reus aſſiſto, qui invocare nomen ſanctum tuum præſumo: miſerere mihi, Domine, homini peccatori: ignoſce indigno ſacerdoti per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe præ cæteris capitalium polluto, & non intres in judicio cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, ſcilicet vitiis ac voluntatibus carnis aggravati. Recordare, Domine, quod caro ſumus, in tuo conſpectu etiam cœli non ſunt mundi, quantò magis nos homines terreni

immundi ſicut pannus menſtruatæ. Indigni ſumus, JESU-CHRISTE ut ſimus viventes, ſed tu qui non vis mortem peccatoris, da nobis veniam in carne conſtitutis, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruamur in cœlis per te JESU-CHRISTE, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen

Item oratio ejuſdem

Ignoſce, Domine, quòd dum rogare compellor, dum per immunda labia mea nomen ſanctum tuum aſſumo, & immundorum actuum ſecreta confiteor, non habeo apud te verba ſine crimine. Tu enim conſcientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta noſti, & immunditias meas tu ſolus agnoſcis. Miſerere mihi, Domine, ignoſce myſterii tui ſecreta tractanti, nec indignum miſericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo teſtimonium boni operis non agnoſcis, officium ſaltem diſpenſationis credere non recuſes, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen

Ad orationes ſpeciales faciendas

Miſerere, Domine, miſerere, Chriſte, tu miſericordia mea, miſerere mihi. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut credam in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut cognoſcam te. Miſerere, Domine; Miſerere, Chriſte, ut diligam te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ſperem in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut anima mea vivat in te. Miſerere, Domine; Miſerere, Chriſte, ut caro mea exultet in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut vita mea perficiatur in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, Deus Pater, gloria mea, vita mea. Miſerere, Chriſte, Salvator, ſalus mea, fortitudo mea. Miſerere, Spiritus Paracletus, conſolatio mea, illuminatio mea. Miſerere, Domine Deus Trinitas & unitas. Te laudo, te adoro, te confiteor, pax mea, ſpes mea, laus mea, lux mea, pulchritudo mea, beatitudo mea: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ſemper ubique in ſæcula ſempiterna. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, tu miſericordia mea: miſerere mihi; miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut bene rogem te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut dignum me facias exaudiri. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut exaudias me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ſanctam voluntatem tuam doceas me. Miſerere, Domine; miſerere Chriſte, ut in charitate tua enutrias me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut Spiritu Sancto tuo illumines me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut credam in te. Miſerere, Domine; miſerere Chriſte, ut cognoſcam te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut diligam te.

Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ſperem in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut à morte perpetua eripias me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut de omnibus peccatis meis veram pœnitentiam tribuas mihi. Miſerere, Domine, miſerere, Chriſte, ut remiſſionem omnium peccatorum tribuas mihi. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ab omni tribulatione eripias me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ab omni immunditia cordis & corporis liberes me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut fomitem libidinis extinguas in me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ab inſidiis diaboli liberes me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ab immunda cogitatione liberes me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut ab omni malo liberes me. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut anima mea vivat in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut caro mea exultet in te. Miſerere, Domine; miſerere, Chriſte, ut vita mea perficiatur in te. Miſerere, Domine, Deus, Pater, gloria mea, anima mea. Miſerere, Chriſte, Salvator, ſalus mea, fortitudo mea. Miſerere, Spiritus Paracletus, conſolatio mea, illuminatio mea. Miſerere, Domine, Deus, Trinitas & Unitas. Te laudo, te adoro, te confiteor, pax mea, ſpes mea, laus mea, lux mea, pulchritudo mea, beatitudo mea. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ſemper ubique in ſempiterna ſæcula.

Ad laudem Dei oratio pura

Adeſto lumen verum, Pater, omnipotens Deus. Adeſto lumen de lumine, Verbum & Filius Dei, Deus omnipotens. Adeſto, Sancte Spiritus, Patris & Filii concordia, Deus omnipotens. Adeſto, Deus vivus, omnipotens, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Doce fidem, excita ſpem, infunde caritatem. Velle mihi adjacet, ſed hoc non à me, ſed à te, mundum & terras linquere, & cœlum petere, ſed imbecilla pluma eſt velle ſine ſubſidio tuo. Da fidei pennas ut volem ſurſum ad te.* Nunc fidem in te, per te, de te. Confiteor te unum in ſubſtantia, Trinitatem in perſonis. Confiteor & tres unum & unum tres. Confiteor, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, o beata Trinitas. Deus, Dominus, Paracletus, o beata Trinitas. Caritas, Gratia, communicatio, o beata Trinitas. Caritas Deus eſt, Gratia Chriſtus, communicatio Spiritus Sanctus, o beata Trinitas. Genitor, Genitus, Regenerans, o beata Trinitas. Verum lumen, verum lumen ex lumine, vera illuminatio, o beata Trinitas. Inviſibilis inviſibiliter, Viſibilis inviſibiliter, Inviſibilis viſibiliter, o beata Trinitas. Fons, Flumen, Irrigatio, o beata Trinitas. Ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia, o beata Trinitas. A quo, per quem, in quo omnia, o beata Trinitas. Vivens vita, Vita à vivente, Vivificator

Digitized by Google

viventium, o beata Trinitas. Unus à ſe, Unus ab uno, Unus ab ambobus, o beata Trinitas. Oñ à ſe, oñ ab altero, oñ ab utroque, o beata Trinitas. Omne autem oñ ſemper in tribus, & omne oñ æqualiter in ſingulis, o beata Trinitas. Verax Pater, Veritas Filius, veritatis Spiritus, o beata Trinitas. Una igitur Pater Λόγος, Paraclerus, quæ ſubſtantia eſt, o beata Trinitas. Una eſſentia, una virtus, una bonitas, o beata Trinitas. Deus beatitudo in quo, & à quo, & per quem beata ſunt quæcumque beata ſunt omnia, o beata Trinitas. Deus vera & ſumma vita, in quo, & à quo, & per quem vivunt quæcumque verè ſummèque vivunt omnia, o beata Trinitas. Deus bonum & pulchrum, in quo, & à quo, & per quem bona & pulchra ſunt quæcumque bona & pulchra ſunt omnia, o beata Trinitas. Deus cui nos fides excitat, ſpes erigit, caritas jungit, o beata Trinitas. Deus qui petere jubes, & invenire facis, & pulſantibus aperis, o beata Trinitas. Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil, o beata Trinitas. Te invocamus, te adoramus, te laudamus, o beata Trinitas. Exaudi, exaudi, exaudi, o beata Trinitas. Spes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter, o beata Trinitas. Auge in nobis fidem, auge ſpem, auge charitatem, o beata Trinitas. Libera nos, ſalva nos, juſtifica nos, o beata Trinitas. Miſerere, Domine, quia miſericordia tua liberavit nos, o beata Trinitas. Miſerere, Domine quia miſericordiâ tuâ credimus in te, o beata Trinitas. Miſerere, Domine, quia miſericordiâ tuâ cognovimus te, o beata Trinitas. Miſerere, Domine, quia miſericordiâ tuâ, ſperamus in te, o beata Trinitas. Miſerere, Domine, quia miſericordiâ tuâ amamus te, o beata Trinitas Te adoramus cuncti unum Dominum Patrem, & Filium, Sanctumque Spiritum, o beata Trinitas. Da peccatis veniam, præſta æternam vitam, dona pacem & gloriam, o beata Trinitas. O beata, & benedicta, & glorioſa Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus! O beata Trinitas! o beata, benedicta, glorioſa unitas, Pater, Filius, Spiritus Sanctus! O beata Trinitas! o vera, ſumma, ſempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus! O vera, ſumma, ſempiterna Unitas Pater, Filius, Spiritus Sanctus! Miſerere nobis, miſerere nobis, miſerere nobis, o beata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula ſempiterna, o beata Trinitas. *Quando cogitatio vana gloria vel ſuperbia te impugnant, perſcrutare te ipſum, ſi omnia mandata Dei ſervaſti, ſi inimicos diligas, ſi gaudes in gloria inimici tui, ſi contriſtaris in dejectione ejus, ſi apud te habes quoniam ſervus inutilis, & omnibus hominibus plus peccator; & iterum ex cubile tuo proprio mane conſurgens antequam in opus aliquod occuparis, dic* quod omnes homines ingrediuntur in regnum Dei propter juſtitias ſuas, ego autem ſolus propter peccata mea ſpero me pœnas hereditare perpe-

Digitized by Google

tuas, niſi miſeratio tua ſubvenerit mihi. Peccavi, Domine, miſerere mei, & ne permittas me perire facturam tuam, ſed reſpice in me, atque à peccatis meis faciem tuam averte, & omnes iniquitates meas dele, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

De octo vitiis principalibus, quorum nomina hæc ſunt

Superbia, gula, fornicatio, avatitia, ira, accidia, triſtitia, cœnodoxia, id eſt vana gloria. De ſuperbia naſcitur omnis inobedientia, omnis præſumptio, omnis pertinacia, contentiones, hæreſes, arrogantia. De gula naſcitur inepta lætitia, ſcurrilitas, levitas, vaniloquium, immunditia, corporis inſtabilitas, mentis ebrietas, libido. De fornicatione naſcitur cœcitas mentis, inconſtantia oculorum, amor immoderatus, periculum vitæ, laſcivia vitæ, petulantia & omnis incontinentia, odium mandatorum Dei, mentis enervatio, injuſtæ cupiditates, negligentia vitæ futuræ. De avaritia naſcitur invidia, furta, latrocinia, homicida, mendacia, perjuria, rapina, violentia, inquietudo, injuſta judicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblivio, obduratio cordis. De ira pullulat tumor mentis reæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præſumptio, blaſphemia, ſanguinis effuſio, homicidia, ulciſcendi cupiditas, injuriarum memoria. De acidia naſcitur ſomnolentia, pigritia operis boni, inſtabilitas loci, pervagatio de loco in locum, trepiditas, laborandi tædium, cordis murmuratio, & inaniloquia. De triſtitia naſcitur malitia, rancor animi, puſillanimitas, amaritudo, deſperatio. De cœnodoxia, id eſt vana gloria, inde jactantia, arrogantia, indignatio, diſcordia, inanis gloriæ cupido, & hypocriſis, ideſt ſimulatio boni operis. Per hæc iſta omnia mala Domino auxiliante vinci poſſunt leviter primò ſuperbia per humilitatem, gula per abſtinentiam, fornicatio per caſtitatem, avaritia per ſapientiam, ira per patientiam, accidia per inſtantiam boni operis, triſtitia mala per lætitiam ſpiritalem, vana gloria per caritatem Dei.

Oratio contra vitia

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, miſericordiam tuam ex intimo corde depoſcimus, ut per orationes & merita omnium ſanctorum tuorum tribuas nobis conſcientiam puram, terram deſpicere, & cœlum aſpicere, peccata odire, juſtitiam diligere. Aufer à nobis ſollicitudinem ſæcularem, & dona nobis tuum ſanctum perfectè timorem. Depelle à nobis appetitum gulæ, & da virtutem abſtinentiæ. Fuga à nobis ſpiritum fornicationis, & infunde ardorem ſanctiſſimæ caſtitatis. Extingue in nobis omnem concupiſcentiam

centiam

Digitized by Google

centiam malam, & tribue nobis voluntariam paupertatem. Cohibe à nobis iracundiam, & accende in nobis ſuaviſſimam Dei & proximi caritatem. Expelle à nobis jactantiam atque vanam gloriam, & tribue nobis compunctionem ſaluberrimam. Depone à nobis ſuperbiam, & perfice in nobis humilitatem veram. Diſperge à nobis miſericors Deus omnes pariter divitias vitiorum, & tribue nobis tuorum cuſtodiam mandatorum. Contra impatientiam infunde patientiam juſtam, contra odium & invidiam caritatem fraternam, contra detractionem vel murmurationem tuam ſemper ſanctiſſimam laudem, contraque ſimul omnia vitia benedictionis gratiam. Suſcita in nobis fontem uberem lachrymarum, & cor durum mollifica per pœnitentiam veram, & omnia quæcumque in nobis bona perpetuam gratiam opereris ad tuam per omnia gloriam deputare, & nos ſemper peccatores eſſe cognoſcere, nec tamen à tua laude vel opere aliquando ceſſare, ſed perſeveranti fine tuam ſemper perficere voluntatem per

Item preces

De Caritate. Diligam te, Domine, fortitudo mea. *De laude Dei.* Benedicam Dominum in omni tempore. *De Fide.* Domine, auge nobis fidem. *De Spe.* Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ. *De cuſtodia Dei.* Cuſtodi me, Domine, ut pupillam oculi ſub umbra alarum tuarum protege me. *De converſione.* Domine, dimitte me ut refrigerer priuſquam abeam & ampliùs non ero. *De fortitudine.* Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus, Deus meus, miſericordia ejus præveniet me. *De gratia Dei.* Miſericordia tua præveniet me, & miſericordia tua ſubſequetur me. *De extremo die.* Quoniam tu es protector meus, Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Item.* Erue Domine à framea animam meam, & de manu canis unicam meam. *Item.* O Domine, libera animam, miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur. *De viſione Dei.* Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Item.* Ut videam voluntatem Domini, & viſitem templum ejus. *Item.* Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *De fide.* Confiteor me credere Dominum Patrem qui creavit omnia, & Dominum Filium qui ab eo genitus eſt ante ſæcula, & Dominum Spiritum Sanctum ab ambobus procedentem, id eſt ſanctam Trinitatem, unum verum naturaliter Dominum, non tres Deos, ſed tres perſonas in una ſubſtantia & divinitate ac majeſtate ſine initio ſemper eſſe, eundemque Filium qui ſemper cum Patre fuit confiteor, cooperante Spiritu Sancto natum ex MARIA Virgine, verum Deum, & verum hominem in duabus naturis, divina videlicet & humana, ſed in una perſona,

Digitized by Google

carne paſſum, mortuum, ſepultum, decendiſſe ad inferos non corpore, ſed anima, non amiſſa divinitate, & tertia die reſurrexiſſe in eadem carne qua mortuus eſt, & aſcendiſſe in cœlum, & iterùm venturum cum gloria & judicaturum, & redditurum unicuique ſecundùm opera ſua. Fateor me credere ſanctam eccleſiam catholicam, & remiſſionem peccatorum ſive per baptiſma ſive per pœnitentiam, & reſurrecturum in eadem carne qua nunc vivo in vitam æternam. Hæc eſt fides vera, quæ paucis verbis fidelibus nota eſt, ut credendo ſubjugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant, vitam æternam habeant.

Commemoratio de ordine quotidiana orationis

Hoc, venerabilis pater, primum verbum de ore veſtro procedat. de ſomno ſurgentes Domine labia mea aperies *Et reliqua. Deinde* Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo. Domine mane exaudies vocem meam, mane adſtabo tibi & videbo te, Domine. *Poſteà* Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite JESU-CHRISTE, Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris: qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram: qui ſedes, ad dexteram Patris miſerere nobis, quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus JESU-CHRISTE cum Sancto Spiritu in gloria Dei patris amen. Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire. *Et tunc* Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina, *Tribus vicibus genibus flexis & tertio* gloria *Deinde* Pater noſter. *Deinde ſignato fronte & oculis, omnibuſque membris ſigno crucis, tunc evangelio in manu accepto, & facie ad orientem converſa dicendum:* Mathæus & Iſaïas intercedant pro me. *Et tunc facie ad auſtrum converſa dicendum:* Marcus & Hieremias intercedant pro me. *Tunc facie ad occidentem converſa dicendum.* Lucas & Ezechiel defendant me. *Et in ſiniſtram facie converſa dicendum:* Joannes & Daniel cuſtodiant me. *Et poſteà dicetis:* Crux mihi refugium, crux mihi certa ſalus, crux Domini mecum, crux eſt quem ſemper adoro. *Deinde* Pater noſter, *Et poſteà dicendum*: Da nobis Domine intellectum, ut ſciamus teſtimonia tua. Aperi nobis ſenſus & oculos cordis ſicut aperuiſti ſenſus apoſtolorum, ut poſſimus intelligere ſanctas ſcripturas. *Et aperto evangelio, una pagina vel duæ de eo intenta mente legantur, ut impleatur illud quod dictum eſt*: In lege Domini voluntas ejus; *Et*, in

lege ejus meditabitur die ac nocte. *Et iterum* : Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. *Poſteà vel una pagina de epiſtolis Pauli legatur, ut ſecundùm regulam evangelicam & apoſtolicam ſciat quiſque quid de Dei ſervitio agere debeat, vel quid aliis prædicare. Deinde:* Chriſte audi nos *ter*, *Et poſteà* Peccatores, te rogamus audi nos *& cætera quæ ſequuntur de litania. Deinde* Pater noſter. *Et tunc in privatis orationibus* 16. *pſalmi, id eſt* Domine in furore tuo arguas 1. Uſquequo Domine 2. Dominus regit me 3. Ad te Domine levavi animam meam 4. Dominus illuminatio mea 5. Miſerere mei Deus ſecundùm 6. Deus in nomine tuo 7. Deus miſereatur nobis 8. Deus in adjutorium meum 9. Benedixiſti Domine 10. Inclina Domine aurem tuam 11. Ad te levavi oculos meos 12. De profundis 13. Domine probaſti me, & cognoviſti me. 14. Eripe me, Domine, ab homine malo 15. Domine exaudi 16. *Deinde* Laudate Dominum in ſanctis ejus, *Et poſteà* Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. *Deinde dicendum* Ego verò orationem meam ad te, Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto ut non infigar, libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me, & ne avertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos eripe me Domine. *Ac poſteà*, Chriſte audi nos *ter & cætera quæ ſequuntur ſicut prius. Tunc* Pater noſter, & Credo in Deum. *Hæc enim omnia prima diei hora agenda ſunt privatis orationibus, ac poſteà orationes peculiares & litania plenitus peragatur. Diligenter penſandum eſt unicuique chriſtiano, ac ſollicitè cogitandum, ut ſanctam in ſe Trinitatis divinæ imaginem condigno veneretur honore: quæ imago in anima conſtat humana quod eſt interior homo ſpiritus hominis. Nam ſicuti Deus unus ſemper ubique totus & plenus eſt, omnia vivificans, movens, & gubernans, ſicut Apoſtolus ait* quòd in eo vivimus, movemur, & ſumus; *ſic anima hominis in corpore ſuo ubique in eo tota viget vivificans eum, movens, & gubernans; nec enim in majoribus corporis ſui membris major & in minoribus minor, ſed in minimis tota, in maximis tota; & hæc eſt imago unitatis omnipotentis Dei, quam habet anima in ſe magna natura & nobilis. Fortaſſe dicit aliquis: Si ergo unius Dei imago eſt, quomodo ergo eſt ſanctæ Trinitatis imago? cui dicendum eſt: primò ſicut Deus eſt vivit & ſapit. Deindè quamvis ipſa ſancta Trinitas unius ſit naturæ, non tres tamen in ſe dignitates habet, id eſt intellectum, voluntatem & memoriam: ſimiliter*

anima hominis una mens eſt , una vita , una ſubſtantia , ſicut unus Deus in tribus perſonis , in una tamen ſubſtantia ; ſed hæc tria quæ habet anima in ſe , non ſunt tres vitæ , ſicut non tres dii ; ſed una eſt vita , ſicut unus eſt Deus ; nec tres mentes , ſed una mens conſequenter utique , non tres ſubſtantiæ , ſed una ſubſtantia eſt proindè hæc tria unum ſunt , id eſt una vita , una mens , una ſubſtantia , anima hominis ſicut unus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus habet enim & alia tria anima in ſe , id eſt intellectum , voluntatem , atque memoriam ; ſed tamen hæc tria una anima eſt ; quia intellectus ſine voluntate non eſt ſicut Pater ſine Filio , numquam fuit nec voluntas ſine intellectu ſicut nec Filius ſine Patre ; neque intellectus neque voluntas ſine memoria , ſicut nec Pater nec Filius ſine Spiritu Sancto qui ex ambobus procedit. Sic & memoria ex intellectu & voluntate procedit , quia ſi intellectus non eſſet , voluntas utique non fuiſſet , ac ſi intellectus & voluntas non eſſent , memoria cujus fuiſſet ? quæ tamen tria una eſt anima : ſic unus eſt Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus , quod in evangelio bene demonſtratur , dum dicit : Diligis Dominum Deum ex toto corde tuo , ideſt ex toto intellectu ; & ex tota anima tua , ideſt & ex tota voluntate ; & ex tota mente tua , ideſt ex omni memoria. *Nec enim eſt anima ſine his tribus , ſed anima intellectus , anima voluntas eſt , anima memoria eſt , non tamen tres animæ , ſed una anima iſtas tres in ſe dignitates habens , in quibus imaginem Dei gerit. Quapropter ſollicitè eſt perpendendum , ut unuſquiſque in ſe primæ conditionis ſuæ excellentiam , & venerandam in ſe ſanctæ Trinitatis imaginem recognoſcat , & honorem Dei , ad quem creatus eſt , nobilitate morum , exercitio bonorum operum , dignitate meritorum , ſummo ſtudio venerare contendat , ut ad æternam ceram Deo gloriam & beatitudinem pervenire mereatur.*

Fides Aureli Auguſtini de filio Dei

Hæc eſt fides quæ paucis verbis tenenda in ſymbolo novellis chriſtianis datur : quæ pauca verba fidelibus nota ſunt , ut credendo ſubjugati , rectè vivant , rectè vivendo cor mundent , corde mundato quod credunt intelligant , Unus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus , inviſibilis , incomprehenſibilis , inviolabilis , incoinquinabilis , qui ſolus habet immortalitatem , & lucem habitat inacceſſibilem. Ipſe lumen verum , vita & veritas , bonus & ſummus, & quæcumque de illo humanus ſermo poterit enuneiare. Quæ tamen ab eo dantur , ut aliquo modo dici poſſint : ex quo omnia , per quem omnia , ſive ſedes , ſive dominationes , ſive principatus , ſive poteſtates , & omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt , ſicut in utroque teſtamento humilibus , & piè quærentibus manifeſtatur. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Deus in adjutorium meum intende *tribus vicibus cum* Gloria *&* Kyrie eleiſon. Pater noſter *Et preces* Et ne nos inducas. Ego dixi, Domine, miſerere mei. Convertere, Domine, uſquequo. Oculi Domini. Confiteantur tibi, Domine. Ne derelinquas me, Domine. Intende in adjutorium meum, Domine ſalutis meæ. Complaceant tibi, Domine ab occultis meis munda me Domine. Pone Domine cuſtodiam ori meo. Non declines cor meum. Non intres in judicium. Repleatur os meum laude, attamen, ô Domine, ſalvum me fac: reſpice in ſervos tuos, & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, dirige, Domine, hodie corda. *Poſteà* Dominus vobiſcum.

Item oratio

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es ductor ſanctorum, & dirigis itinera ſanctorum, dirige angelum pacis nobiſcum, qui nos ad loca deſtinata perducat. Sit nobis comitatus jucundus, ut nullus viæ noſtræ ſubripiat inimicus. Procul à nobis ſit malignorum acceſſus, & comes nobis dignetur eſſe ſemper ſanctus per Dominum

Oratio pro iter agentibus

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus propitiare digneris ſupplicationibus noſtris, & mitte angelum tuum ſanctum nobiſcum, qui nos à cunctis adverſitatibus protegat, & in ſervitio ſancti nominis tui ubique cuſtodiat, ut nullus nos in viam noſtram decipiat inimicus, ſed mereamur ab omni hoſte triumphum, & tuæ ſemper miſerationis ſubſidium: quatenus tua juſſa complentes, ſoſpites ad propria redeamus, per te, CHRISTE JESU, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis.

Omnipotens & miſericors Deus, tuum ſuper nos nomen ſupplices invocamus, ut tua largiente clementia bene ambulemus in proſperis, & ut nomen tuum ſit ſemper in cogitationibus, in verbis, & in operibus noſtris, angeli tui ſancti comitentur nobiſcum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & omnium ſanctorum tuorum auxilient nobis orationes. Emitte, Domine, ſuper nos ſpiritum caſtitatis, benignitatis, & veritatis, miſericordiæ & largitatis, tuæque perpetuæ caritatis, lucis & pacis, qui nos regat, protegat, atque ab omni malo defendat, ut per vias planas & rectas cum omni fiducia ſine impedimento ad loca deſiderata poſſimus pervenire, & in nomine tuo ſancto cum ſanitate & lætitia ad propria poſſimus habitacula remeare. Per Dominum noſtrum JESUM

Domine JESU-CHRISTE, mitiſſime Deus, qui dixiſti pœniten-

Digitized by Google

tiam te malle peccatorum, quàm mortem, immenſam clementiam tuam humillime deprecor, de omnibus peccatis & delictis meis capitalibus vel minutis., quocumque modo in quolibet eorum pollutus fuiſſem aut adhuc ſim, vel noxius coram te, ſive in cogitatu, ſive in verbo, ſive in opere, ſcienter aut ignoranter, ſponte vel invitus, dormiens aut vigilans, tu mihi puram coram te & coram ſanctis angelis tuis confeſſionem agere tribue, & veram ac fructuoſam pœnitentiam emendationemque condignam ante diem exitus mei, ſive ſit in ſuperbia matre omnium vitiorum, ſive in ſacrilegio aliquo modo, ſive in homicidio corporali vel ſpirituali, ſive in adulterio & in omni immunditia cordis & corporis, vel etiam in voluptatis amore, ſive in falſo teſtimonio, vel verbo mendacii, aut etiam otioſo, ſive in perjurio, aut in juramento ſive in furto aliquo, ſive in rapina vel fraude, ſive in odio vel invidia erga proximum meum aliquem vel in meditatione doli, aut in zelo malo, ſive in detractione, vel murmuratione, ſive in animoſitate, vel in iracundia injuſta, vel immoderata, ſive ſit in avaritia omnium malorum radice, ſive in gula vel ebrietate, in omnique concupiſcentia mala, atque tenacia, ſive in jactantia, vel inanis gloriæ appetitu, in omnique hypocriſi, ſive in accidia, vel torpore, in omnique pigritia, & negligentia operis Dei, ſive in ſuplicatione fratris alicujus, vel in contemptu ejus, ſive injuſto judicio, vel condemnatione innocentum, ſive in eo quod corpori meo plus laboris indulſi, quàm debui in omnique tranſgreſſione mandatorum Domini. Deinde etiam de minutis peccatis quanta vel qualia ſint, quantum ſentio & intelligo, vel quanta ex eis dinumerare valeo, quotieſcumque inſtinctu gulæ in cibo, vel potu plus ſumpſi quàm mihi eſſet neceſſitas, vel cùm plus dormivi quàm deberem, vel cùm plus loquebar vel plus tacui quam juſtum eſſet, vel plus quaſſatio exigiſſet, vel quocumque modo iniquitatem conſenſeram, & delinquentes non corripui, quandocumque pauperes ad me clamantes exaſperare non timui, neque gemitum eorum audivi, neque dolentem conſolatus ſum eum, juxta vires & facultatem meam atque ſcientiam indigentibus & minus potentibus ſubvenire neglexi, & eleemoſinam minus aut arctius exercui quàm deberem, aut cùm non jejunavi cùm valui vel debui, cùm tardiùs ad orationes & vigilias reſurrexi, quàm mea eſſet neceſſitas, aut cùm in ſancta eccleſia vel in quocumque orationis loco vel tempore in otioſas & iniquas me fabulas occupavi, & inſtabilis & vagus eram in animo meo. Cùm orare vel Deum laudare debueram, aut cùm in vinculis, vel in tribulationibus, ſive in infirmitate poſitis non miniſtravi, neque eos viſitavi, cùm diſcordes & diſſidentes ad concordiam non revocavi, ſi ſeniores meos, vel confratres vel quaſcumque perſonas plus exaſperavi quàm oportet mihi, vel

cùm aliquem & injuſtis blanditiis delinivi , vel cùm maledicere aliis non timui , neque alios blaſphemare ; aut cùm inobediens fui Dei præceptis , vel hominis ad juſtitiam aut aliorum bonorum monita contempſi, cùm plus præſumpſi, aut ampliùs in contentione iniqua vel in pertinacia permanſi quàm deberem , vel cùm in ineptam lætitiam , & in ſcurilitatem , in riſum , & in jocum vanum me occupavi , vel cùm contumelioſa aliis verba loqui non metui , aut alios deſpexi , ſive cùm de injuriis vel contumelioſis erga me verbis ultionem reddidi vel reddere cogitavi , & injuſtam amaritudinem in corde retinui , ſive cùm plus mundum hunc quàm Deum dilexi : de iſtis quoque & de aliis malis omnibus majoribus vel minotibus , vel quorum recordor aut non recordor , in quibuſcumque vel quocumque modo peccavi , aut deliqui , tibi , Piiſſime Dominator Deus , puriter confiteor , tu Domine , per inefabilem clementiam tuam , de his omnibus mihi in hac vita præſenti confeſſionem puram , & veram ac fructuoſam pœnitentiam agere concede , & hic per miſericordiam tuam cum emendatione condigna veniam promereri , perque interceſſiones & merita ſanctorum tuorum ad æternam me tribue beatitudinem pervenire , qui manes & vivis Deus regnans in ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX

RERUM QUÆ HOC IN TRACTATU CONTINENTUR.

A

ABSOLUTIO in Cœna Domini duplex 228. Immò plures 220. in monaſteriis à ſuperiore facta. 229. Solemnis ter ſingulis hebdomadis quadrageſimæ facienda. 172. In commemoratione omnium defunctorum. 591.

Abſtinentiæ relaxatio in natali Domini. 95.

Abſtinentia à carnibus à quinquageſima. 129. In quadrageſima à gaudiis 162. ab uxoribus. 162. A vehiculis, venatione, litibus, bello 163. à lavacris 164.

Accendite Sabbato Sancto quo ritu decantaretur 416. 433. Adventus Domini quandonam olim inciperet 65. Ejus jejunium quando deſierit. 68. In eo omnia lætitiæ ſigna depoſita. 68.

Africana eccleſia ſobriè pſallit. 17.

Agni benedictio Sabbato Sancto 418. 425. 465. In Paſcha. 483. In Aſcenſione Domini 536.

Agnorum Dei origo 410. 432. Sabbato in albis ſingulis ſeptennis conſecrantur 597.

Alfredi regis pietas 41. Alleluia à paſchate ad Pentecoſten ubique cantatum 483. In ſeptuageſima dimiſſum 126.

Alleluia in miſſa cum duplici verſiculo 482. cum triplici in miſſa Dominicæ II. adventus 74. In miſſa Aſcenſionis 538.

Altare Lateranenſe cavum 281.

Altarium denudatio & lotio in Cœna Domini 275. 283. 330. 338. 350. In Paraſceve. 356. 357

Altarium ſeptem conſecratio Sabbato Sancto. 418.

Amantium negotium cantare & pſallere. 17.

Ambianenſis eccleſia pſalterium quotidiè recitabat. 167.

S. Andreæ feſtum an die Dominica poſſit celebrari. 551.

Anni novi feſtum. 105.

Anniverſarium in vigilia natalis Domini 79. Anniverſarium Papæ defuncti. 608. Coronationis novi Papæ 608.

Annotinum Paſcha 510

Annunciationis B. Mariæ feſtum. 562. Ejus antiquitas 563. In adventu celebratur. 563. In eo vinum & piſces permiſſi 563.

Antiphona quid 27. à reſponſorio quid differat 27.

Antiphonarum auctores in oriente Flavius & Theodorus monachi 27. Eas in Mediolanenſi eccleſia invexit S. Ambroſius. 27. *Integræ ante* & poſt pſalmos olim decantatæ. 27. Etiam bis. 27. Et ad ſingulos pſalmi verſiculos 28. plures olim ante & poſt pſalmos dictæ. 29. ad minores horas ſoli olim eas cantabant monachi. 27.

Antiphona ante evangelium miſſæ 94. 99. 102. 112. 585. 588.

Antiphona

Antiphona *venite populi* ad Euchariſtiã 94.
Antiphonas triumphare 28.
Aquæ benedictio die Dominica. 58. qua hora & quo loco fieret. 59. Ejus aſperſio. 59. benedicta per domos, agros, & vineas delata 431. 462.473. Ejus aſperſio per domos in vigilia natalis Domini 81. poſt completorium in quadrageſima. 171. In Rogationibus. 515. 519.
Aquæ benedictio in vigilia Epiphaniæ 114. In feſto Epiphaniæ 108. ejus incorruptio. 108.
Aquæ in vinum converſio pluribus in locis in feſto Epiphaniæ. 108.
Aquarum prærogativæ 472
Apologia ſacerdotis ante miſſam Rogationum. 517.
Argentinæ eccleſiæ conſuetudines. 614.
Aſcenſionis feſtum ab Apoſtolis inſtitutum, ſed non omninò ſolemne. 535. Ejus officium 536. Proceſſio. 536. Variæ ea die benedictiones. 536.
Aſſiſtentia prioris epiſcoporum Cardinalium in veſperis papalibus 609. In miſſis. 610.
Athanaſii Symbolum ad primam 46
Aſſumptionis Beatæ Mariæ feſtum 577.
Autiſſiodorenſis eccleſiæ ratio in celebrandis divinis officiis. 11
Azymi panes in Cœna Domini. 311.

B

Baculus ſuper quem ſolent ſacerdotes orando ſuſtentari. 25. canonicis non permiſſus. 25. infirmis apud Fuldenſes denegatus. 25.
Baculus cantoris in adventu dimiſſus. 70.
Baptiſmus in feſto Epiphaniæ 108. In feſto S. Joannis 570. Sabbato Sancto 415. Hac die in eccleſia Mediolanenſi à ſolo Archiepiſcopo celebratus. 473. Ejus ordo 422. & ſeq. 425. & ſeq. 428. & ſeq.
Baptiſmus infirmorum 417. quo ritu conferendus 437.
Baptizatorum in ſolemnitate paſchali numerus Summo Pontifici delatus 481.
Benedictio aquæ in vigilia Epiphaniæ. 114. In feſto Epiphaniæ 108
Benedictio panis die Dominica 60. In Cœna Domini 279. In Aſcenſione Domini 536 In feſto S. Agathæ. 560.
Benedictio cilicii pœnitentium 141
Benedictio cinerum in capite jejunii 130. & ſeq. 152. in Rogationibus 515.530.
Benedictio palmarum quando inceperit 188.
Benedictio ignis novi in Cœna Domini 269.283.347.349. In paraſceve. 355. Sabbato Sancto 402. 404. 442. 444. 448. 451. In feſto Purificationis 120. 122.124.126.
Benedictio olei infirmorum catechumenorum & chriſmatis quam antiqua. 239. quo ritu peracta. 242. & ſeqq.
Benedictio fontium quam ſit antiqua 414. Ejus formula & ritus 414. 461. 471
Benedictio incenſi Sabbato Sancto 404. 442. 452.
Benedictio lucernæ Sabbato Sancto 454.
Benedictio cerei paſchalis 405. 455. 467. quis illius auctor 405. 442. ubique non fuit recepta 406. à S. Hugone emandata 406. Ejus inſcriptio 408. & ſeq. 430. 443.
Benedictio cerei ſolemnis in vigilia Pentecoſtes. 538.
Benedictio cereorum in feſto Purificationis 117. & ſeqq.
Benedictio cereorum contra fulgura 431. 432.
Benedictio agni Sabbato Sancto 418.425. 465. In Paſchate 483. In Aſcenſione Domini 536.
Benedictio carnium in Paſchate. 481
Benedictio novarum frugum in Aſcenſione Domini 538. pomorum in feſto S. Jacobi 574. Uvarum in feſto S. Sixti. 575.

Digitized by Google

Benedictio epiſcopi ad veſperas 53.
Benedictio populi poſt evangelium miſſæ paſchatis 483.
Bruno Signienſis epiſcopus corrector antiphonarii. 111.

C

CALAMUS aureus ad communionem 611.
Calcei in Cœna Domini monachis diſtribuendi 347
Campanæ quando in uſu 15. ſilent triduo ante paſcha 319.323.330.347.
Canonicorum vita communis in quadrageſima 171. Tarde venientes ad officium careant diſtributione 616.
Cantica perinde ac pſalmi in officiis divinis decantata 25.
Cantare debent omnes clerici qui choro interſunt 415. Plebs cum clero cantat. 45.
Cantorum quis habitus 21.
Cantores majores ſeptem ſubdiaconi in Romana eccleſia. 29
Cantoris vices explet Ferdinandus rex 42.
Cantus ſimplex an melodicus olim fuerit 22. Figuratus à Dominica Paſſionis ad paſcha prohibitus 603
Cantus, Directus, Antiphonus, Reſponſorius & tractus 19. In cantu quæ obſervanda 22.
Capella papalis 596.
Capituli officium 49. In Cœna Domini 322
Cappa pro tunica ſubdiacono in adventu conceſſa. 70.
Captivi in majori hebdomada libertate donati 219
Cardinales epiſcopi quando celebrant in capella Papæ 597
Carnium eſus die ſabbati 63. abſtinentia à feſto S. Luciæ. 555. In feſto Innocentium 102. Carnium benedictio in Paſchate 481.
Carolus magnus nocturnis vigiliis intereſt 41.
Carolus V. Rex Francorum feſtum Præſentationis B. Mariæ promovet 594.
Cartuſienſes monachi lectiones ex vitis Sanctorum non habent 32. Lectionibus quo ritu finem imponunt 33.
Caſulis pro damalticis & tunicis in adventu utuntur diaconi & ſubdiaconi 69. In feſto Innocentium 102.
Cathedralibus eccleſiis deerant olim clericorum collegia. 10. ad cathedralem eccleſiam omnes in paſchate convenire debebant 476
Cerei contra fulgura benedicti 431
Cerei in vigiliis Cœnæ Domini quot accendendi 224. Et quo ordine extincti 283.
Cereus paſchalis typus columnæ egredienti populo de Ægypto ducatum præbentis 430. Ejus benedictio 405. 455. 467. Quis illius auctor. 405. Tribuitur Auguſtino 423 Ubique non recepta 406. A S. Hugone emendata 406. Ejus inſcriptio 407.430.443.
Cereus paſchalis igne feria 5. in Cœna Domini aut Feria 6. benedicto accendendus 284. 422. 430. per quatuor dies continuò ardet. 499.
Cerei ſolemnis benedictio in vigilia Pentecoſtes 538
Cereorum benedictio in feſto Purificationis 117. & ſeqq. Et in miſſa oblatio 125.126.
Ceſarius Arelatenſis epiſcopus ſermones ſeu homilias à ſe compoſitas populis recitandas ad alia tranſmittit regna. 61.
Chorea in Pratello in feſto Pentecoſtes. 543.
Chorus à diſcalciatis in Cœna Domini lavandus 330.
Chriſma unde conficiatur 242. Ejus benedictio quam antiqua, 239. ad ſolos

Digitized by Google

pertinet epiſcopos. 239. Illud benedicenti epiſcopo adſiſtunt presbyteri 240. Et ſimul benedicunt 252. qua die perficiatur 241. quo ritu 242. & ſeqq. novum cum veteri miſcendum 266. 318. vetus in lampadibus comburendum 320. 325. Novum gratis diſtribuendum. 268. Ejus diſtributio quo ritu fieret 266. ad abſentes per quos deferretur 266. Quo ritu receptum in eccleſiis cathedralibus. 267. Sub ſigillo cuſtodiendum 326.

Cilicinum vexillum in reconciliatione pœnitentium 238

Cilicio cooperiendum caput pœnitentium 137. 141. 143. 153. 154

Cinerum benedictio in capite jejunii 130. & ſeqq. 152. In Rogationibus 515. 530

Circumciſionis feſtum 103

Claudianus Mamerti frater lectiones per anni circulum diſponit 33

Cœmeteria ſacris chriſtianorum conventibus deſtinata. 10.

Cœna Domini dicta natalis calicis 222. Cœnæ Domini varii ritus 222. & ſeq. In Cœna Domini miſſæ ſolemnes plures. 270. In Africa una à jejunis altera poſt Cœnam 270. Nunc unica 271. ejus ritus ſpeciales 271

Collecta olim unica ad ſingulas horas 37. Nullas habebat olim eccleſia Lateranenſis 37. quo in loco recitata 38.

Colloquia in eccleſia prohibita 617.

Color ornamentorum varius in nocturnis nativitatis Domini 81. niger in adventu adhibitus 70. in quadrageſima 155. in Paraſceve qualis 357. 369. 388.

Columba deſurſum immiſſa in feſto Pentecoſtes 543

Communio non facienda niſi prius audita devotè miſſa 487

Communio Corporis & Sanguinis Domini hora ſexta. 3. communio in natali Domini 66. 94. frequens in quadrageſima. 164. cleri & populi in Cœna Domini 243. 250. 282. 304. 307. 318. 320. ad libitum 272. generalis in paraſceve. 272. 347. 350. 359. 364. 368. 370. 371. 372. 378. 384. 385. 389. Sabbato Sancto 417. 440.

Communio paſchalis in propria parochia facienda 487. ſub utraque ſpecie 485. quatuor de cauſis facienda 488. Ad communionem fidelium unica in eccleſiis parochialibus die paſchatis miſſa 486. Inſtructiones plebi faciendæ ante communionem in die paſchatis 486. Ad eam olim ſolemniter invitabantur populi 484. Communicatis in paſchate vinum propinandum 500

Communio Neophytorum per totam hebdomadam paſchatis 510

Communio infantum poſt baptiſmum 424. 427. 440. 447. per ſeptem dies poſt baptiſmum 430. 439. 440.

Communio in feſto Pentecoſtes. 543. In Transfiguratione Domini 576

Communicat Papa in ſede. 601.

Completorium ſub ſilentio in vigilia natalis Domini 80

Completorium in natali Domini 96

Completorium Sabbato Sancto 447. quo ritu celebrandum 420. Illud omittit eccleſia Viennenſis 421. extra chorum dictum 441.

Completorium in feſto Paſchatis 494. In vigilia Pentecoſtes 542. In Pentecoſte 544

Concordia inter diſcordes in Cœna Domini 280. 331.

Confeſſio peccatorum ante quadrageſimam 129. In majori hebdomada 218. In Rogationibus 535.

Confeſſio generalis publica ante communionem paſchalem 489. ad primam 47. ante completorium 54

Peccatorum indulgentia in cleri confeſſione poſita 231

Digitized by Google

Confeſſorum feſta quando celebrari cœperunt 550
Confirmatio Neophytorum ſtatim poſt baptiſmum 424. 427. 431. 440. 446. In feſto Pentecoſtes 543. Ejus neceſſitas 316. Hanc ſoli epiſcopi conferre debent 316. Ordo confirmationis 437
Continentia à conjugatis per totam paſchatis hebdomadam obſervata 475
Conventus Chriſtianorum in cœmeteriis 10. Convivium epiſcopi in die paſchatis 493
Corporis Chriſti feſtum Leodii inſtitutum agente Roberto epiſcopo 546. ab Urbano IV. confirmatum 547. Ejus officium à S. Thoma compoſitum 547.
Cortinæ ſuſpenſio in quadrageſima 178
Crucifixi proceſſio apud Cenomanos 187.
Crux adoranda exponitur feriis 6. quadrageſimæ in eccleſia Mediolanenſi 170
Crucis adoratio apud Græcos Dominica tertia quadrageſimæ 181
Crux revelata ad proceſſionem Dominicæ palmarum delata 193. 206. 209. Ejus adoratio 195. 196. 205. 206. 208.
Crucis denudatio & adoratio in paraſceve 359. 360. 389. nudis fiebat pedibus 260. 383. Toto proſtrato corpore & præmiſſa oratione 361.
Crucis adoratio in feſto Exaltationis S. Crucis 581
Crucis impreſſio in benedictione fontium 415
Cruces benedictæ in puteos in Rogationibus immiſſæ 535.
Cruces benedictæ in feſto S. Marci adverſus incantationes, fulgura & tempeſtates 535.
Crux in paraſceve poſt officium in ſepulcro recondita 367

D

DALMATICÆ dimiſſio in adventu. 69.
Davidis & Jacob depoſitio altera poſt Nativitatem Domini die. 99.
Debitores & cenſuarii cameræ apoſtolicæ citati in vigilia S. Petri 607
Dedicandæ gratis eccleſiæ 268
Defunctorum abſolutio altera die poſt octavam Epiphaniæ 115. Officium ſecunda die Novembris 589. & ſeq. Oratio pro defunctis. 10. Preces pro defunctis die ſabbati. 64.
Diaconi olim divina nunciabant officia 13. Officium in feſto S. Stephani faciunt 97. & ſeq.
Diſtributionibus careant tarde venientes ad officium 616.
Dominicæ diei officia quo ritu celebrata. 56. & ſeq. Dominica prima adventus 72. Secunda adventus 74. prima quadrageſimæ 175. & ſeqq. Secunda quadrageſimæ. 179. Tertia quadrageſimæ. 181. Quarta quadrageſimæ 183. Paſſionis 185. Dominicæ Palmarum ritus 188. & ſeqq.
Dominus vobiſcum in miſſa paſchatis ſine reſponſione 482

E

EBERARDUS de Kirchberg decanus Argentinenſis 614.
Eccleſias quando ceperunt habere chriſtiani 9.
Epiphaniæ vigilia cum jejunio. 109
Epiphaniæ feſtum quàm antiquum 107. quàm ſolemne 108. Ejus nocturnum officium quàm prolixum 110.
Epiſcopus clericos ad vigilias nocturnas excitabat, ad eas pulſabat ſignum, eaſque incipiebat 44. Dominica I. Adventus ſermonem habet ad populum

Digitized by Google

72. In Purificatione 124. pœnitentes reconciliatos propria menſa excipiebat 230
Epiſcopi cardinales quando celebrant in capella Papæ 597
Epiſcopi benedictio ad veſperas 53
Epiſtola miſſæ duplex in feſto S. Stephani 98
Epiſtola farcita ſeu latinè & gallicè recitata 90. 99. Epiſtola in Paſchatis miſſa Græcè & Latinè pronunciata 482. In miſſa natalis Domini. 601.
Equo albo vectus ad proceſſionem palmarum incedit Archiepiſcopus Turonenſis 205
Equum nobilem Summo Pontifici offert rex Siciliæ in feſto S. Petri. 608.
Evangelium pro quarta & ſexta feria 74
Evangelii varietas in Dominica adventus 73.
Evangelii lectio de generatione Chriſti in fine nocturnorum aut primæ miſſæ nativitatis Domini 86
Evangelium in fine nocturnorum Circumciſionis ſolemni ritu à Diacono cantatum 103
Evangelium triplex in nocturnis Epiphaniæ. 111
Evangelia quatuor intra tres majoris hebdomadæ dies ex integro lecta. 219.
Evangelia de Reſurrectione Domini ex quatuor evangeliſtis infra paſchalem hebdomadam pronuntiata. 483.
Evangelium die paſchatis ab epiſcopis pronunciatum. 483.
Initium evangelii ſecundum Joannem in miſſa paſchatis pronuntiatum 483
Evangelium in paſchatis miſſa græcè & latinè pronuntiatum 482. In miſſa natalis Domini 601. In proceſſione Dominicæ palmarum. 192
Evangelii textus in proceſſione palmarum cum ſolemni pompa delatus 193. 194. 196. 197. 201. 204. die paraſceves in ſepulcro reponendus 382
Euchariſtiæ terribile ſacramentum 24
Euchariſtia eulogiarum nomine miſſa. 493
Euchariſtiam in Cœna Domini conſecratam ad communicandos per totum annum infirmos græci conſervant 274. Euchariſtia in ſequentem diem reſervanda in cæna Domini quo ritu reconderetur 275
Euchariſtiæ adoratio nocturno paſchatis officio præmiſſa. 477. 504. Euchariſtia in proceſſione palmarum delata. 194. 206. 209. Poſt veſperas paſchatis 494
Euchariſtia in aperto vaſe an delata in proceſſione Corporis Chriſti 548
Euchariſtiæ expoſitio 548
Eulogiarum uſus die Dominica 60.
Examen ordinandorum feria 4. primæ hebdomadæ quadrageſimæ 179
Officium de exceptato ante natale Domini in eccleſia Mediolanenſi. 77.
Excommunicatio hæreticorum Dominica I. quadrageſimæ. 175.
Exorciſmus olei infirmorum 245
Expoſitio SS. Sacramenti. 548.

F

FATUORUM feſtum ſublatum 101.
Ferdinandi regis pietas 42
Feria 5. coli prohibita 64. Ejus jejunium. 64.
Feriæ 4. quatuor temporum adventus officium. 75.
Feriæ 2. majoris hebdomadæ ritus. 220.
Feſtivitates principales ſub præſentia epiſcopi tenendæ. 476. Martyrum quando celebrari cœperunt. 549. Quando confeſſorum. 550. In quadrageſima nullæ 170. 563.
Feſtum Annunciationis in Adventu 555.
Feſtum Apoſtolorum omnium. 565. SS. Abdon & Sennes. 574. S. Agapiti martyris. 578. S. Agathæ virginis 559.

Digitized by Google

S. Agnetis 558. 559. SS. Alexandri, Eventii, & Theoduli. 565. S. Amandi epiſcopi 586. S. Antonii 557. Aſſumtionis B. Mariæ 557. 577. SS. Audifax & Abacum. 558. S. Auguſtini. 579. S. Barnabæ. 568. S. Bartholomei. 578. S. Baſilidis. 568. S. Bavonis. 586. S. Benedicti. 562. S. Bernardi. 578. Cathedræ S. Petri. 561

Feſtum Conceptionis B. Mariæ ab Hildephonſo Toletano epiſcopo inſtitutum. 552. Falſo tribuitur abbati Rameſienſi. 552. Illud in Anglia promovit S. Anſelmus. 553. In Eccleſia Romana tardius receptum 554. Ejus officium & octava 554.

Feſtum Conceptionis S. Joannis 585. Converſionis S. Pauli 559. S. Calixti Papæ. 586. S. Ceciliæ 594. SS. Chryſanti & Dariæ. 586. S. Chryſogoni 594. S. Clementis. 594. SS. Coronatorum. 593. SS. Coſmæ & Damiani. 585. S. Criſpinæ. 552. S. Cyriaci. 576. SS. Cyrini, Naboris, & Nazarii. 568. S. Damaſi. 555. Decollationis S. Joannis Baptiſtæ. 579. Dedicationis S. Michaëlis. 585. S. Dionyſii & ſoc. 586. S. Donati. 576. S. Eligii. 552. SS. Emerentiani & Macharii martyrum. 559. S Euphemiæ. 564. 583. S. Euſtachii & ſoc. 587. S. Euſtochii ſeu Euſtachii 583. Exaltationis S. Crucis 580. S. Fabiani. 558. S. Felicis. 574 SS. Felicis & Adaucti. 579. S. Felicis in Pineis. 557. S. Georgii martyris 564. S. Germani 507. 586. S. Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi. 574. SS. Gervaſii & Prothaſii 568. SS. Gordiani & Epimachi. 566. S. Gorgonii. 580. S. Gregorii Papæ. 562. S. Hermetis. 578. S. Hilarii epiſcopi. 556. 586. S. Hilarii in Calendis Novembris. 588. S. Hilarionis. 586. S. Hieronymi. 586. S. Hyppoliti. 577. S. Jacobi Apoſtoli. 574. Inventionis S. Crucis. 565. Inventionis S. Stephani. 575. S. Joannis Baptiſtæ. 568. S. Joannis ante portam latinam. 566. SS. Joannis & Pauli. 570. S. Joſeph. 562. S. Juliani. 579. S. Julianæ. 561. S. Juvenalis. 565. S. Laurentii. 576. S. Leodegarii 586. S. Leonis Papæ 564. 570. S. Lucæ 586. S. Luciæ. 555. SS. Machabeorum. 574. S. Magni martyris. 578. SS. Marcelli & Apulleii. 586. S. Marcelli Papæ. 557. S. Marci. 564. S. Marci Papæ. 586. SS. Marci & Marcelliani. 568. S. Mariæ Magdalenæ virginis. 573. SS. Mariæ, & Marthæ. 558. S. Mariæ ad martyres. 567. S. Mathæi. 583. S. Matthiæ. 561. S. Mauricii. 583. S. Medardi. 567. Miraculorum. 538. Nativitatis B. Mariæ 579. SS. Nerei & Achillei. 566. S. Nicolai. 552. S. Nicomedis 567. 583. Nominis Jesu 557. Omnium Sanctorum. 587. S. Pancratii. 566. SS. Perpetuæ & Felicitatis. 562. S. Petri ad vincula. 574. SS. Petri & Pauli. 570. SS. Petri & Marcellini. 567. S. Philiberti. 578. SS. Philippi & Jacobi. 565. S. Præjecti. 559. Præſentationis B. Mariæ. 593. SS. Primi & Feliciani. 568. S. Priſci martyris. 579. S. Priſcæ. 558. SS. Proceſſi & Martiniani. 571. SS. Prothi & Hiacinthi. 580. S. Pudentianæ. 567. Purificationis B. Mariæ. 559. S. Remigii. 556. 586. S. Ruffi. 578. S. Scolaſticæ. 560. S. Sebaſtiani. 558. SS. Septem Fratrum. 573. S. Simeonis. 559. SS. Simonis & Judæ 587. SS. Simplicii Fauſtini & Beatricis. 574. S. Sixti. 575. S. Sotheris. 560. S. Stephani Papæ. 575. Subventionis S. Martini 566. Transfigurationis. 575. Tranſlationis S. Benedicti 552. 573. Tranſlationis S. Martini & ejus ordinationis 572. S. Theo-

dori 593. S. Tiburtii. 577. SS. Tiburtii & Valeriani & Maximi. 564. S. Thomæ Apoſtoli. 555. S. Trophimi. 102. S. Valentini 560. SS. Valentini, Vitalis, Feliculæ & Zenonis. 561. S. Vedaſti 586. S. Vincentii 559. Viſitationis B. Mariæ 571. S. Vitalis. 565. S. Viti. 568. S. Urbani. 567.
Flavii verſus in Cœna Domini 284.
Flores deſurſum immiſſi in feſto Pentecoſtes 543
Fontes Hiſpaniæ in Vigilia Paſchæ divinitus repleti 414
Fontium benedictio quam antiqua. 414. Ejus formula 414. Ritus 414. 461. 471.
Fontes benedicti mundo linteo cooperiendi 415
Fortunati hymnus de paſſione & ruce Domini 625.627.
Forum per totam paſchatis octavam clauſum 475 Fragor in fine laudum in Cœna Domini 227.603.
Fructuum novorum benedictio in Aſcenſione Domini 538

G

GALLICA lingua adhibita in miſſa. 99.
Genuflectio in miſſis quadrageſimæ ut facienda. 154.
Geraldus comes Aureliacenſis nocturnis vigiliis intereſt 41.
Graduale duplex in feſto Epiphaniæ 112
Græca lingua in officiis divinis aliquando adhibita 45. In miſſa. 89
Græci quando jejunium quadrageſimale inciperent. 159. à Sexageſima jejunant. 129.
Gregorius Præſul ſolemni ritu decantatum Dominica I. adventus ante miſſam. 73.
Gloria in excelſis Deo in miſſa Cœnæ Domini quando cantari debeat 284. 319.
Gloria laus hymnus à quo compoſitus. 195.
Gloria Patri ad introitum miſſæ poſt Dominicam paſſionis retinet eccleſia Lugdunenſis & quædam aliæ 186. Omittitur in fine invitatorii & in ℟. per horas & in introitu miſſæ in feſto Innocentium. 102.

H

HÆRETICORUM excommunicatio Dominica prima quadrageſimæ. 175.
Hebdomadariorum inſtitutio 55. Eorum munia. 55.
Helcinus abbas Rameſienſis an feſtum Conceptionis B. Mariæ inſtituerit. 553.
Homiliæ in capitulo canonicorum certis diebus legendæ 49. 50.
Horarum canonicarum inſtitutio ab apoſtolis 1. Inſtitutionis ratio 2. 6. Earum numerus in eccleſia orientali. 2. In occidentali. 4. In eccleſiis cathedralibus quando decantari ceperunt. 10. Ex monaſteriis acciti viri religioſi ad eas cantandas 10. ſtatis horis perſolvendæ ſunt non aliis. 6. & ſeq. etiam in itinere. 7. omitti non poſſunt ſub graviſſimis pœnis. 8.
Horæ canonicæ quadruplici ratione ſignificatæ 14
Horæ diurnæ in Cœna Domini. 227. In paraſceve ſub ſilentio recitatæ 351. & ſeparatim 369. 381. Horas diurnas paſchatis in choro non recitabat olim eccleſia Lugdunenſis 480
Hoſtiæ fiunt ſabbato ante Dominicam paſſionis. 175. Hoſtiæ in Cœna Domini tres conſecrandæ 272. quarum una in ſequentem diem altera in diem paſchatis reſervanda. 328.

Digitized by Google

Hoſtiæ benedictæ non conſecratæ pauperibus diſtributæ in Cœna Domini 349.
Hymni ab Hilario & Ambroſio compoſiti. 25
Ex hymnis Concilii Toletani decretum. 25. Varia de hymnis. 26.
Hymnus angelicus græcè decantatus in miſſa natalis Domini 89
Hymni plures in nocturno officio nativitatis Domini 84
Hymni ad horas in Cœna Domini 346
Hymni in adventu omiſſi 70. In vigilia natalis Domini. 78. In laudibus natalis Domini. 92. In Epiphania. 111. ad horas Dominicæ palmarum 198. In nocturnis vigiliis paſchatis. 479. In laudibus & horis diurnis 480.505. in veſperis 494. 496. Et in completorio 494. In laudibus Pentecoſtes prætermiſſus 542
Hymnus *Gloria laus* à quo compoſitus. 195.

I

Jacob & David depoſitio altera poſt Domini nativitatem die. 99.
Januarii calendis indictum jejunium propter paganorum ſuperſtitiones 104
Jejunium feriæ 6. 63. In quibuſdam ſolemnitatibus relaxatum 64. feria 5. prohibitum. 64
Jejunium quatuor temporum 544
Jejunium in adventu Domini. 66. quando defierit. 68.
Jejunium in vigilia natalis Domini. 78. In vigilia Epiphaniæ. 109.
Jejunium à Septuageſima 129. apud Græcos à Sexageſima 129
Jejunium quadrageſimale quot conſtaret diebus. 155. quandonam inciperet. 156. & ſeq. Quando à feria 4. Cinerum. 157. Illud Sabbato & Dominica ſolvebat eccleſia Mediolanenſis & Gallicana. 158. Feria quinta eccleſia Romana. 158. In quo conſiſteret 160. auſterius in majori hebdomada. 218. In Cœna Domini relaxatum. 281. In pane & aqua in paraſceve 366. Ad libitum 378 qua hora ſolutum Sabbato Sancto. 421
Jejunium in Rogationibus. 513.514.533 In vigilia S. Matthiæ. 562. In vigilia SS. Petri & Pauli. 570. In vigilia Viſitationis B. Mariæ. 571. In vigilia Aſſumtionis. 577. In vigilia Nativitatis 580. In Calendis Novembris 587
Ignis novi benedictio in Cœna Domini 269. 283. 347. 349. In paraſceve 355.384.404.442.444. 448. Sabbato Sancto 402. Benedictus per populum dividendus 402. 404. Ignis novi benedictio in feſto Purificationis 120. 122. 124. 126.
Imagines in adventu velatæ. 70. In quadrageſima 178. Quando. 603.
Imperatores ex privilegio thus ad altare adolebant. 57
Impunitas nutrit peccatum. 604.
Incenſum altari in adventu non oblatum 70
Incenſi benedictio Sabbato Sancto 404. 442. 451.
Indulgentia peccatorum in celeri confeſſione poſita 231
Infirmorum ſolemnis viſitatio feria 4. majoris hebdomadæ 220.
Infirmorum baptiſmus 427. quo ritu conferendus. 437.
Innocentium feſtum quo ritu celebratum. 100. & ſeq.
Inſtructiones faciendæ ante communionem in die Paſchæ. 486.
Introitus miſſæ quinquies repetitus 94
Invitatorium in nativitate Domini ut cantandum 83. In Epiphania Domini prætermiſſum 110. & Dominica palmarum. 197.

Job

Job liber feria 2. majoris hebdomadæ in eccleſia Mediolanenſi recitatus. 219.
Jonæ liber feria quarta majoris hebdomadæ in eccleſia Mediolanenſi pronunciatus. 219.
Irreverentia in divinis officiis in clericis damnata 614
Iſaiæ propheria in officio adventus lecta. 72.
Judicia vacant in majori hebdomada 218

L

LACTIS & mellis immiſſio in calicem Sabbato Sancto 418
Lacticiniorum uſus in quadrageſima 161.
Lampades cælitus accenſæ in vigilia paſchæ 409. 433
Lateranenſis eccleſia præter Dominicam orationem nullas admittebat collectas in officiis 17
Latro ex confeſſione venerabilis 291.
Laudes dictæ matutinæ 45.
Laudes Dominicæ diei. 57.
Laudes in Cœna Domini quo ritu decantatæ. 226.
Lectio ad menſam. 166.
Lectionum quatuor genera in nocturnis vigiliis 44. à quibus debeant pronunciari 34. in quo habitu & loco 34. non conſtituti in ordinibus legere non debent 34. Lectionibus finis quo ritu impoſitus 33
Lectiones à ſedentibus auditæ 34 & ſilentibus, 45.
Lectiones longiores à laicis ſtantibus auditæ in eccleſia 23
Lectiones ex ſcripturis quando dici cœperunt in divinis officiis. 29. Ex paſſionibus martyrum & vitis Sanctorum, confeſſorum 31. de vitis Sanctorum tardius recepit eccleſia Romana 31. Eas in eccleſia S. Petri legi præcepit Adrianus Papa I. 31. Eas non legebant ante annos. 500. Campanienſes monachi. 31. Sed neque nunc legunt Cartuſienſes 32. Lectiones de geſtis aut paſſionibus Sanctorum olim in propriis eorum eccleſiis tantum legebantur. 551.
Lectiones ex Sanctis Patribus 30
Lectiones diebus Dominicis à quibus cantatæ. 57.
Lectiones 12. in nocturnis nativitatis Domini 83. Lectiones in nativitate Domini quo ritu legendæ 84. Lectio 5. ab imperatore, aut rege aut digniori ſolemniter pronuncianda 84. Lectio evangelii de generatione Chriſti in fine nocturnorum aut primæ miſſæ nativitatis Domini. 86.
Lectiones in Septuageſima prolixiſſimæ 128.
Lectiones piæ tempore quadrageſimæ faciendæ 165
Lectio ante completorium in quadrageſima 171
Lectiones quales in vigiliis nocturnis Cœnæ Domini. 225. quomodo finiantur 283.
Lectiones in vigilia paſchatis. 456. & ſeq. ad inſtructionem catechumenorum 411. Ubi & à quibus pronunciatæ 411. Earum numerus. 411. græcè & latinè dicebantur 411. 443.
Lectiones in nocturnis paſchatis ab inſignioribus lectæ 479.
Lectionum numerus in vigilia Pentecoſtes 540 græcè & latinè recitabantur Romæ 540
Lectiones quatuor in miſſa vigiliæ Epiphaniæ 109
Lectio ante completorium 54
Lectionarii quam antiqui 32
Leonis Papæ epiſtola ad Flavianum in adventu lecta in officiis divinis. 72.
Ligneis tabulis convocati ad officium fideles. 14.

Lingua Gallica in miſſa adhibita 99
Litania ſeptiformis. 512.
Litania major in feſto S. Marci. 512.
Litaniæ in Calendis Novembris 587
Litaniæ triduanæ in Idibus Decembris 555
Litaniæ tribus diebus ante natale Domini 77
Litania ſeptena, quina, & terna in vigilia Paſchæ 413. 442. 443. nona. 541. triplex in vigilia Pentecoſtes. 541.
Litania antiqua 629.
Lites vacant in majori hebdomada. 218. per totam paſchatis octavam quieſcunt 475
Lotio pedum in Cœna Domini. 310.316. quàm antiqua. 277. quo ritu facta. 278. Eam pauperibus impendebant reges & imperatores. 280.
Lucernæ benedictio Sabbato Sancto 454
Lucernarium 52. 53. à veſpera diſtinctum 53.
S. Ludovici pietas 41
Lugdunenſis eccleſia olim horas diurnas paſchatis in choro non cantabat 480
Lumen in tota eccleſia ad officium paraſceves non appareat. 382.

M

Magnificat ad laudes decantatum 25
Mamertus Viennenſis epiſcopus Rogationum inſtitutor 513
Mandatum 338. 342. 348. 349. mandatum pauperum in quadrageſima. 171. Sabbato ante Dominicam palmarum. 188.
Mandati in Cœna Domini antiquitas 277. Quo ritu factum. 278.
Mandatum duodecim ſubdiaconorum in eccleſia Romana. in Cœna Domini. 320.
Manipuli in proceſſione palmarum à ſacerdotibus delati 199. 208
S. Martini cella. 508.
Martyrum feſta quando celebrari cœperunt 349
Martyrologii lectio in capitulo. 49. In choro. 50. In vigilia natalis Domini 78. 79. poſt laudes in Cœna Domini 327.
Matutinæ laudes unà cum prima miſſa nativitatis Domini conjunctæ. 90.
Matutinæ papales 196.
Mellis ac lactis immiſſio in calicem Sabbato Sancto. 418.
Milites etiam in adventu jejunabant 66
Miſericordiæ opera quanti valeant. 291.
Miſſa mane die Dominica 56. ante publicam eccleſiæ cathedralis in aliis eccleſiis non dicenda 56.
Miſſa parochialis ſaltem tribus quibuſque Dominicis per anni circulum audienda 488
Miſſa feria 6. & diebus jejunii hora 8. celebranda. 63
Miſſa in vigilia natalis Domini nulla in miſſali Mozarabum 80
Miſſæ an tres olim dictæ in natali Domini. 87. an ab eodem ſacerdote. 88. In quibus altaribus 88. Miſſa in galli cantu qua hora dicta. 88. quo ritu. 89. Miſſæ ſecundæ natalis Domini hora & ritus. 92.
Miſſa in vigilia Epiphaniæ 109. In feſto Epiphaniæ 112
Miſſa pro defunctis altera poſt octavam Epiphaniæ die 115
Miſſæ quadrageſimales 168. & ſeq.
Miſſa præſanctificatorum apud Græcos in quadrageſimæ feriis. 170.
Miſſam feriis 6. quadrageſimæ non celebrat eccleſia Mediolanenſis 170
Miſſæ Dominicæ Palmarum ritus 198. & ſeq.
Miſſæ in Cœna Domini ordo 244. 254. 258. Eam cum epiſcopo ſimul celebrant presbyteri in Cœna Dñi 257.312.

Digitized by Google

Miſſæ ſolemnes plures in Cœna Domini 270. Una à jejunis altera poſt Cœnam 270. Miſſa chriſmalis. 165. 297. Miſſa pro baptizandis 293. pro reconciliatione pœnitentium. 230. 231. 287. 289. 299.
Miſſæ privatæ ante majorem in Cœna Domini ſine igne celebratæ 347
Miſſa in paraſceve & Sabbato Sancto non celebrata 355. 384. celebrant tamen Græci ſi in paraſcevem incidat annunciatio Dominica 355
Miſſa Sabbato Sancto quo ritu celebrata 417. ſtella in cœlo apparente incipienda. 414 43 2. ad mediam uſque noctem protracta. 418.
Miſſa in die paſchatis 482
Miſſa unica in die paſchatis ad communionem fidelium 486
Miſſas ſolemnes in cathedrali infra hebdomadam paſchæ non celebrat eccleſia Lingonenſis 509
Miſſa de defunctis infra hebdomadam paſchatis 507
Miſſa in Rogationibus. 516.
Miſſæ duæ vel tres in feſto Circumciſionis. 103. duæ in feſto Aſcenſionis 538. In vigilia Pentecoſtes 540 In vigilia S. Andreæ 550 In feſto Exaltationis S. Crucis 583 In quibuſdam locis tres in feſto Inventionis S. Crucis 565. duæ in feſto S. Euphemiæ 583 In feſto S. Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi 574. In feſto S. Joannis Apoſtoli 100. In Decollatione S Joannis 579 In feſto S Laurentii 576 In vigilia Aſſumtionis. 577. In feſto Aſſumtionis. 578. duæ vel tres de Nativitate B. Mariæ 580 duæ in feſto S. Mauricii 583 In feſto S. Remigii. 586. In feſto S. Martini. 593. In feſto S. Clementis 594. In Converſione S. Pauli 559 duæ & tres in feſto S. Petri ad vincula 574. duæ in feſto S. Sebaſtiani 558 In feſto SS. Marcelli & Apuleii 586. In feſto S. Tiburtii. 577. Miſſa triplex in feriis quatuor temporum adventus 75 Miſſæ tres in feſto S. Benedicti 562. In feſto S. Hermetis 579. In feſto S. Joannis Baptiſtæ. 568. In Tranſlatione S. Martini 572. In feſto SS. Septem Fratrum. 573. In feſto SS. Petri & Pauli. 570. In feſto S. Scolaſticæ 560 In Transfiguratione Domini 576
Miſſæ plures in Calendis Novembris 588
Miſſæ papales 597
Monachi acciti ad decantandas divinas laudes in eccleſiis cathedralibus 10. 11. 12.
Muſeus lectiones per anni circulum legendas in officiis diſponit 33

N

NATALIS Domini feſtum quam antiquum & quo die celebratum. 81. qua devotione. 82. Nocturnum ejus officium duplex. 82. In Galliis quam prolixum 83
Natalis Domini octava tota feſtiva 97
Nebulæ in Cœna Domini 279. 311.
Neophytorum communio per totam paſchatis hebdomadam 510
Nocte ter ſurgendum. 50
Nocturni olim an ſeparati 43
Nocturnum officium duplex in purificatione cum incidit in Dominicam Septuageſimæ 126
Nocturnæ vigiliæ in Paraſceve qua hora & quo ritu celebratæ. 352
Nocturnum officium paſchatis breviſſimum 427. Ejus deſcriptio 479. 497
Nocturnum officium infra hebdomadam paſchæ 509
Nocturnæ vigiliæ vid. vigiliæ
Nonæ officium 51
Nudis pedibus miniſtrant altari in paraſceve Sacri miniſtri 357. 379. 382. 385. Nudis pedibus omnes tam clerici

Digitized by Google

quam laici in paraſceve remanebant 154
Nudis pedibus fiebant in Rogationibus ſupplicationes 516. 528

O

O Antiphona aliquibus diebus ante natale Domini dicenda ad veſperas 76. à quibus. - 77.
Obitus poſt primam annunciandi & legendi ſuper genu epiſcopi aut decani 50
Oblatio regum Francorum in feſto Epiphaniæ. 114 cereorum in miſſa in feſto Purificationis 125. 126
Octavæ de quibus fieri debeant 573
Octava natalis Domini tota feſtiva 96
Octava Epiphaniæ. 115 Aſſumtionis B. Mariæ. 578. Nativitatis B. Mariæ 580. S. Andreæ 551. Apoſtolorum Petri & Pauli 571. Omnium Sanctorum quando inceperit. 588
Offertorium miſſæ cum tribus verſiculis 495
Offertoria tria in feſto omnium Sanctorum 588
Officiales Romani jurant fidelitatem in vigilia Circumciſionis 601.
Officia divina per diaconos, & epiſcopos nuntiata 13 In parochialibus eccleſiis ex more celebrata. 12 in eccleſiis cathedralibus horis aſſignatis devotè celebranda 614 diverſis in eccleſiis uniformi ritu perſoluta 38.
Officium nocturnúm duplex in feſto S. Joannis evangeliſtæ 99
Officium ſtellæ in Epiphania. 111
Officium diurnum paſchatis 480 nocturnum infra hebdomadam paſchatis 509
Officium SS. Sacramenti 547
Olei infirmorum & cathecumenorum benedictio. 239 & ſeqq.
Opus manuum à clericis exercendum 63
Orare ſemper cenſetur qui canonicis horis Deum quotidiè laudat. 2
Orationum loca fixa nulla erant primis chriſtianis 2
Oratio Dominica poſt matutinas & veſperas à ſacerdote prolata 13
Oratio Dominica Sabbato Sancto à catechumenis reddita 443.
Orationes ſolemnes feria 4. majoris hebdomadæ 221.
Orationes in vigilia Pentecoſtes à diverſis ſacerdotibus cantatæ 540
Oratio S. Ambroſii 620. ante miſſam 652. in qua pro ſuis peccatis veniam poſtulat 621. pro infirmis. 624
Oratio S. Auguſtini 638. 639. 644. ad SS. Trinitatem 634. contra illuſiones ſomnii 645.
Oratio Bedæ presbyteri 637
Oratio S. Ephrem. 622
Oratio S. Eugenii epiſcopi 636
Oratio S. Gregorii Papæ 642 de confeſſione peccatorum & de venia pro his poſcenda 623. In qua Deo gratias agit. 612.
Oratio S. Hieronymi 621.
Oratio S. Hilarii ad SS. Trinitatem 619.
Oratio S. Joannis evangeliſtæ 619
Oratio S. Iſidori ad poſcendam veniam peccatorum. 624. Ejuſdem pro omnibus chriſtianis. 624.
Oratio S. Martini 619
Oratio S. Prudentii 635
Oratio cujuſdam ſapientis 633
Oratio ad Patrem 640 Ad Filium 640. Ad Spiritum Sanctum 640. Ad SS. Trinitatem 640. Ad Dominum Jesum-Christum. 640. Ad S. Mariam 641. Ad SS. Apoſtolos 641. Ad Venerabilem Benedictum 641 Ad plures Confeſſores. 641. Ad laudem Dei 654. Ante altare. 652. Poſt perceptionem Euchariſtiæ 652 dicenda à ſacerdote ſuper pœnitentem. 650 pro iter agentibus. 661. contra vitia 656. contra vitium gulæ 645. pro defunctis. 10.

Digitized by Google

618. pro invidia hominum 644. quotidiana 644.646. ordo orationis quotidianæ 658.
Orationes ante crucem 374.395.ad benedicendum cereum 453 ad benedicendam lucernam. 452. ad benedicendos diacones 453.
Ordinandorum examen feria 4. quatuor temporum 75. feria 4. poſt Dominicam primam quadrageſimæ. 179.
Ordinationes in Decembri ſolum celebrabant olim Summi Pontifices 78
Ordinatur ſolus Papa ad altare S. Petri 76
Ordines ſacri gratis conferendi 268
Oſculum pacis in capitulo die natalis Domini 93
Oſculum pacis ſive ante ſive poſt nocturnum paſchatis officium 477.503
Otioſitas inimica animæ 63
Ovorum uſus in quadrageſima 161

P.

PALMARUM benedictio quando inceperit. 188
Palmarum ritus apud Græcos. 196.
Paganorum initio anni ſuperſtitiones. 103
Pallia ex lana agnorum in die S. Agnetis benedictorum. 559.
Panis benedictio die Dominica. 60. In feſto S. Agathæ. 560. In Aſcenſione Domini 536
Paraſceves officium ut celebrandum 357 qualia epiſcopi & miniſtrorum ejus ad illius officium ornamenta 356. Lumen in tota eccleſia ad officium paraſceves non appareat 382
Paſchatis dies in feſto Epiphaniæ populo annunciatus 113
Paſchatis nocturnum officium breviſſimum 477. Ejus deſcriptio 479.497.
In paſchatis feſto omnes ad cathedralem eccleſiam convenire debebant 476
Convivium epiſcopi in die paſchatis 493
Paſchatis feſtum per ſeptem dies olim celebratum 474. poſteà per tres tantum dies 476.
Paſcha annotinum. 510
Paſchale tempus 511.
Paſſionis Dominicæ feſtum quàm antiquum 352
Paſſio Domini in nocturnis Dominicæ palmarum olim lecta 197. Non autem in miſſis privatis. 199.
Paſſio ſecundum Marcum feria 3. majoris hebdomadæ olim non legebatur 220
Paſſio Domini lecta in Cœna Domini 344
Paſſio unica olim in hebdomada ſancta legebatur 199. Ex quatuor evangeliſtis erat conflata. 199.
Paſſio quo ritu legenda 198. 210.
Paſſiones martyrum legere nolentes increpantur. 32.
Pauperum mandatum in quadrageſima. 171.
Pauperibus 12. pedes in quadrageſima quotidiè lavabat S. Udalricus 165
Pauperum mandatum Sabbato ante Dominicam palmarum 188
Pax vobiſcum diebus feſtis tantummodo ſolet dicere epiſcopus. 305.
Pax inter diſcordes conciliandа in Cœna Domini. 280. 332.
Pax in Cœna Domini an daretur in miſſâ 272. 325
Pacem ante paſchalem communionem unicuique olim dabat epiſcopus 485
Pacis oſculum ſive ante ſive poſt nocturnum paſchatis officium 477. 503. In capitulo die natalis Domini. 93.
Peccata octo capitalia, eorum fructus & remedia. 656. Oratio ad petendam eorum extirpationem. 656.
Peccatorum remiſſionem duodecim modis promeremur. 291.
Peccatorum indulgentia in celeri confeſſione poſita. 231
Pedibus nudis fit proceſſio in capite jejunii 151

Pentateucus à Septuageſima ad quadrageſimam lectus 128
Officium feſti Pentecoſtes 542
Pictavienſis eccleſia an habuerit olim collectas 37
Pœnitentia nobis ad innocentiam deputatur. 293. Secundùm modum culpæ injungenda. 136. 291.
Pœnitentes nudis pedibus ſacco induti ejiciuntur 136. Eorum ejectio in capite jejunii 131. 135. quando deſierit 154. Eorum caput cilicio operiendum 137. 141. 143. à quibus abſtinere debeant 141
Pœnitentium reconciliatio in Cœna Domini 284. 321. Officium pro eorum reconciliatione 285. Eos inconſulto epiſcopo reconciliare non debent presbyteri. 228. reconciliati primi ante omnes communicant in Cœna Domini 271. 304. reconciliatos in Cœna Domini propria menſa excipiebat epiſcopus. 230.
Policarpi epiſtola in eccleſiæ conventu lecta. 30.
Poloni jejunabant à Septuageſima ad Paſcha. 120.
Pomorum benedictio in feſto S. Jacobi. 574.
Præcentor pſalmi reſponſorii quis 20
Prædicatio die Dominica & feſtis 61. In quadrageſima 165. Vide Sermo. Præfatio de Trinitate omni die Dominica. 544. In feſto S. Michaëlis 585. In miſſis quadrageſimæ quæ dicenda. 169.
Præparatio ad miſſam hora tertia. 3.
Præſentationis B. Mariæ feſtum 521. agente Carolo V. rege Francorum promovetur 524
Prandium in natali Domini 95
Preces ad Primam 47
Presbyteri ſimul cum epiſcopo miſſam celebrant in Cœna Domini. 312. inconſulto epiſcopo pœnitentes non debent reconciliare 228. nec conſecrare virgines. 239. Officium faciunt in feſto S. Joannis 99
Primæ officium quando inceperit 46. Quibus conſtaret precibus 46 & ſeq. Ejus officium die Dominica 58
Priſcillianiſtæ jejunabant in natali & in reſurrectione Domini. 95
Proceſſio die Dominica 60. die ſabbati 64. ad præſepe poſt nocturnos natalis Domini 87. ante tertiam miſſam natalis Domini 93
Proceſſio nudis pedibus in capite jejunii 153. In quadrageſima 168. Duplex in Dominica palmarum 192
Proceſſio nudis pedibus feria 4. majoris hebdomadæ 220. In paraſceve. 354. cum Corpore Domini 376
Proceſſio cum Euchariſtia ante vel poſt nocturnas paſchatis vigilias 478. 497. 505. Poſt veſperas 494.
Proceſſio ad ſepulcrum poſt nocturnum paſchatis officium 479 497. 498. 505.
Proceſſio in paſchate poſt tertiam 481
Proceſſio ad fontes in die paſchatis 494. 496. 507. per totam hebdomadam paſchæ poſt veſperas. 510
Proceſſiones ſolemnes per hebdomadam paſchæ. 508
Proceſſio ad fontes poſt primas veſperas feſti S. Joannis apoſtoli 99. Et in feſto ejuſdem 570
Proceſſiones nudis pedibus in Rogationibus 516. 528. In Purificatione & die cinerum 137.
Proceſſiones ſolemnes per octavam Pentecoſtes 544.
Proceſſio ſacratiſſimi Corporis Chriſti 548
Proceſſio ad cellam S. Martini ad majus monaſterium Turonenſe. 508.
Proceſſio poſt completorium in honorem B. Mariæ 54.
Prophetiæ in miſſa vigiliæ natalis Domini. 79. In miſſis natalis Domini. 89.

Digitized by Google

Proſæ in fine reſponſoriorum ad nocturnos nativitatis Domini. 85. Ad offertorium miſſæ ſecundæ natalis Domini. 91. in nocturnis S. Stephani 98. In adventu dimiſſæ. 69.
Proſtrationes in choro omiſſæ feria 4. quatuor temporum adventus. 75.
Pſalmi ab hæreticis compoſiti. 17.
Pſallit ſobriè eccleſia Africana. 17.
Pſalmorum utilitas. 16.
Pſalterium ignorare monialibus illicitum. 5.
Pſalterii quæ verſio in cantu eccleſiaſtico adhibita. 17.
Pſalterium triplex 18. Romanum quandiu in uſu 18
Pſalmos decantandi modus quadruplex. 19. Pſallentium quis corporis ſitus. 22.
Pſalmorum in nocturnis duodenarius numerus canonicus 21
Pſalterium quotidiè recitatum in eccleſia Ambianenſi 167. In vigilia natalis Domini 80. feria 4. majoris hebdomadæ. 221. In paraſceve 153. & ſeq.
Pſalmi quinquaginta feria 2. majoris hebdomadæ recitati 220
Pſalmi pœnitentiales poſt nocturnos à Septuageſima ad quadrageſimam 129 In Cœna Domini 228 In paraſceve. 157.
Pſalmi additi in adventu. 71. In quadrageſima 166
Pſalmi depreſſa voce decantati in vigiliis Cœnæ Domini 225
Pulpitum ſuper gradus ambonis 34
Pulvillus ex papyro ponendus ſub capite Summi Pontificis in ejus ſepulcro 155.
Purificationis B. Mariæ feſtum quàm antiquum. 115. Ejus proceſſio 116. Romæ nudis pedibus facta 117. Cereorum in hoc feſto benedictio 117

Q

QUADRAGESIMA triplex. 66. 67. quadruplex in eccleſia Romana. 67. Vide jejunium. Abſtinentia.

R

RAMI Dominica palmarum ad altare in miſſa offerendi 198
Reconciliatio pœnitentium 284. 321. 327. 331. In miſſa ante oblationem 305. In Cœna Domini duplex 218. Imò plures 219
Reconciliare pœnitentes inconſulto epiſcopo non debent presbyteri 228
Regulæ canonicorum lectio in capitulo. 49. 50
Regum Francorum oblatio in feſto Epiphaniæ 114.
Reliquiæ in proceſſione palmarum delatæ. 194. 201. 204. 209. ad proceſſionem Rogationum 528
Reſponſoria quid, quo ritu cantata & à quibus 35. quo in loco, quo vocis ſono 36. non ex libro, ſed memoriter. 36.
Reſponſorius cantus 19
Rei abſolutio apud Vindocinenſes feria 6. poſt Dominicam 4. quadrageſimæ. 175.
Rogationes in media quadrageſima. 185
Rogationum ante Aſcenſionem inſtitutio. 513. Jejunium. 533. Officium prolixum 514
Roſa aurea Dominica 4. quadrageſimæ à Summo Pontifice benedicta 183. 184. 603.

S

SABBATI conſuetudines 63. 64
Sabbatum in 12. Lectionibus. 179
Sabbatum ante Dominicam palmarum

Digitized by Google

miſſæ officio caret & quare 187. Hac die miſſam non dicebant olim Cartuſienſes 188
Sabbati Sancti ritus 401. & ſeq.
Salutatio angelica poſt completorium ad campanæ pulſum. 54.
Sanctorum ſolemnitates in quadrageſima nullæ 170.
Sanctificatur vinum non conſecratum per Corpus Domini calici immiſſum 371. 384. 387. 389. 396.
Sanguis cum Corpore Chriſti reſervatus 274
Scriptura memoriter diſcenda 41. à virginibus. 5.
Scrutinium catechumenorum 185.
Septuageſimæ officium 126
Sepulcrum ſibi adhuc vivens parari jubet V. archiepiſcopus Biſuntinus 24.
Sepulcro poſita crux in paraſceve. 367.
Sepulcrum Toletanum ad recondendam Euchariſtiam in Cœna Domini. 341.
Sepulcro Corpus Chriſti reponitur in officio paraſceves. 390.
Sepulcri viſitatio poſt completorium Sabbati Sancti 451. Proceſſio ad illud poſt nocturnum paſchatis officium. 479. 497. 498. 503.
Sermo in ambone. 228.
Sermo ad populum in Adventu. 72. In capite jejunii 131. 135. 136. 137. 139. 143. 147. 152. 151. In quadrageſima 154. In Dominica palmarum 190. 192. 196. 205. 207. 214. In Cœna Domini 228. 232. 233. 252. 256. 271. 279. 310. 313. 314. 319. 329. per ſingulas periodos pœnitentibus à presbyteris exponendus 290
Sermo in paraſceve 362. In Paſchate 499. In Rogationibus 543. In Aſcenſione Domini 536. In feſto Purificationis 122. In feſto S. Stephani 98.
Sermones in capella Papæ quando fiant 598
Servi vacant in majori hebdomada 219
Severinus Colonienſis poſt mortem punitus quod tempus canonicarum horarum prævertiſſet 8.
Sextæ officium. 51.
Sibillini verſus 78. in nocturnis Nativitatis Domini. 86.
Siciliæ rex equum nobilem offert Pontifici maximo in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. 608.
Silentium in eccleſia. 56.
Silentium à canonicis regularibus ſervandum in quadrageſima. 172.
Stare in officio quonam tempore oporteat 616. Stabant olim laici ad officium divinum 22.
Stationes ſolemnes per hebdomadam paſchæ. 508.
Stationes variæ in Rogationibus 516. 518. 533.
Stellæ officium in Epiphania 111
Stella apparente incipitur miſſa Sabbati Sancti 424. 431.
Stephani junioris ingens memoria 30
S. Stephani feſtum quam antiquum & quo ritu celebraretur 97 & ſeq.
Strenarum ſolemnitas 104.
Strepitus in fine laudum in Cœna Domini 227
Subdiaconi olim lectiones legebant in nocturnis. 34.
Superſtitiones paganorum anni initio 103
Superſtitiones in feſto S. Petri 560
Surgendum ter nocte 5
Symbolum S. Athanaſii ad Primam. 46.
Symbolum omiſſum in primis miſſis natalis Domini 90
Symboli traditio in Dominica Palmarum 214. ante ſomnum quotidiè recitandum 214. memoria retinendum non calamo ſcribendum 214. Sabbato Sancto à catechumenis redditum 422. 429. 443.

Tabella

T

TABELLA cereo paſchali affixa 407.
Tabulis ligneis convocati fideles ad officium 14
Te Deum laudamus in adventu dimittitur 71. In feſto Innocentium 102. In Septuageſima. 119.
Tenebrarum nomine appellatæ vigiliæ nocturnæ 216
Tertiæ officium 51
Teſtamenti novi lectio in capitulo dum altaria denudantur in Cœna Domini 277.
Textus à ſubdiaconis ad proceſſionem delati 93
S. Thomæ feſtum cur non habeat jejunium 66. 67.
Thus in tribus nocturnis diei Dominicæ adhibitum 56. 57.
Thurificatio altaris initio Tertiæ feſti Pentecoſtes 542. Vid. Incenſum.
Tractus cantus 21.
SS. Trinitatis feſtum 544. Præfatio de Trinitate omni die Dominica 544
Triſagii origo. Additio ei facta 361.
Tuba convocati fideles ad officium. 14.

V

VELI ſuſpenſio in quadrageſima 179
Veſperarum officium 52. 53.
Veſperæ natalis Domini 96. In eccleſia Mediolanenſi duplices 96
Veſperæ feriæ 4. majoris hebdomadæ 222. in Cœna Domini quo ritu cantatæ 274. 307. 320. 338.
Veſperæ in paraſceve ſimul cum miſſa 365 privatim dictæ 384
Veſperæ Sabbati Sancti 419. 433. 441. 464. paſchatis 494. 496. 507. vigiliæ Pentecoſtes 541. feſti Pentecoſtes 543
Vexillum cilicinum in reconciliatione pœnitentium 238
Vigiliarum utilitas. 39
Vigiliæ apud Chriſtianos quanti habitæ 39. Etiam apud laïcos. 40. ab ipſis etiam principibus frequentatæ. 41. quandiu viguerint. 41. qua hora noctis peractæ. 42. Etiam in itinere obſervatæ 42. à media nocte ad auroram uſque in eccleſia Pariſienſi protractæ 45. ad eas epiſcopus excitabat. 44. ſignum pulſabat, eaſque incipiebat. 44. Quis in eis ordo ſervatus 44. diebus Dominicis prolixiores erant 55. iis tempore quadrageſimæ intererant laïci 164. 165.
Vigiliæ nocturnæ in Cœna Domini 346. qua hora decantatæ 223. 282. quo ordine 224. Vigiliæ nocturnæ in paraſceve qua hora & quo ritu celebratæ 352. 380.
Vigiliæ nocturnæ duplices in præcipuis Sanctorum feſtis 551. In feſto S. Andreæ. 550. S. Joannis Baptiſtæ 569.
Vigilia natalis Domini quo ritu celebraretur 78 & ſeq.
Vigilia Epiphaniæ cum jejunio 109
Vigilia Pentecoſtes 538. Ejus officium qua hora inceptum 539
Vigilia aſſumtionis 577. Nativitatis B. Mariæ 580. Purificationis 117. Viſitationis B. Mariæ 571.
Vigilia S. Andreæ 550. S. Ceciliæ 594. S. Dioniſii & ſoc. 586. S. Germani. 567. SS. Gervaſii & Protaſii 568. SS. Joannis & Pauli. 570. S. Laurentii. 576. S. Martini. 593. S. Mathei. 583. SS. Petri & Pauli 570. SS. Simonis & Judæ 587. Transfigurationis. 576.
Vini abſtinentia in quadrageſima 160
Vinum in ſanguinem conſecratum per immiſſionem Corporis Chriſti 481.

Digitized by Google

Vinum communicatis in paſchate propinandum 500
Virdunenſis eccleſia clericis olim deſtituta 11
Virgines Chriſti illuſtris portio 458 Earum conſecratio in feſto Epiphaniæ. 108. à presbyteris non fiat 239
Vita communis canonicorum in quadrageſima 171
Uvarum benedictio in feſto S. Sixti. 575
Uva recens expreſſa in calice 575.

Digitized by Google

ERRATA GRAVIORA CORRIGENDA.

PAG. 8. linea 30. venoticum, lege veneticum. Pag. 9. l. 7. ſubcurrerent, lege decurrerent. Ibid l. 12. Utcumquemque, lege unumquemque. pag. 10. l. 43. quæ cos, lege quæ res. pag. 11. l. 5. couſurſum, lege conſuetum. pag. 14. l. 39. quam ædis, lege quam ad ædis. pag. 15. l. 41. campanæ, lege campana. pag. 18. l. 7. ejus, lege cum. pag. 24. l. 45. prætentato, lege Prætextato. pag. 27. l. 36. eſt, lege eſſe. Ibidem. l. 44. non multis, lege nonnullis. pag. 31. l. 13 Luxorienſe, lege Luxovienſe. Ibib. l. 14. Baſilicæ, lege Baſiliſcæ. Ibid. ſed ut, lege ſed & pag. 34 l. 40. Bereenſis, lege Brecenſis. pag. 36. l. 42. diſentio, lege diſcretio. pag. 38 l. 39. Gebundenſe, lege Gerundenſe. pag. 39. l. 45. carnemque, lege carmenque. pag. 40. l. 41. ex libro 8, lege ex libro. pag. 44. l. 8. pretoris, lege pectoris. Ibid. l. 43. Hoptateuco, lege Heptateuco. pag. 57. l. 21. Franciſci, lege ex Franciſci. pag. 60. l. 2. quæ dicta, lege qua dicta. pag. 63. l. 45. majoris, lege majori. pag. 65. l. 12. eſt S. Gregorii, lege ex S. Gregorii & Ibidem l. 17. Gelagii, lege Gelaſii. pag. 66. l. 19. monachi, lege monachis. Ibid. l. 29. capitula, lege capitularia. Ibid. l. 33. urgebatque, lege vigebatque. pag. 70. l. 19. Coderiſii, lege Oderiſii. pag. 71. l. 11. Turonenſis, lege Turonenſes. pag. 80. l. 7. Cuſentina miſſale, lege Cuſentina. Miſſale. pag. 81. l. 36. oelebratur, lege celebrabatur. pag. 85. l. 22. accipi, lege accipe. pag. 86. l. 2. Verticenſi. lege Ucetienſi. *In hoc verbo ſæpius erravit typographus, qui corrigendus eſt eodem planè modo quo eum hac in pagina corrigimus.* pag. 91. l. 12. Turonenſis, lege Turonenſes. Ibid. l. 41. cantar rem, lege cantat eam. pag. 93. l. 18. verſus, lege verſu. pag. 94. l. 8. Cſen-utinum lege Cuſentinum. pag 98. l. 16. quinque lege quinque. pag. 100. l. 10. Moyacenſi, lege Moyſacenſi. Ibid. l. 27. Bolienſi, lege Bobienſi. pag. 105. l. 28. gumi, lege humi. pag. 109. l. 32. præfactio, lege præfatio. pag. 110. l. 20. perpote, lege perpere. pag. 113. l. 6. di tertio, lege die tertio. pag. 129. l. 25. Gaſtinenſis, lege Gaſtinenſes. pag. 156. l. 35. hebdomadarium, lege hebdomadarum pag. 158. l. 45. illo, lege ille. pag. 168. l. 3. micrologio, lege martyrologio. pag. 170. l. 25. Prætoratus, lege Pectoratus. pag. 182. l. 36. flectus, lege fletus. pag. 184. l. 6. Damiæ, lege Daniæ. pag. 187. l. 34. dele in ſacramentario. pag. 188. l. 3. non Geſtanæ. lege Non heſternæ diei. Ibidem l. 33. capitulatium, lege capitilavium. pag. 199. l. 13. recitatem, lege recitatam. Ibid. l. 14. civitatam, lege civitatem. pag. 205. l. 9. convalem, lege convalle. pag. 207. l. 42. coletario, lege celerario. pag. 211. l. 1. qua, lege quare. pag. 214. l. 35. ſubtruitur, lege ſubruitur. pag. 216. l. 3. vere crudelitatis, lege veræ credulitatis. pag. 222. l. 18. quinqua, lege quinque pag. 227. l. 9. oratio his, lege oratio. His. pag. 231. l. 14. ſtudet, lege ſtridet. pag. 240. l. 39. nullum, lege nullus. pag. 248. l. 34. cumulamur, lege cumulantur. pag. 249. l. 27. chriſmati, lege chriſmali. pag. 254. l. ultima utque, lege utrimque. pag. 255. l. 1. more, lege in ore. pag. 261. l. 16. prius, lege prius. pag. 267. l. 18. Regionem, lege Reginonem. pag. 287. l. 7. benedite, lege benedicite. pag. 285. l. 15. experti, lege experti. pag. 298. l. 17. aſcollis, lege aſcellis. pag. 319. l. 3. cathumenis, lege catechumenis. pag. 343. l. 3. nteo, lege linteo. pag. 349. l. 18. præpoſito, lege propoſito. Ibid. l. 37. præcedentiſus, lege præcedentibus. pag. 354. l. 7. complecta, lege completa. pag. 355. l. 17. motum, lege metum. pag. 356. l. 33. colebio, lege colobio. pag. 357. l. 9. perinde, lege perinde ac. Ibid. l. 39. ſtatuet, lege ſtatuit. pag. 358. l. 1. aditur, lege additur. pag. 364. l. 32. Trecentis, lege Trecenſis. pag. 365. l. 3. indulgentem, lege indiligentem. pag. 367. l. 4. aliquod, lege aliquid. pag. 368. l. 30. quamvis, lege quam-vis. pag. 386. l. 15. furentis, lege furantis. Ibidem l. 23. Sic eant, lege ſic eam. pag. 387. l. 13. amovis, lege amotis. pag. 402. l. 15. promeariabantur, lege pronuntiabantur. pag. 405. l. ultima eccleſiæ, lege eccleſia, pag. 407. l. 13. præmittebant, lege præmittebantur. pag. 410. l. 26. offenſos, lege obnoxios. pag. 411. l. 13. Ritualis atque miſſalis, lege Rituales atque miſſales. pag. 414. l. 14. hautiet, lege haurit. pag. 429. l. 23. piſtingis, lege piſteugis. pag. 467. l. 10. cantes, lege canter. pag. 479. l. 18. Retonenſi. lege Rotonenſi. Ibid. l. 25. Rambergenſi, lege Bambergenſi. pag. 480. l. 38. cœlecta, lege collecta. pag. 485. l. 44. burrea, lege buccea. pag. 512. l. 8. ſacramentorum, lege ſacramentorum libris. Ibid. l. 21. hobſtari, lege hortari. pag. 513. l. 6. Halarii, lege Hilarii. pag. 545. l. Caruthphi, lege Cathvvphi. pag. 553. l. 11. Ramoſſenſis, lege Rameſienſis. pag. 558. l. 15. Rabienſe, lege Bobienſe. pag. 570. l. 11. Petri, lege Petri & Pauli. pag. 596. l. 6. ſolemniter. Intra, lege ſolemniter intra. Ibid. linea penultima palatinum. In galli, lege palatinum in galli. pag. 615. l. 2. ſtudeant. Intereſſe, lege ſtudeant intereſſe. pag. 624. l. 36. medicinæ, lege medicina. pag. 628. l. 5. refrigorii, lege refrigerii. pag. 637. l. 36. lædimus, lege lædimur. pag. 647. l. 21. imbellices, lege imbecilles.

MAG 2610

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google